Digitized by Google

SUMMA
THEOLOGIÆ
SCOTISTICÆ,

IN QUA
EX FIDEI LUMINE, S. SCRIPTURÆ
Oraculis, Eccleſiæ Traditionibus, ac Decretis,
SS. PP. ac Theologorum ſententia,
& rectæ rationis ductu,

RELIGIONIS CHRISTIANÆ MYSTERIA,
Dogmata, Sacramenta, & Leges breviter, &
ſcholaſticè explicantur, & propugnantur ad
mentem Doctoris Subtilis

A P. F. SEBASTIANO DUPASQUIER,
Min. Convent. S. Theologiæ Lectore Emerito,
Doctore, ac Provinciæ Seraphici S. Bonaventuræ Exprovinciali conſcripta.

TOMUS V.

Tract. IX. de Gratia, juſtificatione, & merito,
Et X. de virtutibus ſupernaturalibus.

Ad simplicem usum F. Angeli a [illegible]

POST FATA RESURGO

Pertinet ad Conventum Sanctæ Mariæ Carmeli [illegible] S. Antonii

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXX.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Ad usu Adm. Rd. Prij An-
geli a Grumo

Pertinet ad Conventum S. M.ae
Carmeli S. Anthimi

Digitized by Google

INDEX
DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
Hujus Tomi V. De Gratia, & virtutibus Theologicis.

TRACTATUS IX.
De Gratia, & merito.
DISPUTATIO I.

PRolegomenica. *De quibuſdam hæreſibus circa gratiam Chriſti.* pag. 2
QUÆST. I. *De hæreſi Pelagiana.* ibid.
Q. II. *De hæreſi ſemipelagiana.* 6
Q. III. *De hæreſi prædeſtinatiana, Lutherana, Calviniana, & Janſeniana.* 9
Q. IV. *De auctoritate S. Auguſtini in Theologicis, & maximè de Gratia.* 14
Q. V. *Quid cenſuerit Scotus de exiſtentia, natura, & efficacia gratiæ actualis.* 16

DISPUTATIO II.

D*E exiſtentia, & natura gratiæ in genere.* 21
Q. I. *An, & quid ſit gratia divina.* 22
Q. II. *Quotuplex ſit gratia.* 25
Q. III. *De gratia ſufficiente, & efficaci.* 37
Q. IV. *De Gratia* medicinali, *&* ſanitatis. *De auxilio* quo, *&* ſine quo, *an, & quomodo diſtinguantur à ſufficienti, & efficaci.* 49

DISPUTATIO III.

DE neceſſitate gratiæ actualis. 66
Q. I. De neceſſitate gratiæ ex parte intellectus. An poſſit homo naturaliter cognoſcere aliquas veritates ſine ſupernaturali auxilio gratiæ. 67
Q. II. De neceſſitate gratiæ ex parte voluntatis. An homo lapſus poſſit elicere aliquem actum moraliter bonum, & ſalutarem ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio. 76
Q. III. De neceſſitate gratiæ actualis ad opera bona ordinis naturalis. 88
Q. IV. An viribus naturæ poſſit homo lapſus diligere Deum ſuper omnia amore naturali. 96
Q. V. De neceſſitate gratiæ ad ſervanda præcepta, ſeu legem. 107
Q. VI. De neceſſitate gratiæ ad vitanda peccata, & vincendas tentationes. 116
Q. VII. De neceſſitate gratiæ ad perſeverandum in bono. Seu, de gratia perſeverantiæ, quæ, & qualis ſit. 130
Q. VIII. An gratia auxiliatrix, & ſufficiens detur omnibus, &c. 136
Q. IX. De præparatione ad gratiam actualem. An facienti, quod in ſe eſt viribus naturæ detur gratia. 161

DISPUTATIO IV.

DE gratia habituali, ſeu juſtificante. 168
Q. I. An, & quid ſit gratia habitualis. 169
Q. II. An, & quomodo hæc gratia diſtinguatur à charitate. 176
Q. III. De ſubjecto gratiæ habitualis: An ſit immediatè in ſubſtantia animæ, vel in voluntate. 182
Q. IV. An, & quomodo gratia ſit participatio naturæ divinæ. 186

Q. V.

Q. V. *De oppoſitione gratiæ cum peccato, an ſit phyſica, vel moralis.* 192
Q. VI. *De effectibus gratiæ habitualis. An eos efficiat ex natura ſua phyſica.* 201

DISPUTATIO V.

DE *cauſis gratiæ.* 214
Q. I. *De cauſa efficiente gratiæ.* ibid.
Q. II. *Qualis ſit productio gratiæ. An ſit creatio, vel eductio.* 218
Q. II. *De diſpoſitionibus ad gratiam habitualem, an, & quales requirantur ex parte hominis adulti.* 224
Q. IV. *An ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem ſit ab ipſa gratia effectiuè, aut moraliter.* 232
Q. V. *Quinam actus requirantur ad præparationem gratiæ ſanctificantis.* 239

DISPUTATIO VI.

DE *principali effectu gratiæ habitualis. Seu de juſtificatione.* 247
Q. I. *An, & quid ſit juſtificatio. An per eam verè deleantur peccata.* 428
Q. II. *An juſtificatio fieri poſſit per extrinſecã condonationẽ abſq; infuſione interioris gratiæ.* 259
Q. III. *An juſtificatio cũ intenſione gratiæ fieri poſſit ſine ullo actu pœnitẽtiæ ex parte peccatoris.* 267
Q. IV. *An peccator adultus poſſit juſtificari formaliter ſinè gratia habituali, ſed per aliquem actum contritionis, vel dilectionis Dei.* 276
Q. V. *De æqualitate, intenſione, & remiſſione gratiæ juſtificantis.* 285
Q. VI. *Quomodo quis ſcire, aut confidere poſſit ſe eſſe in gratia.* 298
Q. VII. *Quantum beneficium ſit gratia ſanctificans. An ſit ſummum donorum Dei. An opus miraculoſum.* 306

DISPUTATIO VII.

DE *merito.*
Q. I. *An, quid, & quotuplex meritum.* 314
Q. II. *In quo conſiſtat propria, & formalis ratio meriti de condigno, prout diſtinguitur à congruo.* 321
Q. III. *De conditionibus requiſitis ad meritum de condigno ex parte operis.* 325
Q. IV. *De requiſitis ad meritum ex parte merentis.* 341
Q. V. *De requiſitis ad meritum ex parte Dei.* 347.
Q. VI. *De obiecto, & materia meriti de condigno, an gratia, & gloria cadant ſub illud meritum.* 354
Q. VII. *De aliis donis, maximè de dono perſeverantiæ, an cadat ſub meritum.* 363
Q. VIII. *Quibus actibus habeatur, & creſcat meritum condignum.* 372

DISPUTATIO VIII.

DE *reviviſcentia meritorum.* 386
Q. I. *An merita per peccatum mortificata reviviſcant per gratiam reconciliantem.* 387.
Q. II. *An reviviſcentia meritorum ſit ex iuſtitia, vel miſericordia Dei.* 394
Q. III. *An merita reviviſcant quoad totam gratiam perditam, & quoad totum ius amiſſum.* 400

TRA-

TRACTATUS X.

De virtutibus ſupernaturalibus, & donis.

DISPUTATIO I.

DE *virtutibus in genere.* 411
Q. I. *An, & quid ſit virtus, & quotuplex.* 412.
Q. II. *An, & quomodo mediocritas ſit de ratione omnis virtutis.* 419

DISPUTATIO II.

DE *virtutibus Theologicis in communi.* 427
Q. I. *An, & quid ſit virtus Theologica.* ibid.
Q. II. *De cauſa finali, ſeu de neceſſitate harum virtutum.* 433
Q. III. *An, & quomodo virtutes Theologicæ concurrant ad actus.* 438
Q. IV. *An virtutes Theologicæ infuſæ diſtinguantur ab acquiſitis penes objecta. Seu, an præter infuſas dentur acquiſitæ etiam Theologicæ.* 441
Q. V. *De cauſa effectrice virtutum Theologicarum, à quo, & quomodo producantur, & amittantur.* 446
Q. VI. *Quæ, & quot ſint virtutes Theologicæ, & ſupernaturales, & de earum connexione.* 418

DIS

DISPUTATIO III.

DE virtutibus Theologicis in ſpecie. Et 1. de fide Theologica. 457
Q. I. An, & quid ſit fides Theologica. ibid.
Q. II. De objecto fidei Theologicæ materiali. 462
Q. III. De objecto formali fidei Theologicæ. 467
Q. IV. Quomodo ſe habeat revelatio, & ſpectet ad objectum formale fidei. 475
Q. V. De obſcuritate objecti materialis, & formalis fidei. 421
Q. VI. De propoſitione credendorum, an ſit de objecto fidei. 487
Q. VII. An revelatio debeat eſſe immediata, vel ſufficiat mediata. An publica &c. 492
Q. VIII. Qualis debeat eſſe propoſitio revelationis, ut obliget ad credendum. 499
Q. IX. An, & quomodo objecta fidei ſint evidenter credibilia. 508
Q. X. De proponentibus fidem, qui, & quales eſſe debeant. 514

DISPUTATIO IV.

DE regulis fidei. 522
Q. I. De Scriptura S. an ſit unica regula fidei. ibid.
Q. II. De Traditionibus. An præter ſcripturam admittendæ ſint, ut regulæ fidei. 528
Q. III. De Decretis Eccleſiæ in Conciliis, an ſint regulæ fidei. 538
Q. IV. De Eccleſia Romana, ſeu de Summo Pontifice, an & quomodo ſit regula infallibilis fidei. 548
Q. V. An aliquando Papa errarit in fide. Ubi ſolvuntur objectiones contra præcedentem concluſionem. 554
Q. VI. An Papa, ſine omni conſilio, vel conſultatione, poſſit definire credenda. 562
Q. VII. An definitionis Papæ certitudo dependeat ab Eccleſiæ univerſalis conſenſu, vel acceptatione. 566

Q. VIII. *An ſit de fide Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem eſſe verum Papam.* 572
Q. IX. *An Papa, vel Eccleſia ſit infallibilis in rebus facti, & in canonizatione Sanctorum.* 577
Q. X. *An Eccleſia, vel Papa poſſit condere novos articulos fidei præter illos, qui continentur in ſymbolo Apoſtolorum.* 586

DISPUTATIO V.

DE *habitu fidei.* 593
Q. I. *An detur habitus fidei, & qualis ſit. An ſpeculativus, aut practicus.* ibid.
Q. II. *De unitate fidei.* 597
Q. III. *De ſubjectis fidei quoad potentias, & perſonas.* 600
Q. IV. *De cauſa efficienti fidei, à quo, & quomodo producatur, & deſtruatur.* 613
Q. V. *An fides præter habitum fidei infuſum intellectui, importet alium in voluntate.* 613
Q. VI. *An fides ſit diſcurſiva.* 629
Q. VII. *An propoſitio illata ex duabus præmiſſis de fide, vel ex una de fide, & alia naturaliter evidenti, ſit etiam de fide.* 635
Q. VIII. *De certitudine fidei, qualis, & quanta ſit. An illi poſſit ſubeſſe falſum.* 641

DISPUTATIO VI.

DE *actibus fidei.* 649
Q. I. *An, quid, & quales ſint actus fidei. An ſint ſupernaturales in ſubſtantia.* ibid.
Q. II. *De neceſſitate actuum fidei, an, & unde ſit, & quanta.* 658
Q. III. *Quænam ſint credenda ex altera, vel utraque neceſſitate.* 663
Q. IV. *De actibus internis fidei, an, & quando ſint neceſſarii.* 669
Q. V. *De actibus externis fidei, an, & quando obligent, aut practicentur.* 675

DISPUTATIO VII.

DE infidelitate. 681
Q. I. Quid, & quotuplex ſit infidelitas. ibid.
Q. II. An, & quale peccatum ſit infidelitas. 683
Q. III. De cenſuris, ſeu notis, ſeu qualitatibus propoſitionum pertinentium ad infidelitatem. 692

DISPUTATIO VIII.

DE ſpe Theologica. 695
Q. I. An, & quid ſit ſpes Theologica. ibid.
Q. II. De obiecto ſpei. 700
Q. III. De ſubiecto ſpei. 704
Q. IV. De actibus ſpei, ubi de timore Dei. 713
Q. V. De præcepto ſpei, an detur, & quando obliget. 724

DISPUTATIO IX.

DE vitiis ſpei oppoſitis. 730
Q. I. De deſperatione. An, & quid ſit deſperatio. ibid.
Q. II. An deſperatio poſſit eſſe ſine peccato, An Deus poſſit revelare alicui, quod ſit reprobus, ita ut ipſi non liceret ſperare. 736.
Q. III. De præſumptione, an, & quale peccatum ſit. 739

DISPUTATIO X.

DE charitate Theologica. 743
Q. I. *An, & quid ſit charitas Theologica.* 744
Q. II. *An, & quando charitas ſit vera amicitia hominis cum Deo.* 747
Q. III. *De obiecto charitatis Theologica.* 752
Q. IV. *An charitas ſit forma aliarum virtutum, ita ut ſine charitate nulla ſit vera virtus.* 766
Q. V. *An charitas ſit eadem in via, & in patria.* 771
Q. VI. *De ſubiecto charitatis immediato, & quomodo inſit, & deſinat eſſe.* 776

DISPUTATIO XI.

DE *neceſſitate, præcepto, & actibus charitatis.* 780
Q. I. *De neceſſitate, & præcepto charitatis.* ibid.
Q. II. *Quid ſit amare Deum ſuper omnia.* 788
Q. III. *De præcepto charitatis erga proximum, An, quomodo, & quando obliget.* 794
Q. IV. *De charitate erga inimicos, an cadat ſub præceptum. Quomodo, & quando.* 799
Q. V. *De ordine charitatis, an, & quis ille ſit.* 806
Q. VI. *An diligere Deum ſuper omnia, & ſupra ſeipſum ſit conformius inclinationi naturæ.* 815

DISPUTATIO XII.

De vitiis charitati oppoſitis. 813
Q. I. De odio Dei: An ſit poſſibile, & in quo conſiſtat, quale peccatum ſit. 814
Q. II. De odio proximi, quid & quale ſit peccatum. 818
Q. III. De invidia, acedia, & aliis vitiis charitati oppoſitis. 820

SUM

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ TRACTATUS IX.

De gratia Juſtificatione, & Merito.

A Peccatis ad gratiam confugimus, ut ejus exiſtentiam, naturam, & præſtantiam meditantes diſcamus eam nobis advocare, & acceptam fovere, & conſervare; quæ cum ſine ipſamet conſequi non valeamus, rogemus Deum, ut eadem, quam meditaturi ſumus, nos præveniat, & nobis affulgeat, & ſua luce illuminet, ne in tot errorum tenebras miſere labamur, in quos temerarii ſcrutatores hujus myſterii prolapſi ſunt. Hæc quidem divina lux, & ſapientia *præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut ſe prior oſtendat eis*; ſcilicet liberalis, imo & quaſi prodiga ſui ſeſe ut plurimum offert duris, & eam reſpuentibus: tamen *in malevolam animam non intrabit, nec habitabit in corpore* (& multo minus in corde) *ſubdito peccatis*. Et, ut loquitur S. Fulgent. (1) *Gratia Dei priùs datur homini non cognoſcenti, non diligenti, non deſideranti, ipſaque ſe facit cognoſci, diligi, & poſtulari*. Propterea dicebat Deus ipſe author gratiæ; *Inventus ſum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant*: quanto facilius nos inveniemus, ſi mundatis conſcientiis humiliter requiramus? de hac igitur gratia breviter, ut de more, hìc acturi ſumus, quantum poſtulabit & materiæ gravitas, & quæſtionum difficultas.

DISPUTATIO I. Prologomenica.

De erroribus, vel hæreſibus circa gratiam Chriſti.

VIx poſſunt dirimi graves controverſiæ circa divinæ gratię naturam, exiſtentiam, neceſſitatem, & efficaciam, quia errores de illis graſſati, & damnati ab Eccleſia dignoſcantur. Ideò ſolent Theologi de iis ab initio hujus tractatus aliqualem præmittere hiſtoriam. Præcipui autem hæretici divinæ gratiæ hoſtes fuerunt Pelagiani, Semipelagiani, Prædeſtinatiani, Lutherani, Calviniſtæ, & noviſſimè Baiani, ſeu Michael Bajus, & Janſeniſtæ: de ſingulis pauca hìc dicemus.

QUÆSTIO I.

De hæreſi Pelagiana.

HÆreſis Pelagiana ab auctore nomen habet. Hic fuiſſe dicitur Pelagius natione Brite, vel Britannus, profeſſione monachus, non quidem cœnobita, & regularis, ſed laicus, qui domi privatim vivebat, modeſtiorique habitu incedebat. Circa an. 405. ex Britannia Romam venit; tùm in Africam ſeceſſit, ubi apertiùs errores ſuos diſſeminavit, & ubi primum in judicium Eccleſiaſticum delati ſunt,

Præcipui ejus errores hi notantur. 1. *Adam, ſive peccaret, ſive non peccaret, mortuus eſſet.*

2. *Peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, non verò reliquum genus humanum.*

3. *Infantes recenter nati in illo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante ſuam prævaricationem.*

4. *Neque per mortem, neque per prævaricationem Adæ omne genus humanum moritur; neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgit.*

5. *Infantes etiam non baptizati habent vitam æternam.*

6. *Divites baptizati, niſi omnibus abrenuntient, ſiquid bonum videntur facere, non imputatur eis, nec poſſunt habere regnum Dei.*

7. Gra-

7. *Gratia Dei, atque adjutorium non dantur ad ſingulos actus, ſed in libero arbitrio ſunt in lege, atque doctrina.*

8. *Gratia Dei ſecundum merita noſtra datur.*

9. *Filii Dei non poſſunt vocari, niſi omninò abſque peccato fuerint.*

10. *Non eſt liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio; quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque facere aliquid, vel non facere.*

11. *Victoria noſtra non ex Dei adjutorio eſt, ſed ex libero arbitrio.*

12. *Pœnitentibus venia non datur ſecundum gratiam, & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum, & laborem iis, qui per pœnitentiam digni fuerunt miſericordia.*

Igitur hæc hæreſis in duobus præcipuè conſiſtit: 1. quòd non detur peccatum originale, nec per illud natura fuerit debilitata. De hoc diximus aliàs: 2. quòd homo non egeat gratiæ auxilio ſpeciali ad benè operandum; ſed ad hoc ſufficiat liberum arbitrium: gratiæ verò adjutorium non ſit neceſſarium, niſi ad meliùs, & faciliùs operandum; & hæc non datur niſi ex merito ejuſdem arbitrii.

De his erroribus in Synodo Dioſpolitana viſus eſt ſe purgaſſe Pelagius, & illos anathematizaſſe per doloſas, & fucatas amphibologias; ſicque in eum non dixerunt anathema, ſed in ſolos errores, latente auctore. [1] *Fefellit judicium Palæſtinum ipſe Pelagius; propterea ibi videtur eſſe purgatus,* (ait Auguſt.) *ſed Romanam Eccleſiam, ubi eum notiſſimum eſſe ſcitis, fallere uſquequaq; non potuit; quamvis hoc fuerit utcumque conatus.*

Pelagius præcurſorem dicitur habuiſſe Origenem, quem S. Hieron. vocat [2] *hujus erroris principem*, & Theodorum Mopſueſtenum, & Rufinum, de quo idem S. Doctor dicit, quòd *mutus latrat per Albinum canem grandem, & corpulentum, & qui calcibus magis ſævire poteſt, quam dentibus: habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.*

Sequacium præcipuus fuit Cœleſtius, qui & ipſe creditur fuiſſe Hibernus. Hic ſui magiſtri erroribus adeò fuit addictus, ut acerrimus evaſerit propagator: &

A 2 ab

[1] *2. gra. chr. 8.* [2] *ad Cteſiph.*

ab eo ſecta hæc dicta fuit aliquando cœleſtina; de quo ſcribit Hieron. *Unus diſcipulorum ejus*, (Pelagii) *imò jam magiſter*, *& totius ductor exercitus*, *&* (*juxta Apoſtolum*) *vas perditionis*, *per ſolæciſmorum*, *& non, ut ſui jactant*, *per ſyllogiſmorum ſpineta decurrens*, *ſic philoſophatur*, *& diſputat* &c. Hic eunuchus, & deinde monachus fuit, & inter ejus errores hi numerantur, & docebat

1. *Adam mortalem eſſe factum*; *& ſive peccaret*, *ſive non peccaret*, *erat moriturus*.

2. *Infantes*, *qui naſcuntur in eodem ſtatu ſunt*, *in quo Adam fuit ante prævaricationem*.

3. *Neque per mortem Adæ omne genus humanum moritur*, *neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgit*.

4. *Infantes*, *etiamſi non baptizentur*, *habent vitam æternam*.

Alter inſignis diſcipulus Pelagii fuit Julianus ex Apulia natus, patre Epiſcopo Capuano, & Juliana matre; olim charus Auguſtino, & Paulino Nolano, poſtea Diaconus, tum Epiſcopus Eclani. Olim de immortalitate Adæ rectè ſentiebat, & ſe catholicum exhibebat; ſed tandem Romæ alter apparuit, dum pro Pelagio diſputare cœpit utens malis artibus, & calumniis in catholicos ſub apparentia pietatis operum, & eleemoſynarum in pauperes, quibus facultates erogavit, plurimos inſignes religioſos, & alios ſua hæreſi infecit. Sed inde ſuperbia intumeſcens cępit in S. Auguſtinum ſcriptis inſurgere. Ideò Italia pulſus ad Theodorum Mopſueſtenum in Ciliciam contendit, tum Conſtantinopolim cum ſociis, tandem ad Synodum Epheſinam cum Neſtorio; & ibi condemnatus eſt, ſicut & Neſtorius.

Non in uno ſemper gradu ſtetit hæc hæreſis. Nam 1. gratiæ ne nomen quidem ferebat, ſed hominis naturam dicebat ſufficere ad implenda omnia præcepta, & conſequendam ſalutem æternam. [1] *Pelagius dicit*, *quòd ad obtinendam ſalutem natura hominis ſibi ſola ſufficit*, inquit Fauſtus. 2. gratiæ larvam quandam aſſumebat, nempe dona creationis, & ipſam arbitrii facultatem, quam gratiam dicebat omnibus communem. [2] *Non contra gratiam Dei diſputo* (aje-
bat

[1] 1.*grat.c.*2. [2] 11.*de ve.Apr.*5

bat apud Auguſtinum) *ipſo quòd liberum arbitrium defendo . . . quia hominem Deus creavit, & liberum donavit arbitrium. Quidquid homo poteſt de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur niſi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio*; aliud gratiæ genus coactus dimittebat, ſcilicet gratias externas, ſcilicet legem, doctrinam divinitùs datam, & Chriſti exempla; nec aliud adjutorium agnoſcebat nobis neceſſarium ad implenda præcepta, & conſecutionem ſalutis: quippe (aiebat apud Auguſtinum) [2] *natura lege velut lima expolitur, & fulgori priſtino redditur.* Ideò monet S. Doctor, quòd [2] *iſti inimici gratiæ ad eamdem vehementius oppugnandam nuſquam occultiores moliuntur inſidias, quàm ubi legem laudant* &c. Et quoad utrumque apud eundem dicit, *Chriſtum ad non peccandum nobis dediſſe adjutorium duplex, ſcilicet quia juſte vivendo, juſteque docendo nobis reliquit exemplum.* Vides, quòd non aliud adjutorium ex parte Dei admittit præter doctrinam, ſeu legem, & exempla.

Aliqui tamen putant illum preſſum rationibus catholicorum, maximè Auguſtini, [3] admiſiſſe aliquod auxilium internum ex parte intellectus, quæ erat gratia illuminationis, qua roborabatur intellectus ad aſſentiendum objectis propoſitis: ſed id non admittunt plures alii aſſerentes, Pelagium nuſquam admiſiſſe gratiam, ſeu auxilium ullum internum præter legem, ſeu doctrinam. [4] *Quid manifeſtius* (ait Auguſt.) *nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus operatur in nobis velle, quàm legem, atque doctrinam: imò neque gratiam habitualem, ſeu juſtificantem. Iſtam quippe gratiam, qua juſtificamur, id eſt, qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, in Pelagii, & Cœleſtii ſcriptis, quæcumque legere potui, nuſquam eos inveni, quemadmodum confitenda eſt, confiteri.* Sed tamen principalis concertatio Pelagii cum Patribus fuit de gratiæ actualis auxilio, quod nolebat neceſſarium ad opera ſalutis, nec eſſe gratiam; id eſt nolebat eam dari niſi ex meritis elicitis ex viribus naturalibus liberi arbitrii.

Notant aliqui, quòd, ut facilius errores ſuos inſinuaret, prætextabatur impugnare Manichæos, &

[1] 4. *Bonifa.* 5. [2] *de gra. chr.* 3.
[3] *Cacher. to.* 2. *p.* 381. [4] 1. *oper. imperf.* 95.

Priſcillianiſtas, qui liberum arbitrium nimis deprimebant; nullam in homine agnoſcebant libertatem indifferentiæ; ſed putabant, nos omnia operari ex fatali neceſſitate, & tollebant gratiam omnem, & omne meritum, & ſalutem. Nam inquit Auguſtinus: [1] *Tolle liberum arbitrium, & non erit, quod ſalvetur; tolle gratiam, & non erit, unde ſalvetur.* Pelagiani autem in alterum extremum abierunt, nimium extollentes arbitrium. *Excogitarunt Pelagiani Manichæorum nomine deteſtabili imperitos deterrere, ne adverſus eorum dogmata aures accommodarent veritati* [ait idem Auguſt.]

In hanc hæreſim pugnarunt 1. Patres Africani in una Synodo Carthaginenſi, cujus acta non habentur. 2. Patres Dioſpolitani in Synodo ſua, ubi errores quidem damnati ſunt, ſed non auctores; quia, ut dicebamus, verbis æquivocis ſe utcumque operuerunt, & quaſi ab iis erroribus purgarunt, & alienos ſe profeſſi ſunt. 3. alia Synodus Africana circa an.416.4.Synodus Milevitana. 5. S.Innocentius Papa, qui condemnationem ab hac Synodo factam approbavit, & poſt ipſum alii SS.Pontifices, ut Zozimus, Xyſtus, Leo Magnus, &c.

Inter SS.Patres illius temporis præcipui impugnatores fuerunt Hieronymus, & Auguſtinus, qui omnium validiſſimè, & fuſiſſimè diſputavit & dictis, & ſcriptis.

QUÆSTIO II.

De hæreſi ſemipelagiana.

Semipelagiani, qui & Maſſilienſes, ita dicti ſunt ab erroribus, in quibus cum Pelagianis conveniebant, & ab aliis, in quibus ab eiſdem diſcrepabant circa an. 428. Nam cum Pelagio liberum arbitrium ſupra modum extollebant, & gratiam Dei deprimebant; ſed mitiùs, & moderatiùs, quam Pelagiani. Iſti volebant, hominem ſolis naturæ viribus poſſe totam legem obſervare, juſtificari, in juſtitia perſeverare, & gloriam promereri independenter ab ulla gratia ſupernaturali agente, vel coagente, ſaltem inter-

(1) 3. con. Ep. Pelan. 9.

terna; nam externas admittebant: & ſi internam agnoſcebant, dicebant non eſſe niſi utilem ad meliùs, & facilius agendum, non autem abſolutè neceſſariam, addentes, nos eam propriis viribus promereri. Semipelagiani verò admittebant gratiam internam, & agentem etiam ut neceſſariam, ſaltem ad juſtificationem, & ad perſeverandum, & ad meritum ſalutis æternæ; ita ut hæc ſine illis non poſſet acquiri. In hoc à Pelagianis diſtabant, ſed in hoc conveniebant, nec ſatis catholicè ſentiebant; quia, ut legimus apud Pat. noſtrum Bonaventuram Malvaliæ in ſuo Catalogo hæreſum

1. *Initium ſalutis uſui bono liberi arbitrii tribuebant, dicentes, illud adjuvari quidem gratia Dei, poſtquam cœpiſſet velle, ipſum autem velle non eſſe à Deo.*

2. *Prædeſtinationem ad gratiam, & gloriam pendere, & fieri ex præviſione bonorum, vel malorum operum, quæ fieri credebant ante gratiam Dei, ſed ex naturæ viribus.*

3. *Quid ſi prædeſtinatio non ſit ex tali præviſione, erit fatalis neceſſitas quædam, & lapſis cauſa repugnandi, ſtantibus verò timorem cadendi auferre.*

4. *Ex bono uſu liberi arbitrii ſine aliqua præveniente gratia poſſe hominem ad juſtificationis gratiam pervenire.* Hæc coincidit cum 1.

5. *Parvulos ſine baptiſmo decedentes judicari à Deo ſecundum opera, quæ facturi erant, ſi vixiſſent.*

6. *Non eſſe certum numerum prædeſtinatorum, ſed poſſe augeri, ſi ſint plures, qui velint ſalvari.*

7. *Initium ſalutis eſſe ex libero arbitrio, non autem ex gratia præveniente.* Hæc etiam coincidit cum 1.

8. *Perſeverantiæ donum acquiri, & perdi poſſe ex merito noſtro.*

Alia plura non ſatis ſana docebant, ut cùm librum ſapientiæ expungebant ex Canonicis: cùm multas bonas voluntates agnoſcebant in homine non inſpiratas a Deo, licèt gloriæ meritorias: quòd Adam per peccatum non amiſit ſcientiam acceptam: quod Deus fuit teſtis, non largitor patientiæ Job: quòd fides, quam Chriſtus admiratur in Centurione, fuit opus ſolius liberi arbitrii: & ſimilia deliria.

Contra hos hæreticos, & errores celebratum eſt Concilium Arauſicanum II. in quo anathematizati

ſunt per 25. Canones, quorum præcipui ſunt; 1. quòd *per peccatum Adæ illæſa arbitrii libertate, corpus tantummodo fiat corruptioni obnoxium:* eſt Pelagianus error; 2. quòd *Adam ſibi ſoli nocuit per peccatum, non autem poſteris*; 3. quòd *gratia confertur ad invocationem humanam, non verò facit, ut invocemus*, &c. 4. quòd *Deus expectat voluntatem noſtram, non verò ipſam prævenit, ut velit purgari*; 5. *ſolum augmentum, non autem initium fidei, & ipſum credulitatis affectum eſſe à Deo*; 6. quòd *ſine gratia credentibus, volentibus, laborantibus ... miſericordia confertur, non autem datur, ut credamus, velimus* &c. 7. quòd *per naturæ vigorem bonum, quod ad ſalutem pertinet, poſſumus cogitare, & eligere, ut expedit, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti* &c. 8. quòd *alius per miſericordiam, alius per liberum arbitrium ad gratiam baptiſmi pervenit*. Reliqui omnes Canones uſque ad 25. incluſivè eodem tendunt, ſcilicet ut credamus, quòd ſine gratiæ interioris præventione, & auxilio nihil boni poſſumus agere, ſicut oportet ad ſalutem.

Hos autem Canones confirmavit Bonifacius II. inſtante S. Cæſario Arelatenſi. Imò putantur miſſi ab Apoſtolica Sede ad Epiſcopos Galliæ, & conditi vel à Cœleſtino I. vel à S. Leone I. & in hac Synodo [1] publicatos, ut ſcribit P. Porter in Syſtemate Decretorum.

Huius autem hæreſis Coryphei dicuntur Jo. Caſſianus, Fauſtus Rhegienſis, Vincentius, Gennadius, & alii, qui cum graſſerentur circa Maſſiliam, & aliis locis ſecundæ Provinciæ Narbonenſis, dicti ſunt Maſſilienſes, aut Semipelagiani, ſeu reliquiæ Pelagianorum; quia, ut dicebamus, aliqua retinebant de erroribus illorum. Quidam his addunt Vincentium Lirinenſem, quod non credit Cardinalis Aguirre. [2]

Defenſores autem veritatis Catholicę præcipui fuerunt inter SS. Pontifices Cœleſtinus I. Gelaſius, & Felix IV. inter SS. Patres Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, Auctus, Cæſarius &c.

QUÆ-

[1] *Seſſ. 6. Seſſ. 4. p. 167.* [2] *to. 3. d. 113. n. 39. p. 226.*

QUÆSTIO III.

De hæreſi Prædeſtinatiana, Lutherana, Calviniana, Bajana, & Janſeniana circa gratiam.

DE hæreſi Prædeſtinatiana multi dubitant an extiterit. Putat Cabaſſutius, & alii, quos refert Cardinalis prædictus, hæreticorum Prædeſtinatianorum ſectam, & nomen à ſolis olim Semipelagianorum auctoribus conflatum fuiſſe figmentum (Fauſto, Gennadio, Pſeudoproſpero) & *cùm tot, tantique ab Auguſtini ætate ſanctiſſimi Doctores Eccleſiæ de lapſi hominis libertate, deque prædeſtinatione, de Chriſti gratiæ neceſſitate diſputaverint, & ampliſſimos, doctiſſimoſque commentarios adverſus quoſcumque in his rebus ſectarios ediderint, neminem tamen ullibi Prædeſtinatianorum ſectæ injeciſſe mentionem. Ideò dubitari non poœſt, quin Semipelagiani iſto nomine deſignarint Orthodoxos, qui cum Auguſtino gratiam Dei cum hominis lapſi libertate conciliabant, ut liberum ipſum arbitrium, quamvis peccato ſauciatum, nihil poſſit boni æternæ ſalutis meritorii vel agere, vel conari ſine auxilio ſupernaturalis gratiæ, & ſine gratia, quam Deus libere, & gratis donat, aut juſtè recuſat. Unde fit, ut aliqui ex æterno propoſito prædeſtinentur ad gloriam; alii ex demeritis præſciantur, aut deſtinentur ad pœnas æternas* &c. quod probare conatur iſte auctor ex multis teſtimoniis antiquorum.

E contra Eminentiſs. de Aguirre putat dubitari non poſſe, quin ſæculis 2. & 3. fuerit aliqua hæreſis Prædeſtinatiana, ſeu circa prædeſtinationem, aut electionem fatalem hominis ad vitam, & mortem æternam, quæ non ſineret locum libertati; ſed neceſſitate quadam produceret ſaltem, vel perditionem. Quare Pelagiana hæreſis de prædeſtinatione hominis ex meritis ſolius naturæ viribus ortis, non ex gratia dici poſſet Prædeſtinatia; ſed nondum illud nomen acceperat uſque ad ſæculum V. in quo docere aliqui cœperunt, prædeſtinationem divinam auferre liberum arbitrium, & inducere fatalem neceſſitatem ad bene, aut malè agendum, quod probat ibidem.

Igitur illa hæreſis in hoc conſiſtebat, quòd vellet

homines ad bonum, aut malum, ad vitam, aut mortem prædeſtinari, & hanc prędeſtinationem inducere fatalem neceſſitatem ad benè, aut malè agendum. Eò forte ſpectabat Canon 25. Concilii Arauſicani II. *Aliquos divina poteſtate ad malum prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus; ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum mali credere velint, iis cùm omni deteſtatione anathema dicimus*. Idem legitur definitum in Concilio Valentino an. 855. contra Gotheſcalcum, & in Trident. contra recentiores hæreſes: nam ad marginem citatur ille Canon: quamvis fortè tunc temporis ille error non eſſet valde famoſus, ſed paucorum ex libris Auguſtini malè intellectis, & ut eidem Auguſtino invidiam facerent, ut probabile putat idem Cardinalis.

Sæculo IX. tribuebatur eadem hæreſis Gotheſcalco Orbacenſi Monacho: & ideò dicitur damnatus in Concilio Moguntino ſub Rhabano Mauro an. 848. & in Synodo Cariſiacenſi. De illo ſic ſcribit Hincmarus ad Nicolaum PP. *Ille dicit, quod antiqui Prædeſtinatiani etiam dicebant, quòd ſicut Deus poſtquam prædeſtinavit ad vitam æternam, & etiam alios ad mortem æternam, quod Deus non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed dumtaxat eos, qui ſalvantur: quod Chriſtus D. noſter, & Salvator non fuit crucifixus, neque mortuus eſt pro redemptione totius mundi, ſed tantùm pro iis, qui ſalvantur ... Dicit non omninò pari traditione, ſimili tamen errore id, quod veteres Prædeſtinatiani dicebant, quod hæc verba S. Petri Apoſtoli exponit* &c... *non minùs perniciosè, quàm audacter defendit id, quod antiqui Prædeſtinatiani non dixerunt, quòd Deitas Sanctæ Trinitatis triplex ſit* &c. De his, & aliis hujus hominis erroribus petit Hincmarus definitionem à Papa. [1]

Non deſunt tamen etiam hoc ſæculo, qui Gotheſcalcum velint innocentem: inter quos nuper fuit Janſenius, dicens, *fidem Catholicam ab Epiſcopis nonnullis Gallicanis in illo monacho Gotheſcalco eſſe damnatam*, & Contenſonus dicit conſtare, *Gotheſcalcum non prædeſtinatianæ hæreſis inſtauratorem, & multò minùs ſatorem, ſed Auguſtinianæ, catholicæque doctrinæ ſtrenuiſſimum defenſorem pro juſtitia, pro veritate, & pro* gratia

[1] *l. 5. de grat. pag. 434.*

gratia perſecutionem paſſum, & patiendo mortuum, & ſic eum facit martyrem. Unde dictus Cardinalis ut eam litem conciliet, dicit, [1] quod ſi Gotheſcalcus nihil aliud voluit, quàm quòd Deus in pœnam peccatorum aliquos prædeſtinavit ad mortem æternam, non autem ad mortem peccati, nihil docuit non verum, & in eo forte ſenſu defenditur à multis, ſed in aliis non caret culpa. Inter errores Lutheri, ſequentes ad hanc materiam pertinent, ſcilicet de libero arbitrio, de prædeſtinatione, & gratia, prout colligimus ex Bulla Leonis X. contra ipſum: 1. erat, *legis Evangelicæ impoſſibilem eſſe obſervantiam*: deòque (dicebat) *peſſimè facis, quod negas ſalvatorem impoſſibilia juſſiſſe*: &, *non poſſumus in hac vita Dei mandata implere*. 2. liberum arbitrium negabat, dicens, *illud eſſe titulum ſine re*, ſeu *rem de ſolo titulo*; & hoc anathematizatur in Concil. Trident. 3. Deum dicebat *mala in nobis operari, ſicut & bona*; quod etiam damnatur in eodem Concilio. 4. Cum Prædeſtinatianis dicebat ex efficacia prædeſtinationis induci neceſſitatem ad bonum, aut malum. 5. *quidquid homo ex ſe operatur peccatum eſt*. 6. *nullam nos habere ad bonum activitatem*, ſed in eo nos habere merè paſſivè, illudque produci à ſolo Deo ex vi prædeſtinationis.

Calvinus circa gratiam dixit: 1. *ſolam fidem juſtificare*: 2. *non dari liberum arbitrium*: 3. *efficacem eſſe Spiritus S. gratiam*, qua trahuntur, ut neceſſario credant. Et addit: *his prorſus evertitur tota liberi arbitrii poteſtas, quam ſibi ſomniant Papiſtæ*: 4. non aliam agnoſcit libertatem in nobis, quàm à coactione, nullam verò à neceſſitate: ideò negat hominem poſſe diſſentire gratiæ excitanti, ſeu vocanti: 6. ſentit cum Luthero, impoſſibilem nobis eſſe mandatorum Dei obſervantiam: 7. cauſalitatem peccati adſcribit Deo: quippe *divinitùs efficaciam erroris, ac ſeductionis immittit, ut credant mendacio, qui veritati non paruerunt*. Hos, & alios horum duorum Hæreſiarcharum errores damnavit Concil Trid.

Michael Bajus, Doctor Lovanienſis, inter 75. errores, hos circa materiam hanc dicitur docuiſſe, ut colligitur ex Bullis SS. Pontificum Pii V. Gregor. XIII. & Urbani VIII. propoſitio 28. ſic legitur: *Liberum arbi-*

[1] *Ibid. n. 53. & 68.*

*bitrium, ſine gratia, & Dei adjutorio, non niſi ad peccandum valet.*29. Pelagianus eſt error dicere, quòd *liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum,* 30.*homo, faciendo quod in ſe eſt, peccat*: &, *non poteſt non peccare, faciendo quod in ſe eſt,* 31. *charitas perfecta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*. Idem habent 32.33.35.& 40.*Omne, quod agit peccator, peccatum eſt*: Et, *in omnibus actibus ſuis peccator ſervit dominanti cupiditati.*39.66.& 67.*quod voluntariè, & ſi neceſſariò fiat, liberè fit*. Et, *ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Et, *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit*.

Denique omnes errores contenti in prædictis bullis ad octo capita reducuntur: 1. ſpectat ad gratiam Angelorum, & primi hominis. Et ſub illo ſunt propoſitiones, ſc.1.3.7.9.21.23.24.26.55.78.& 79.

C.2. totidem continet propoſitiones de libero arbitrio, & viribus ejus, ſc. 39.41.66.22.27. 28.29.30.36. 37.& 65.

C.3.eſt de meritis operum per 15.propoſ.ſc.2. 4. 56. 11.12.13.15.17.19.24.61.62.& 8.

C.4.continet 12.propoſ.de peccatis actionum.ſc.46. 20.25.35.40.67.68.50.51.77.75.& 76.

C.5.continet 7.propoſ.de peccato originis, ſc.47.48. 49.52.53.73.&72.

C.6. continet propoſ.12.de charitate, & impletione legis.ſc.34.38.31.32.33.70.71.16.61.54. & 76.

C.7.continet 8.propoſ.de juſtificatione,&Sacramentorum effectu,ſc.42.69.43.44.63.64.57.& 58.

C.8. continet ſex propoſitiones de ſolutione pœnæ temporalis,ſc.10.59.60.77.72.45.vide Ripalda,To.3.*de ente ſupernaturali*, ubi has bullas expendit, & propoſitiones illas ſic ordinat, & P. Fraſſen.qui ſingulis cenſuram Pariſienſem adjungit. Hic autem Doctor dicitur condemnationi adhæſiſſe, & obedivisse.

Cornelius Janſenius Hyprenſis Epiſcopus, (1) circa gratiam docuit, illam,qua egebat Adam ante peccatum,fuiſſe adjutorium, *ſine quo* non poſſet bene agere, aut perſeverare in bono, poſt lapſum autem dicit neceſſarium eſſe adjutorium, *quo* ſc. benè agimus, & quaſi neceſſariò. Illud 1. dabat Adamo,ut poſſet be-
nè

[1] *To.2.p.475.*

nè agere, & perſeverare in bono, ſi vellet, aut illud rejicere, ſi nollet cooperari: 2. verò dat, & facit, ut velimus, ita ut non poſſimus illi non cooperari. In primo voluntas ſeipſam determinabat, in 2. autem voluntas ita flectitur, & determinatur ad velle, & agere, ut non poſſit reſiſtere.

Hanc diſtinctionem gratiæ actualis, ſeu adjutorii tribuunt Auguſtino graviſſimi Theologi, & Catholici, etiam ex noſtris, ut Cardinalis noſter de Laurea, & P. Macedo: de illa dicemus infra.

In Janſenio prædicto inventæ ſunt 5. propoſitiones ſequentes, quas damnarunt SS. Pontifices Innocentius XI. & Alex. VII. Prima eſt; *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque gratia, qua illis fiant poſſibilia: 2. interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*. Ideò in titulo c. 1. l. 3. ſcribit. *Tangitur natura adjutorii ſufficientis, & oſtenditur nullum dari poſt naturæ lapſum, niſi ſit efficax ſimul* &c. 3. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*. Hoc ſenſu, auxilium *quo*, non tolleret libertatem requiſitam ad meritum, vel demeritum; quia non cogit, licèt neceſſitet, *libertatem non lædit, ſed ſtatuit hoc ipſo, quòd voluntatem affert: 4. Semipelagiani admittebant prævenientis interioris gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere*. Hanc habet l. 8. de hæreſi Pelagiana. Non vult ergo, quod gratiæ poſſit reſiſti. [1] 5. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, quas propoſitiones damnat Eccleſia ut temerarias, ſcandaloſas, impias, blaſphemas, hæreticas &c.

[1] *l. 3. de gra. ſal.*

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit auctoritas S. Auguſtini in Theologicis, & maximè in hac materia de gratia.

MOnuiſſe juvabit in his quæſtionibus decidendis, ſicut plùs omnium SS. Patrum laboravit,& ſcripſit S. Auguſtinus, ſic maxima eſt ejus auctoritas, ita ut vix ab ea diſcedere liceat in iis, quæ ab Eccleſia definita non ſunt; (ſi quid tamen ipſa definierit, quod ipſe non docuerit) nam ut ſcribit Cæleſtinus Papa, [1] *Auguſtinum S. recordationis virum, pro vita ſua, atque meritis in noſtra ſemper communione habuimus, nunquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit. Quem tantæ olim ſcientiæ fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam à meis prædeceſſoribus haberetur*. Et Hormiſdas de libero arbitrio, & gratia Dei, *quod Romana, hoc eſt Catholica ſequatur, & aſſeveret Eccleſia, licet in variis S. Auguſtini libris,* [2] *& maximè ad Hilarium, & Proſperum, ſcilicet de prædeſtinatione ſanctorum, & de bono perſeverãtiæ poſſit cognoſci, tamen in ſententiis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur*. [Loquitur de Canonibus Concilii Arauſicani II. qui ex Auguſtino excerpti ſunt) & Joannes II. ad quoſdam Senatores ait, *S. Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana ſervat Eccleſia*.

Igitur ſummæ ſemper auctoritatis fuit ejus mens in omnibus Conciliis, & definitionibus Eccleſiæ, præcipuè in materiis de gratia, & prædeſtinatione, pro quibus tam fortiter, & proſperè decertavit contra Pelagianos, & Semipelagianos, ita ut partes ſingulæ, quantumvis inter ſe diſcrepantes, etiam hæretici, conentur auctoritate illius fulciri, & mentem ad ſe trahere, & in ſuos ſenſus detorquere, non ſine ſanctiſſimi,& puriſſimi Doctoris frequẽti injuria. Nec mirum de hæreticis, qui non majori cum fidelitate, & reverentia citant Scripturas ſacras, ut ſuis erroribus videantur patrocinari.

Dico,(*in iis, quæ ab Eccleſia definita non ſunt, ſi quæ ſint*) Nam auctoritas ejus, ſicut nec aliorum SS. Patrum

[1] *Ep. ad Epiſc. Gall. 2.* [2] *Ep. 70.*

trum non facit res de fide, ſed locum Theologicum; ideò, (inquit Bellarminus) ad libros de gratia, & lib. arb. *etiamſi B. Auguſtinus Calvino faveret, tamen neminem tam iniquum eſſe oportet, qui unum hominem quamvis doctiſſimum, omnium ſæculorum patribus, & doctoribus, totique Eccleſiæ, atque adeò orbis terræ conſenſui anteferret.*

Gullielmus Auguſtino addictiſſimus dicit, quòd, *ſi contendit aliquis Auguſtini verba, quæ objecta ſunt, huc inflecti non poſſe, putetque eum re vera eſſe alterius ſententiæ; tum reſpondimus ea, quæ de adjutorio primi hominis, & Angelorum obſcurius, & ut videtur, extra ſcripturæ auctoritatem ab illo ſunt diſputata ad hoc, ut ex ea comparatione, gratia noſtræ per Chriſtum reparationis magis emineat, non debere præjudicare doctrinæ, quæ apud alios patres, ipſumque S. Thomam, in hujuſmodi rebus exactiſſimum doctorem expreſſior reperitur.*

Imò nec ipſe Auguſtinus aliud prætendit. Nam inquit, [1] *neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec me ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem.* Et ſcribens ad S. Hieronymum, docet hunc honorem ſolis Scripturæ libris deberi, ut cenſeantur infallibilis veritatis, ut habetur in Canone. *Ego ſolis eis ſcriptoribus, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum in ſcribendo erraſſe audeam aſſerere*, &c.

Igitur maximæ auctoritatis præ cęteris patribus, & doctoribus eſt ſententia Auguſtini; & præcipuè in materia de prædeſtinatione, & gratia; ſed non infallibilis, niſi in his, quæ ab Eccleſia ex ejus ſcriptis ſelecta, definita ſunt; quia hæc definiendo ſibi ſumpſit, & fecit ſua; nec ideò cætera ejus ſcripta cenſenda eſt canonizaſſe. Unde ſcribebat Cœleſtinus I. ad Epiſcopos Galliæ. *Profundiores, difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere: quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatisfacere credimus, quidquid ſecun-* dum

[1] *de bono perſe.* 21.

dum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium; ergo, ſeclusis iis, quæ definita ſunt ex Auguſtino, cætera non habent infallibilitatis robur, licèt maximam auctoritatem.

Unde inter plures propoſitiones damnatas ab Alexandro VIII. legitur iſta. [1] *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere non reſpiciendo ad ullam bullam Pontificum*. Hæc autem monuiſſe ſufficiat, ut ſciant Tyrones qualiter reſpondeant, quando objicientur aliqua ex Auguſtino.

QUÆSTIO V.

Quid ſenſerit Scotus circa exiſtentiam, naturam, & neceſſitatem gratiæ actualis.

QUia profitemur doctrinam ſubtilium principis Scoti, & ideo non prætendimus ab ejus mente diſcedere, placet in hoc veſtibulo de illa inquirere: quia, quid ſenſeri, non ſatis convenit inter Theologos, non ſolùm exteros, qui ei auſi ſunt errores Pelagianorum imponere, ſed etiam inter domeſticos, qui non ſatis de illius ſententia conveniunt. Nec mirum; nam cùm ejus tempore errores prænarrati Pelagianorum, & Semipelagianortum ſepulti jacerêt in profundis ſuis tenebris; de gratiis actualibus non niſi tranſeunter diſſeruit.

CONCLUSIO.

SCotus alieniſſimus fuit ab erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum.

Prob. quia nuſquam docuit liberum arbitrium ex puris naturalibus poſſe elicere ullum opus bonum, ſicut oportet ad gratiam promerendam, aut ad ſalutem; ſed in omni occaſione deteſtatur hunc errorem Pelagii. Percurramus aliquot loca ejus.

Quærit aliquando cum magiſtro, [2] *an liberum hominis arbitrium ſine gratia poſſit cavere peccatum mor-*

[1] *prop.* 50. [2] 2. *d.* 28.

mortale: Et poſtquam examinavit aliorum ſolutiones, quæſtioni reſpondet ipſe. *Ad quæſtionem poteſt dici, quod peccatum uno modo poteſt accipi pro ipſo actu difformi, loquendo de peccato commiſſionis, alio modo pro macula, quæ remanet.* Scilicet diſtinguit de peccato actuali, & habituali, & reſpondet quoad habituale, quòd *liberum arbitrium non poteſt ex ſe cavere omne peccatum mortale pro ſtatu iſto: quia anima ſine gratia aliquo peccato maculatur.* &c. Vides Scotum hìc loqui de peccato habituali, & gratia item habituali. De peccato autem, & gratia actuali nihil adhuc reſolvit, & tamen P. Cavellus in ſcholio ſcribit Scotum in hoc textu dicere, quòd, *& ſi non poſſit homo reſurgere à peccato ſine gratia; poteſt tamen cavere ab omni peccato ſine ea*, addens: *In hoc convenit doctor cum communi fere omnium; quia vel non loquitur de omni peccato conjunctim, ſed diviſim, vel ſi ſic, intelligit de potentia phyſica, non de morali.* Et marginiſta idem ſupponit dicens: *hominem ſine gratia poſſe vitare peccatum, ſed non reſurgere à peccato*, & remittit ad 4.d. 1. q. 1.& 6. & d.16. q. 2.

Idem in Scholio ſequenti ait: [1] *Ponit liberum arbitrium ſufficere ad implendum præceptum naturale amandi Deum ... non tamen poteſt implere præceptum amoris ſupernaturalis Dei ſine gratia, ſicut nec præceptum fidei, & ſpei.* Scotus autem in textu ſic habet. *Poteſt illa opinio confirmari per hoc, quod illud præceptum diliges Dominum &c. Eſt primum, à quo tota lex pendet, & Prophetæ: ad actum igitur hujus præcepti aliquando eliciendum tenetur voluntas, ita quod non poteſt eſſe ſemper omiſſio actus hujus præcepti ſine peccato mortali.*

P. Pontius in Commentario ad hunc textum [2] dicit, ſe exiſtimare hunc textum doctoris eſſe mendoſum, propter defectum aliquorum verborum; quia cùm propoſuiſſet quæſtionem tam de peccato actuali, quàm de habituali, eam reſolvit de ſolo habituali; quamvis addat confirmationem de actuali. Verum ipſemet Poncius in illo Commentario, & multò minùs P. Lichetus, [3] non videntur ſatis difficultatem explicuiſſe; videlicet, an Scotus ibi loquatur

[1] *Ibid.4.n.7.* [2] *Ibid.n.11.*
[3] *to.2. collat.10.diſſer.2.S.2.de nat. & grat.34.*

tur de gratia actuali præveniente, & adiuvante, an de ſola habituali, & ſanctificante. Certè, ni fallor, non cogitavit excludere actualem, nec de illa loqui, ſed de ſola habituali, ſine qua non poteſt reſurgere à peccato commiſſo. In Cavellum juſtè invehitur P. Macedo; nam ſic traheret Doctorem in errorem Pelagii; qui *medicinale auxilium tantùm in hoc ponit, ut Deus ignoſcat peccata commiſſa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda*, (inquit Auguſtinus) & revera Scotus ibi non loquitur, ut dicebam, de neceſſitate gratiæ actualis ad vitanda peccata futura, ſed ad reſurgendum ex præteritis, & ſimul ad vitanda futura, ſtantibus pręteritis. Nam qui ſemel admiſit peccatum unum mortale, contrahit maculam, quę tolli non poteſt ſine gratia, qua ſemper caret, donec remittatur per gratiam ſanctificantem, qua pariter caret, cùm admittit ſecundum peccatum.

Porrò certum eſt Scotum longè abeſſe ab errore Pelagii, nec unquam ſomniavit, quòd liberum arbitrium poſſit reſiſtere peccato ſine gratia. *Nam*, inquit, *in hoc videtur hæreſis Pelagiana, quod liberum arbitrium ſufficiat ſine gratia*; quem errorem improbat, & deteſtatur ſemper in ſimilibus occaſionibus, ut notat dictus Macedo, & affert ſententiam Henrici, & addit: *Hic dicitur*, [1] *quod propter verba Auguſtini, quæ adducit contra Pelagianos, non poteſt caveri ab omni peccato ſine gratia*; ergo Scotus abhorret ab errore Pelagii, & per conſequens quod peccatum caveri poſſit ſine auxilio gratię.

Item reſpondens ad objectionem ex Apoſtolo, qui videtur dixiſſe, gentiles benè vixiſſe ſecundum legem naturę, & quidem naturaliter, & ſine gratię ſupernaturalis auxilio, [2] *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt* &c. Reſpondet, quòd [3] *id fecerunt per legem naturæ ſcriptam in cordibus eorum interiùs direxerunt ſe rectè vivendo*, ſicut Judęi per legem ſcriptam (nota ſequentia) *ſed iſti* (Judęi) *non benè vixerunt ſine omni gratia*; ergo nec gentiles; quia gratia *potuit eſſe in eis, ſuppoſita hypotheſi ſine obſervatione legis Moſaicæ*. Scilicet ſicut Judęi egebant gratię adjutorio ad obſervantiam legis ſcri-

[1] *Ibid. n.* 8. [2] *Rom.* 2.
[3] *Ibid. n.* 8.

ſcripte, ita & gentiles ad obſervantiam legis nature; quia iſti non tenebantur lege Moſaica.

3. Pro Pelagianis arguitur ab initio queſtionis, *vel homo poteſt vitare peccatum ſine gratia, vel non poteſt, ſi non poteſt; ergo non peccat, quia nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt*, ex Auguſt. [1] ſi peccat, ergo illud poteſt vitare ſine gratia, reſpondet Scotus[2]ad dilemma, quod *iſte, cui offertur gratia, poteſt cavere, ne reſiſtat gratiæ*; ergo ſemper ſupponit adeſſe homini, & offerri auxilium gratię, cui ſi velit conſentire, vitabit peccatum, ſi autem velit reſiſtere, non vitabit; ergo ſemper ſupponit neceſſitatem talis gratię ad vitandum peccatum.

4. P. Vulpes invehitur in recentiores, qui audent Scotum [3] in ſententias Pelagianorum, & Semipelagianorum trahere,&,ut contrarium doceat,citat locũ, in quo ſcribit, [4] quod *cujus merita ſunt mortificata* (per peccatum mortale) *non poteſt mereri minimam gratiam . . . nec tamen credo, quod merita mortificata omninò nihil faciant in acceptatione divina ad* 1. *gratiam dandam huic lapſo; quia etſi ſecundum ſtrictam juſtitiam inimicus Dei non ſit dignus de propinquo ad aliquam gratiam, & gloriam: tamen excellens miſericordia Dei propter præcedentia merita, licet mortificata, citiùs dat gratiam ad reſurgendum*; ergo Scotus admittit neceſſitatem gratię in peccatore ad reſurgendum. Et infra ſuſtinet neceſſitatem doni perſeverantiæ ad cavendum finaliter peccatum; ſed hoc donum includit ſpeciale auxilium Dei continuo moventis, inſpirantis, gubernantis &c. ergo &c.

5. Adducit alium locum ex primo ſententiarum, & præcipuè iſtum, quòd *illud, quo voluntas meritoriè agit, ſit forma ejus. Hoc autem, quo meritoriè agit, non poteſt eſſe pura natura, quia tunc ex ſolis naturalibus poſſet meritoriè agere, videtur error Pelagii. Igitur requiritur aliquid ſupernaturale &c.* Fateor hic Scotum [5] loqui de habitu ſupernaturali, & inhærente voluntati, ut eſt charitas habitualis; ſed ſemper hoc ſufficeret ad eximendum illum ab errore Pelagii.

Dein-

[1] 3.*lib. arb.* [2] *Ibid. r.*1.
[3] *to.*2.*p.*430.*n.*7. [4] 4.*d.*22.*K.*11.
[5] *d.*17.*q.*2.*F.F.n.*20.

Deinde ideò vocat *habitum*, quia *ſe tenet ex parte potentiæ, & eſt aliquid naturaliter præcedens actum diligendi, & illud voco habitum, quia perfectio prior actu* (ut eſt gratia) *quæ accipitur in potentia habituali, videtur eſſe habitus*; non ergo nagaret, quin aliunde ſit gratia actualis.

Alios textus, ſi occurrerint in decurſu hujus tractatus, quibus agnoverit neceſſitatem gratiæ auxiliantis, adducemus ad particulares quæſtiones.

Obiic. famoſum illum locum, ex quo, Thomiſtæ, & recentiores ſumpſerunt occaſionem trahendi Scotum] in pelagianiſmum, quaſi docuerit hominem ex naturalibus diſponere ſe ad gratiam juſtificationis. (1) *Peccator poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam, & averſivum a Deo, & impeditivum præmii, & inductivum ſupplicii, & ſub talibus rationibus poteſt voluntas ſub aliqua earum rationum ipſum deteſtari ... ante infuſionem gratiæ; Et iſte motus dicitur attritio, & diſpoſitio, ſeu meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis*, &c. ergo ex Scoto, poteſt homo ſe diſponere ad juſtificationem abſque auxilio gratiæ ſupernaturalis, ſed cum ſolo concurſu generali, quo Deus concurrit ad cæteras actiones purè naturales creaturæ.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam per illum influxum generalem, & per Ly, *ex naturalibus*, non excludit influxum gratiæ actualis, nec ipſorum habituum ſupernaturalium, fidei, ſpei, timoris &c. Quod ex ipſo textu patet. Nam 1. peccatum non poteſt conſiderari (2) *ut offenſivum Dei, nec contra legem divinam ex puris naturalibus*, & ſine auxilio fidei, & ſpei Theologicæ: 2. nec illam attritionem velle potuit eſſe purè naturalem diſpoſitionem, aut meritum, nam infra docet hæc motiva eſſe nota ex revelatione; 3. quia hunc actum pœnitentiæ docet poſſe imperari à charitate, vel imperare charitatem. (3] *Charitas poteſt uti pœnitentia, & hæc etiam poteſt uti charitate quaſi circulariter*, quod fieri non poteſt naturæ puræ viribus: 4. quia non intendit aliud per hæc verba, quàm excludere

[1] 4. *d*. 14. *q*. 2. *n*. 14.
[2] *q*. 3. *A*. 2. [3] *q*. 2. 10.

dere neceſſitatem charitatis, & gratiæ habitualis. *Diſpoſitio prævia ad peccati deletionem eſt ſemper ſine gratia, & charitate, à cujus ſolius inhærentia, & inclinatione ad actum dicitur actus formatus.* Vides citatum P. Macedo. Ubi notandam monet Scoti diſtinctionem, Ly *ex naturalibus, & ex puris naturalibus*. Hæc 2. particula excludit omne auxilium ſupernaturale, non illa 1. Item Ly, *communis influentia*, non excludit gratiam ſufficientem omnibus oblatam, & obviam; ſed ſolas gratias extraordinarias, & efficaciores, ut cùm dicit, quòd *actus, qui eſt meritum, eſt in poteſtate mea ſuppoſita influentia generali, ſi habeo uſum liberi arbitrii, & gratiam.* Certè non ſomniavit Scotus actum ex puris naturalibus habere rationem meriti.

Hæc notaſſe ſufficiat, ut ſemel habeamus, quod in materia de gratiæ actualis auxilio Scotus ex profeſſo non diſputaverit, quia ſuo tempore hæc controverſia non vigebat; tamen ſemper catholicè de hac materia ſenſit, & eſt locutus.

DISPUTATIO II.

De gratiæ natura, & exiſtentia in communi.

IN præcedenti hiſtoricè potiùs, quàm ſcholaſticè locuti ſumus: nunc mutamus ſtylum, & propiùs ad materiam ſingularem hujus tractatus accedimus. Quidditatem gratiæ examinamus, & exiſtentiam ejus aſſerimus ex principiis fidei, & traditionis, quæ potiſſimum valent hic. Quippe parum juvat humana ratiocinatio ex ſcientiis humanis. Cùm enim omnia hæc pendeant ex Dei nutu, ſtandum eſt præcipuè in ejus divina revelatione, quæ per definitiones Eccleſiæ. & SS. Patrum traditiones, & doctrinam innoteſcit. Sit igitur

QUÆ

*bitrium, ſine gratia, & Dei adjutorio, non niſi ad peccandum valet.*29. Pelagianus eſt error dicere, quòd *liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum,* 30.*homo, faciendo quod in ſe eſt, peccat*: &, *non poteſt non peccare, faciendo quod in ſe eſt*, 31. *charitas perfecta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*. Idem habent 32.33.35.& 40.*Omne, quod agit peccator, peccatum eſt*: Et, *in omnibus actibus ſuis peccator ſervit dominanti cupiditati.*39.66.& 67.*quod voluntariè, & ſi neceſſariò fiat, liberè fit*. Et, *ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Et, *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit*.

Denique omnes errores contenti in prædictis bullis ad octo capita reducuntur: 1. ſpectat ad gratiam Angelorum, & primi hominis. Et ſub illo ſunt propoſitiones, ſc.1.3.7.9.21.23.24.26.55.78.& 79.

C.2. totidem continet propoſitiones de libero arbitrio, & viribus ejus, ſc. 39.41.66.22.27. 28.29.30.36. 37.& 65.

C.3.eſt de meritis operum per 15.propoſ.ſc.2. 4. 56. 11.12.13.15.17.19.24.61.62.& 8.

C.4.continet 12.propoſ.de peccatis actionum.ſc.46. 20.25.35.40.67.68.50.51.77.75.& 76.

C.5.continet 7.propoſ.de peccato originis, ſc.47.48. 49.52.53.73.&72.

C.6. continet propoſ.12.de charitate, & impletione legis.ſc.34.38.31.32.33.70.71.16.61.54. & 76.

C.7.continet 8.propoſ.de juſtificatione,&Sacramentorum effectu,ſc.42.69.43.44.63.64.57.& 58.

C.8. continet ſex propoſitiones de ſolutione pœnæ temporalis,ſc.10.59.60.77.72.45.vide Ripalda,To.3.*de ente ſupernaturali*, ubi has bullas expendit, & propoſitiones illas ſic ordinat, & P. Fraſſen.qui ſingulis cenſuram Pariſienſem adjungit. Hic autem Doctor dicitur condemnationi adhæſiſſe, & obediviſſe.

Cornelius Janſenius Hyprenſis Epiſcopus, (1) circa gratiam docuit, illam, qua egebat Adam ante peccatum, fuiſſe adjutorium, *ſine quo* non poſſet bene agere, aut perſeverare in bono, poſt lapſum autem dicit neceſſarium eſſe adjutorium, *quo* ſc. benè agimus, & quaſi neceſſariò. Illud 1. dabat Adamo, ut poſſet benè

[1] *To.2.p.475.*

nè agere, & perſeverare in bono, ſi vellet, aut illud rejicere, ſi nollet cooperari: 2. verò dat, & facit, ut velimus, ita ut non poſſimus illi non cooperari. In primo voluntas ſeipſam determinabat, in 2. autem voluntas ita flectitur, & determinatur ad velle, & agere, ut non poſſit reſiſtere.

Hanc diſtinctionem gratiæ actualis, ſeu adjutorii tribuunt Auguſtino graviſſimi Theologi, & Catholici, etiam ex noſtris, ut Cardinalis noſter de Laurea, & P. Macedo: de illa dicemus infra.

In Janſenio prædicto inventæ ſunt 5. propoſitiones ſequentes, quas damnarunt SS. Pontifices Innocentius XI. & Alex. VII. Prima eſt; *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque gratia, qua illis fiant poſſibilia*: 2. *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*. Ideò in titulo c. 1. l. 3. ſcribit. *Tangitur natura adjutorii ſufficientis, & oſtenditur nullum dari poſt naturæ lapſum, niſi ſit efficax ſimul* &c. 3. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*. Hoc ſenſu, auxilium *quo*, non tolleret libertatem requiſitam ad meritum, vel demeritum; quia non cogit, licèt neceſſitet, *libertatem non lædit, ſed ſtatuit hoc ipſo, quòd voluntatem affert*: 4. *Semipelagiani admittebant prævenientis interioris gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere*. Hanc habet l. 8. de hæreſi Pelagiana. Non vult ergo, quod gratiæ poſſit reſiſti. [1] 5. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem ſudiſſe*, quas propoſitiones damnat Eccleſia ut temerarias, ſcandaloſas, impias, blaſphemas, hæreticas &c.

QUÆ-

[1] *l. 3. de gra. ſal.*

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit auctoritas S. Auguſtini in Theologicis, & maximè in hac materia de gratia.

MOnuiſſe juvabit in his quæſtionibus decidendis, ſicut plùs omnium SS. Patrum laboravit, & ſcripſit S. Auguſtinus, ſic maxima eſt ejus auctoritas, ita ut vix ab ea diſcedere liceat in iis, quæ ab Eccleſia definita non ſunt; (ſi quid tamen ipſa definierit, quod ipſe non docuerit) nam ut ſcribit Celeſtinus Papa, [1] *Auguſtinum S. recordationis virum, pro vita ſua, atque meritis in noſtra ſemper communione habuimus, nunquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit. Quem tantæ olim ſcientiæ fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam à meis prædeceſſoribus haberetur*. Et Hormiſdas de libero arbitrio, & gratia Dei, *quod Romana, hoc eſt Catholica ſequatur, & aſſeveret Eccleſia, licet in variis S. Auguſtini libris,* [2] *& maximè ad Hilarium, & Proſperum, ſcilicet de prædeſtinatione ſanctorum, & de bono perſeverãtiæ poſſit cognoſci, tamen in ſententiis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur*. [Loquitur de Canonibus Concilii Arauſicani II. qui ex Auguſtino excerpti ſunt) & Joannes II. ad quoſdam Senatores ait, *S. Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana ſervat Eccleſia*.

Igitur ſummæ ſemper auctoritatis fuit ejus mens in omnibus Conciliis, & definitionibus Eccleſiæ, præcipuè in materiis de gratia, & prædeſtinatione, pro quibus tam fortiter, & proſperè decertavit contra Pelagianos, & Semipelagianos, ita ut partes ſingulæ, quantumvis inter ſe diſcrepantes, etiam hæretici, conentur auctoritate illius fulciri, & mentem ad ſe trahere, & in ſuos ſenſus detorquere, non ſine ſanctiſſimi, & puriſſimi Doctoris frequẽti injuria. Nec mirum de hæreticis, qui non majori cum fidelitate, & reverentia citant Scripturas ſacras, ut ſuis erroribus videantur patrocinari.

Dico, (*in iis, quæ ab Eccleſia definita non ſunt, ſi quæ ſint*) Nam auctoritas ejus, ſicut nec aliorum SS. Pa-

trum

[1] *Ep. ad Epiſc. Gall. 2.* [2] *Ep. 70.*

trum non facit res de fide, ſed locum Theologicum; ideò, (inquit Bellarminus) ad libros de gratia, & lib. arb. *etiamſi B. Auguſtinus Calvino faveret, tamen neminem tam iniquum eſſe oportet, qui unum hominem quamvis doctiſſimum, omnium ſæculorum patribus, & doctoribus, totique Eccleſiæ, atque adeò orbis terræ conſenſui anteferret.*

Gullielmus Auguſtino addictiſſimus dicit, quòd, *ſi contendit aliquis Auguſtini verba, quæ objecta ſunt, huc inflecti non poſſe, putetque eum revera eſſe alterius ſententiæ; tum reſpondimus ea, quæ de adjutorio primi hominis, & Angelorum obſcurius, & ut videtur, extra ſcripturæ auctoritatem ab illo ſunt diſputata ad hoc, ut ex ea comparatione, gratia noſtræ per Chriſtum reparationis magis emineat, non debere præjudicare doctrinæ, quæ apud alios patres, ipſumque S. Thomam, in hujuſmodi rebus exactiſſimum doctorem expreſſior reperitur.*

Imò nec ipſe Auguſtinus aliud prætendit. Nam inquit, [1] *neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec me ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem.* Et ſcribens ad S. Hieronymum, docet hunc honorem ſolis Scripturæ libris deberi, ut cenſeantur infallibilis veritatis, ut habetur in Canone. *Ego ſolis eis ſcriptoribus, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum in ſcribendo erraſſe audeam aſſerere,* &c.

Igitur maximæ auctoritatis præ cæteris patribus, & doctoribus eſt ſententia Auguſtini; & præcipuè in materia de prædeſtinatione, & gratia; ſed non infallibilis, niſi in his, quæ ab Eccleſia ex ejus ſcriptis ſelecta, definita ſunt; quia hæc definiendo ſibi ſumpſit, & fecit ſua; nec ideò cætera ejus ſcripta cenſenda eſt canonizaſſe. Unde ſcribebat Cœleſtinus I. ad Epiſcopos Galliæ. *Profundiores, difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere: quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatisfacere credimus, quidquid ſecundum*

[1] *de bono perſe.* 21.

dum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium; ergo, ſeclusis iis, quæ definita ſunt ex Auguſtino, cætera non habent infallibilitatis robur, licèt maximam auctoritatem.

Unde inter plures propoſitiones damnatas ab Alexandro VIII. legitur iſta. [1] *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere non reſpiciendo ad ullam bullam Pontificum*. Hæc autem monuiſſe ſufficiat, ut ſciant Tyrones qualiter reſpondeant, quando objicientur aliqua ex Auguſtino.

QUÆSTIO V.

Quid ſenſerit Scotus circa exiſtentiam, naturam, & neceſſitatem gratiæ actualis.

QUia profitemur doctrinam ſubtilium principis Scoti, & ideo non prætendimus ab ejus mente diſcedere, placet in hoc veſtibulo de illa inquirere: quia, quid ſenſeri, non ſatis convenit inter Theologos, non ſolùm exteros, qui ei auſi ſunt errores Pelagianorum imponere, ſed etiam inter domeſticos, qui non ſatis de illius ſententia conveniunt. Nec mirum; nam cùm ejus tempore errores prænarrati Pelagianorum, & Semipelagianortum ſepulti jacerẽt in profundis ſuis tenebris; de gratiis actualibus non niſi tranſeunter diſſeruit.

CONCLUSIO.

SCotus alieniſſimus fuit ab erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum.

Prob. quia nuſquam docuit liberum arbitrium ex puris naturalibus poſſe elicere ullum opus bonum, ſicut oportet ad gratiam promerendam, aut ad ſalutem; ſed in omni occaſione deteſtatur hunc errorem Pelagii. Percurramus aliquot loca ejus.

Quærit aliquando cum magiſtro, [2] *an liberum hominis arbitrium ſine gratia poſſit cavere peccatum mor-*

[1] *prop.* 50. [2] 2. *d.* 28.

mortale: Et poſſquam examinavit aliorum ſolutiones, quæſtioni reſpondet ipſe. *Ad quæſtionem poteſt dici, quod peccatum uno modo poteſt accipi pro ipſo actu difformi, loquendo de peccato commiſſionis, alio modo pro macula, quæ remanet*. Scilicet diſtinguit de peccato actuali, & habituali, & reſpondet quoad habituale, quòd *liberum arbitrium non poteſt ex ſe cavere omne peccatum mortale pro ſtatu iſto*: *quia anima ſine gratia aliquo peccato maculatur*. &c. Vides Scotum hìc loqui de peccato habituali, & gratia item habituali. De peccato autem, & gratia actuali nihil adhuc reſolvit, & tamen P. Cavellus in ſcholio ſcribit Scotum in hoc textu dicere, quòd, *& ſi non poſſit homo reſurgere à peccato ſine gratia; poteſt tamen cavere ab omni peccato ſine ea*, addens: *In hoc convenit doctor cum communi fere omnium; quia vel non loquitur de omni peccato conjunctim, ſed diviſim, vel ſi ſic, intelligit de potentia phyſica, non de morali*. Et marginiſta idem ſupponit dicens: *hominem ſine gratia poſſe vitare peccatum, ſed non reſurgere à peccato*, & remittit ad 4.d. 1. q. 1.& 6. & d.16. q. 2.

Idem in Scholio ſequenti ait: [1] *Ponit liberum arbitrium ſufficere ad implendum præceptum naturale amandi Deum ... non tamen poteſt implere præceptum amoris ſupernaturalis Dei ſine gratia, ſicut nec præceptum fidei, & ſpei*. Scotus autem in textu ſic habet. *Poteſt illa opinio confirmari per hoc, quod illud præceptum diliges Dominum &c. Eſt primum, à quo tota lex pendet, & Prophetæ: ad actum igitur hujus præcepti aliquando eliciendum tenetur voluntas, ita quod non poteſt eſſe ſemper omiſſio actus hujus præcepti ſine peccato mortali*.

P. Pontius in Commentario ad hunc textum [2] dicit, ſe exiſtimare hunc textum doctoris eſſe mendoſum, propter defectum aliquorum verborum; quia cùm propoſuiſſet quæſtionem tam de peccato actuali, quàm de habituali, eam reſolvit de ſolo habituali; quamvis addat confirmationem de actuali. Verum ipſemet Poncius in illo Commentario, & multò minùs P. Lichetus, [3] non videntur ſatis difficultatem explicuiſſe; videlicet, an Scotus ibi loquatur

[1] *Ibid.4.n.7.* [2] *Ibid.n.*11.
[3] *to.2. collat.*10.*diſſer.*2.*S.*2.*de nat. & grat.*34.

tur de gratia actuali præveniente, & adiuvante, an de ſola habituali, & ſanctificante. Certè, ni fallor, non cogitavit excludere actualem, nec de illa loqui, ſed de ſola habituali, ſine qua non poteſt reſurgere à peccato commiſſo. In Cavellum juſtè invehitur P. Macedo; nam ſic traheret Doctorem in errorem Pelagii; qui *medicinale auxilium tantùm in hoc ponit, ut Deus ignoſcat peccata commiſſa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda*, (inquit Auguſtinus) & revera Scotus ibi non loquitur, ut dicebam, de neceſſitate gratiæ actualis ad vitanda peccata futura, ſed ad reſurgendum ex præteritis, & ſimul ad vitanda futura, ſtantibus prȩteritis. Nam qui ſemel admiſit peccatum unum mortale, contrahit maculam, quȩ tolli non poteſt ſine gratia, qua ſemper caret, donec remittatur per gratiam ſanctificantem, qua pariter caret, cùm admittit ſecundum peccatum.

Porrò certum eſt Scotum longè abeſſe ab errore Pelagii, nec unquam ſomniavit, quòd liberum arbitrium poſſit reſiſtere peccato ſine gratia. *Nam*, inquit, *in hoc videtur hæreſis Pelagiana, quod liberum arbitrium ſufficiat ſine gratia*; quem errorem improbat, & deteſtatur ſemper in ſimilibus occaſionibus, ut notat dictus Macedo, & affert ſententiam Henrici, & addit: *Hic dicitur*, [1] *quod propter verba Auguſtini, quæ adducit contra Pelagianos, non poteſt caveri ab omni peccato ſine gratia*; ergo Scotus abhorret ab errore Pelagii, & per conſequens quod peccatum caveri poſſit ſine auxilio gratiȩ.

Item reſpondens ad objectionem ex Apoſtolo, qui videtur dixiſſe, gentiles benè vixiſſe ſecundum legem naturȩ, & quidem naturaliter, & ſine gratiȩ ſupernaturalis auxilio, [2] *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt* &c. Reſpondet, quòd [3] *id fecerunt per legem naturæ ſcriptam in cordibus eorum interiùs direxerunt ſe rectè vivendo*, ſicut Judȩi per legem ſcriptam (nota ſequentia) *ſed iſti* (Judȩi) *non benè vixerunt ſine omni gratia*; ergo nec gentiles; quia gratia *potuit eſſe in eis, ſuppoſita hypotheſi ſine obſervatione legis Moſaicæ*. Scilicet ſicut Judȩi egebant gratiȩ adjutorio ad obſervantiam legis ſcri-

[1] *Ibid. n.* 8. [2] *Rom.* 2.
[3] *Ibid. n.* 8.

ſcriptę, ita & gentiles ad obſervantiam legis naturę; quia iſti non tenebantur lege Moſaica.

3. Pro Pelagianis arguitur ab initio queſtionis, *vel homo poteſt vitare peccatum ſine gratia, vel non poteſt, ſi non poteſt; ergo non peccat, quia nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt*, ex Auguſt. [1] ſi peccat, ergo illud poteſt vitare ſine gratia, reſpondet Scotus [2] ad dilemma, quod *iſte, cui offertur gratia, poteſt cavere, ne reſiſtat gratiæ*; ergo ſemper ſupponit adeſſe homini, & offerri auxilium gratię, cui ſi velit conſentire, vitabit peccatum, ſi autem velit reſiſtere, non vitabit, ergo ſemper ſupponit neceſſitatem talis gratię ad vitandum peccatum.

4. P. Vulpes invehitur in recentiores, qui audent Scotum [3] in ſententias Pelagianorum, & Semipelagianorum trahere, &, ut contrarium doceat, citat locũ, in quo ſcribit, [4] quod *cujus merita ſunt mortificata* (per peccatum mortale) *non poteſt mereri minimam gratiam ... nec tamen credo, quod merita mortificata omninò nihil faciant in acceptatione divina ad 1. gratiam dandam huic lapſo; quia etſi ſecundum ſtrictam juſtitiam inimicus Dei non ſit dignus de propinquo ad aliquam gratiam, & gloriam: tamen excellens miſericordia Dei propter præcedentia merita, licet mortificata, citiùs dat gratiam ad reſurgendum*; ergo Scotus admittit neceſſitatem gratię in peccatore ad reſurgendũm. Et infra ſuſtinet neceſſitatem doni perſeverantiæ ad cavendum finaliter peccatum; ſed hoc donum includit ſpeciale auxilium Dei continuo moventis, inſpirantis, gubernantis &c. ergo &c.

5. Adducit alium locum ex primo ſententiarum, & præcipuè iſtum, quòd *illud, quo voluntas meritoriè agit, ſit forma ejus. Hoc autem, quo meritoriè agit, non poteſt eſſe pura natura, quia tunc ex ſolis naturalibus poſſet meritoriè agere, videtur error Pelagii. Igitur requiritur aliquid ſupernaturale &c.* Fateor hic Scotum [5] loqui de habitu ſupernaturali, & inhærente voluntati, ut eſt charitas habitualis; ſed ſemper hoc ſufficeret ad eximendum illum ab errore Pelagii.

Dein-

[1] 3.*lib. arb.* [2] *Ibid. n.*1.
[3] *to.*2.*p.*430.*n.*7. [4] 4.*d.*22.*K.*11.
[5] *d.*17.*q.*2.*F.F.n.*20.

dere neceſſitatem charitatis, & gratiæ habitualis. *Diſpoſitio prævia ad peccati deletionem eſt ſemper ſine gratia, & charitate, à cujus ſolius inhærentia, & inclinatione ad actum dicitur actus formatus.* Vides citatum P. Macedo. Ubi notandam monet Scoti diſtinctionem, Ly *ex naturalibus, & ex puris naturalibus.* Hæc 2. particula excludit omne auxilium ſupernaturale, non illa 1. Item Ly, *communis influentia*, non excludit gratiam ſufficientem omnibus oblatam, & obviam; ſed ſolas gratias extraordinarias, & efficaciores, ut cùm dicit, quòd *actus, qui eſt meritum, eſt in poteſtate mea ſuppoſita influentia generali, ſi habeo uſum liberi arbitrii, & gratiam.* Certè non ſomniavit Scotus actum ex puris naturalibus habere rationem meriti.

Hæc notaſſe ſufficiat, ut ſemel habeamus, quod in materia de gratiæ actualis auxilio Scotus ex profeſſo non diſputaverit, quia ſuo tempore hæc controverſia non vigebat; tamen ſemper catholicè de hac materia ſenſit, & eſt locutus.

DISPUTATIO II.

De gratiæ natura, & exiſtentia in communi.

IN præcedenti hiſtoricè potiùs, quàm ſcholaſticè locuti ſumus: nunc mutamus ſtylum, & propiùs ad materiam ſingularem hujus tractatus accedimus. Quidditatem gratiæ examinamus, & exiſtentiam ejus aſſerimus ex principiis fidei, & traditionis, quæ potiſſimum valent hic. Quippe parum juvat humana ratiocinatio ex ſcientiis humanis. Cùm enim omnia hæc pendeant ex Dei nutu, ſtandum eſt præcipuè in ejus divina revelatione, quæ per definitiones Eccleſiæ. & SS. Patrum traditiones, & doctrinam innoteſcit. Sit igitur

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit gratia divina.

GRatiæ nomen ſumitur, 1. largè, & generaliter pro quocumque beneficio, & dono liberaliter collato ſine præcedenti merito recipientis, & ſic convenit donis Dei tam in ordine creationis, & naturæ, quàm in ordine juſtificationis, & gloriæ. Et ſic Pelagius *gratiæ* nomen ſumebat, cùm eam agnoſcere fingebat, ut deciperet Patres cum eo diſputantes. 2. ſumitur adhuc minùs propriè pro decentia, & venuſtate in vultu, ſermone, figura &c. quæ ſolent allicere homines ad amorem, ut cùm dicitur, [1] *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo*. 3. pro affectu, & amore alicujus, ut cùm quis dicitur intrare, vel redire, aut eſſe in gratia principis, id eſt benevolentia, ut cùm legimus. [2] *Si inveni gratiam in oculis tuis*. 4. pro ipſo dono gloriæ, ac beatitudinis æternæ. *Gratia Dei vita æterna*. 5. omiſſis his, & aliis ſignificationibus hujus vocis ſufficit dicere, quod hìc ſignificat propriè donum Dei liberale erga creaturam rationalem, & indebitum, quod conducit ad ſalutem ejus æternam. Talia ſunt dona ſupernaturalia, quibus interiùs illuminamur, excitamur, vocamur, movemur, & juvamur ad peccata vitanda, & virtutes ſectandas, quibus mereamur vitam æternam. Hæc dicuntur *gratiæ*; quia gratis omninò dantur, & ſine omni prævio merito, ſaltem rigoroſo. [3] Nam *ſi gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia non eſt gratia*.

CONCLUSIO I.

VErè *datur hujuſmodi gratia ſupernaturalis*. Eſt de fide, nec eſt qui neget poſt condemnationem Pelagii.

Prob. 1. ex Scoto, qui gratiam ſic deſcribit: [4] *Gratia propriè dicitur gratuita voluntas Dei, ſecundum quod eſt ex mera liberalitate, ut diſtinguitur contra* ope-

[1] *Prov.* 3. [2] *Rom.* 6.
[3] *Rom.* 11.
[4] *Repor.* 3. *d.* 2. *q.* 1. *n.* 10.

operationes communes, & ut datur abſque diſpoſitione acquiſita per actus recipientis. Et alibi: [1] *Declaro, quod gratia creata eſt principium activum*. Et id probat ex Auguſtino, [2] & id jam docuerat in ſcripto Oxonienſi.

Prob. 2. ex Scripturæ locis innumeris, ut cùm dicitur, [3] *gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Et, [4] *de plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia*. Et, [5] *gratia ſalvati eſtis per fidem*. Et, *non ex vobis, donum enim Dei eſt*; &c. Et, [6] *noli negligere gratiam, quæ in te eſt*, ſic de cęteris textibus, qui continuè occurrunt.

Prob. 3. ex Conciliis, & conſenſu generali Eccleſiæ, & Patrum, & Theologorum, apud quos eſt familiaris uſus hujus vocis in hoc ſenſu, ut in decurſu hujus tractatus patebit.

Prob. 4. quia certum eſt, & conſtat ex Scripturis ſacris, aliquid modo eſſe in homine, per quod redditur amabilis Deo, & amatus: & modo illud deeſſe, cujus defectu fit illi odioſus; ſed illud primum non poteſt eſſe niſi donum gratiæ ſanctificantis, quod eſt *charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*; ergo datur, & verè exiſtit hæc gratia. Prob. min. nam Deus, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, non fieret de non amante amans, & viciſſim, ſi mutatio illa non veniret ex parte noſtra per exiſtentiam, vel abſentiam alicujus doni ſpecialis, per quod reddimur amabiles; ergo &c.

Prob. 5. nam Deus prædeſtinat nos ad finem ſupernaturalem; ergo & per media ſupernaturalia, quæ ipſe ſuppeditat; ut ſunt gratiæ actuales, & habituales. Ant. patet ex Script. *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum ... in laudem, & gloriam gratiæ ſuæ*. Prob. conſ. nam media debent proportionari cum fine.

Confir. nam ex eodem Apoſtolo, [7] *ſi unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum J. C.* ſcilicet mors Chriſti videretur nobis inutilis, niſi per eam nobis meruiſſet dona gratiæ. *Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis*

[1] 2. *d*. 29. *q*. 1. *n*. 3. [2] 1. *d*. 17. [3] *Pſ*. 83. [4] *Jo*. 1. [5] *Epheſ*. 5. [6] 1. *Tim*. 4. [7] *Eph*. 1. [8] *Rom*. 5.

minis I. C. in plures abundavit; ergo ſicut per peccatum Adæ infirmati, & mortui ſumus, ita per gratiam Chriſti debemus ſanari, & vivificari.

CONCLUSIO II.

Gratia Dei generaliter ſumpta eſt donum Dei ſupernaturale, gratis conceſſum creaturæ rationali ex meritis Chriſti, in ordine ad ſalutem ejuſdem creaturæ. In re eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, à quo deſcribitur, [1] *voluntas Dei, ſecundum quod eſt ex mera liberalitate* &c. De gratia in eodem ſenſu hìc loquimur.

Prob. 2. quia ſic explicatur ſufficienter natura gratiæ, de qua hìc agitur ad mentem omnium Theologorum. Dicitur 1. *donum Dei*: & ponitur loco generis; quia per id convenit cum cæteris Dei beneficiis, in ordine creationis, & glorificationis æquè, ac in ordine juſtificationis, & cujuſcumque ſint conditionis: 2. *ſupernaturale*: quia hic propriè loquimur de donis, quæ ſunt extra ordinem creationis, & pertinent ad *juſtificationem*. Nam, inquit Auguſtinus; [2] *non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, ut homines eſſemus: ſed qua juſti ſumus, ut homines juſti eſſemus*; 3. dicitur *conceſſum creaturæ rationali*, ſcilicet homini, & Angelo; nam aliæ non ſunt capaces hujus doni, ſicut nec beatitudinis æternæ: 4. *ex meritis Chriſti*; in quo *Deus benedixit nos omni benedictione ſpirituali*; ait Apoſt. 5. *in ordine ad ſalutem*; eò enim ſpectant Chriſti labores, & dona, ut habeamus *fructum in ſanctificatione*.

Objic. 1. Plura dona naturæ ſunt gratiæ per Chriſtum; ergo non eſt de ratione gratiæ, ut ſit donum ſupernaturale. Prob. ant. aliqua dona gratiæ requiruntur ad impletionem legis naturæ; ſed illa non ſunt ordinis ſupernaturalis; nam media, & finis ſunt ejuſdem ordinis; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. ad impletionem per opera ſupernaturalia, & ſicut oportet ad ſalutem, & ſuppoſita infirmitate naturæ ex peccato, concedo maj. abſolutè, & per ſe, neg. maj. & min. nam ſi opera lege naturæ præſcripta, & per quæ impletur, ſunt

[1] *Ibid.* [2] *Ep.* 105.

ſunt perfecta, ſicut oportet ad ſalutem, ſunt ſupernaturalia, ſi non in ſubſtantia, ſaltem quoad modum, propter infirmitatem naturæ ex peccato.

Objic. 2. per bona opera homo diſponit ſe, & meretur gratiam ſanctificantem, ſaltem ſecundam, & ſic iſta non datur omninò gratis; ergo de ratione gratiæ non eſt, ut detur gratis.

Reſp. diſt. ant. ſe diſponit, & meretur per gratiam, con. independenter ab omni gratia, neg. ant. & conſ. homo non ſe diſponit ad gratiam juſtificationis, niſi per gratias prævenientes, & adjuvantes; nec meretur 2. niſi per 1. & omne meritum noſtrum fundatur in gratia Dei, ut videbimus.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit gratia.

GRatia, quam ſupra aſſeruimus, & deſcripſimus, dividi ſolet 1. *in naturalem*, ſeu *creationis*, quæ eſt creatio, & alia dona, quæ ipſam ſequuntur ex providentia generali Dei ut creatoris, & *ſupernaturalem*, ſeu *redemptionis*, & *per Chriſtum*, quæ non datur ex vi creationis, ſed elevat nos ad finem ſupernaturalem, ſeu ad beatitudinem ęternamr, & ideò dicitur *per Chriſtum*, quia datur ex meritis Chriſti per redemptionem, & de hac ſola hic agimus.

2. Alia eſt *creata*, ſc. quodlibet Dei donum nobis datum ſine meritis: alia *increata*, ſc. ipſe Deus, quatenùs nobis per illa dona ſpecialiter communicatur. Sic Verbum per incarnationem, & Spiritus ſanctus per infuſionem charitatis dantur nobis ex quadam appropriatione. *Gratia Dei donum Dei eſt*, ait Auguſt. [1] *donum autem maximum ipſe Spiritus S. eſt, & ideò gratia dicitur*. Eodem ſpectant actus amoris, & providentiæ, quibus nos Deus amat, & prædeſtinat; nam in Deo ſunt Deus ipſe, & gratiæ increatæ. Hoc intereſt inter gratiam, & prædeſtinationem, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; gratia verò jam eſt ipſa donatio, ſc. amor Dei, eſt gratiarum cauſa, & fons; gratia verò eſt effectus amoris increati.

[1] *ſer.61. ver. Dom.*

3. Alia eſt *externa*, quæ vel foris patet ad ſenſum, ut voces, ſigna, quibus nos vocat, & illuminat; vel ſe tenet extra nos, ut actus ipſius Dei, qui ſunt in ipſo, & ad nos terminantur, ut amor, electio, &c. Alia *interna*, quæ hæc præſtat inviſibiliter per lumen, & motus, & qualitates nobis inexiſtentes. Ad primam ſpectant doctrina legis, miracula Chriſti, & Sanctorum exempla, conciones, & ſimilia, quæ nos per ſenſus movent, & illuminant. De internis agimus præcipuè.

4. Alia eſt *habitualis*, quæ datur per modum habitus, & qualitatis inherentis, & permanentis poſt actionem, & animam perficit, mundat, & exornat, ut gratia ſanctificans. Alia eſt *actualis*, quæ datur ad operationem, & cum actione præterit, denique datur per modum auxilii ad operandum, & cum ipſa operatione tranſit. *Habitualis* quidem datur ad eſſe, nec tamen eſt otioſa. Ad 2. ſpectant *inſpirationes, vocationes, motiones piæ, cogitationes, viſiones, affectus, delectationes, corroborationes, timores, terrores*, &c. quibus excitamur, & deterremur à peccato, & movemur ad bonum.

5. Actualis ſubdividitur in *operantem*, & *cooperantem*. 1. operatur in nobis ſine nobis adhuc operantibus, ſeu ſine conſenſu noſtro, immittendo in nobis cogitationes, & motus. 2. verò operatur nobiſcum ea, quæ Deus per operantem inſpiravit. *Deus*, ait Aug. [1] *operando in nobis perficit, quod operando incipit ... ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens .... ut ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur.*

6. Actualis dicitur etiam *præveniens*, ſeu *excitans*, ſeu *vocans*: quia antevertit liberi arbitrii conſenſum, ad quem illud movet, & velut dormientẽ excitat, ſeu vocat, ut à peccato, velut à ſomno, reſurgere velit, & ad Deum redeat, & ſe convertat. Hæc coincidit cum *operante*. 2. alia dicitur *concomitans*, ſeu *adjuvans*, & coincidit cum *cooperante*; quia per eam Deus nobiſcum operatur ipſam volitionem, qua volumus bonum, ad quod nos excitat, & prævenit. 3. alia *ſubſequens*, qua nos Deus confirmat in bono velle, ſeu in propoſito, & opere

[1] *de gra. & lib. arb.*

opere, quod nobiſcum operabatur, ne deficiamus, ſed proficiamus, & perſeveremus. *Prævenit, ut ſanemur, ſubſequitur, ut ſanati vegetemur: prævenit, ut vocemur, ſubſequitur, ut glorificemur: prævenit, ut velimus, ſubſequitur, ut cum illo ſemper vivamus*. Eadem autem realiter, & in entitate poteſt hæc tria munia obire, ſc. prævenire, ſeu vocare, ſeu operari, comitari, ſeu adjuvare, & cooperari, & ſubſequi, ſeu perficere. Semper enim eadem eſt miſericordia, [2] quæ *prævenit nolentem, ut velit, ſubſequitur volentem, ne fruſtra velit*.

7. Præveniens ſubdividitur in *efficacem*, ſeu *ſufficientem*, cui poſſemus quidem conſentire, & cooperari; de facto tamen non cooperamur; & ideò remanet inefficax: & *efficacem*, cui de facto conſentimus, & cooperamur, & ideò ſortitur effectum per illam intentum. Quod ſi ex parte gratiæ nihil deſit, ut conſenſum noſtrum obtineat, dicitur *proximè ſufficiens*, ſi verò ſit debilior, quia Deus expectat ex parte noſtra conditionem, & conatum aliquem, ut augeat vocationem, & fortiùs operetur, ac moveat, dicitur *remotè ſufficiens*; ſufficiet quidem per ſe immediatè ad conatum, ſi velimus, & ad initium operationis, ſed non ad plenum conſenſum, & opus, niſi addantur vires ulteriores, quæ non deerunt, ſi primis, & debilibus illis motibus cooperemur: v. g. cùm Deus excitat peccatorem ad pęnitentiam, id non ſemper facit per gratiam ita validam, ut primo impetu valeat peccatum deteſtari, ſed aliquando paulatim movet, ut peccatum illi incipiat diſplicere, & ita ad ſimiles actus præparatorios, quos ſi homo amplectatur, dabit Deus vires ulteriores ad opus completum pęnitentiæ. At ſi priores illos motus, & actus negligat, juſto Dei judicio retrahit primas illas gratias, & illum deſerit. Dicitur autem *inefficax*, quia licet, quantum eſt de ſe, poſſet habere effectum, tamen non habet illum defectu cooperationis; dum homo gratiam illam negligit, *efficax* verò ſemper ſortitur effectum ſuum, ſcilicet conſenſum noſtrum.

De *remotè ſufficientibus* ſic loquitur Auguſtinus: [1] *liberum arbitrium ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi*

[1] *de gra. & lib. ar.* 18.

ſibi quæreret, unde, quod jubebatur, impelleret. Et alibi; [1] *Deus jubet ideo, ut facere juſſa conati, & in noſtra infirmitate ſub lege fatigati, adjutorium gratiæ poſcere noverimus*, &c. Item, *lex data eſt, ut gratia quæreretur, gratia data eſt, ut lex impleretur*, ſcilicet non ſemper ſtatim, & primò totam gratiam, & vires omnes ad totum opus præſtandum largitur Deus, ſed paulatim, ut ſi primis inſpirationibus aſſentiamur, ampliores vires addat poſcentibus.

8. Aliam diviſionem ejuſdem inducunt aliqui, in *incongruam*, & *congruam*, & vocant illam *congruam*, quam Deus ſic accommodat ſtatui, & circumſtantiis, in quibus ſumus, ut per ſcientiam mediam prævideat eam ſortituram effectum ſuum, & obtenturam conſenſum noſtrum: *incongruam*, ſeu *non congruam* vocant eam, quam non ſic accommodat, ut ideò remaneat inefficax. Unde cum eadem gratia, quæ in una diei hora, & circumſtantiis convertit hunc hominem, non convertiſſet, nec ſuffeciſſet in alia hora, & aliis circumſtantiis. Sed hæc diviſio non placet omnibus, & meritò, ni fallor; de quo infra.

9. Gratia *habitualis* alia eſt *gratum faciens*, quia datur in beneficium proprium recipientis, quem reddit Deo gratum, expellitque peccatum; alia *gratis data*, quæ datur in beneficium aliorum, ita ut de ſe præcisè non faciat habentem Deo gratum, nec ſit incompatibilis cum peccato, ut ſunt *gratiæ ſanitatum*, *linguarum*, *miraculorum*, &c.

10. Celebris alia diviſio eſt in gratiam *ſanitatis*, & *medicinæ*. 1. eſt illa, quam habuit Adam ante peccatum, & in ſtatu naturæ ſanæ, in quo quia vires animæ erant majores, & liberum arbitrium ſanius, & fortius, minoribus egebat auxiliis ad operandum, & perſeverandum in bono, licèt de ſe, & ex ſolis naturæ viribus neutrum poſſet ſine ſupernaturali Dei auxilio aliquo. 2. eſt ea, quæ datur homini poſt lapſum, in quo quia homo per peccatum factus eſt infirmior, eget ampliori, & fortiori auxilio.

11. Gratia illa *ſanitatis* dicitur ab Auguſtino auxilium, *ſine quo*, id. ſine quo non poterat Adam benè agere, nec perſeverare, ſed illud poterat abjicere, ut de facto abjecit: gratia verò *medicinæ* dicitur adjutorium

[1] *Ep.* 89.

rium *quo*, quia, ut volunt quidam, non tantùm eſt tale, ut per illud homo poſſit operari bonum, & perſeverare, ſed etiam ita illi ſubeſt, ut abjicere illud non poſſit, nec diſſentire. Et quoad hoc non placet Orthodoxis, nec putatur eſſe de mente Auguſtini, ut videbimus. His ita prælibatis, ſit

CONCLUSIO I.

D*Aniur gratiæ vocationis prævenientes, excitantes, ſeu operantes. Et gratiæ adjuvantes, cooperantes, ſeu ſubſequentes*. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto [1) dicente, quòd peccatorem *poteſt Deus gratia ſua prævenire, ſicut Rex præveniret aliquem, ne faceret homicidium*, &c. Et alibi docet, quòd licet per peccatum bona merita mortificentur, non tamen ſunt inutilia peccatori, nam intuitu illorum *Deus citius dat ei gratiam ad reſurgendum*. De quo adducit exemplum de homine perfecto, qui cùm profundè lapſus eſſet, & ad mortem damnatus, *perfectiſſima pœnitentia illi ſubito inſpirata eſt*, ſc. per gratiam prævenientem, excitantem, & operantem: & idem colligit noſter Vulpes [2] ex aliis locis, ut patet ex dictis.

Prob. 2. ex Script. [3] *miſericordia ejus præveniet me*. Et, *miſericordia ejus ſubſequetur me*: nam, inquit Auguſt. [4] *ſi aliquid tuum attuliſti primò, & ex tuo aliquo modo, primò miſericordiam Dei meruiſti, non te prævenit*. Et concione præcedenti inducit peccatorem ipſum dicentem, *non ego prior ad te ſurrexi, ſed tu ad me excitandum veniſti; nam miſericordia ejus præveniet me. Quid huic reſpondebit infelix Pelagius?* Item de excitante legimus: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, id eſt, *qui dormis oblitus Dei*, inquit Gloſſa. [5] *Apoſtolus excitabat animam dormientem, quando ad hæc eam excitabat, ut illuminaretur à Chriſto*, ait Auguſt. [6] *qui enim ſocordem, tanquam ſomnum deponit, domini lucis radium ſuſcipit*, inquit Theodor. Et Iſaias [7] clamat, *expergiſcimini, & laudate qui habitatis in pulvere*.

[1] 1.*d*.44.*E*.6. [2] 4.*d*.24.K.11.*to*.2.*diſp*.45.7.
[3] *Pſ*.20. [4] *Ibid.conc.&*2.
[5] *interlin.in pſ*.62. [6] *Ibid*. [7] *Iſa*.26.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit gratia divina.

GRatiæ nomen ſumitur 1. largè, & generaliter pro quocumque beneficio, & dono liberaliter collato ſine præcedenti merito recipientis, & ſic convenit donis Dei tam in ordine creationis, & naturæ, quàm in ordine juſtificationis, & gloriæ. Et ſic Pelagius *gratiæ* nomen ſumebat, cùm eam agnoſcere fingebat, ut deciperet Patres cum eo diſputantes. 2. ſumitur adhuc minùs propriè pro decentia, & venuſtate in vultu, ſermone, figura &c. quæ ſolent allicere homines ad amorem, ut cùm dicitur, [1] *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo*. 3. pro affectu, & amore alicujus, ut cùm quis dicitur intrare, vel redire, aut eſſe in gratia principis, id eſt benevolentia, ut cùm legimus. [2] *Si inveni gratiam in oculis tuis*. 4. pro ipſo dono gloriæ, ac beatitudinis æternæ. *Gratia Dei vita æterna*. 5. omiſſis his, & aliis ſignificationibus hujus vocis ſufficit dicere, quod hìc ſignificat propriè donum Dei liberale erga creaturam rationalem, & indebitum, quod conducit ad ſalutem ejus æternam. Talia ſunt dona ſupernaturalia, quibus interiùs illuminamur, excitamur, vocamur, movemur, & juvamur ad peccata vitanda, & virtutes ſectandas, quibus mereamur vitam æternam. Hæc dicuntur *gratiæ*; quia gratis omninò dantur, & ſine omni prævio merito, ſaltem rigoroſo. [3] Nam *ſi gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia non eſt gratia*.

CONCLUSIO I.

V*Erè datur hujuſmodi gratia ſupernaturalis*. Eſt de fide, nec eſt qui neget poſt condemnationem Pelagii.

Prob. 1. ex Scoto, qui gratiam ſic deſcribit: [4] *Gratia propriè dicitur gratuita voluntas Dei, ſecundum quod eſt ex mera liberalitate, ut diſtinguitur contra* ope-

[1] *Prov.* 3. [2] *Rom.* 6.
[3] *Rom.* 11.
[4] *Repor.* 3. *d.* 2. *q.* 1. *n.* 10.

operationes communes, & ut datur abſque diſpoſitione acquiſita per actus recipientis. Et alibi: [1] *Declaro, quod gratia creata eſt principium activum*. Et id probat ex Auguſtino, [2] & id jam docuerat in ſcripto Oxonienſi.

Prob.2.ex Scripturæ locis innumeris, ut cùm dicitur, [3] *gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Et, [4] *de plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia*. Et, [5] *gratia ſalvati eſtis per fidem*. Et, *non ex vobis, donum enim Dei eſt*; &c. Et, [6] *noli negligere gratiam, quæ in te eſt*, ſic de cęteris textibus, qui continuè occurrunt.

Prob.3. ex Conciliis, & conſenſu generali Eccleſiæ, & Patrum, & Theologorum, apud quos eſt familiaris uſus hujus vocis in hoc ſenſu, ut in decurſu hujus tractatus patebit.

Prob. 4. quia certum eſt, & conſtat ex Scripturis ſacris, aliquid modo eſſe in homine, per quod redditur amabilis Deo, & amatus: & modo illud deeſſe, cujus defectu fit illi odioſus; ſed illud primum non poteſt eſſe niſi donum gratiæ ſanctificantis, quod eſt *charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*; ergo datur, & verè exiſtit hæc gratia. Prob. min. nam Deus, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, non fieret de non amante amans, & viciſſim, ſi mutatio illa non veniret ex parte noſtra per exiſtentiam, vel abſentiam alicujus doni ſpecialis, per quod reddimur amabiles; ergo &c.

Prob. 5. nam Deus prædeſtinat nos ad finem ſupernaturalem; ergo & per media ſupernaturalia, quæ ipſe ſuppeditat; ut ſunt gratiæ actuales, & habituales. Ant. patet ex Script. *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum . . . in laudem, & gloriam gratiæ ſuæ*. Prob.conſ.nam media debent proportionari cum fine.

Confir. nam ex eodem Apoſtolo, [7] *ſi unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum J. C.* ſcilicet mors Chriſti videretur nobis inutilis, niſi per eam nobis meruiſſet dona gratiæ. *Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis*

[1] *2.d.29.q.1.n.3.* [2] *1.d.17.* [3] *Pſ.83.* [4] *Jo. 1.* [5] *Epheſ.5.* [6] *1.Tim.4.* [7] *Eph.1.* [8] *Rom.5.*

minis I. C. in plures abundavit; ergo ſicut per peccatum Adæ infirmati, & mortui ſumus, ita per gratiam Chriſti debemus ſanari, & vivificari.

CONCLUSIO II.

G*Ratia Dei generaliter ſumpta eſt donum Dei ſupernaturale, gratis conceſſum creaturæ rationali ex meritis Chriſti, in ordine ad ſalutem ejuſdem creaturæ.* In re eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, à quo deſcribitur, [1] *voluntas Dei, ſecundum quod eſt ex mera liberalitate* &c. De gratia in eodem ſenſu hìc loquimur.

Prob. 2. quia ſic explicatur ſufficienter natura gratiæ, de qua hìc agitur ad mentem omnium Theologorum. Dicitur 1. *donum Dei*: & ponitur loco generis; quia per id convenit cum cæteris Dei beneficiis, in ordine creationis, & glorificationis æquè, ac in ordine juſtificationis, & cujuſcumque ſint conditionis: 2. *ſupernaturale*: quia hic propriè loquimur de donis, quæ ſunt extra ordinem creationis, & pertinent ad *juſtificationem*. Nam, inquit Auguſtinus; [2] *non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, ut homines eſſemus: ſed qua juſti ſumus, ut homines juſti eſſemus*; 3. dicitur *conceſſum creaturæ rationali*, ſcilicet homini, & Angelo; nam aliæ non ſunt capaces hujus doni, ſicut nec beatitudinis æternæ: 4. *ex meritis Chriſti*; in quo *Deus benedixit nos omni benedictione ſpirituali*; ait Apoſt. 5. *in ordine ad ſalutem*; eò enim ſpectant Chriſti labores, & dona, ut habeamus *fructum in ſanctificatione*.

Objic. 1. Plura dona naturæ ſunt gratiæ per Chriſtum; ergo non eſt de ratione gratiæ, ut ſit donum ſupernaturale. Prob. ant. aliqua dona gratiæ requiruntur ad impletionem legis naturæ; ſed illa non ſunt ordinis ſupernaturalis; nam media, & finis ſunt ejuſdem ordinis; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. ad impletionem per opera ſupernaturalia, & ſicut oportet ad ſalutem, & ſuppoſita infirmitate naturæ ex peccato, concedo maj. abſolutè, & per ſe, neg. maj. & min. nam ſi opera lege naturæ præſcripta, & per quæ impletur, ſunt

[1] *Ibid.* [2] *Ep.* 105.

ſunt perfecta, ſicut oportet ad ſalutem, ſunt ſupernaturalia, ſi non in ſubſtantia, ſaltem quoad modum, propter infirmitatem naturæ ex peccato.

Objic. 2. per bona opera homo diſponit ſe, & meretur gratiam ſanctificantem, ſaltem ſecundam, & ſic iſta non datur omninò gratis; ergo de ratione gratiæ non eſt, ut detur gratis.

Reſp. diſt. ant. ſe diſponit, & meretur per gratiam, con. independenter ab omni gratia, neg. ant. & conſ. homo non ſe diſponit ad gratiam juſtificationis, niſi per gratias prævenientes, & adjuvantes; nec meretur 2. niſi per 1. & omne meritum noſtrum fundatur in gratia Dei, ut videbimus.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit gratia.

Gratia, quam ſupra aſſeruimus, & deſcripſimus, dividi ſolet 1. *in naturalem*, ſeu *creationis*, quæ eſt creatio, & alia dona, quæ ipſam ſequuntur ex providentia generali Dei ut creatoris, & *ſupernaturalem*, ſeu *redemptionis*, & *per Chriſtum*, quæ non datur ex vi creationis, ſed elevat nos ad finem ſupernaturalem, ſeu ad beatitudinem ęternamr, & ideò dicitur *per Chriſtum*, quia datur ex meritis Chriſti per redemptionem, & de hac ſola hic agimus.

2. Alia eſt *creata*, ſc. quodlibet Dei donum nobis datum ſine meritis: alia *increata*, ſc. ipſe Deus, quatenùs nobis per illa dona ſpecialiter communicatur. Sic Verbum per incarnationem, & Spiritus ſanctus per infuſionem charitatis dantur nobis ex quadam appropriatione. *Gratia Dei donum Dei eſt*, ait Auguſt. [1] *donum autem maximum ipſe Spiritus S. eſt, & ideò gratia dicitur*. Eodem ſpectant actus amoris, & providentiæ, quibus nos Deus amat, & prædeſtinat; nam in Deo ſunt Deus ipſe, & gratiæ increatæ. Hoc intereſt inter gratiam, & prædeſtinationem, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; gratia verò jam eſt ipſa donatio, ſc. amor Dei, eſt gratiarum cauſa, & fons; gratia verò eſt effectus amoris increati.

[1] *ſer. 61. ver. Dom.*

3. Alia eſt *externa*, quæ vel foris patet ad ſenſum, ut voces, ſigna, quibus nos vocat, & illuminat; vel ſe tenet extra nos, ut actus ipſius Dei, qui ſunt in ipſo, & ad nos terminantur, ut amor, electio, &c. Alia *interna*, quæ hæc præſtat inviſibiliter per lumen, & motus, & qualitates nobis inexiſtentes. Ad primam ſpectant doctrina legis, miracula Chriſti, & Sanctorum exempla, conciones, & ſimilia, quæ nos per ſenſus movent, & illuminant. De internis agimus præcipuè.

4. Alia eſt *habitualis*, quæ datur per modum habitus, & qualitatis inherentis, & permanentis poſt actionem, & animam perficit, mundat, & exornat, ut gratia ſanctificans. Alia eſt *actualis*, quæ datur ad operationem, & cum actione præterit, denique datur per modum auxilii ad operandum, & cum ipſa operatione tranſit. *Habitualis* quidem datur ad eſſe, nec tamen eſt otioſa. Ad 2. ſpectant *inſpirationes, vocationes, motiones piæ, cogitationes, viſiones, affectus, delectationes, corroborationes, timores, terrores*, &c. quibus excitamur, & deterremur à peccato, & movemur ad bonum.

5. Actualis ſubdividitur in *operantem*, & *cooperantem*. 1. operatur in nobis ſine nobis adhuc operantibus, ſeu ſine conſenſu noſtro, immittendo in nobis cogitationes, & motus. 2. verò operatur nobiſcum ea, quæ Deus per operantem inſpiravit. *Deus*, ait Aug. [1] *operando in nobis perficit, quod operando incipit ... ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens .... ut ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur.*

6. Actualis dicitur etiam *præveniens*, ſeu *excitans*, ſeu *vocans*: quia antevertit liberi arbitrii conſenſum, ad quem illud movet, & velut dormientē excitat, ſeu vocat, ut à peccato, velut à ſomno, reſurgere velit, & ad Deum redeat, & ſe convertat. Hæc coincidit cum *operante*. 2. alia dicitur *concomitans*, ſeu *adjuvans*, & coincidit cum *cooperante*; quia per eam Deus nobiſcum operatur ipſam volitionem, qua volumus bonum, ad quod nos excitat, & prævenit. 3. alia *ſubſequens*, qua nos Deus confirmat in bono velle, ſeu in propoſito, & opere

[1] *de gra. & lib. arb.*

opere, quod nobiſcum operabatur, ne deficiamus, ſed proficiamus, & perſeveremus. *Prævenit, ut ſanemur, ſubſequitur, ut ſanati vegetemur: prævenit, ut vocemur, ſubſequitur, ut glorificemur: prævenit, ut velimus, ſubſequitur, ut cum illo ſemper vivamus*. Eadem autem realiter, & in entitate poteſt hæc tria munia obire, ſc. prævenire, ſeu vocare, ſeu operari, comitari, ſeu adjuvare, & cooperari, & ſubſequi, ſeu perficere. Semper enim eadem eſt miſericordia, [2] quæ *prævenit nolentem, ut velit, ſubſequitur volentem, ne fruſtra velit*.

7. Præveniens ſubdividitur in *efficacem*, ſeu *ſufficientem*, cui poſſemus quidem conſentire, & cooperari; de facto tamen non cooperamur; & ideò remanet inefficax: & *efficacem*, cui de facto conſentimus, & cooperamur, & ideò ſortitur effectum per illam intentum. Quod ſi ex parte gratiæ nihil deſit, ut conſenſum noſtrum obtineat, dicitur *proximè ſufficiens*, ſi verò ſit debilior, quia Deus expectat ex parte noſtra conditionem, & conatum aliquem, ut augeat vocationem, & fortiùs operetur, ac moveat, dicitur *remotè ſufficiens*; ſufficiet quidem per ſe immediatè ad conatum, ſi velimus, & ad initium operationis, ſed non ad plenum conſenſum, & opus, niſi addantur vires ulteriores, quæ non deerunt, ſi primis, & debilibus illis motibus cooperemur: v. g. cùm Deus excitat peccatorem ad pœnitentiam, id non ſemper facit per gratiam ita validam, ut primo impetu valeat peccatum deteſtari, ſed aliquando paulatim movet, ut peccatum illi incipiat diſplicere, & ita ad ſimiles actus præparatorios, quos ſi homo amplectatur, dabit Deus vires ulteriores ad opus completum pœnitentiæ. At ſi priores illos motus, & actus negligat, juſto Dei judicio retrahit primas illas gratias, & illum deſerit. Dicitur autem *inefficax*, quia licet, quantum eſt de ſe, poſſet habere effectum, tamen non habet illum defectu cooperationis; dum homo gratiam illam negligit, *efficax* verò ſemper ſortitur effectum ſuum, ſcilicet conſenſum noſtrum.

De *remotè ſufficientibus* ſic loquitur Auguſtinus: [1] *Liberum arbitrium ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi*

[2] *de gra. & lib. ar.* 18.

ſibi quæreret, unde, quod jubebatur, impelleret. Et alibi; [1] *Deus jubet ideo, ut facere juſſa conati, & in noſtra infirmitate ſub lege fatigati, adjutorium gratiæ poſcere noverimus*, &c. Item, *lex data eſt, ut gratia quæreretur, gratia data eſt, ut lex impleretur*, ſcilicet non ſemper ſtatim, & primò totam gratiam, & vires omnes ad totum opus præſtandum largitur Deus, ſed paulatim, ut ſi primis inſpirationibus aſſentiamur, ampliores vires addat poſcentibus.

8. Aliam diviſionem ejuſdem inducunt aliqui, in *incongruam*, & *congruam*, & vocant illam *congruam*, quam Deus ſic accommodat ſtatui, & circumſtantiis, in quibus ſumus, ut per ſcientiam mediam prævideat eam ſortituram effectum ſuum, & obtenturam conſenſum noſtrum: *incongruam*, ſeu *non congruam* vocant eam, quam non ſic accommodat, ut ideò remaneat inefficax. Unde cum eadem gratia, quæ in una diei hora, & circumſtantiis convertit hunc hominem, non convertiſſet, nec ſuffeciſſet in alia hora, & aliis circumſtantiis. Sed hæc diviſio non placet omnibus, & meritò, ni fallor; de quo infra.

9. Gratia *habitualis* alia eſt *gratum faciens*, quia datur in beneficium proprium recipientis, quem reddit Deo gratum, expellitque peccatum; alia *gratis data*, quæ datur in beneficium aliorum, ita ut de ſe præcisè non faciat habentem Deo gratum, nec ſit incompatibilis cum peccato, ut ſunt *gratiæ ſanitatum*, *linguarum*, *miraculorum*, &c.

10. Celebris alia diviſio eſt in gratiam *ſanitatis*, & *medicinæ*. 1. eſt illa, quam habuit Adam ante peccatum, & in ſtatu naturæ ſanæ, in quo quia vires animæ erant majores, & liberum arbitrium ſanius, & fortius, minoribus egebat auxiliis ad operandum, & perſeverandum in bono, licèt de ſe, & ex ſolis naturæ viribus neutrum poſſet ſine ſupernaturali Dei auxilio aliquo. 2. eſt ea, quæ datur homini poſt lapſum, in quo quia homo per peccatum factus eſt infirmior, eget ampliori, & fortiori auxilio.

11. Gratia illa *ſanitatis* dicitur ab Auguſtino auxilium, *ſine quo*, id. ſine quo non poterat Adam benè agere, nec perſeverare, ſed illud poterat abjicere, ut de facto abjecit: gratia verò *medicinæ* dicitur adjutorium

[1] *Ep*. 89.

rium *quo*, quia, ut volunt quidam, non tantùm eſt tale, ut per illud homo poſſit operari bonum, & perſeverare, ſed etiam ita illi ſubeſt, ut abjicere illud non poſſit, nec diſſentire. Et quoad hoc non placet Orthodoxis, nec putatur eſſe de mente Auguſtini, ut videbimus. His ita prælibatis, ſit

CONCLUSIO I.

Daniur gratiæ vocationis prævenientes, excitantes, ſeu operantes. Et gratiæ adjuvantes, cooperantes, ſeu ſubſequentes. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd peccatorem *poteſt Deus gratia ſua prævenire, ſicut Rex præveniret aliquem, ne faceret homicidium*, &c. Et alibi docet, quòd licet per peccatum bona merita mortificentur, non tamen ſunt inutilia peccatori, nam intuitu illorum *Deus citius dat ei gratiam ad reſurgendum*. De quo adducit exemplum de homine perfecto, qui cùm profundè lapſus eſſet, & ad mortem damnatus, *perfectiſſima pœnitentia illi ſubito inſpirata eſt*, ſc. per gratiam prævenientem, excitantem, & operantem: & idem colligit noſter Vulpes [2] ex aliis locis, ut patet ex dictis.

Prob. 2. ex Script. [3] *miſericordia ejus præveniet me*. Et, *miſericordia ejus ſubſequetur me*: nam, inquit Auguſt. [4] *ſi aliquid tuum attuliſti primò, & ex tuo aliquo modo, primò miſericordiam Dei meruiſti, non te prævenit*. Et concione præcedenti inducit peccatorem ipſum dicentem, *non ego prior ad te ſurrexi, ſed tu ad me excitandum veniſti; nam miſericordia ejus præveniet me*. *Quid huic reſpondebit infelix Pelagius?* Item de excitante legimus: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, id eſt, *qui dormis oblitus Dei*, inquit Gloſſa. [5] *Apoſtolus excitabat animam dormientem, quando ad hæc eam excitabat, ut illuminaretur à Chriſto*, ait Auguſt. [6] *qui enim ſocordem, tanquam ſomnum deponit, domini lucis radium ſuſcipit*, inquit Theodor. Et Iſaias [7] clamat, *expergiſcimini, & laudate qui habitatis in pulvere*.

[1] 1.*d*.44.*E*.6. [2] 4.*d*.24.K.11.*to*.2.*diſp*.45.7.
[3] *Pſ*.20. [4] *Ibid.conc.*&2.
[5] *interlin.in pſ*.62. [6] *Ibid*. [7] *Iſa*.26.

Et Joel, [1] *expergiſcimini ebrii, & fleie*, &c. Et David, [2] *Dominus illuminatio mea*. Et, *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*. &c. De operante, & cooperante intelliguntur hæc, & ſimilia. [3] *Credimus ſecundum operationem potentiæ ejus*; [4] *Evangelii factus ſum miniſter ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis ejus*. Et, *certando ſecundum operationem ejus, quam operatur in me*. Et, [5] *illi prædicaverunt ubique domino cooperante*. Et, *omnia cooperantur in bonum his, qui vocati ſunt ſancti*. Et de Abraham dicit idem Apoſtolus: [6] *Fides cooperabatur operibus illius*. Denique *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere*.

De gratia vocationis: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*. Et, [7] *vox dilecti pulſantis, aperi mihi*, &c. Et, *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*. Et, *vocavi, & renuiſtis, & ſpiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis*: item, *multi ſunt vocati*, &c. Et, *quos prædeſtinavit, hos vocavit*, &c.

Prob. 3. ex definitione Eccleſiæ. Nam Concil. Trid. [8] declarat, *juſtificationis exordium in adultis à Deo per J. Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt vocationis, qua nullis eorum meritis exiſtentibus vocantur ..... diſponuntur autem* (ad juſtificationem) *dum excitati divina gratia, & adjuti*, &c. Idem [9] definierat Arauſicanum II. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum operatur*. Idem [10] docet Papa Celeſtinus I. &c.

Prob. 4. ex SS. Patribus, & maximè ex Auguſt. citato, & alibi. *Ut agant, quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt*. Et S. Gregor. *ſuperna pietas priùs agit in nobis aliquid ſine nobis, ut ſequente quoque noſtro libero arbitrio bonum, quod jam appetimus, agat nobiſcum*. Ecce operantem, & cooperantem, ſeu prævenientem, & concomitantem, ſeu ſubſequentem. Et Bernardus dicit: [11] *Conatus noſtri & caſſi ſunt, ſi non adjuventur, & nulli, ſi non excitentur*. Et Auguſt. [12] *quòd ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, atque adjuvante*

[1] *Joel*. 1. [2] *Pſal*. 16. [3] *Epheſ*. 1. & 3.
[4] *Coloſſ*. 1. [5] *Mar*. 16. [6] *Rom*. 8.
[7] *Cant*. 2. [8] *Seſſ*. 6. c. 5.
[9] *Can*. 10. [10] *Ep*. 1. 12.
[11] *de gra. Chr*. 25. [12] *de grat. & lib. arb*.

vante non poſſumus. Et S. Fulgentius: [1] *Prævenit impium, ut fiat juſtus, ſubſequitur juſtum, ne fiat impius. Prævenit eliſum, ut ſurgat, ſubſequitur elevatum, ne cadat. Prævenit donans bonam voluntatem homini; ſubſequitur bene volentem, operando in illo boni operis facultatem*, &c.

Confir. ex multis collectis Eccleſiæ: Ut cùm orat: *vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam ad uvando proſequere*. Et, *excita Domine corda noſtra ad præparandas unigeniti tui vias*. Et, *excita Domine tuorum fidelium voluntates*, &c. Et, *præveniat nos quæſumus Domine gratia tua*, &c. Certè Eccleſia non ſic oraret, niſi agnoſceret talium gratiarum differentiam, exiſtentiam, & neceſſitatem.

De comitante canit S. Proſper: *Quæ ſic in cunctis complet ſua dona vocatis, ut quorum dux eſt, fiat & ipſe comes*.

CONCLUSIO II.

Gratiæ iſtæ non diſtinguuntur ſemper realiter, ſeu entitativè, ſc. quoad diverſa munia, & nomina. Dico, *ſemper*, nam in aliquibus, & ſæpe præveniens, excitans, operans, & vocans eſt ſine ſubſequente, vel comitante, vel adjuvante, & cooperante, videlicet ſi voluntas rejiciat, & diſſentiat vocationi, & excitationi, &c. non erit adjuvans, nec cooperans, nec ſubſequens; ſed quando conſentit, & reſpondet vocationi, & præventioni, & excitanti, hæc perſeverat, imò fit robuſtior, ut adjuvet, cooperetur, comitetur, & ſubſequatur. Hoc poſito,

Prob. 1. p. 1. quia nulla eſt neceſſitas talis diſtinctionis; quandoquidem una, & eadem entitas gratiæ poteſt hæc omnia præſtare; ergo non aliter diſtinguuntur, quàm ex diverſis muneribus, ex quibus ſortiuntur diverſa nomina. Dicitur ergo *operans*, quatenùs in nobis operatur pium aliquem motum, piam cogitationem, vel affectionem; & *cooperans*, & *adjuvans* reſpectu actus voluntatis noſtræ, cui cooperatur nobiſcum, & ad quem eliciendum nos juvat. Dicitur *excitans*, & *vocans*, prout nos prævenit, & quaſi ſoporatos in Dei oblivione, & ſomno peccati

[1] 1. *ad Monim.*

voce ſua excitat, & ad ſe vocat: *ſubſequens* verò reſpectivè ad prævenientem, & ad 1. motum, vel ad 1. effectum, quem in nobis operata eſt nobiſcum. Et ſic de cæteris.

Confir. ex Script. nam, inquit Apoſtolus: [1] *Deus eſt, qui operatur in nobis velle*, per excitantem, prævenientem, vocantem, & operantem, *& perficere pro bona voluntate*, ſcilicet eadem gratia, & voluntate. Et Concilium Trid. eidem in ſingulari hæc diverſa munera tribuit. [2] *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione, atque ejus adjutorio* &c. Et Auguſt. totam diſtinctionem ponit in modo quaſi diverſo agendi, ſeu in diverſis reſpectibus. [3] *Spiritus aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans: nondum inhabitans adjuvat, ut ſint fideles, inhabitans adjuvat ut jam fideles*. Caſſiod. in Gloſſa interlin. de gratia ſubſequenti: [4] *miſericordia ejus ſubſequetur me*: addit, *ſubſequetur me, quandiu vivo*, ſc. ſemper eadem, vel *per augmentum gratiæ*, ut gloſſat Lyranus; ergo eadem eſt ſemper gratia, prævenit, excitat, & ſubſequitur. Denique, ut loquitur S. Fulgent. cit. *ipſa præveniendo gratia miſericorditer incipit, ipſa ſubſequendo cuſtodit... hoc igitur iſta miſericordia Dei in homine ſubſequitur, quod præveniens ipſa largitur*.

Prob. denique: nam gratia excitans, ſeu operans, & præveniens eſt vel pia cogitatio cauſata in intellectu, vel pia affectio in voluntate; ſed hæc eadem poteſt ulterius cauſare aſſenſum, & actum bonum, v. g. conſenſum liberum ſupernaturalis converſionis, vel amoris abſque ulteriori auxilio diſtincto. Et ſic habebit etiam rationem gratiæ cooperantis, ſeu adjuvantis, & comitantis, & ſubſequentis abſque nova entitate diſtincta; ergo hæ gratiæ non diſtinguuntur realiter, ſeu entitativè. Prob. anteced. in naturalibus aſſenſus principiorum non ſolùm cauſat in eodem intellectu aſſenſum concluſionis, ſed etiam poteſt cauſare actum voluntatis, verbi gratia amoris, vel odii abſque novo habitu; ergo ſimiliter pia cogitatio, vel affectio ſupernaturalis ex gratia operante poterit cauſare actum ſupernaturalem aſſenſus fidei ab eodem intellectu, vel amoris Dei,

& odii

[1] *Phil.* 3. [2] *Seſſ.* 6.
[3] *Epiſt.* 105. [4] *Pſal.* 22.

& odii peccati in voluntate abſque nova entitate gratiæ. Prob. conſ. Nam illæ primæ gratiæ piæ cogitationis, & affectus non minùs continent virtualiter iſtos actus ſecundos fidei, & charitatis, aut pœnitentiæ, quàm aſſenſus naturalis præmiſſarum continet virtualiter aſſenſum concluſionis in intellectu, aut adhæſionem voluntatis veritati practicæ ejuſdem concluſionis, & quidem à fortiori; nam cauſæ ſupernaturales, ut ſunt illæ gratiæ, longè perfectiores, & fortiores ſunt, quàm naturales.

Objic. 1. Si motus gratiæ excitantis poſſet phyſicè adjuvare, & influere in actum intellectus, aut voluntatis, id faceret vel per vim ſuam naturalem, vel per aliquam elevationem ſupernaturalem virtutis ſuæ naturalis, qua Deus uteretur, ut inſtrumento; ſed neutrum dici poteſt; ergo excitans, & adjuvans non ſunt eadem entitas phyſicè. Prob. min. 1. non per vim ſuam naturalem; tum quia ipſi actus, ad quos juvat, ſunt perfectiores, quàm ipſi motus excitantes: tum quia ſunt ex ſe virtutis finitæ, & limitatæ; ergo non excedunt ſuos limites, qui ſunt excitare, & movere ad agendum, non autem coagere: Non 2. non enim dici poteſt, per quid fieret talis elevatio: nam vel illa elevatio aliquid addit entitati prioris gratiæ, vel nihil addit: ſi addit; ergo in iſto addito conſiſtit entitas illius adjutorii, & ſic diſtinguuntur entitativè: ſi nihil addit: ergo non elevat.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. quoad 1. p. Non enim inconveniens eſt effectum totalem eſſe perfectiorem cauſa ſua partiali, & quidem minùs principali. Actus, qui eliciuntur à voluntate per adjutorium talis gratiæ, pendent ab iſta partialiter, & minùs principaliter, à voluntate autem partialiter, & principaliter, in quo non apparet difficultas. Gratis etiam dicitur, gratias moventes limitari ad hos primos motus, & non ad poſteriores actus, ut patet de luce, quæ cum amovet tenebras, juvat ad viſionem, &c.

Inſt. Actus immanentes primi non habent efficientiam erga poſteriores: ſed illæ piæ cogitationes, & affectiones, quas cauſat gratia excitans, ſunt actus immanentes: ergo non habent efficientiam in actus bonos poſteriores, v. g. in actus amoris, vel pœnitentiæ. Prob. maj. nam actus iſti poſteriores deberent

eſſe connexi aliqua neceſſitate cum prioribus illis motionibus, ſicut aſſenſus concluſionis connectitur cum aſſenſu præmiſſarum; ſed illi non ita connectuntur; ergo nec influunt.

Reſp. diſt. utramque majorem, efficientiam phyſicam, & connexionem neceſſariam, & totalem, con. phyſicam, aut moralem, maximè partialem, neg. maj. nam cognitio bonitatis objecti influit in amorem ejuſdem. Iſti actus habent ſaltem moralem connexionem, imò & naturalem ex parte objecti: v. g. pia cogitatio, & affectio propriæ ſalutis infert deſiderium ejuſdem, & odium impedimentorum illius, ut ſunt peccata.

Objic. 2. Actus unius potentiæ non influit phyſicè in actum alterius; ſed actus gratiæ excitantis, & adjuvantis ſunt ſæpè in diverſis potentiis; nam excitatio eſt in intellectu, & conſenſus eſt in voluntate; ergo gratia præveniens, quæ cauſat illam, non eſt eadem cum adjuvante, quæ cauſat iſtam. Prob. maj. nam iſtæ potentiæ habent diverſum modum agendi, ut patet; ergo quod cauſat cogitationem non cauſat amorem.

Reſp. diſt. maj. Non influit, ut cauſa totalis, & eodem modo, con. ut cauſa partialis, & diverſo modo, neg. maj. & conſ. prob. nam idem objectum concurrit cum intellectu, & determinat eum ad ſui intellectionem, & cum voluntate, quam movet ad ſui amorem, & illum determinat phyſicè, non verò iſtam, quæ eſt potentia libera: ſic actus ipſe intellectus influit in actum voluntatis proponendo ipſi objectum, & motiva odii, vel amoris.

Objic. 3. Quę ſunt ſeparabilia diſtinguuntur realiter; ſed excitatio intellectus, & pia cogitatio eſt ſeparabilis à conſenſu voluntatis, quem cauſat gratia adjuvans; ergo gratia excitans, & adjuvans diſtinguuntur realiter. Min. prob. tum quia poteſt voluntas non conſentire motioni; tum quia ſæpè prima motio evanuit, antequam voluntas convertatur per recordationem motionis.

Reſp. diſt. min. eſt ſeparabilis quod effectus, con. quoad entitatem, & virtutem, neg. min. & conſ. prob. nam, ut jam monui, gratia poteſt cauſare unum effectum ſine alio; poteſt excitare in intellectu piam

co-

cogitationem, imò & movere, ſeu ſollicitare voluntatem, quæ non conſentiat, & ſic non juvabit de facto ad conſenſum, ſed non ſequitur, quin gratia de ſe habeat virtutem utrumque præſtandi.

Objic. 4. Diſtinctio effectuum arguit diſtinctionem cauſarum; ſed effectus gratiæ excitantis, & adjuvantis ſunt diſtincti; ergo & ipſæ gratiæ. Prob. min. effectus excitantis eſt illuminare intellectum, & effectus adjuvantis eſt movere, & determinare voluntatem, quæ ſunt diſtinctiſſima.

Reſp. neg. maj. multæ enim cauſæ entitativè eædem diſtinctiſſimos habent effectus, & maximè ſi ſint partiales, & ſuperiores, ut patet de ſole. Gratia eadem illuminat intellectum, & movet voluntatem.

CONCLUSIO III.

Gratia Dei cooperans diſtinguitur à concurſu, quo immediatè nobiſcum operatur actus ſupernaturales fidei, ſpei, aut charitatis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia concurſus, & aſſiſtentia Dei eſt ipſa Dei actio, & eſt in ipſo Deo, non autem in voluntate hominis, & ſic non eſt in poteſtate ejus. *Nihil autem dicitur formaliter agere, niſi principium illius actionis ſit forma agentis .... illud autem, quo voluntas agit actum ſupernaturalem, non eſt pura natura,* (ſc. voluntas purè naturalis) *quia tunc ex puris naturalibus poſſet meritoriè agere, quod videtur error Pelagii.* Præterea *nulla actio eſt in poteſtate agentis, niſi ipſum habeat formam, ſecundum quam poſſit agere: ſi enim per aliquid tantum extrinſecum coaſſiſtens ſibi* (ut concurſus Dei) *quod non eſt in poteſtate ejus, talis actio non eſt in poteſtate ejus, ſicut nec coaſſiſtentia illius extrinſeci,* &c. ergo ex his principiis Scoti, gratia cooperans, ſine qua homo non poteſt operari bonum ullum ſupernaturale, debet eſſe aliquid in ejus anima exiſtens, non verò aſſiſtentia Dei per concurſum, qui ſe teneat ex parte Dei ipſius, & ſit quid extra ipſum hominem.

Prob. 2. cum Vulpio. [2] Nam gratia illa diceretur eſſe concurſus Dei vel materialiter, vel formaliter;

B 6 ſed

[1] *1.d.1.q.73.EE.20.* [2] *Diſp.45.a.2.n.6.*

ſed neutrum dici poteſt; ergo eſt quid ab eo diſtinctum. Prob. min. 1. non materialiter, quia hoc ſenſu concurſus Dei eſt ipſa virtus increata, qua Deus agit ad extra, gratia verò propriè eſt donum Dei; ergo eſt quid creatum à Deo effectivè, & paſſivè receptum in homine. 2. non formaliter: quia hoc ſenſu concurſus Dei eſt ipſa dependentia actus, & in ipſo actu exiſtens terminativè ad Deum, vel ipſe actus, prout cauſatur à Deo, gratia verò eſt aliquid inexiſtens homini, quod eſt comprincipium operationis ejus.

Confir. 1. Nam Concilia, & Patres, contra Pelagianos, ſupponunt, & docent gratiam cooperantem non eſſe minùs internam homini, quàm excitantem, vel operantem; ſed certum eſt gratiam excitantem eſſe aliquid internum in anima excitati, & diſtinctum ab omni potentia, & concurſu ejus; ergo & operans. Min. patet ex textibus adductis,& adducendis pro neceſſitate illius gratiæ; nam dicunt per illam hominem illuminari, moveri à Deo;non movetur autem, nec illuminatur niſi interiùs. Prob. maj. nam Tridentinum dicit: [1] *dum excitati divina gratia, & adjuti*, ſc. eadem gratia excitantur, & adjuvantur.

Confir. 2. quia ut agens creatum operetur connaturaliter, Deus illud elevare ſolet per aliquid internum, & inhærens ipſi; ergo ita eſt in hoc caſu.

Objic. Deus ſe ſolo poteſt per concurſum, & aſſiſtentiam ſpecialem gratuitam id, quod poſſet per quamcunq;qualitatem creatam ſuperadditam;ergo hæc qualitas eſt ſuperflua ad ullam operationem creatam.

Reſp.neg.conſ.nam licèt per ſe ſolum poſſit efficere non tantùm partialiter,ſed etiam totaliter conſenſum, & opus ſupernaturale in voluntate noſtra: tamen ſic accommodat ſuam gratiam cum voluntate, ut hæc verè partialiter, & phyſicè cooperetur. Ita eſt de cooperatione ſua divina per gratiam creatam, & internam, quia ille modus agendi eſt nobis connaturalior.

QUÆ

[1] *ſſ. 6. c. 6.*

QUÆSTIO III.

De gratia efficaci, & ſufficiente, An, & quid ſit.

HÆc eſt una ex celebrioribus diviſionibus gratiæ actualis, & in qua pugnant Doctores catholici non ſolum cum hæreticis, ſed etiam inter ſe.

Jam autem dixi, quod *efficax* dicitur illa, quæ obtinet in homine excitato, & moto effectum ſuum: *ſufficiens* vero, qaæ poſſet quidem obtinere, ſed non obtinet effectum principalem a Deo intentum, nempe conſenſum voluntatis ad opus bonum pœnitentiæ, aut charitatis, &c. Nam gratiæ iſtæ in hoc conveniunt, quod utraque eſt interna motio, & excitatio a Deo immiſſa, cui liberum arbitrium poteſt diſſentire, ſi velit, (inquiunt Patres Tridentini) at differunt in eo, quod homo aliquando diſſentit, & tunc illa motio, ſeu gratia remanet *ſufficiens*: aliquando vero conſentit, & operatur id, quod inſpirat, & tunc dicitur *efficax*. In hoc etiam utraque convenit, quod utraque excitat, illuminat intellectum, & movet voluntatem ad opus, ſed una ſic illuminat, & movet, ut ſequatur opus intentum a Deo, & eſt *efficax*. Aliquando vero non ſequitur opus, ſed remanet ſufficiens. Item omnis *efficax* eſt etiam *ſufficiens*, ſed non omnis *ſufficiens* eſt ſemper *efficax*. Ambæ ordinantur a Deo ad opus, ſed non ambæ efficiunt opus, ad quod ordinantur, quia voluntas non cooperatur uni, ſicuti alteri.

Igitur gratia *ſufficiens* non ſolum dat poſſe operari, quantum eſt ex parte Dei, ſed etiam ordinatur, & datur a Deo, ut operemur de facto: eſt forma activa, quæ non tantum datur ad actum primum, ſc. ut conſtituat potentiam in actu primo ad operandum; ſed etiam ad actum ſecundum, & illum intendit ex parte Dei dantis eam, quia ipſe non ſolum vult, ut poſſimus bene operari, ſed etiam ut bene per ipſam operemur.

Porro non dubitatur de exiſtentia gratiæ *efficacis*, per quam de facto operamur bona omnia ſupernaturalia, quæcumque facimus; ſaltem id admittunt o-

mnes;

mnes, qui cum Pelagio non errant, ſed dubitant plures de *ſufficienti* in ſenſu allato, ſc. quæ hominem conſtituat potentem operari, & per quam non operamur ex defectu voluntatis noſtræ, quæ negligit ei cooperari, imò eam horrent, ut monſtrum aliquod, & diris impetunt injuriis.

CONCLUSIO I.

D*Antur gratiæ ſufficientes, quibus voluntas humana reſiſtit, cum poſſet eis cooperari*. Eſt communis, & de fide contra hæreticos, & Janſeniſtas, qui docent, quod *gratiæ interiori non reſiſtitur*, & quod gratia *medicinalis* in eo differt *à gratia ſanitatis*, quod homo ſanus, & innocens poterat hanc abjicere, non vero homo lapſus. Ideo in ſtatu iſto nullam admittunt *ſufficientem*, *& ſine qua*, ita ut hanc *ſufficientem* abhorreant. Narrat enim Cardin. de Aguirre [1] Jo. Sinnichium in theſibus 16. Octob. an. 1649. Lovanii ſuſtinuiſſe, quòd *gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam perniciosa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere, A gratia ſufficiente libera nos Domine*.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui docet, quòd Deus *vult omnes ſalvare, & ſalvos fieri, quantum eſt ex parte ſui, & voluntate antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem .... Si Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad iſtum ſalvandum, tamen vult iſti illa adjutoria antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter benè vivere, & ſalvari ....* ergo ſi non bene vivat cum his auxiliis, nec ſalvetur, non utitur, nec conſentit his gratiis, quamvis *ſufficientibus*; ergo Scotus agnoſcit gratias *ſufficientes*, quibus aliqui non ſalvantur, cum poſſent, & efficaces, quibus alii ſalvantur.

Prob. 2. ex Script. & 1. ex veteri teſtamento. [3] *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo .... filios enutrivi, & exaltavi, ipſi au-*

[1] *tract. 7. diſt.* 124. *n.* 9. [2] 1. *diſt.* 46. *B. n.* 3.
[3] *Iſa.* 1.

autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, Iſrael autem non me cognovit, &c. Item, [5] *Quadraginta annis proximus fui generationi huic .... ipſi verò non cognoverunt vias meas*. Et, *populus noluit intelligere, ut benè ageret*, & hujuſmodi querelis pleni ſunt prophetæ, quibus Deus teſtatur ſe nihil omiſiſſe, ut peccatores converteret, & ſalvaret, & ipſi gratias ejus abjecerunt, & ſurduerunt ad voces ejus, & hortatur: [2] *ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*.

Item ex novo teſtamento, [3] ubi patet, quòd Chriſtus venerat *peccatores ſalvos facere*, ad hoc dicit ſe miſſum *ad filios Iſrael*. Et conqueritur: *Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Et S. Stephanus exprobrat Judæis; [4] *dura cervice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos*. Et Apoſtolus monet: [5] *Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, ſc. gratiam, quæ datur ad benè vivendum in præſenti vita, & ad conſequendam gloriam in futura, *propter quod hunc effectum non conſequitur, ſi in vacuum recipitur*, &c. ait Lyranus, *in vacuum gratiam Dei recipit, qui cum ea non laborat, nec ei ſtudium ſuum adjungit*, inquit Anſelmus. Certè fruſtra ſic hortaretur Paulus, [6] ſi *gratiæ Dei ſufficienti non reſiſteretur*, Unde gloriatur ipſe, quòd [7] *gratia Dei in me vacua non fuit*, ſed *abundantius iis omnibus laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum*. Vacua non fuit, ideſt *carens operibus*, ait Lyra. Item, *non omnes obediunt Euangelio*. Et Joannes inducit Deum dicentem: [8] *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*, &c. ſed non omnes aperiunt; ergo, &c. Et Chriſtus ipſe dicebat civitatibus, quæ non credebant ei, nec convertebantur: [9] *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*; ergo per eaſdem gratias, quas neglexerunt iſti, poterant Tyrii, & Sidonii converti, & de facto converſi fuiſſent, &

[1] *Pſ.* 94. [2] *Ibid.* [3] *Matt.* 23. [4] 1. *cor.* 6. [5. *Ibid.* [6] 1. *cor.* 15. [7] *Ro.* 10. [8] *Ap.* 3. [9] *Matt.* 11.

& illæ, quæ tantùm *ſufficientes* remanſerunt, fuiſſent *efficaces*, & debuerunt eſſe ipſis Corozaitis.

Prob.3. ex definitionibus Eccleſiæ. 1. ex Concilio Valentino ſub Leone IV. definiente, [3] *non ideò malos perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt*: ſed non potuerunt eſſe boni ſine gratiæ auxilio ſufficienti; ergo ſi perierunt, ideò eſt, quia gratiæ ſufficienti reſtiterunt.

2. Ex Concil.Senonenſi ſub Clemente VII. [2] *nec tale eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*, &c. ergo cenſet dari auxilia ſufficientia, quibus reſiſti poteſt, & ſæpè de facto reſiſtitur.

3. Ex Colonienſi ſub Hermanno 1536. [3] *quamquam nemo convertatur ad Dominum, niſi trahatur per patrem, attamen nemo hic excuſationem prætexat, quòd non trahatur, cum ille ſtet ſemper ad oſtium pulſans*. &c. ergo qui non convertuntur, ideò fit, quia reſiſtunt gratiæ ſufficienti, *quæ nos interiore impulſu, & inſpiratione aſſiduè admonet*. Et licèt hæc Concilia ſint provincialia, tamen ſunt magnæ authoritatis ex Eccleſiæ totius conſenſu, ſaltem tacito.

4. Ex Tridentino. [4] *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*; quod colligit ex Auguſtino juxta illud, [5] *petite, & accipietis*; ergo cenſet dari auxilia, quæ ſunt tantùm ſufficientia in iis, qui non implent legem, quia id venit ex inobedientia, & defectu cooperationis ad gratiam, quæ ideò remanet ſufficiens. Quod clarius definit [6] docens, quòd *liberè aſſentimur, & poſſumus diſſentire, ſi velimus*. Huc etiam facit condemnatio 1. & 2. propoſitionis Janſenii ſupra relati; nam ex illa ſequitur *non deeſſe auxilia ſufficientia, quibus præcepta fiant poſſibilia*, & quòd *gratiæ interiori aliquando reſiſtitur*, & per conſequens quòd *non omnis gratia actualis, & præveniens ſit efficax*, ſed aliquę ſunt ſufficientes, quibus reſiſtitur.

Prob.4. ex S. Aug. & aliis Patribus. [7] *Qui vocatus non venit, ſicut non habuit meritū, ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cū vocatus venire neglexit*. Itē, *Cùm voluntate humana, gratia adjuvante divina, ſine pec-*

[1] *Can.2.* [2] *Decr.15.* [3] *p.2.c.32.* [4] *ſſ.6.c.11.*
[5] *de nat. & gr.45.* [6] *ſſ.6.c.5.& can.4.*
[7] *2.de peccat.mer.*

peccato in hac vita poſſit eſſe homo, cur non ſit, poſſum facillimè, ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt. Et alibi: [1] *cùm Deus ſit ubique præſens, qui multis modis ... ſibi adverſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem ... non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis; ſed quod volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt*. Item, [2] *habet peccator concupiſcentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Domino ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit*; ergo ex Auguſtino, reſiſtitur vocationi, & gratiæ, cum qua poſſet vitari peccatum, & ideo non vivimus ſine peccato, nec ſine ignorantia, quia non aſſentimur gratiæ excitanti, ut quæramus ſcientiam, & ſanemur a peccati vulnere; & ideo ſuccumbimus concupiſcentiæ, quia in vacuum recipimus gratiæ auxilia nobis oblata, & data; ergo illæ gratiæ ex culpa noſtra carent effectu, & manent tantum ſufficientes.

Item ex S. Proſpero. [3] *Magna pars hominum ſalvantis gratiam aut repellit, aut negligit*. Et Hieronymus exclamat: [4] *O infeliciſſimum genus humanum, qui peccata excuſamus, dicentes, victus ſum a natura; cum in poteſtate noſtra ſit & peccare, & Domino adjuvante non peccare*; ergo quod vincimur, & peccamus, venit ex neglectu, & defectu cooperationis gratiæ, quæ nobis adeſt. Quod etiam docet Cyrillus in illud Joannis 1. [5] *mundus eum non cognovit*. Igitur *non verbum Dei, & æternam hanc lucem, ſed imbecillitatem ſuam mundus accuſet, illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura*. Denique S. Thomas ſic inter alia de hac gratia diſcurrit. [6] *Si quis poſt acceptam gratiam teſtamenti novi peccaverit, majori pœna eſt dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio dato non utens, quia quantum eſt ex ſe, lex nova ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*; ergo in ſtatu naturæ lapſæ dantur auxilia ſufficientia, & gratiæ non ſolum *quibus*, ſed etiam *ſine quibus*, quas adverſarii nolunt dari in ſtatu natnræ lapſæ.

Prob.

[1] *3. de lib. arb. 19.*
[2] *de peccat mer. 39.*
[3] *1. vocat. gent. 9.* [4] *Pſ. 140.*
[5] *Jo. 1.* [6] *2. q. 106. a. 2. ad 2.*

Prob. denique ratione Theologica; nam ſi nulla eſt gratia ſufficienter excitans, & adjuvans hominem ad converſionem, & benè agendum, cui nunqam reſiſtatur, ſeu quæ maneat vacua ſine effectu; de illis, qui peccant, & mandata Dei non obſervant, diceretur, quòd non peccant, vel quod non poſſunt non peccare; ſed utrumque falſum eſt, & erroneum in fide; ergo & quod non dentur tales gratiæ. Prob. maj. nam cùm non poſſint ſervare præcepta ſine tali gratia; ſi illa deeſt eis, obſervantia mandatorum non eſt in eorum poteſtate; ergo vel non peccant, quando omittunt præcepta, vel peccant ex neceſſitate, & non poſſunt non peccare.

Confir. nam ſi omnis gratia eſt ſemper efficax, fruſtra homines arguuntur infidelitatis & negligentiæ erga Dei gratiam; fruſtra ſcilicet de illa negligentia ſe accuſant Sancti, ut facit Auguſtinus in ſuis confeſſionibus; quandoquidem non poſſunt non facere id, quod illa inſpirat; ergo ſæpè eſt inefficax, & quidem ex culpa noſtra.

Objic. 1. pro hæreticis, ex Script. [1] *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*; ergo omnis gratia vocationis, & præveniens eſt efficax, quandoquidem nullus vocatur, vel excitatur, qui non veniat, & convertatur.

Reſp. neg. conſ. nam Chriſtus loquitur de vocatione efficaci; nam *audire*, & *obedire* vocationi divinæ idem ſunt. Idem igitur eſt [2] *audire à Patre*, & *venire ad Chriſtum*; ergo *trahi à Patre ad Chriſtum*, & *audire, ac diſcere à Patre, ut veniat ad Chriſtum, nihil eſt aliud, quàm donum Dei accipere à Patre, quo credat in Chriſtum*; ergo omnis, qui audit vocationem, obedit vocationi, & non obedire eſt non audire, ut notat Auguſtinus.

Inſt. ex Auguſtino: [3] *Omnis, qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit; ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt*. Item, [4] *qui novit quod fieri debeat, & non facit, nondum didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem, non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum literam*; ergo nunquam adeſt gratia interior, quin adſit

[1] *Joan.* 6. [2] *tr.* 28. *Jo.* [3] *de gr. chr.* 14.
[4] *Ibid.* 13.

adſit effectus; ergo omnis gratia interior eſt efficax.

Reſp. neg. conſ. nam ly, *didicit*, idem ſignificat, quod dicebam de *audivit*: ſcilicet didicit practicè, & cum effectu, & internè cum affectu, non autem externè, & apparenter, ſive per autem corporis, & non cordis: *Aures audiendi, ipſum eſt donum obediendi; ut qui haberent* (aures audiendi) *venirent ad eum, ad quem nemo venit, niſi fuerit ei datum à Patre. Exhortamur ergo, atque prædicamus; ſed qui habent aures audiendi, obedienter omnes audiant, qui verò eas non habent, ſit in eis quod ſcriptum eſt, ut audientes non audiant, videlicet corporis ſenſu, non cordis aſſenſu*; ergo loquitur de gratia, & auditione efficaci ex interiori cordis aſſenſu.

Objic. 2. ex Apoſtolo: volitio, ſeu converſio, & curſus ad Deum *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*; ergo ipſe aſſenſus vocationi, & gratiæ eſt ab ipſa gratia, ſeu ab ipſo Deo, non ab homine; ergo ipſa gratia eſt ſeipſa efficax, vel non eſt gratia Dei.

Reſp. neg. conſ. nam hinc tantùm ſequitur, quòd ipſa volitio, & converſio fit, & primariò ex ipſa gratia Dei præveniente, quamvis etiam à nobis liberè conſentientibus, & volentibus. Vocatio eſt à ſolo Deo. Converſio eſt 1. à Deo vocante, & adjuvante, & à nobis volentibus, & cooperantibus, niſi donum Dei eſſet etiam noſtra converſio, non diceretur, [1] *Deus virtutum converte nos: & tu converſus vivificabis nos*, &c. ait Auguſt. [2] ergo converſio eſt 1. *à Deo, 2. ex nobis*. Quod patet ex Apoſtolo; *gratia Dei ſum id, quod ſum*: ſic videtur totum tribuere gratiæ: *ſed ut oſtenderet & liberum arbitrium*, *mox addit, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum, id eſt non ſolus, ſed gratia Dei mecum*; ergo converſio peccatoris eſt ita à Deo miſerente, ut ſit etiam ab homine volente, & cooperante.

Inſt. Si hoc ſentiret Paulus, non diceret, [3] *quid habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ergo tota efficacitas eſt in gratia. Nam, inquit Auguſt. *nihil huic ſenſui Apoſtoli* (quis te diſcernit?) *tam contrarium eſt, quàm de ſuis meri-*

[1] 1. *Cor.* 15. [2] *de gra. & lib. ar.* 5. [3] 1. *Cor.* 4.

meritis quemquam gloriari, tamquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei; ſed qui accepta gratia ſufficienti, redderet eam efficacem ſua libertate, & conſenſu, poſſet dicere ſe non totum accepiſſe, poſſet de ſua obedientia, & conſenſu gloriari; ergo non debet admitti talis gratia.

Reſp. diſt. maj. non id diceret abſolutè, & ſimpliciter, con. ſecundum quid, neg. maj. & conſ. nam ibi docet ſolum Apoſtolus, quòd initium, & principalis influxus in bona opera, quibus boni, & fideles diſcernuntur ab infidelibus, & malis, eſt a Deo, ſine quo *non ſumus ſufficientes* (nequidem) *cogitare aliquid boni, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Non autem negat, quin ſic cooperemur gratiæ, ut poſſemus non cooperari, & ſic relinquere illam ut ſufficientem. [1] *Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prævenit nos, conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriè voluntatis eſt*, &c. Igitur quod accipimus, à Deo eſt, quod habemus, id fit conſentiendo. *Accipere autem, & habere utique accipientis, & habentis eſt, ſed prius eſt dantis*: ait idem Auguſtinus.

Inſt. 2. gratia ſufficiens eſt communis bonis, & malis; ergo non diſcernit eos ab invicem; ſed gratia, de qua loquitur Paulus, diſcernit, *quis te diſcernit?* ergo non eſt ſufficiens, ſed ſola efficax.

Reſp. neg. abſolutè maj. nam ut ſufficiens reduplicativè, & in actu ſecundo eſt in malis, & reprobatis, qui non cooperantur; ſicut efficax etiam in actu 2. eſt in bonis, qui ei cooperantur. In actu 1. prævenit, & vocat omnes etiam malos, & ſic eos non diſcernit.

Objic. 3. ex Concilio Arauſicano. [2] *Ut à peccato purgemur, Deus non expectat voluntatem noſtram, nequidem ut purgari velimus; quia per Salomonem dicitur: præparatur voluntas à Domino*. Et per Apoſtolum: [3] *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere*; ergo omnis gratia eſt efficax, & nulla eſt ſufficiens, id eſt ſine effectu.

Reſp. diſt. ant. non expectat voluntatem per gratias excitantes, & operantes, ſeu prævenientes, con. per coo-

[1] *de ſpir. & litt. 34.*
[2] *Can. 4.* [3] *Philip. 2.*

cooperantes, ſubſequentes, & juvantes, neg. ant.nec enim id cogitavit Concilium, loquitur de excitante gratia, quam [1] *Deus operatur in nobis ſine nobis*; ſed prævenit nos, ut faciat nos velle, & id dicebat contra Semipelagianos, ut oſtenderet initium ſalutis noſtræ eſſe à Deo, non autem ex ullo actu naturali arbitrii noſtri. *Deus operatur in nobis cogitare ſine nobis, velle nobiſcum, & perficere per nos*: ait Bernard.

Objic.4. ex Auguſtino, qui diſputabat contra Pelagium, [2] *ut eam gratiam fateatur, qua non ſuadetur ſolùm omne, quod bonum eſt, verum & perſuadetur*; ſed omnis gratia,qua bonum perſuadetur,eſt efficax; ergo omnis gratia eſt efficax. Illa, qua purè ſuadetur bonum,eſt quidem ſufficiens, ſed eam non aſſerit Auguſtinus.

Reſp.diſt. maj. qua perſuadetur bonum dando vires interiores, & non tantum exteriores per doctrinam legis, con. qua perſuadetur ita efficaciter, ut ſemper faciat velle, & operari bonum, quod proponit, neg. maj.& min.Pelagius non agnoſcebat neceſſitatem gratiæ interioris, excitantis, & adjuvantis ad bonum,ſed ſolam ſuaſionem per legis doctrinam, & iſta non eſt contentus S. Doctor, ſed aſſerit gratiam interius moventem ad velle, & juvantem ad perficere, [3] *ut volentes ex nolentibus fiant; non ſicut facit doctor homo, docendo, hortando, minando, & promittendo in ſermone Dei, quod fruſtra fit,niſi Deus intùs operetur* &c. Et alibi docet,quòd *lex data eſt, ut gratia quæratur, gratia data eſt, ut lex impleatur*.

Inſt.gratiam poſſibilitatis admittebant Semipelagiani, ſcilicet quæ dat ſolum poſſe agere, non autem agere, & illam non admittebat Auguſtinus, ſed refellebat maximè in libro de gratia Chriſti; ſed gratia noſtra ſufficiens eſt illa *poſſibilitatis* Semipelagianorum; ergo non eſt de mente Auguſtini, nec eſt admittenda.

Reſp.neg.min.nam gratia *poſſibilitatis* hæreticorum erat ipſa potentia naturalis, quam habemus à Deo in creatione. [4] *Poſſe eſt in natura*,inquit Pelagius, teſte Au-

[1] *de gra.& lib.ar.*
[2] *de gra.chr.*10.
[3] 2.*op.imper.*157.
[4] *de gra.chr.*4.

Auguſtino, *primum illud, id eſt poſſe, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit*; adjutorium poſſibilitatis ponebat ſolum in extrinſecis, v. g. in doctrina, aut ſi admittebat etiam internam, non prætendebat eſſe ſemper neceſſariam, ſed utilem, & ordinabatur ad potentiam, non autem attingebat actionem. Auguſtinus autem, ſeu Eccleſia, & veritas vult gratiam ſufficientem eſſe internam, & neceſſariam ad omne opus bonum, & ordinari ad ipſum opus. 1] *Sic enim docet Deus eos, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quid ſciant agere*; ergo gratia noſtra ſufficiens longè diverſa eſt à gratia poſſibilitatis hæreticorum.

Inſt. Semipelagiani damnati ſunt, quia dicebant auxilium, quod admittebant neceſſarium ad fidem, dare ſolum homini poſſe credere, ſi vellet; ſed gratia noſtra ſufficiens non dat aliud; ergo eſt eadem cum gratia Semipelagiana.

Reſp. neg. mai. cujus falſitas patet ex hac propoſitione damnata in Janſenio: *Semipelagiani admittebant interioris gratiæ prævenientis neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

Objic. denique. Si daretur gratia ſic ſufficiens, penderet ex libero arbitrio; ſed conſeq. eſt falſum, hanc enim operatur Deus ſine nobis, & prævenit liberum arbitrium; ergo non eſt admittenda talis gratia. Prob. maj. nam penderet à nobis eam reddere efficacem, aut inefficacem, prout ſcilicet placeret nobis illi aſſentiri, vel diſſentire; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. penderet à libero arbitrio quoad operari, & in actu 2. con. quoad eſſe, & in actu 1. neg. maj. & min. Deus enim operatur eam in nobis ex ſua miſericordia, quæ nos prævenit; ſed aſſenſum, vel diſſenſum operatur nobiſcum, ipſum velle credere Deus operatur in homine, *& in omnibus miſericordia ejus prævenit nos*, conſentire autem vocationi Dei, vel diſſentire, ut dixi, propriè voluntatis eſt.

Conſtat igitur ex fide admittendas eſſe gratias actuales, quarum aliæ ſufficiunt quidem ad opera bona,

[1] *de gra. chr. 4.*

na, ad quæ per illas intendit Deus nos excitare, & juvare; ſed defectu noſtræ cooperationis, & conſenſus non ſunt efficaces, ſed manent ſufficientes; & per hoc gratia efficax diſtinguitur a ſufficienti. An autem aliunde petatur talis differentia, an ex illarum natura, & entitate phyſica, & in actu primo antecedenter ad cooperationem liberi noſtri arbitrii, ſalva ejus libertate, non licet nobis examinare, aut ſaltem quid ſentiamus ſcribere; id vetantibus ſummis Pontificibus Paulo V. 1612. & Urbano VIII. 1615.& 1621. ne quis ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia audeat de tali auxiliorum gratiæ differentia ſcribere, ideoque ab hac quæſtione abſtinemus exemplo multorum Doctiſſimorum Theologorum, etiam ex noſtris, ut ſunt Patres Poncius, Fraſſen, Eminentiſſimus Cardinalis noſter de Laurea, (1) qui de hac materia ſcripturus opuſcula quædam licentiam petiit, & obtinuit die 13. Maii 1686.

CONCLUSIO II.

D*Antur etiam gratiæ efficaces, quæ connexum habent voluntatis conſenſum, & cooperationem ad opera, quæ ſuggerit*. Eſt etiam communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto citato in præcedenti. nam ſicut probat Deum velle omnes homines ſalvare, pro eo quod præparavit omnibus auxilia ſufficientia, a fortiori & efficacia præbet iis, qui de facto ſalvantur.

Prob. 2. ex Scriptura, & experientia: nam ex Eu. angelio patet, quod Chriſto vocante Petrum, & Andream, [2] *illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum*. Idem eſt de Philippo, qui ad vocem, *ſequere me*, ſecutus eſt eum. Idem eſt de Joanne, & Jacobo, qui *relictis patre, & matre, ac retibus ſecuti ſunt eum*. Item eodem prædicante turbis, *multi crediderunt in eum*, & ſic gratia in iſtis fuit efficax, ſed non omnes crediderunt, & ita in multis non fuit efficax. Sic contigit Paulo prædicanti Athenis, [3] *quidam adhærentes ei, crediderunt, in quibus Dionyſius* &c. In his gratia vocationis fuit efficax, in aliis vero ſufficiens, & inefficax. Sic cum prædicaſſet Judæis Antiochiæ, qui

(1) *to. 6. p. 625. & 627.*
(2) *Joa. & 6.* [3) *Act. 27.*

qui noluerunt credere, converſus eſt ad gentes, quæ *audientes gaviſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt* &c. Vides eandem gratiam in aliquibus efficacem, & in aliis inefficacem. Denique id patet experientia quotidiana, nec de hoc dubium eſſe poteſt.

CONCLUSIO III.

G*Ratia efficax non diſtinguitur ab adjuvante, ſeu cooperante, & ſubſequente*. Eſt communis.

Prob. 1. nam in Scriptura, & Patribus gratia, qua convertimur, & operamur bonum, & ſalutem, vocatur nomine *auxilii divini*, quod Sancti petunt a Deo: & idem eſt de Sanctis Patribus; nam de efficaci loquitur Auguſt. cum dicit, *quod vero ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, & adjuvante non poſſumus.* Et S. Fulgentius; *cum Paulus eſſet blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus, non ideo eſt adjutus Dei gratia, quia credere voluit, ſed ut credere vellet, donum gratiæ prævenientis accepit*. Hæc gratia fuit efficax, & dicitur *adjuvans*. Et alibi: *omne bonum voluntatis, & operis tunc ineſſe poteſt, ſi prævenientis gratiæ largitate detur, ejuſdemque gratiæ ſubſequentis opitulatione ſervetur* &c. ergo eadem gratia efficax prævenit, & ſubſequitur. Et ſic de aliis.

Prob. 2. nam ex omnium ſenſu gratia efficax eſt illa, quæ nos prævenit, excitat, & inſpirat nobis voluntatem, qua de facto convertimur a peccato ad Deum, & operamur bona opera; ſed illa dicitur *efficax*, & *præveniens*, quatenus nos prævenit, & excitat nos ad bonum, & dicitur *adjuvans*, & *cooperans*, quatenus nobiſcum operatur illa bona, nec eſt ulla neceſſitas eam aliter diſtinguendi, quam ex illis diverſis reſpectibus, & officiis; ergo &c.

QUÆSTIO IV.

De gratia ſanitatis, & medicinali. Item de auxilio quo, & ſine quo. An, & quid ſint; & quomodo diſtinguantur à ſufficiente, & efficaci.

QUuia gratia *ſanitatis*, & *ſine qua* ſatis convenit cum *ſufficienti*, quatenùs illa talis fuiſſe prætenditur, ut non faceret velle, nec facere, ſed relinqueret libertatem homini ad conſenſum, vel diſſenſum, ſeu ad velle, & cooperari, & ad non velle, ſeu non cooperari; ſicut diximus de ſufficienti: gratia verò *qua*, ſeu auxilium *quo*, & *medicinalis*, ex eorundem ſententia, faciat velle, & operari, & in eo convenit cum *efficaci*; ideò viſum eſt de illis hìc immediatè agere, ut ex iis, quæ modò dicta ſunt, & adhuc dicturi ſumus de *ſufficienti*, & *efficaci*, magis pateat, quid ſentiendum de utriſque quoad libertatis conditionem, & compatibilitatem cum efficacia illarum, & quoad differentiam earundem inter ſe.

Porrò iam diximus, gratiam *ſanitatis* eam dici, quæ dabatur Adæ ante peccatum, & antequam debilitatus peccato egeret majori auxilio, *medicinalem* verò eam, qua egere cœpit poſt peccatum, quo infirmata eſt ejus natura per privationem juſtitiæ originalis. Item diximus auxilium *ſine quo* eſſe illam ipſam gratiam *ſanitatis*, quatenùs ſine illa non poterat Adam benè operari ad ſalutem conſequendam, & quatenùs illa ſe ſic accommodabat ejus libero arbitrio, ut iſtud poſſet eam abjicere, vel ei conſentire, & cooperari, ſi vellet. E contra verò auxilium *quo* tale prætenditur eſſe, ut non ſolùm ſit de ſe ſufficiens, ut homo poſſit operari: ſed etiam ſic efficaciter moveat, ac determinet, ut faciat facere, ſeu operari. De his gratiis quæritur an exiſtant, & admittendæ ſint in hoc ſtatu naturæ lapſæ. Item in quo differant, vel conveniant cum gratia ſufficiente, & efficaci.

Hanc diviſionem gratiæ actualis adeò neceſſariam putat Janſenius, [1] ut dicat eam eſſe *clavem*, *ſine qua*

[1] *To.3.diſ.68.n.13.*

qua, qui ſcripta Auguſtini molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, &c. Dicit enim eam *Scopum, baſim, fundamentum, ut veram clavem, qua aditus in ſcripta Auguſtini aperiendus eſt*, &c. Hanc autem (ut notat Cardinalis de Aguirre) inſinuat Auguſtinus ſub finem vitæ in libro de correptione, & gratia, viginti annis poſt debellatos Pelagianos, & doctè refutat illud dictum Janſenii, velut Paradoxum tota illa diſputatione 68. Quod notaſſe juvabit, ut plenius, qui voluerit, hac de re informetur apud ipſum authorem; maximè ſect. 2. ſed quidquid ſit de hac controverſia; repete ex dictis de homine, & peccato originali, an, & quomodò per iſtud læſa, & debilitata fuerit natura, & libertas humana: & maximè per privationem juſtitiæ originalis: non enim vacat hæc repetere. Sufficit dicere, quòd liberum arbitrium non fuit extinctum, ut ſomniarunt Lutherani, & Calviniſtæ; tamen fuit infirmatum, & debilitatum, ut patet ex Conciliis Arauſicano II. & Dioſpolitano, & tandem ex Tridentino, [1] *Tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum, & inclinatum*.

CONCLUSIO I.

GRatia *præveniens, & adjuvans, quæ datur homini lapſo, eſt verè medicinalis, & ſanans, item & auxilium quo, & ſine quo*. Eſt contra Janſenium quoad 2. p.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [2] quod gratia *nunc non ſanat perfectè naturam; quod accipitur ab Auguſtino de natura, & gratia, ubi dicit generaliter, ſicut oculus ſanus non poteſt videre ſine lumine, ſic nec etiam juſta anima vivere recte* (poteſt) *ſine luce ſpirituali*; ergo Scotus agnoſcit gratiam medicinalem, & ſanantem, licet non ſanet perfectè.

Prob. 2. ex Scriptura, [3] in qua petitur gratia ſanans animam. Ut cum dicitur, *ſana me Domine*, &, *ſana animam meam, quia peccavi tibi*. Et, *miſit verbum ſuum, & ſanavit eos*. Et, *qui ſanat contritos corde*, &c.

Prob.

[1] *ſſ.6.cap.*1. [2] 1.*d.*17.*q.*2.*H.H.*
[3] *pſ.*6.*&* 40.*&* 105.

Prob. 3. ex Patribus: nam, inquit Auguſtinus, [1] *data eſt lex, ut ægrum de morbo convinceret, qui ſibi ſanus videbatur, ut peccata demonſtrarentur, non ut auferrentur*. Et alibi, [2] *ad hoc data eſt lex, ut ſuperbo infirmitatem ſuam notam faceret, infirmo pœnitentiam ſuaderet, ut vulnera oſtenderet peccatorum, quæ gratiæ benedictione ſanaret: & cum Paulo plorante diceremus: Infelix homo, quis liberabit me de corpore mortis hujus? Reſpondereturque; gratia Dei per J. C.*&c. *agitur de gratia Dei, qua ſanatur per medicum Chriſtum, quo non indigeret, ſi ſana eſſet*, &c. Et, *de gratia Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicinam operatur*, Et alibi, [3] *natura in tantum ſana non eſt, in quantum id, quod faciendum eſt, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, &c. Item, [4] *ſicut vulnere claudicans ideo curatur, ut, ſanato malo præterito, futurus dirigatur inceſſus: ſic mala noſtra non ad hoc ſolùm ſupernus medicus ſanat, ut illa jam non ſint, ſed ut de cætero rectè ambulare poſſimus*: ſc. gratia non ſolùm eſt ſanativa morbi peccati jam contracti, ſed etiam remedium præſervativum contra futuros; ergo eſt medicinalis.

Prob. denique: nam, ex omnium Catholicorum ſententia, natura per peccatum ſauciata eſt, & infirmata; ergo per gratiam, quæ opponitur peccato, ſanatur, & à morbis, ſeu peccatis præſervatur, dum contra tentationes, & concupiſcentiæ, carniſque rebellionem ſpiritus roboratur.

Dixi autem, *gratia præveniens, & adjuvans*, nec enim hæc gratia *medicinalis* ab eis diſtinguitur entitativè, ſed tantùm per hanc appellationem deſignatur 1. ſtatus animæ noſtræ, cui datur, & 2. effectus, quos illi præſtat, ſc. ſanitatem à morbis peccati, & ſomnolentiæ, à qua nos excitat, & infirmitatis, in qua nos roborat, & juvat.

Dixi 2. *quæ datur homini lapſo*; nam Adamo ante peccatum, & Angelis ab inſtanti creationis data eſt, & neceſſaria fuit gratia tum excitans, tum adjuvans ad opera meritoria ſalutis æternæ: ſed non erant gratiæ medicinales propriè, quia in eo ſtatu non

[1] *ad ſimpl. q.* 1. *Ho.* 10. [2] *de nat. & gra.* 57. [3] *de perf.* 2. [4] *de nat. & gra.* 20.

erant infirmi. *Quid ergo?* (quærit Auguſtinus. [1] *Adam non habuit gratiam? imo vero habuit magnam, ſed diſparem: ille in bonis Dei erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat ....ſancti vero in hac vita, ad quos pertinet hæc gratia liberationis*, (ſeu medicinalis, & ſanans) *in malis ſunt .... ille in illis bonis Chriſti morte non eguit, iſtos a reatu & hæreditario, & proprio illius agni ſanguis abſolvit*, &c.

Gratia Adæ erat *ſine qua* non poterat nec mereri, nec perſeverare in accepta gratia ſanitatis; ſed poterat non perſeverare, ut de facto non perſeveravit, *quamvis ſine gratia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet ... non tamen juſtitiæ continendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur*, &c. ſed gratia ſanans, & medicinalis dat etiam non tantum poſſe agere, ſed etiam ipſum agere per adjutorium, & cooperationem corroborantem, & fortiorem; ergo &c.

Prob.2.p. de gratia, ſeu adjutorio *quo*, & *ſine quo*. Et 1. ex Auguſtino cit. [2] *Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt, aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui non voluerit*: ſc. Adam ſine illo adjutorio non poterat nec facere quidquam boni, quo mereretur gloriam, nec perſeverare in gratia accepta; ſed poterat non uti auxilio, ſicut volens mori poſſet non uti alimento. *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed* ſine quo *per liberum arbitrium perſeverare non poſſet*. Ecce mentem Auguſtini [3] de auxilio *quo*.

Hominibus vero lapſis *non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit*, ſine quo *perſeverare non poſſunt, ſi velint, ſed in eis operatur etiam & velle, ut, quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint, & velint, perſeverandi eis poſſibilitas, & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur*. Inde colligit differentiam gratiæ ſanitatis, & *ſine qua* a gratia *medicinali*, & *qua*, quod

[1] *de correp. & gra.* 11. [2] *ibid.*
[3] *ibid.*

quòd iſta ſit 1. abundantior, 2. robuſtior, ſeu fortior : & 3. magis determinativa voluntatis ad operationem, non tamen in præjudicium libertatis, ut mox dicemus.

Prob. 2. eadem pars; nam certum eſt ex dictis, & ex omnium conſenſu dari gratias *efficaces*, quibus operamur, & cooperamur infallibiliter; & *ſufficientes*, quæ ita ſubſunt libero noſtro arbitrio, ut eis conſentire, vel diſſentire poſſimus, ſed priores illæ ſunt auxilia *quibus*, & poſteriores iſtæ ſunt auxilia *ſine quibus*. Et certum eſt Adamum non potuiſſe mereri in ſtatu innocentiæ, nec conſervare dona ſupernaturalia, quæ in creatione acceperat ſine iſtis auxiliis, quæ potuit negligere, & de facto neglexit, cùm peccavit; ergo, &c.

Objic. ex Auguſtino. [1] Adam per arbitrii liberi, & ſani vires potuit perſeverare; ergo non egebat tali gratia. Prob. ant. nam, inquit, *ſicut fecerunt ſancti Angeli, qui cadentibus aliis, per liberum arbitrium ſteterunt ipſi, ita & Adam potuit ſtare. Unde qui non infertur in tentationem, non diſcedit à Deo, non eſt hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt* (poſt lapſum) *infuerat homini, antequam caderet, quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis*; ergo in ſtatu innocentiæ Adam non egebat gratia, nequidem *ſine qua*.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam licèt putaverit Auguſt. [2] Adam, nec Angelos ante peccatum non eguiſſe gratia medicinali, ut nos, nec adeò forti, & abundanti, quanta egemus nos, tamen non negat, quin abſolutè eguerit tum ad merendum, tum ad perſeverandum, ut patet ex dictis. Prætereà quoties S. Doctor utitur vocibus *naturæ*, aut *naturaliter*, aut *liberi arbitrii*, non intelligit ſemper naturam nudam, ſed ſæpè intelligit naturam, & liberum arbitrium cum donis juſtitiæ originalis, & aliis, quæ habuit ab inſtanti creationis, quæque ideo dicuntur naturalia, quatenus homini, & Angelis data fuerant cum ipſa natura, quamvis aliunde gratuita, & ſupernaturalia. Quod valde notandum eſt, ne ſæpius videatur Auguſtinus contraria dixiſſe.

[1] *de correp.* 10. [2] *de bon. perſever.*

CONCLUSIO II.

Gratia qua, ſeu medicinalis, ſeu efficax non conſiſtit in eo, quòd faciat velle per ullam neceſſitatem prævian, ſeu prædeterminantem phyſicè, quam inferat voluntati humanæ; neque per hoc differt à gratia ſine qua, ſeu ſanitatis, & ſufficienti. Eſt communis inter catholicos, & de fide contra Calviniſtas, & Janſeniſtas, qui harum gratiarum differentiam ponunt in eo, quòd una faciat facere, & velle neceſſariò, alia verò non ſic faciebat velle, ſed ſubeſſet voluntati indifferentiæ hominis integri, ſeu innocentis. *Illius primæ integritatis adjutorium ſic adjuvabat voluntatem, ut cum ea ipſa operaretur, ſi vellet* (inquit Janſen.) *nunc autem ipſum adjutorium facit, ut velit .... adjutorium ante ruinam erat tale .... ut ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet, ideòque ſalva maneret illa voluntatis in utramque partem indifferentia, nunc verò poſt ruinam tale eſt, ut faciat annuere*, &c. ergo ex Janſenio illud auxilium *quo*, ſeu *efficax*, & *medicinale* inducit neceſſitatem præviam, ſeu prædeterminantem, & oppoſitam libertati indifferentiæ. Unde venit illa ejus propoſitio damnata: *Interiori gratiæ nunquam reſiſtitur in natura lapſa.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui cum ex S. Auguſtino dixiſſet, quòd *charitas reſpectu voluntatis eſt ſicut ſeſſor ad equum, quia ſicut ſeſſor activè regit, & movet equum, qualiter vult*, & quod voluntas reſpectu gratiæ *eſt pediſſequa, non prævia*; addit; quòd *primum exemplum eſſet omninò idem, ſi equus eſſet liber, & gratia quaſi ſeſſor per modum naturæ dirigens equū ad certum terminum ... tunc poſſet equus ex ſua libertate ſeſſorem dejicere, vel præter ejus directionem in alium terminum ſe movere .... voluntas enim eſt quaſi equus liber, & gratia quaſi ſeſſor per modum naturæ inclinans ad objectum per modum determinatum, &c.* ergo Scotus docet voluntatem cum gratia remanere liberam ad hanc abjiciendam. Quòd ſi aſſerit hoc de gratia habituali; eò magis de actuali, quando hæc ſola movet ſine habituali. Idem patet ex dictis de liber-

[1] *1. d. 17. q. 3. GG. & MM. n. 27. & 28.*

bertate, quam docet non poſſe cogi ad actus elicitos, ut diximus alias.

Prob. 2. ex Script. cit. in precedentibus de gratia ſufficienti, quibus conſtat, quod in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtitur interiori gratiæ. Idem eſt de Conciliis, & SS. Patribus ibidem citatis: non enim hoc dicunt niſi de gratia *medicinali*, quæ datur nobis poſt peccatum.

Confir. ex aliis locis, in quibus ſignificatur, quod eidem gratiæ, cui conſentit homo, ſervando mandata, potuit non conſentire, tranſgrediendo eadem, & hoc illi imputatur ad meritum. [1] *Beatus .... qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* Nec enim immunem ſe ſervavit à tranſgreſſione, & à malo ſine gratia *qua*, & *medicinali*. Eodem facit illud, *quid ultra potui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Non ſyncerè, vel juſtè id diceret Deus, niſi dediſſet vineæ infideli, & animæ peccatrici gratias medicinales, quibus feciſſet uvas, ſeu bona opera, ſi voluiſſet cooperari.

Prob. 3. ex Conciliis citatis; nam, ut patet in textibus, loquuntur de gratia *qua*, & *medicinali*, & *efficaci*, cui de facto homo ſic conſentit, ut poſſet eidem non conſentire, ſi vellet, inquit Trident. & de inſpirationibus, quas non rejiciunt, cum poſſent rejicere.

Confir. ex cenſura harum propoſitionum per Sedem Apoſtolicam. 1. *eſt*, *Interiori gratiæ, in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*; ſed per Janſenium in ſtatu naturæ lapſæ non datur niſi gratia medicinalis, & auxilium *quo*, & *efficax*, ſeu *gratia victrix*, nulla verò ſufficiens, & *ſine qua*; ergo ex doctrina Eccleſiæ falſum eſt, quòd gratia *qua* ſit neceſſitans, vel prædeterminans, & quod per eam neceſſitatem ſeu predeterminationem gratia efficax differat à ſufficienti. Ideò ipſi non admittunt gratias ſufficientes in hoc ſtatu, quia omnes gratias interiores dicunt neceſſariò connexas cum ſuis effectibus.

Idem ſequitur ex hac altera ejuſdē Janſenii pariter damnata. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecūdum præſentes, quas habent, vi-*

[1] *Eccl.* 1.

res, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant; nam ſi auxilium *quo* eſt neceſſitans, & prædeterminans, omnis homo habens illud auxilium neceſſariò implet præcepta, & omnis peccans contra præcepta caret tali auxilio, & neceſſario peccat; quia ſine tali auxilio *quo* præcepta ſunt ei impoſſibilia. Certè ſine auxilio gratiæ interioris non poſſunt impleri præcepta. Nemo Catholicus id negat; ergo omnis homo, qui non implet præcepta, caret tali; quia ſi hoc haberet, neceſſariò impleret, quandoquidem illi gratiæ nunquam reſiſteretur.

Fatendum ergo eſt, quòd etiam in ſtatu naturæ lapſæ dantur gratiæ medicinales *ſine quibus*, ſeu *ſufficientes*, ſeu *ſufficienter adjuvantes* ad præcepta implenda, cum quibus tamen de facto non implentur defectu cooperationis ex parte noſtra; ergo non omnis gratia *medicinalis* eſt efficax, nec prædeterminans, nec neceſſitans: non enim eſſet medicinalis, nec ſufficiens, niſi ſuppleret defectus, & impotentias inductas ex peccato, &, ſi ſit *medicinalis*, & *ſanans*, nunquam ei reſiſtetur, ſed neceſſariò illi cooperabimur implendo præcepta; ergo differentia gratiæ efficacis à ſufficienti, nec gratię *medicinalis* à gratia *ſanitatis*, nec auxilii *quo* ab auxilio *ſine quo*, hæc, inquam, differentia non conſiſtit in illa neceſſitate, vel prædeterminatione.

Prob. 4. ex SS. Patribus. Nam, inquit Origenes, [1] *ſi noſtri arbitrii ſumus, inſtigare fortè poſſunt aliquæ virtutes diabolicæ ad peccatum, & aliæ juvare ad ſalutem, non tamen neceſſitate cogimur vel agere rectè, vel male*. Et Irenæus. [2] *Qui operantur illud, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cum poſſent non operari illud*, &c. Et S. Chryſoſt. [3] docet, quòd *Deus dum gratias pro ſua miſericordia exhibet .... conatuſque noſtros malos reprimit, neceſſitatem utique non imponit, ſed congruis remediis appoſitis totum in ægrotantis ſententiæ ſitum eſſe dimittit*. Et rurſus. [3] *Dei vocatio nullum cogit ..... hortatur quidem, ac conſulit, & omnibus modis bonos eſſe perſuadet: ſi verò aliqui reluctantur, nullo modo cogit, ut boni eſſe velint*. Et Cyprianus notans, quod Chri-

[1] 1. *periar*. 1. [2] *con. hær*. 7. [3] *hom*. 29.
[4] *ho*. 81. *in Matt*. 26.

Chriſtus Apoſtolis dicit, [1] *numquid & vos vultis abire?* dicit: ſervans *legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimetipſe vel mortem appetit, vel ſalutem*. Et Hieronymus. [2] *Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioqui ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt*. Denique Auguſtinus, ut alios omittam, [3] *ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prævenit nos, conſentire autem vocationi Dei, vel diſſentire ab ea, propriæ voluntatis eſt*. Certe gratia hæc eſt vere *qua*, & *medicinalis*; nam per ipſam Deus operatur velle, & tamen voluntati liberum manet diſſentire, vel conſentire. Loquitur etiam de gratia *medicinali*, qualis nunc datur nobis. Item, [4] *Eſau noluit, & non cucurrit, ſed etſi voluiſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui etiam velle, & currere revocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret*.

Prob. denique ex dictis de peccato, & ex dicendis de merito; nam ut mox dicebamus ex Hieronymo, ſi gratia *qua*, & *medicinalis*, qualis eſt illa, qua operamur, imponeret neceſſitatem, & prædeterminaret, tolleret rationem eſſentialem meriti, & demeriti; quia libertas eſt de ratione utriuſque, juxta ipſum Auguſtinum dicentem, *neminem vituperatione, ſupplicione dignum, qui id non faciat, quod facere non poteſt*. Et idem de illo, qui facit, quod non poteſt vitare: uno verbo nihil magis repugnat libertati indifferentiæ præviæ ad actum aliquem, qualis requiritur ad meritum, vel peccatum, quàm prædeterminatio. Nam præindifferentia, & prædeterminatio ſunt contradictoria ex terminis.

Objic. 1. ex Script. qua dicitur, Deum dare homini cor ipſum, quo agat. Sic Judæis dedit[5] *cor, ut facerent juxta præceptum regis, & principum, verbum Domini*. Et apud Ezechielem dicit Deus iiſdem. [6] *Dabo vobis cor novũ, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra*, &c. Itẽ Apoſtolus: [7] *Deus eſt, qi i operatur in vobis velle, & perficere* &c.

[1] *Ep.* 25. [2] 2. *con. Jovin.*
[3] *de ſpir. & litt.* 34.
[4] 1. *ſimplic. q.* 2. [5] 2. *Paral.* 30.
[6] *Ezech.* 36. [7] *Phil.* 2.

&c. Sic Eſther orabat. [1] *Transfer cor illius* [ſc. Aſſueri] *in odium hoſtis noſtri*, ſc. Aman. Et, *non eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati*. Et Deus ipſe apud Iſaiam: [2] *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. Et Paulus, *voluntati ejus quis reſiſtet?* ergo Deus ipſe immutat cor hominis, & ſi vult, ut aſſentiantur gratiæ, non poſſumus ei diſſentire. Item Sponſa orabat, *trahe me poſt te, curremus*. Et Chriſtus, *nemo poteſt venire ad me, niſi pater traxerit eum*.

Reſp. neg. conſ. nec enim ſequitur ex illis textibus ulla neceſſitas, vel prædeterminatio aſſentiendi gratiæ. Ex primis ſequitur immutatio cordis voluntaria, mediante gratia excitante, & juvante, ad quod illa eſt neceſſaria. 2. quod non reſiſtitur Dei voluntati abſolutæ, & efficaci, ſed voluntas Dei excitantis, & juvantis per gratiam non eſt abſoluta, ſed conditionata, & attemperata voluntati noſtræ. 3. denique tractio illa eſt ſuavis, & nullam infert violentiam, aut neceſſitatem; eſt attractio per allectionem, vocationem, invitationem, fortem quidem, ſed libertatis aſſertivam, non inimicam, ſicut *ſua quemque trahit voluptas, non neceſſitas*, ait Auguſt.

Inſt. David orat pro gratia *qua*, dicens, *inclina cor meum in teſtimonia tua*: & Eccleſia, & juſti, ut ad ſe Deus eos trahat, & *compellat rebelles propitius voluntates*. Et Chriſtus orare docuit, *libera nos à malo*, ſeu peccato; ergo gratia, qua eget homo lapſus, eſt auxilium *quo*, & faciens velle etiam rebelles; Adam verò non egebat tali auxilio, quia liber erat ad aſſenſum, vel diſſenſum.

Reſp. neg. conſ. nam illa inclinatio, & liberatio à malo, ſeu à tentationibus, & attractio, ſeu compulſio ſuavis eſt, & ſine violentia, & neceſſitate, ſaltem phyſica: aliud enim eſt inclinare, & compellere moraliter, & ſuaviter, & prædeterminare, & neceſſitare phyſicè ad aliquem actum: illud poteſt concedi gratiæ, non iſtud. Quod verò additur de Adamo ante peccatum, falſum eſt; nam cum tota ſua integritate, & libertate egebat Dei auxilio, & qui-

[1] *Eſther*. 14.
[2] *Iſa*. 14.

quidem forti, ad vitandum peccatum, quod quia neglexit, cecidit.

Objic.2. cum Calvino. Auguſtinus ſemper aſſerit gratiam operari velle, & perficere, & facere, ut velimus, & largiri bonam voluntatem, & dare merita, & virtutes; ergo voluntas non tam agit, quàm agitur, & neceſſitatur. Prob.ant.nam ſcribens ad Vitalem dicit, [1] *ut in Deum credamus, & piè vivamus, non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, non quia velle non debemus, & currere, ſed quia velle in nobis operatur, & currere*. Et lib. de gratia, & lib. arb. [2] *ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad pietatis opera nihil valemus*. Et lib. de dono perſeverantiæ ait: [3] *Nos ergo volumus, ſed Deus operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate*. 2. pro bona voluntate facit, quod dicit, *ipſam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere, Dei eſſe donum, qui greſſus noſtros dirigit primitùs, ut velimus*. 3.pro meritis ait, *etiam ipſa hominis bona merita eſſe Dei munera, quibus vita æterna redditur, & quid niſi gratia pro gratia redditur?* ergo velle, & operari, & bona voluntas, & merita, ſeu bona ipſa opera Deus per gratiam in nobis operatur, non ipſa voluntas, quæ in his non tam agit, quàm agitur, & quidem Calvinus vult, quod paſſivè ſe habeat, & ut inſtrumentum emortuum.

Reſp. neg. ant.& conſ. prob. vel ſic diſt. ant. 1. & 2. Auguſtinus vult, quòd velle, & operari, & opera, & merita ſint à Deo, ut excitante, movente, & adjuvante, con. ut totaliter agente, vel determinante per ullam neceſſitatem, neg. ant. utrumque. Id enim Auguſtinus minimè docuit; [4] eſt enim contra conſtantiſſima ejus principia. Nam, ut videbamus, poſtquam dixit, quod ipſum bonum velle Deus operatur in homine, addit, *conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt*. Et alibi de tentationibus dicit, quòd [5] *Deo auxiliante, noſtrum eſt vel agere, vel repudiare, quod diabolus ſuggerit*, &c. Vide Card. Aguirre jam citatum, ubi hæc fusè diſcutit.

Inſt. ex Auguſt.adjutorium *quo*, & *medicinale* facit;

[1] *Ep.*107.[2] *c.*11. [3] *Ibid.* [4] *de ſpir. & litt.* 34.
[5] 56. *ho.*12.

velle, & operari, facit facere, *ſine quo* autem, & *ſanitatis* relinquit utrumque in poteſtate liberi arbitrii; ergo gratia *qua*, & *medicinalis* eſt efficax, & prędeterminat, & neceſſitat voluntatem. Prob.ant. nam, inquit, [1] *primo homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare... datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo liberum arbitrium perſeverare non poſſet: Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam prædeſtinatis non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non tantùm ut ſine iſto dono perſeverare non poſſint: verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint*; ergo Auguſtinus in hoc differentiam ponit inter auxilium *quo* ab auxilio *ſine quo*, quatenùs illud dat ipſum velle, & agere, & perſeverare, & quidem neceſſariò, quod non dat gratia *ſine qua*, ſeu *ſufficiens*, & *ſanitatis*.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nec enim id ſequitur ex textu Auguſtini, alioqui non concluderet ipſe, quod auxilium *quo* non facit, ut homo lapſus non niſi perſeverans ſit: ſed ut non niſi perſeverans eſſe poſſit. Loquitur ergo de adjutorio, quod eſt efficax in ſanctis, & prædeſtinatis, qui illi volunt cooperari, & cooperantur: quale non fuit in Adamo, quandoquidem illud abjecit. Loquitur, inquam, de prædeſtinatis. *De his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei .... non de his, qui, cum annuntiaſset, & locutus eſset, multiplicati ſunt ſuper numerum. Ipſi autem vocati dici poſſunt, non autem electi*, &c. Vides etiam reprobos vocatos iiſdem gratiis, quas neglexerunt, & per conſequens cognoſcit Auguſtinus in ſtatu naturæ lapſæ gratias *medicinales*, inefficaces, ſeu ſufficientes, & *ſine quibus*, & gratias ejuſdem generis, quæ ſunt efficaces, & *quibus*, & iſtas non dicit neceſſitantes, ſeu tollentes poſſe reſiſtere; licet dent velle, & perſeverare, non quidem neceſſariò, ſaltem phyſica neceſſitate, ſed purè, ut libere, & volentes perſeverent. Imò nequidem aliter dicit hoc donum facere, ut non niſi perſeverantes ſint, quàm quia de ratione illius eſt, ut ſit finale, *perſeverantiam uſque in finem quoniam non habet quiſquam, niſi* qui

[1] *De correp.* 12.

qui perſeveraverit uſque in finem, multi poſſunt eam habere, nullus amittere. Hoc ſcilicet implicat in terminis, ut perſeverantiam habeat finalem, & non perſeveret; *cùm enim perſeveraverit quiſque uſque in finem, neque hoc donum poteſt amittere, neque alia, quæ poterat ante finem. Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam, quod poteſt amitti?* Hinc

Reſp. 2. neg. 1. ant. & diſt. 2. ant. ut per hoc donum formaliter, & in ſenſu compoſito: non niſi perſeverantes ſint, con. per hoc donum efficienter, & materialiter, & in ſenſu diviſo, neg. ant. ſicut habens albedinem formaliter, & in ſenſu compoſito albedinis, non poteſt non eſſe album; ſic habens perſeverantiam finalem formaliter non poteſt non eſſe perſeverans, ſed hoc non venit ex eo, quod donum illud efficiat perſeverantiam, ſed quia eſt ipſa formalis perſeverantia. Loquimur autem de gratia activè, & efficienter concurrente ad opera noſtra. Vide P. Fraſſen, qui egregiè ſic explicat Auguſtinum. Igitur auxilium formale *quo* non fuit in Adamo, quia non perſeveravit in gratiis acceptis in creatione, bene verò *ſufficiens*, quo potuit perſeverare, ſi voluiſſet cooperari.

Reſp. 3. (quod eodem recidit) diſt. ant. & prob. ejus: facit velle, & operari neceſſitate conſequenti, aut comitanti, con. neceſſitate antecedenti, neg. ant. & conſ. ſenſus igitur eſt, quòd Adamo, qui non perſeveravit, datum eſt auxilium, *ſine quo* non poterat quidem perſeverare, ſed non *quo* perſeveravit, ſanctis verò, qui perſeverant, auxilium eſt efficax, & *quo* perſeverant de facto; non quòd per illud prædeterminentur phyſicè, ſeu neceſſitentur ad perſeverandum, quaſi verò non fuerint liberi ad perſeverandum, aut deſiſtendum; ſed quia de facto libere perſeverarunt, ſicut Adam liberè defecit. Hoc, ni fallor, colligi poteſt ex illis verbis Auguſtini. [1] *Multi eam poſſunt habere;* (ſcilicet perſeverantiam formalem) *ſi velint cooperari gratiæ, quæ illam dat, ſed nullus amittere, ex quo illam habet; quia ſupponitur eſſe finalis: perſeverantiam enim uſque in finem non habet quiſquam, niſi perſeveraverit uſque in finem.*

Inſt. 2.

[1] *Ibid.*

Inſt. 2. Certum eſt, S. Auguſt. diſcrimen grande aſſeruiſſe inter gratiam pro ſtatu naturæ integræ, & gratiam naturæ lapſæ; ſed nullum aliud aſſignari poteſt, (ſaltem de mente Auguſtini) præter illud de auxilio *quo*, ſeu *efficaci*, quod non poteſt abjici, & *ſine quo*, ſeu *ſufficienti*, quod poterat abjici; ergo iſtud eſt aſſerendum: min. patet ex loco citato de correptione.

Reſp. 1. quidquid ſit de maj. neg. min. nam ut colligitur ex ejus verbis, in multis aliis differebant gratiæ Adami ante, & poſt peccatum: 1. *ille in bonis erat, quæ bonitate ſui creatoris acceperat*, & ſine labore, & ideò non egebat gratia ſanante, ſed ſolo adjutorio perficiente, & elevante, poſt peccatum eſt in laboribus, & caret donis juſtitiæ originalis, & integritatis, & ideò eget gratia ſanante, & fortiori, quibus reprimat concupiſcentiæ motus rebelles, & tenebras ignorantiæ depellat. 2. ille tunc ad hanc gratiam non adeò egebat redemptoris morte, illam accipere poterat à Deo, ut creatore, & juſtificatore, & glorificatore; poſtea verò eget gratia redemptrice, & medicinali. 3. tunc non egebat gratia frænante libidinem, & ſubjiciente carnem ſpiritui, nam hoc præſtabat juſtitia originalis accepta in creatione, nunc è contra. 4. Ille tunc cum gratia poterat lætè, & jucundè, & pacificè cooperari, nullo reluctante, non autem modò, ideòque hæc gratia eſt laborioſior, in agone contendimus, non coronamur niſi poſt certamen.

Reſp. 2 ſatis incertam eſſe maj. nam ut notat Cardinalis Aguirre poſt Bellarminum, Auguſtinus per illud adjutorium (*ſine quo non*) loquitur de gratia habituali, quam habebat Adam ab inſtanti creationis, quæque dabat, ut poſſet perſeverare, ſi vellet.

Reſp. 3. neg. min. & conſ. nam licèt non poſſemus aliud diſcrimen aſſerre, & cogeremur admittere aliquod, non tamen iſtud admitteremus; quia illud excluditur ex doctrina communi Eccleſiæ, & Patrum, & Theologorum omnium Catholicorum, quatenùs docent noſtrum arbitrium eſſe liberum à neceſſitate antecedenti in operibus meritoriis, & demeritoriis, & illud *à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit*, quod etiam colligitur ex tribus primis propoſitionibus damnatis in Janſenio, & aliàs in Bajo.

Inſt. 3. Auguſtinus docet hominem lapſum egere pro-

potentiore gratia, quam integrum. [1] *Hæc*, inquit, *potentior eſt in 2. Adam, prima enim, qua fit, ut habeat juſtitiam, ſi velit: 2. ergo plus poteſt, quia etiam fit, ut velit, tantoque ardore diligat, & carnis voluptatem contraria concupiſcentem voluptate ſpiritus vincat*; ergo tota differentia, quam ponit Auguſtinus inter gratiam *qua*, & gratiam *ſine qua*, ſeu Adæ, & Chriſtiani, eſt, quia illa facit iſtum velle, iſta vero relinquebat Adæ liberum velle, aut nolle. *Illam Deus reliquit in libero Adæ arbitrio.. nunc poſtea quam magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas*; & idem centies repetit toto illo libro.

Reſp. 1. neg. conſ. nam licet homo lapſus potentiore, ac medicinali egeat auxilio, quia infirmior, & debilior, & per concupiſcentiam inclinatus ad malum, non ſequitur, quin reparatis viribus, & roborata infirmitate, ruptiſque liberi arbitrii vinculis, iſtud remaneat liberum ad velle, aut nolle bonum, ad quod Deus illud excitat, & juvat: & per hoc explicantur illa omnia loca, quæ congerunt adverſarii.

Reſp. 2. auxilium hominis lapſi dici potentius, & majus ex alio etiam capite; nam iſte ob peccatum factus eſt indignior gratia, & hæc inde major eſt, & præcipue quia non ſolum illuminat intellectum, & movet voluntatem; ſed etiam juvat, & concurrit ad ipſum velle, & operari: & forte in Adamo innocente, & Angelis, ſuppoſitis aliis donis præcedentibus, ſufficiebat ipſa excitatio, & motio, in quo eſſet magna differentia inter hæc auxilia; & merito gratia medicinalis diceretur adjutorium *quo*, ſanitatis vero diceretur auxilium ſufficiens, & *ſine quo*.

Conſtat igitur 1. dari quidem gratiam *prævenientem*, ſeu *excitantem*, ſeu *operantem*, & *adjuvantem*, ſeu *cooperantem*, & *comitantem*, & *ſubſequentem*. Item & *ſufficientem*, ſeu *ſine qua*, & *efficacem*, ſeu *qua* tam in ſtatu naturæ integræ, quam lapſæ, & harum differentiam, ſcilicet *ſufficientis*, & *ſine qua*, ab *efficaci qua*, eſſe in eo, quod ſufficiens, & ſine qua in actu 1. & quãtum eſt ex ſe, tribuat homini auxilium, cum quo poteſt velle bonum, & operari illud, ſed tamen in actu 1. non operatur, quia negligit cooperari tali motioni, & ad-

[1] *Ibid. c. 11.*

adjutorio, efficax vero, ſeu *qua* diſtinguitur in actu 2. per ipſum conſenſum, & cooperationem omnino liberam. Non autem in eo differunt, quod efficax, ſeu *qua* determinet phyſice, & imponat veram neceſſitatem voluntati ad conſenſum, & operationem; & multo minus in eo, quod Deus per talem gratiam ipſe operetur illud velle, & operari in voluntate mere paſſive quoad hoc ſe habente, ut voluit Calvinus.

Conſtat 2. gratiam, quæ datur homini lapſo, eſſe vere *medicinalem*, & in hoc differre a gratia Angelorum, & Adæ innocentis: 1. quod iſta nihil aliud præſtaret, quam puram motionem, & adjutorium ad opera ſupernaturalia ſalutis: dico, *ſupernaturalia ſalutis*; nam ad opera bona in ordine naturali forte non erat neceſſaria, [de quo alias] ſed illa ſcilicet *medicinalis* nunc debet eſſe fortior, & abundantior, ut primo medeatur, & reparet in nobis infirmitates, cæcitatem, & inclinationes in malum a peccato contractas, & 2. ut roboret ſpiritum contra rebellionem carnis, præter illuſtrationes, & motiones, & adjutoria ad velle, & operari bonum. De neceſſitate autem talis gratiæ mox dicemus.

Scio diſputari poſſe, & a multis diſputari, an iſtæ duæ gratiæ in actu primo, & in ſua entitate ſint omnino ejuſdem rationis, ita ut eadem omnino entitas gratiæ, quæ in Petro eſt efficax, in Paulo ſit inefficax, & pure ſufficiens; nec ulla inter eas ſit differentia, niſi in actu 2. & ex parte voluntatis eorum, quatenus ille vult ſuæ vocationi conſentire, iſte vero vult ſurdeſcere, & diſſentire, uno verbo, unde proveniat, quod illa non ſit vacua, ſicut iſta. Quidam volunt illam eſſe prædeterminantem, ſeu ex ſe, & per ſe victricem, ut mox dicebam, non vero iſtam; & quidem antecedenter ad omnem determinationem liberi arbitrii. Alii ſaltem putant eam differentiam venire aliquo modo ex parte Dei; quatenus dat Petro gratiam excitantem, & moventem in iis circumſtantiis loci, temporis, ac diſpoſitionum ejus naturalium, in quibus videt eum eſſe magis diſpoſitum ad conſenſum, & prævidet per ſcientiam mediam, ſeu conditionatam, eum de facto conſenſurum liberrime, & delectabiliter, & hujuſmodi gratias vocant *congruas*.

De

De Paulo autem non ita eſſe dicunt, ſed è contra, nam licet gratia de ſe, & quoad entitatem phyſicam ſit ejuſdem intenſionis, & naturæ cum gratia Petri, tamen quia illi datur in aliis conditionibus, & ſtatibus, & circumſtantiis, in quibus non eſt ita diſpoſitus ad conſenſum, Deus prævidet, eum non conſenſurum, & de facto non conſentit, & gratia ipſa remanet vacua, & purè ſufficiens. Sic plurimi à prædeterminantibus, & neceſſitantibus, ut ita loquar, ſeu à Janſeniſtis, & à Bajanis ſe diſcernere volunt, & quidem longè ab eis diſtant. Nam ſemper in hac ſententia, & modo loquendi homo liberè agit, quod agit, & liberè diſſentit, & abjicit gratiam; ſed, ut verum fatear, vix capio, quomodo id rectè præſtent; nam licet per hoc ſatis oſtendant, quomodo gratiæ iſtæ non differant phyſicè, & entitativè, & etiam quomodo ejus efficacitas non præjudicet libertati; quippe uſus libertatis quaſi præſupponitur gratiæ, quæ non datur niſi ex præviſione liberi conſenſus: tamen non benè videntur mihi ſalvare, quomodo ex parte Dei ſervetur illa æqualitas charitatis, & amoris, quo vult ſyncerè, & efficaciter omnes ſalvos fieri; etenim ſemper videtur, quòd Deus non ita vult ſalvare Paulum, quando non dat ei hanc gratiam cum illa congruitate, cum qua dat eam Petro. Et perinde mihi videtur negare illi gratiam, vel non dare tantam, aut talem, aut taliter, quanta ſufficeret, ut poſſet converti, & non dare illam niſi in circumſtantiis, inquibus prævidet eum non conſenſurum: hoc enim poſſet præſtare Paulo, ſicut & Petro, ſi eodem modo vellet utrumque ſalvari, & idem eſt, ac ſi diceres, Deum ſic vocare Paulum, ut verè nolit eum audire, & excitari, quod mihi videtur impium cogitatu. Igitur ab his difficultatibus abſtinebo, ne incurram pœnas ab Eccleſia latas contra ſcribentes de prædeterminatione, & ſimilibus materiis inextricabilibus. Claudamus quæſtionem cum Auguſtino: *ex duobus ætate grandibus impiis, cur iſte vocetur, & vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei*. Ceſſemus ergo ſcrutari majeſtatem, ne opprimamur à gloria.

Si dicere liceret, quod ſentio, afferrem parabolam de ſeminante ſemen ſuum; nam ibi mihi ſatis cla-

rum

rum videtur, quod Deus ejuſdem naturæ, ac ſpeciei phyſicæ grana, id eſt, idem verbum vocationis, & gratiæ ſeminat in toto agro ſuo generis humani; licèt non ubique ſit efficax, nec fructificet, aliud ſemen cadit ſecùs viam, ubi volucribus, ſeu à tranſeuntibus, & à volucribus colligitur, & manducatur; aliud inter, & ſuper petras, in quibus natum areſcit defectu humoris; aliud inter ſpinas, à quibus germinans ſuffocatur; aliud denique in terram bonam cadit, & fructificat ad centeſimum, aut quinquageſimum. Nemini dubium, quin per illud ſemen Chriſtus intelligat verbum Dei tam internum, ut ſunt gratiæ excitantes, & vocantes, & adjuvantes, quibus Deus loquitur ad cor hominis; quàm externum: & utriuſque ſeminis, ſeu verbi efficacitas, vel inefficacitas venit ex diverſis diſpoſitionibus ſubjectorum, in quibus ſemen illud divinum recipitur. [2] *Aliud cecidit in petroſa, duram ſcilicet Judæorum voluntatem, ac mentem*, ait Chryſoſt. & unde ſpinæ ſuffocantes, niſi ab ipſa voluntate, quæ præfert ſollicitudines, & divitias, & voluptates vitæ ſollicitudinibus ſalutis ſuæ? qui ſunt aves niſi dæmones, qui tollunt Verbum Dei de cordibus noſtris? denique fœcunditatem ſeminis tribuit cordibus ſuſcipientium, qui [3] *corde bono, & optimo audientes verbum, fructum afferunt in patientia*; ergo tota differentia gratiarum efficacium, & ſufficientium non eſt phyſica, & in entitate earum ſaltem *ordinariè*; ſed venit ex cooperatione, & diſpoſitione voluntaria hominum. Dico, *ordinariè*; ſcio enim dari etiam gratias ſingulares, & excellentes.

DISPUTATIO III.

De neceſſitate gratiæ actualis.

AGimus præcipuè de gratia actuali excitante, & adjuvante; nam de gratia habituali, ſeu ſanctificante non occurrunt difficultates, & de illa agemus infra, ubi de juſtificatione. Videndum ergo hic, an, & quæ opera poſſit ho-

[1] *Matth*. 13.
[2] *to.6. Ho.8.aſcenſ.*
[3] *Luc*. 8.

homo facere viribus liberi ſui arbitrii cum generali Dei concurſu, quo concurrit ad actus naturales cauſæ ſecundæ. Loquimur etiam præcipuè de homine in ſtatu naturæ lapſæ.

QUÆSTIO I.

De neceſſitate gratiæ ex parte intellectus, an poſſit homo naturaliter cognoſcere aliquas veritates ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio.

VEritates aliæ ſunt *naturales*; aliæ *ſupernaturales*, & ambæ ſubdividuntur in *practicas*, & *ſpeculativas*, & in *imperfectas*, & *perfectas*.

Item naturalitas, aut ſupernaturalitas cognitionis petitur 1. ex medio, ſeu ex parte luminis; nam ſi Deus, & attributa ejus non cognoſcantur niſi per lumen naturale, v. g. ex creaturis per ratiocinationem, licet ipſa ſint ordinis divini, cognitio erit naturalis. 2. ex objecto, quod ſi ſit ordinis, & entitatis purè naturalis, & per medium etiam naturale, v. g. per ſenſus, aut rationem, cognitio erit naturalis; ſi verò de ſe ſit ordinis ſupernaturalis, vel non ſit attingibile per media naturalia, ut cogitationes cordis, quandiù non manifeſtantur exteriùs per aliqua ſigna, cognitio etiam erit ſupernaturalis. 3. ex utroque ſimul, ſcilicet ex medio, & objecto, quæ ambo ſunt ordinis naturalis, ut viſio ſolis, vel ordinis ſupernaturalis, ut cognitio unionis hypoſtaticæ, & viſio beata, illa eſt ſimpliciter naturalis, & hæc ſupernaturalis.

Quæritur ergo hic, an intellectus humanus in ſtatu naturæ lapſæ poſſit cognoſcere perfectè, ſeu clarè, & diſtinctè aliquam veritatem naturalis ordinis, & ſpeculativam, aut practicam abſque ſpeciali, & ſupernaturali gratiæ auxilio.

CONCLUSIO I.

HOmo non indiget gratiæ ſupernaturalis auxilio ad cognoſcendas aliquas veritates ordinis naturalis ſpeculativas diſtinctè, & certo, non tamen omnes ſic cognoſcere poteſt. Eſt communis.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui quærens, *utrum aliqua veritas certa, & ſyncera poſſit naturaliter cognoſci ab intellectu viatorio abſque lucis increatæ ſpeciali illuſtratione*; reſpondet affirmative *de tribus cognoſcibilibus, ſc. de principiis per ſe notis, & de concluſionibus. 2. de cognitis per experientiam. 3. de actibus noſtris poſſit naturaliter haberi certitudo infallibilis*. Quod erudite probat, & fusè.

Prob. 2. ex Script. [2] *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator eorum videri*; viſio autem ſupponit pro cognitione clara, & certa. Idem docet Apoſtolus. [3] *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ita ut ſint inexcuſabiles, quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*. Loquitur de philoſophis gentilibus, qui ſine dubio non ſic cognoverunt per auxilium gratiæ ſupernaturalis, ſed lumine, & diſcurſu naturali, ſc. ex creaturis, & operibus, per quæ Deus ſe illis manifeſtavit. Eodem tendit Pſalmiſta dicens; [4] *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. Item, *multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?* Et reſpondet ipſe, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; ergo ex puris naturalibus plura poſſunt certò cognoſci, etiam Dei exiſtentia, ut diximus aliàs.

Prob. ex SS. Patribus, & 1. ex Auguſtino, quem citat Doctor. [5] *Abſit à nobis, ut ea, quæ didicimus per ſenſus corporis, vera eſſe dubitemus, per eos quippe didicimus Cœlum, terram, & ea, quæ in eis nota ſunt nobis quantùm ille, qui nos, & ipſa condidit, innoteſcere nobis, voluit ... ſi aliquis dicat, ſcio me vivere, falli non poteſt etiam quotieſcunque reflectendo ſupra primum ſcitum*, &c. Hæc, & ſimilia docet contra Academicos, qui nihil ab homine ſciri poſſe dicebant. 2. ex S. Proſpero ejus diſcipulo, qui contra Caſſianum putantem nos per naturalem notitiam poſſe ad ſalutem ſufficere, non negat nobis ſupereſſe naturalem aliquam ſcientiam veritatis, ſed non ſufficientem. *Quid ad renovationem miſeræ vetuſtatis idoneam definit prævaricatricis ſcientiæ nuditatem?* quaſi iſta ſcientia vel *ex naturæ opibus reſidua*, *vel ex legalis doctrinæ erudi-*

[1] 1.*d*.3.*q*.4.*c*.7. [2] *Sap*.13.
[3] *Rom*. 1. [4] *pſ*.5.
[5] 15.*tr*.13.

eruditione quæſita, poſſit ſui perceptione præſtare, ut quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus. Vide, quam ſcientiam naturalem ſupponit, & quo ſenſu eam dicat inſufficientiam; nempe inſufficiens eſt, *ut, quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus, aut ullus ſit bonæ voluntatis motus, niſi quem creaverit diffuſæ per Spiritum S. charitatis affectus*; ergo non aliter negat ſcientiam aliquam veritatis poſſibilem naturaliter. Imò, *niſi enim illi, qui alieni à gratia chriſtiana quædam ad ſimilitudinem legalium mandatorum proprio judicio ſanciebant, intelligentes mores civitatum, concordiamque populorum non poſſe aliter contineri, niſi ut rectis factis præmia, & peccatis pœnæ decernerentur. Quis ambigat hanc ſapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex natura à Deo condita ſupereſſe reliqua? Si enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura.* Hinc

Prob. 4. ratione, quam tangit hic Sanctus Antiſtes. Naturæ rationalis vires non ſunt prorsùs extinctæ, ſed tantùm debilitatæ; ergo intellectus non eſt ineptus ex ſe ad omnem veritatem naturalem viribus ſuis acquirendam, potiùs quam aliæ potentiæ ad ſua objecta attingenda.

Confirmatur experientia de Philoſophis Ethnicis, & à gratia Chriſti alieniſſimis, qui tot ſcientias, & veritates nos docuerunt, & illuſtria morum præcepta tradiderunt, ut Plato, Ariſtoteles, Plutarchus, &c.

Confir. 2. ex dictis de exiſtentia Dei, quæ ſic poteſt demonſtrari ratione naturali, ut non poſſit ignorari Deus. Item de primis principiis legis naturæ, &c.

Objic. 1. ex Script. (1) videt Deus, quod *cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum*; & ex Apoſtolo, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis. ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; ergo ſine gratia nullam agnoſcimus veritatem.

Reſp. neg. conſ. vel ſic diſt. quæ ſufficiat ad credendum, vel operandum, ſicut oportet ad ſalutem, con. ſimpliciter, & abſolutè, neg. cõſ. nec enim hoc infertur ex

[1] *Gen. 6.*

ex illis textibus. 1. enim cùm dicitur; *cuncta cogitatio*; id eſt, magna pars; ſicut cùm dicitur, *omnis caro corruperat viam ſuam*, non intelligitur de omnibus omninò, ſed de maxima parte; nam de Noe dicitur, quod *invenerat gratiam coram Domino*, & quod erat *vir juſtus, atque perfectus*. Apoſtolus autem loquitur de cogitatione ſufficienti ad opera ſalutis. Nam, *quod attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non ſumus ſufficientes*, &c. inquit Auguſt. [1]

Inſt. ſcientia veritatis petenda eſt à Deo, & pro illa debemus agere illi gratias; ergo eſt donum Dei ſpeciale; nam *oratio eſt clariſſima gratiæ teſtificatio*, ait Auguſtinus: [2] *Et gratiarum actio certiſſimum ſignum beneficii gratuiti*. Prob. ant. ſi quis *indiget ſapientia, poſtulet a Deo .... poſtulet in fide, nihil hæſitans*; ergo &c.

Reſpondeo neg. conſeq. utramque, nam oramus etiam pro naturalibus donis, & de illis agimus gratias, ut pro creatione, pro ſanitate, pro pluvia, & ſimilibus, quæ pertinent ad providentiam generalem. Deinde oramus, ut faciliùs, & perfectius eas cogitationes aſſequamur.

Objic. 2. ex Concilio Milevitano, ſeu Carthaginenſi, [3] *utrumque donum Dei eſt, & ſcire quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus*. Et ex Arauſicano [4] *Divini muneris eſt, cùm recte cogitamus*. Item ibidem. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*; ergo omnis cognitio veritatis eſt ex dono Dei ſpeciali, & ſupernaturali.

Reſpondeo diſt. conſ. omnis cognitio ſufficiens ad bonum ſalutis, conc. omnis cognitio abſolutè, & ſimpliciter, neg. conſeq. nam Concilia illa loquuntur contra hæreticos negantes neceſſitatem gratiæ ad cognoſcendum, & diligendum bonum pertinens ad ſalutem: non autem ad quaſcumque cognitiones, & operationes naturales, de quibus hic loquimur. Audi Concilium [5] *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, vitæ æternæ cogitare, aut eligere poſſe confirmat abſque illuminatione Spiritus S. hæretice fallitur*. Et quando dicit hominem non habere de ſuo niſi mendacium, loquitur de homine quoad

[1] *de bo. perſever.* 12. [2] *Ep.* 95. *&* 107.
[3] *Can.* 4. [4] *Can.* 7. [5] *Can.* 7.

quoad concupiſcentiam, per quam obſcuratur ratio, & inclinatur appetitus ad peccatum, & excludit ſolas veritates ſupernaturales, & facientes ad ſalutem. *Cupiditas hominis, quæ vitium eſt, hominem habet auctorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem*, inquit Auguſt. [1]

Inſt. ex illis Conciliis, non tantùm opera juſtificationis, ſed ipſa initia juſtificationis ſunt ex gratia; ſed illæ cogitationes veritatis, & maximè ſi eſſent practicæ, eſſent initia juſtificationis; ergo illas omnes volunt eſſe ex gratia ſupernaturali. Maj. patet ex dictis de Semipelagianis. Prob. min. nam cognitio boni virtutis, & mali peccati diſponit ad amorem illius, & odium iſtius; ergo & ad juſtificationem.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. ad amorem, & odium aliquale, & imperfectum, con. ad amorem perfectum, & ſicut oportet ad juſtificationis gratiã, neg. ant. & conſ. cùm enim ille amor, vel odium illud ſint debilia, & imperfectiſſima, & naturalia; non ſunt veræ diſpoſitiones ad gratiam illam. Dico, *veræ*; nam impropriè, & remotiſſimè poſſunt aliqualiter præparare, aut juvare voluntatem ad cooperandum gratiæ excitanti, & moventi, quæ ſemper requiritur.

Objic. 3. ex Auguſt. [2] qui multoties inculcat regulas cognitionum, & judiciorum noſtrorum ſcriptas non eſſe, *niſi in libro illo lucis illius, qui veritas dicitur.* Unde ſic loquitur ad contradictorem. *Si ambo videmus verum, nec tu in me, nec ego in te, ſed ambo in ea, quæ ſupra mentem eſt, incommutabili veritate*; ergo naturaliter, & ſine gratia non cognoſcitur ulla veritas. Et ratio eſt, quia, inquit, [3] *ad veritatem non niſi puræ animæ pertingunt*; puritas autem non habetur ſine gratia; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam vel Auguſtinus loquitur de veritatibus ſupernaturalibus, & ſalutis, vel de regulis, in quibus naturales cognoſcuntur, quæ ſunt prima principia ſcientiarum naturalium per ſe nota, quæ dicit cognoſci in regulis æternis, id eſt in lumine ipſo naturali, quod indidit mentibus humanis per aliquam ſui luminis increati participationem. Illa autem prima

[1] 1. *de gr. Ch.* 20. [2] 13. *tr.* 15. 12. *confeſſ.* 25.
[3] 83. *qq.* 49.

ma principia, & concluſiones ex illis immediatè manantes ſunt æternæ, & incommutabilis veritatis, ut dici ſolet in Philoſophia. Quantùm ad puritatem, quam requirit, non eſt puritas ſanctitatis, & gratiæ, ut patet in Philoſophis Ethnicis, ſed ſubtilitas, & claritas naturalis intellectus.

Objic. 4. ut intellectus noſter naturaliter aſſequatur veritatem, debet ei venire ſpecies objectorum per ſenſus ita fideliter, ut non decipiatur; ſed hoc fieri non poteſt ſine providentia ſpeciali Dei, ſc. diſponentis, ut à ſenſibus, vel ab objectis, aut mediis non decipiantur ipſimet ſenſus, ut ſæpe contingit; ergo non poteſt naturaliter, & ſine ſpeciali gratia cognoſci ulla veritas, etiam naturalis.

Reſp. neg. min. nam experientia conſtat, nec ſenſus, nec ipſum intellectum ſemper errare. Et certè objecta, & media concurrunt naturaliter, id eſt determinatè ad ſui ſenſationes; & ſimiliter ſpecies eorum cum ſenſibus, & cum ipſo intellectu; ergo ſicut verum, & reale eſſe habent, ita veras, & reales ſpecies emittunt, & ex providentia generali ſic diſponuntur inter ſe, ut non decipiant; imò eſſet quaſi miraculum, ſi aliter diſponerentur. *Dei perfecta ſunt opera.*

Dixi autem *aliquas veritates*; non autem omnes; ſaltem collectivè. Nam virtus intellectiva eſt infirma, & limitata; ideò non poteſt omnia ſcire, & tot veritates penetrare, & complecti, & longè plura ignorat, quàm ſciat. Nondum potuit ſcire cauſam ventorum, nec æſtus maris. Hæc autem impotentia non eſt quidem phyſica, ſed moralis, ob graves difficultates, & impedimenta, quæ ſuperare non poteſt in hac mortali vita ſine ſpeciali providentiæ gratia. Ea ſunt inter cætera. 1. vitæ brevitas, & multitudo ſcibilium, & labor diuturnus ſtudiorum, quippe ars longa, vita brevis. 2. infirmitas ſenſuum, & potentiarum externarum, quæ longiori, & acriori applicatione debilitantur, & ſpiritibus exhauriuntur. 3. ex corporis totius corruptibilitate, mortalitate, & hebetudine. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem.* 4. paſſionum turbationes, & motus. 5. vitæ humanæ labores, ſollicitudines, & curæ, quibus animus diſtrahitur; & alia hujuſmodi, quæ à ſtudiis ſcientiarum avertunt, niſi animus per

lumen

lumen, & robur gratiæ roboretur, & purifice-tur.

Dices: naturaliter appetimus omnia ſcire; ergo id poſſumus naturaliter, nam ille appetitus non eſt fruſtra.

Reſp. diſt. ant. omnia ſcire ſaltem diviſivè, & intenſivè, con. collectivè, & extenſivè, neg. ant. nulla eſt veritas naturalis, quæ non ſit ſcibilis, & quam non appetamus, aut poſſimus ſcire; imò & quoad principia quædam generalia, & prima poſſumus aliqualiter attingere; & hoc ſufficit, ut ille appetitus non ſit fruſtra; ſed collectivè, & extenſivè non poſſumus, nec moraliter appetimus.

Quæres, *an gratia, ſeu beneficium, quo quis omnia ſciret, eſſet ordinis ſupernaturalis, aut naturalis.*

Reſp. fore ſupernaturale, ſaltem per accidens, & quoad modum; quia propter rationes allatas, & difficultates non poſſet haberi viribus naturæ.

CONCLUSIO II.

H*Omo naturaliter, & ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio poteſt aliquas cognoſcere veritates morales, & practicas ordinis naturalis; non tamen omnes.* Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, (1) & Auguſtino, quem citat dicentem, quòd *philoſophi neſcientes, ad quem finem referenda iſta eſſent, inter falſa, quæ locuti ſunt, verum potuerunt videre.* Et, *quid prodeſt noſſe quò eundum ſit, ſi ignoretur via, qua eundum ſit? in hoc enim errabant philoſophi, quia etſi aliqua de virtutibus vera tradiderunt, tamen falſa miſcuerunt ſecundum præcedentem auctoritatem Auguſtini, & patet ex eorum libris*; ergo ex Scoto poſſunt naturaliter cognoſci plures veritates morales, & practicæ; quales ſunt de virtutibus, de quibus plura vera ſcripſerunt philoſophi Ethnici, & alieni à gratia; ſed non omnes, quod clariùs docet dicens, *ratio oſtendit naturæ intellectuali eſſe aliquid ſummè diligendum*, &c. Et ſic ratio naturalis dictat Deum, qui eſt ſummum ens, ſeu bonum infinitum, eſſe ſummè diligendum, &c. de quo infrà.

(1) q. 1. prol. N. 23.

Prob. 2. ex Apoſtolo (1) arguente eoſdem philoſophos ut inexcuſabiles, quia *cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt*; ergo cenſet Apoſtolus philoſophos non tantùm agnoviſſe naturaliter Deum eſſe, ſed etiam ipſum eſſe glorificandum cultu proportionato. Item clariùs docet, quod *gentes, quæ legem* (Moyſi, vel Chriſti) *non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt..ipſi ſibi ſunt lex* &c.ſed hoc non facerent naturaliter, ſi facerent ex gratiæ ſupernaturalis auxilio; ergo &c.

Prob. 3. ex Patribus. Nam (inquit Chryſoſt.) (2) *in natura noſtra inſita eſt ſcientia boni, & mali. Nullus igitur prætexat, quod ignorans virtutem negligat*: & alibi: *ſufficientem magiſtrum habemus conſcientiam, & fieri non poteſt, ut quis illo adjumento privetur; nam ſimul cum formatione hominis inſita eſt ſcientia faciendorum, & non faciendorum*. Et Auguſtinus. *Lex tua ſcripta eſt in cordibus hominum, quam non ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* &c. Et ſic de aliis.

Prob. 4. tum quia de facto nullus eſt ſanæ mentis, qui ignorare poſſit has generales regulas morum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Et, *Deus eſt colendus*; & *parentes honorandi*, &c.plurimæ aliæ hujuſmodi regulæ morum ſunt objecta proportionata intellectui noſtro; tum quia plurimæ illæ regulæ non excedunt attingentiam naturalem hominis, cùm ſint purè naturales. Tum 3. quia niſi naturaliter poſſet homo eas attingere, ita nec peccare naturaliter contra illas: quia earum cognitio naturalis eſſet impoſſibilis; ſed hoc eſt falſum, & abſurdum, & contra Scripturam, & Patres citatos; ergo &c.

Confirmatur hoc ex Auguſtino docente legem naturalem ſcriptam eſſe in cordibus noſtris, quandoquidem *manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet & unde judicarentur, quibus lex non eſſet data; ſed ne ſibi homines aliquid defuiſſe conquererentur, ſcriptum eſt in tabulis, quod in cordibus non legebant*, &c. Inde queritur Cyprianus poſt Tertullianum: *Hæc*

[1] *Rom.* 1.
[2] *Ho.* 5. *&* 54. *in Gen.*

eſt ſumma deliƈti nolle cognoſcere quem ignorare non poſſit: ſc. non poteſt ignorari Deus, nec prima, & generalia principia legis naturæ.

Objic. 1. ſi homo poſſet naturæ viribus acquirere notitiam veritatum moralium, poſſet etiam acquirere habitum prudentiæ ſine auxilio gratię;ſed conſequens eſt falſum: nulla enim virtus vera poteſt acquiri ſine gratia, ergo nec cognitio veritatum, quæ ſpeƈtant ad prudentiam.

Reſpondeo diſt. maj. poſſet acquirere prudentiam aliqualem, & imperfeƈtam, con. maj. & neg. min. perfeƈtam, & qualis neceſſaria eſt ad vitandum peccatum, & acquirendam gratiam, neg. maj. & conſ. nam ipſe Chriſtus aliqualem prudentiam tribuit filiis tenebrarum, in qua ſuperant filios lucis, ſc. opera nequitiæ ſuæ.

Objic. 2. ex Patribus. Peccatum excęcavit intelleƈtum hominis, ita ut de ſe neſciat niſi errare, & approbare falſa pro veris; ergo tantùm abeſt, ut ſine gratia medicinali poſſit aſſequi ullam veritatem praƈticam. Prob. ant. ex Euangelio de cęco nato, quem dicunt Patres eſſe figuram hominis lapſi. *Quis cæcus ille fuerit juxta hiſtoriam ignoramus*, ait Gregor. (2) *ſed tamen quid per myſterium ſignificet novimus, cæcus quippe eſt genus humanum*, &c.

Reſpondeo diſt.ant. excęcavit per privationem luminis gratiæ, & notitiæ cognitionum ſupernaturalium, con. quoad lumen rationis naturalis, & cognitionis naturalis, neg. ant. & conſ.privatus eſt per peccatum lumine ſupernaturali fidei, & id notat Gregor *claritatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur*. Caret ergo lumine neceſſario ad cognitionem veritatum ſupernaturalium; imò & debilitata eſt ratio per inſultus, & vapores paſſionum,quibus obſcuratur judicium, & ſæpiùs depravatur, ut mox patebit.

Notandum tamen, quod etiam Patres ſæpiùs, imò communiter cognitiones quarumlibet veritatum vocant dona Dei, & gratias, latè ſumptis vocibus *gratiæ*, & *doni*: non autem propriè pro beneficiis naturæ ſuperadditis, & prorſus indebitis. Nam (inquit S. Thomas) *dicendum, quod omne verum, à quocumque*

D 2 *dicatur*,

[1] *Hom.* 11. *in Euang.*

dicatur, *eſt à Spiritu S. ſicut ab infundente naturale lumen*, *& movente ad intelligendum*, *& loquendum veritatem*; *non autem ſicut ab inhabitante per gratiam gratum faciente*, *vel largiente aliquod habitualè donum naturæ ſuperadditum*. Sic facilè conciliabuntur Patres, & Theologi, dum aliqui omnem cogitationem, & cognitionem veritatis tribuunt dono Spiritus S. alii naturali virtuti.

Dixi: *non tamen omnes*, ob eaſdem rationes, quas attuli pro ſimili limitatione præcedentis concluſionis; quia tam valent pro veritatibus practicis, & moralibus, quàm pro ſpeculativis.

CONCLUSIO III.

G*Ratiæ auxilium abſolutè eſt neceſſarium homini ad cognitionem veritatum ſupernaturalium*, *& ut credere poſſit ſicut oportet ad ſalutem*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto (1) citato, qui contra philoſophos probat *neceſſariam nobis eſſe ſcientiam ſupernaturalem*, *& revelatam*, quia *homo ex naturalibus non poteſt ſcire finem ſuum diſtinctè*, *nec omnes conditiones ejus*. Nam, inquit, *omni cognoſcenti*, *& agenti propter finem neceſſaria eſt triplex cognitio*. 1. *quomodo*, *& qualiter finis acquiratur*. 2. *cognitio omnium*, *quæ ſunt neceſſaria ad finem*. 3. *quod iſta omnia ſufficiant ad talem finem*.... *ſed hæc tria non poteſt viator ratione naturali cognoſcere*, &c. ergo ad hoc neceſſarium eſt auxilium gratiæ ſupernaturalis.

Prob. 2. ex Script. (2) *Omnis*, *qui audit à Patre*, *& didicit*, *venit ad me*; ergo omnis, qui venit ad Chriſtum per fidem, aut aliud lumen, iſtud audit, id accipit à Patre. Et de Judæis dicitur, quòd *proptereà non poterant credere*, *quia dixit Iſaias*, *excæca cor populi hujus*, *& aures ejus aggrava*; excœcatio autem non fit niſi per ſubtractionem luminis divini, ſeu gratiæ! Ideò Paulus dicit de ſeipſo: *miſericordiam conſecutus ſum*, *ut ſim fidelis*, non dixit, *quia fidelis eram*, *ſed ut fidelis eſſem*, *oſtendens ipſam fidem niſi à Deo miſerente non poſſe eſſe*, ait Auguſt. (3)

&

[1] *Ibid. B.* 8. [2] *Jo.* 6.
[3] *de gra. & lib. arb.* 7.

& eſſe donum Dei. Quod clariùs definit idem Paulus: *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Et alibi: *gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt*. Et alibi: *vobis donatum eſt, ut non ſolùm in eum credatis, ſed etiam ut pro eo patiamini*. Quippe, inquit Auguſt. *utrumque ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium*.

Prob. 3. ex Concil. (1) nam *donum Dei eſt & ſcire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus*, ait Concil. Carthaginenſe: & infra: *divini eſt muneris cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia tenemus*: Sc. ſine gratia in errores labimur. Et ex Tridentino (2) dicitur anathema aſſerentibus *hominem poſſe credere ... ſicut oportet ſine præveniente Spiritus S. gratia, atque adjutorio*.

Probatur 4. ex aliis Patribus. Nam, inquit Ambroſ. *non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes*. Et S. Iſidor. *doctrina ſine adjuvante gratia quamvis infundatur auribus, ad cor nunquam deſcendit; foris quidem perſtrepit, ſed interius nihil proficit*; ergo tantùm abeſt, ut doctrinam ſalutis propriis viribus acquiramus; cùm ne quidem auditam, & acceptam ab aliis poſſimus ſine auxilio gratiæ capere, & in ea proficere. Quod pluries confirmat Auguſtinus. (3) *Multi audiunt verbum veritatis, ſed alii credunt, alii contradicunt .... cum aliis præparatur voluntas à Domino*, &c. Et hoc patet ex Scriptura. Quia *neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus*.

Probatur 5. ratione petita ex aliis principiis fidei. Nam de fide eſt, non ſolùm merita perfecta, ſed etiam ipſa meriti initia eſſe ex gratia; ſed piæ cogitationes, & cognitiones veritatum ſalutis, uno verbo initia fidei ſunt initia bonorum operum, & meritorum; ergo & cognitiones veritatum fidei, & ſalutis. Maj. conſtat ex dictis, & magis conſtabit ex dicendis. Min. etiam patet, nam cum voluntas non feratur in incognitum, prius eſt objecta cognoſci ab intelle-

[1] *Can. 4. & 9.* [2] *Seſſ. 6. 3.*
[3] *de prædeſt. 6.*

tellectu, quàm proponantur voluntati amanda, aut fugienda: unde, inquit Auguſt. (1) *Reſtat, ut ipſam fidem non humano, quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis: quoniam inde incipiunt bona quæcumque ſunt merita: ſed gratuitum donum eſſe fateamur, ſc. gratiam veram, id eſt ſine meritis cogitamus.*

Confir. Nam ſi graves authores vix, aut ne vix quidem admittunt cognitiones, & cogitationes practicas ex viribus naturæ, & naturaliter ſine gratiæ ſpecialis auxilio; à fortiori hoc dicendum eſt de ſupernaturalibus.

Objic. 1. con. 2. p. ex Script. in nobis adſunt naturaliter initia quædam bonæ voluntatis, per quæ fidem deſideramus, & petimus; ergo & in intellectu cogitationes ad talia deſideria, & petitiones Conſ. patet; nihil enim volitum, quin præcognitum. Prob. ant. nam gratia Dei non datur niſi volenti, & petenti. (2) *Ad vocem clamoris tui, ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi*. Et Chriſtus monet: (3) *Petite, & accipietis*. Et Paulus. (4) *Velle adjacet mihi; perficere autem non invenio*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. initia bonæ voluntatis ex gratia excitante, & præveniente, con. ſine tali gratia, neg. ant. quod patet ex ipſis textibus Scripturæ allatis; non enim clamamus, nec petimus, niſi ex divina monitione, & motu. Unde ſapiens dicit de ſapientia, quod *præoccupat, qui ſe concupiſcunt*. Et, *inventus ſum à non quærentibus*. Et, *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*. Et, *Deus eſt, qui operatur in nobis velle*, &c. Et, *quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*. Unde inquit Auguſtinus, *homo præparat, non tamen ſine adjutorio Dei, qui ſi tangit cor, homo præparet cor .... ſi ſine illo nihil poſſumus facere; ergo nec incipere, nec perficere, quia ut incipiamus, dictum: miſericordia ejus præveniet me*, &c.

Objic. 2. Hæretici credunt aliquot fidei myſteria, v. g. Trinitatis, Incarnationis, &c. ſed illis non datur gratia ad tales actus; ergo poſſunt agnoſci veritates ſupernaturales ſine gratia.

Reſp. neg. min. Nam ſi hæretici verè, & ſyncerè credunt,

[1] *Ep.* 105. [2] *Iſa.* 3.
[3] *Luc.* 12. [4] *Rom.* 7.

dunt, & ſicut oportet, id fit ex Dei revelatione ; ergo ex gratia ſupernaturali, & ſi ex revelatione humana, ſemper originaliter id fit ex divina facta illis, à quibus hæc audiunt, & tunc non eſt vera fides divina, ſed humana: nec etiam puto eos hæc poſſe verè credere ſine gratia. Fides iſta eſt quoddam Dei donum, *ſed exhæredatorum*, ait Auguſt. [1] & certè non omnes, qui audiunt etiam à Deo, vel hominibus, propterea credunt ſaltem ſicut oportet.

Objic. 3. Deus à nobis exigit fidem; ergo eſt in noſtra poteſtate ; ſed non eſſet in noſtra poteſtate, ſi non poſſet haberi ſine gratia ſupernaturali ; hæc enim non eſt in noſtra poteſtate ; ergo &c.

Reſp. diſt. 1. conſ. eſt in noſtra poteſtate mediante Dei auxilio, con. ex viribus ſolius naturæ, neg. conſ. nam, ut fides ſit in noſtra poteſtate, ſufficit, quod Deus nos excitet ad credendum, & ad petendam fidem, & paratus ſit ad hoc præbere auxilia neceſſaria.

Objic. 4. Omnis veritas continetur ſub objecto intellectus noſtri ; ergo omnis veritas poteſt naturaliter ab eo cognoſci : omnis enim potentia poteſt naturaliter attingere ſuum objectum.

Reſp. diſt. ant. Sub objecto naturalis, aut ſupernaturalis attingentiæ, conc. naturalis attingentiæ, neg. ant. & conſ. nam ſub objecto adæquato intellectus, ſicut & voluntatis, continentur objecta particularia naturalis attingentiæ, & alia ſupernaturaliter tantùm attingibilia, ut diximus alias.

Inſt. Si quid obeſſet attingentiæ naturali talium veritatum, maxime ſupernaturalitas; ſed hæc ratio nulla eſt ; ergo &c. Prob. min. nam aſſenſus hæretici myſterio Trinitatis v. g. eſt naturalis ; aſſenſus verò Catholici eſt ſupernaturalis ; nec facilè in his diſcernitur naturalitas, & ſupernaturalitas ; nam uterque credit ex eodem motivo revelationis divinæ ; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. 1.p. ant. prob. aſſenſus hæretici, ſi ſit ex motivo revelationis naturalis, & humanæ, & ſine auxilio gratiæ, con. ſi ſit ex motivo revelationis divinæ, cum auxilio gratiæ, neg. ant. nam ex utroque capite erit ſupernaturalis. An autem ita ſit, ſc. an ex motivo divino, & ſupernaturali auxilio, non

 puto:

[1] *De patient.* 28.

puto: alioqui tam crederet aliis articulis, in quibus errat, quam iſti. Eſt ergo aſſenſus, & actus purè naturalis ex aliquo habitu fidei acquiſitæ, & motivo purè naturali revelationis humanæ, quamvis putet, & aſſerat ſe credere ob Dei revelationem.

QUÆSTIO II.

De neceſſitate gratiæ ex parte voluntatis. An homo lapſus poſſit elicere aliquem actum moraliter bonum, & ſalutarem ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio.

AD bene operandum non ſufficit excitari, illuſtrari, & juvari intellectum, ſed etiam moveri, & juvari voluntatem, quæ dicitur per peccatum curvata, & inclinata ad malum; ſed quæritur, an ita ſit depravata, & debilitata, ut nullum prorſus actum moraliter bonum, ſeu honeſtum, ordinis naturalis, poſſit ſe ſola, & cum generali Dei concurſu efficere. In hoc præcipuè verſabatur controverſia inter Patres Eccleſiæ, & Pelagianos, ac Semipelagianos, ut monuimus ab initio, quòd illi hæretici vellent gratiam ad opera ſalutis eſſe utilem, ſc. ad operandum facilius, & perfectius, non autem neceſſariam abſolutè, & ſimpliciter. Semipelagiani autem volebant eam non eſſe neceſſariam ad primos aliquos actus bonos, quibus homo ſe diſponebat ad gratias à Deo impetrandas, ſine quibus non poterat coſummare opera ſalutis.

In aliud extremum impegerunt Lutherus, & Calvinus, dicentes hominem in ſtatu naturæ lapſæ non poſſe, nequidem cum gratia, quidquam boni ad ſalutem operari, ſed omnia opera ejus eſſe peccata; licèt ei non imputentur propter fidem Chriſti. Huſſitæ verò dicebant non ſolùm requiri gratiæ actualis auxilium, ſed etiam gratiam ſanctificantem, ita ut omnia, quæ fiunt extra ſtatum illius gratiæ, ſeu in ſtatu peccati, ſint peccata, & hic error damnatus fuit in Concilio Conſtantienſi. Prope ad ipſum acceſſit Bajus, (1) docens inter alia, quòd *omnia opera infidelium ſunt peccata*, & quod *virtutes Philoſophorum ſunt*

(1) *Propoſ.* 25.

ſunt vitia. Quod damnatum eſt à tribus SS. Pontificibus, ut dictum eſt.

Porrò opera bona, de quibus poteſt eſſe quæſtio, alia ſunt *purè naturalia*, ſc. quæ ſolo lumine, & viribus naturæ ob finem etiam pure naturalem fiunt, ut cùm Ethnicus facit eleemoſynam ex pura miſericordia naturali, non reſpiciens aliud, quàm levamen temporale miſeri, prout ſibi dictatur à lege, ſeu ratione naturæ, quam Deus inſcripſit cordibus hominum: vel ſunt *ſupernaturalia*, quia eorum bonitas cognoſcitur à lumine fidei; eliguntur motu gratiæ ſupernaturalis, & fiunt ex motivo, & fine aliquo pariter ſupernaturali: Ut ſi fiat eleemoſyna ex directione fidei, & ex amore Dei, & in ordine ad propriam ſalutem; hoc vocat Concilium operari, ſicut oportet, ad ſalutem, ſc. cum omnibus circumſtantiis requiſitis ad meritum ſalutis æternæ. De utriſque procedere poteſt quæſtio; ſed priùs de ſupernaturalibus agemus.

CONCLUSIO I.

H*Omo ſine ſupernaturalis gratiæ auxilio non poteſt ullum opus bonum morale, & ſalutare operari*. Eſt de fide contra Pelagianos, & Semipelagianos.

Prob. 1. ex Scoto (1) docente contra philoſophos, quod ſine ſupernaturali lumine homo non *poteſt cognoſcere diſtinctè finem ſuum ultimum; ergo neceſſaria eſt ſibi de hoc tradi aliqua cognitio ſupernaturalis*. Solide probat ant. item docet, quòd *cognoſcenti, & agenti propter finem neceſſaria eſt triplex cognitio. 1. quomodo finis acquiratur. 2. cognitio omnium, quæ ſunt neceſſaria ad finem, ſc. mediorum. 3. quod omnia hæc ſufficiant ad talem finem. Hæc autem tria non poteſt viator ratione naturali cognoſcere*. Et infra concedit Deum eſſe finem naturalem hominis, *licet non naturaliter adipiſcendum, ſed ſupernaturaliter;* ergo ex Scoto non poteſt homo ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio nec cognoſcere, nec acquirere per ullum opus ſalutare finē

[1] *q. 1. prol. B. 6.*

ſuum ultimum. Alios textus adduximus ſupra, ubi de mente ejus circa neceſſitatem gratiæ.

Prob. 2. ex Scriptura citata pro neceſſitate gratiæ ex parte intellectus. Item ex aliis, quibus docemur Deum dirigere nos, ne cadamus, vel ut relevemur, &c. *Ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Et, *à Domino greſſus hominis dirigentur.* Et, *niſi D. ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et, *non poſſum eſſe continens, niſi Deus det.* Et, *nemo poteſt venire ad me, niſi pater traxerit eum.* Vel, *niſi fuerit ei datum à patre meo.* Et, *ſine me nihil poteſtis facere.* Et, *Deus eſt, qui operatur in nobis,* &c. Et, *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

Prob. 3. ex Conciliis: 1. ex Concil. Dioſpolit. in quo damnatus eſt 7. articulus inter alios, quo Pelagius dicebat, (1) *gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed de libero arbitrio eſſe vel in lege, atque doctrina.* Et in Milevit. ſeu Carthag. *utrumque donum Dei eſt, & ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Et Arauſic. II. *ſi quis dixerit per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare, aut eligere poſſe... abſque illuminatione SpiritusS.... fallitur hæretico ſpiritu.* Et infrà: *Divini eſt muneris, cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia abſtinemus; quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum ut operemur operatur.* Et Trident. [2] *ſi quis dixerit ſine præveniente Spiritus S. operatione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anath. ſit.*

Prob. 4. ex SS. Patribus. *Si poſſibilitas naturalis per liberum arbitrium & ad cognoſcendum quomodo vivere debeat, & ad bene vivendum ſibi ſufficit; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt,* inquit Auguſt. qui tot voluminibus id propugnat contra Pelagium, Cœleſtium, & Julianum, & contra Semipelagianos. Et cùm objicerent illi, quòd talis neceſſitas inferebat negationem liberi arbitrii, reſpondebat, non *ideò tollitur liberum arbitrium, quia juvatur, & ideò juvatur, quia non tollitur.* Et S. Hieronymus [3] idem reſpon-

[1] *cap. 4. Can. 7. & 9.*
[2] *ſeſſ. 6. can. 3.*
[3] *Ep. 89.*

reſpondebat: *velle eſt meum, & currere eſt meum, ſed ipſum meum ſine Dei auxilio non eſt meum.*

Prob. 5. nam opera diſpoſitiva ad gratiam, vel gloriam ſunt abſolutè ſupernaturalia, ut ſuppono ex dicendis, ſicut & ipſa gratia; nam media debent eſſe proportionata fini; ergo & gratia, ſeu conſenſus ad illa. Prob. conſ. etiam ex dictis. Nam ſupernaturalitas petitur ex parte agentis, quod eſt extra ordinem agentium naturalium; ſed gratia, ſeu concurſus Dei ad opera noſtra ſe tenet ex parte principii activi; ergo ad actus ſupernaturales debet eſſe ſupernaturalis.

Objic. 1. ex Script. [1] orationes, & eleemoſynæ Cornelii *aſcenderunt in memoriam in conſpectu Domini*; ſed illa opera erant purè naturalia; nam ille erat gentilis, & nondum fidelis, & ideò ſine gratia ſupernaturali; ergo ſine hac gratia poteſt homo ſe diſponere ad ſalutem.

Reſp. neg. min. & diſt. rationem ejus. Erat gentilis, & ſine gratia habituali, ſine fide actuali, & explicita, & nondum juſtificatus, con. ſine gratia actuali, & fide aliquali ſaltem inchoata, & implicita, neg. min. nam inquit Auguſt. (2) *antequam in Chriſtum crederet, & cum credidiſſet, quidquid bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt.*

Inſt. Opera, quibus præparamur ad gratiam, & quibus meremur gloriam, ſunt noſtra, & à nobis; ergo non ſunt ſupra vires noſtras naturales; quia homo non eſt agens ſupernaturale. Prob. ant. ex Script. qua imperantur nobis talia opera. (3) *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Et, *hominis eſt animam præparare*: ſed fruſtra præciperentur nobis illa opera, niſi eſſent in noſtra poteſtate; ergo &c.

Reſp. diſt. conſ. & min. prob. ſupra vires noſtras ſuppoſito Dei adjutorio ſpeciali, con. ſupra vires noſtras nudas, neg. conſ. & min. nam ut fruſtra, ſed juſtè præcipiantur, & ſint noſtra, ſufficit, quod per vires innatas poſſimus iſta opera exequi cum Dei adjutorio ſpeciali, & gratia excitante, & movente, quam Deus ſemper paratam offert, imò & qua nos prævenit, & movet. Ideò poſtquam dixit Deus per prophetam; [4] *convertimini ad me, & ego convertar ad vos;* re-

[1] *act.* 10. [2] *de præd.* 7.
[3] *Matth.* 19. [4] *Zachar.* 1.

pondere docemur, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*: Ut ſc. agnoſcamus infirmitatem noſtram, & indigentiam gratiæ prævenientis, ut docet Concilium Tridentinum. Et revera operamur, ſed *ſimul Deus operatur in nobis velle, & perficere*.

Inſt. ſi per gratiam Deus ſic operaretur bona, vel ita operaretur in omnibus, vel in aliquibus; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non in omnibus: alioqui omnes benè agerent, & ſalvarentur, quod falſum eſt; ergo &c. 2. non in aliquibus, quia ſic acceptor eſſet perſonarũ, & aliàs non peccarent; quia impoſſibile eſſet eis bene operari; ſed hæc etiam falſa, & abſurda ſunt; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam ex parte ſua Deus offert gratias ſufficientes omnibus, quibus cooperari poſſunt, ſi velint, & qui volunt, & cooperantur, ut faciunt aliqui, ſalvantur: qui verò non cooperantur, ut faciunt plurimi, puniuntur. Ad 2. prob. negant aliqui maj. nam ſuppoſito, quòd Deus non daret auxilia ſufficientia omnibus, adhuc non eſſet injuſtus, nec acceptor perſonarum, quia Deus illis nihil debet, qui non acciperent; ideò non acciperent, quia per peccatum originale, aut perſonale eſſent indigni. Sed prior ſolutio magis placet, ut dicemus.

Objic. 2. Si non poſſet homo bene operari ad ſalutem ſine gratia, non haberet liberum arbitrium, aut nihil inſerviret illi; ſed conſ. eſt falſum, & contra nos; ergo & ant. prob. maj. quia illa opera non eſſent in ejus poteſtate, & gratia illi noceret, quia illa opera eſſent non ab illo, ſed à gratia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. imò gratia illud adjuvaret, ut poſſet operari bonum, ad quod de ſe eſſet impotens.

CONCLUSIO II.

Nequidem ullum initium fidei, aut ſalutis poſſibile eſt homini ſine gratia. Eſt etiam de fide contra Semipelagianos.

Prob. 1. ex Scoto cit. *Ponitur, quòd ad actum meritorium non ſufficit voluntas, nequidem cum charitate, ſed requiritur influentia ſpecialis, non formæ per-*

permanentis, ſed moventis; ergo Scotus requirit motionem gratiæ actualis, ſeu moventis ad actus meritorios, & per conſequens ad actus, quibus diſponimur ad iuſtificationis gratiam.

Prob. 2. ex iidem textibus Scripturæ, quibus probatur præcedens; nam ſi fides eſt abſolute donum Dei, ita & initium ejus: nec enim homo talem gratiam partiri debet cum Deo, ut initium ejus ſit ex nobis, & finis, ſeu poſterior pars ſit Dei. Tam initium, quàm perfectionem boni operis Deo tribuit. *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipſe perficiet*, ait D. Petrus: Scriptura, inquam, loquitur abſolutè, *nemo venit ad me, niſi pater traxerit eum*. Item: *ſine me nihil poteſtis facere*; qui enim dicit, *nihil*, tam excludit parum, quàm multum, notat Auguſtinus. Et, *temeritas eſt hominem componere ſe Deo. Si non pertinet ad gratiam, quod* (credere) *cœpimus, ſed illud potiùs, quod propter hoc probis additur, ut pleniùs, perfectiuſque credamus, ac per hoc initium fidei noſtræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis, & ſupplementum ejus* ..... audi Apoſtolum: *Vobis datum eſt non ſolum, ut in eum credatis .... non ait, ut plenius, & perfectius credatis in eum*; ſed (abſolutè, & ſimpliciter) *ut credatis in eum* &c.

Prob. 3. ex Concil. [1] nam in Arauſicano cit. definitur. *Si quis ut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus ... non per gratiæ donum, id eſt per inſpirationem Spiritus S.... ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur, Beato Apoſtolo Petro dicente, quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipſe perficiet*, &c. Idem patet ex Trident. (2) citato in præcedenti.

Prob. 4. nam diſpoſitiones ad actus, & formas ſupernaturales debent eſſe ejuſdem ordinis: ſed actus completus fidei eſt donum Dei, & ſupernaturalis; ergo & initium, & diſpoſitio ad illum.

Confir. nam intellectus non aſſentitur fidei ſine bono motu voluntatis, qui dicitur *pia affectio*; ſed ille motus eſt à gratia, & eſt ſupernaturalis; alioqui effectus ſuperaret cauſam ſuam; ergo &c.

Objic. 1. Scotus docet, (3) quod peccator in peccatis

[1] *Can.* 5. [2] *ſſ.* 6.
[3] 4. *d.* 14. *q.* 2. *N.*

tis exiſtens *ex naturalibus cum communi influentia poteſt conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam, & ut averſivum à Deo ..... & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarum rationum peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ*, &c. ergo ex Scoto poteſt homo naturaliter ſe diſponere ad gratiam remiſſionis peccati; ergo à fortiori aliquod initium fidei, & ſalutis eſt à nobis ſine gratia.

Reſp. nego conſ. nam alioqui Scotus incidiſſet in errorem non tantùm Semipelagianorum, ſed etiam Pelagianorum. Unde omnes ejus interpretes notant, quod per ly, *ex naturalibus, & communi influentia*, non excludit influxum gratiæ actualis, ſed tantum habitualis, ut doctè probant Cavellus in ſcholio ad illum textum, & Macedo, & Hiquæus in eum locum, &c. uno verbo per naturam puram, *vel ex naturalibus*, vel *communi influentia*, intelligit naturam nudatam habitu gratiæ ſanctificantis, ſeu caritatis, & maximè in hoc loco, nam motiva illius attritionis, de qua loquitur, ſupponunt neceſſariò fidem, ut legenti patet, & hoc Tyronibus valdè notandum, & alte retinendum, pro juſtificatione Doctoris, quem multi ſuſpicantur favere Pelagio.

Objic. 2. ex Script. dicit Apoſtolus: [1] *velle adjacet mihi, perficere autem non habeo*; ergo ſola gratia perficiens, non incipiens deeſt ad converſionem. Confir. de Zachæo, & Latrone, qui per pia deſideria meruerunt gratiam Chriſti, ille ſiquidem aſcendit in *Sycomorum quærens videre Jeſum*, & iſte de Cruce oravit, cum uterque eſſet adhuc ſine fide, & peccator, *Domine memento mei*, &c. Sic Iſaias [2] dicit Deum aſpicere ad opera, & preces, & deſideria, ut audiat. *Ad vocem clamoris tui ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi*, ſc. Deus: & ipſe Deus monet per Davidem, [3] *invoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me*, ſeu, *in tribulatione invocaſti me, & liberavi te*, &c. ergo gratia non prævenit abſolute nos, ſed per quædam initia præparamus nos ad eam.

Reſp.

[1] *Rom.* 7. [2] *Iſa.* 30. [3] *Pſ.* 80.

Reſp. nego conſequentiam, nec enim ſequitur ex illis locis, licet ibi Deus videatur aſpicere ad voces clamorum, & precum, & deſideriorum per gratias comitantes, & conſequentes, quæ per prævenientes inſpirat. ſic Zachæum, & latronem vocaverat internis inſpirationibus, & externis miraculis, & exemplis. Sic Paulum [1] cœleſti voce, & luce; & ex tunc ipſum velle inſpiravit ei, ideò ipſe confitetur, quòd *non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis ipſis*, & quòd *Deus operatur in nobis velle, & perficere*. Pro quo vide S. Auguſtinum, & Proſperum.

Obiic. 3. ex eadem Scriptura, Chriſtus exprobrat Phariſæis, quod naturali judicio diſcernebant, quod juſtum eſt. [2] *Quid ex vobis ipſis etiam non judicatis, quod bonum eſt?* hoc autem non faciebant ex gratia. Sic deſiderium Davidis (3) de templo Dei ædificando non inſpiravit Deus, quandoquidem non acceptavit illud, ſed potiùs impedivit, *ne opere compleat votum*, ut loquitur Salomon, votum tamen illud non erat malum, ſed bonum in Davide; ergo non omnia pia deſideria, & initia pietatis ſunt ex gratia.

Reſp. nego conſ. nam licèt Phariſæi ex naturali rationis lumine poſſent diſcernere bonum naturale à malo pariter naturali, non ſequitur, quòd per hoc diſponerentur ad gratiam, ſed ideò reprehenduntur, quia rationis illius naturalis ductu non operabantur bonum cognitum. De Davide autem malè infertur deſiderium ejus non placuiſſe Deo, nec ab ipſo fuiſſe inſpiratum; licèt non permiſerit illud impleri. Sicut nec in Abraham non permiſit compleri ſacrificium in filio, quod videbatur illi præcepiſſe, unde ſepius deſiderium, & volitionem bonorum operum inſpirat, imo & præcipit, & executionem non permittit; ſic deſiderium martyrii pluribus ſanctis inſpirat, & in ordine ad præmium acceptat, &c.

QUÆ-

[3] 2. *cor.* [2] 3. *Phi.* 1. [1] 3. *Reg.* 6.

QUÆSTIO III.

De neceſſitate gratiæ actualis ad opera bona ordinis naturalis.

Vidimus in præcedenti neceſſitatem gratiæ actualis ad opera conducentia ad ſalutem, ſeu ad gratiam ſanctificantem, quæ ſupernaturalis ordinis, ſicut & hæc gratia, ſunt. Videndum an ſaltem poſſint fieri ſine illa quædam opera non mala, ſed bona ordinis naturalis, quæ tamen non ſint ſicut oportet ad gratiam fidei, vel juſtificationis promerendam.

CONCLUSIO I.

Homo in ſtatu præſenti naturæ poteſt efficere aliqua opera non mala, ſed bona ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis. Eſt communior contra Theologos modernos.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſic argumentatur. [1] *Ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali eſſe aliquid ſummè diligendum ..... igitur dictat ſolum ſummum bonum eſſe ſummè diligendum, & per conſequens voluntas hoc poteſt ex puris naturalibus: nihil enim poteſt intellectus rectè dictare, in quod dictatum non poſſit voluntas naturalis naturaliter tendere, alioqui voluntas eſt naturaliter mala, vel ſaltem non libera ad tendendum in quodlibet, ſecundum illam rationem boni, ſecundum quam ſibi oſtenditur ab intellectu.* Ecce totam concluſionem aſſertam, & ſolide probatam ex Scoto, quem in hoc ſequuntur omnes Scotiſtæ, excepto Aretino, & Macedo. (2)

Prob. 2. ex Script. *Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem eorum hominum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent;* ſed tales ſunt illi omnes etiam infideles, qui cognoſcentes Deum ex creaturis non colunt, neque diligunt eum, qualem agnoſcunt: nam agnoſcunt eum naturaliter, juxta illud ejuſdem Pauli: (3) *invıſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus*

[1] 3. *d.* 27. *G.* 13.
[2] *Jo.* 2. *colla.* 10. *diſſ.* 2. *p.* 573. *or.* 582. [3] *Rom.* 1.

ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles. Item de facto [1] *gentes, quæ legem non habent* [traditam à Deo, qua cognoſcant, qualiter Deus ſit colendus] *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*. Chriſtus docet,[2]quod publicani iniquiſſimi homines *diligunt amicos ſuos*, & quod ethnici *ſalutant fratres ſuos*, & quidem naturaliter; ergo viribus naturæ poſſunt fieri aliqua opera moraliter bona.

Prob. 3. ex Conciliis, & decretis Apoſtolicis, quæ cum definiant gratiæ auxilium neceſſarium eſſe homini, ut poſſit Deum diligere,credere,& pœnitere,*ſicut oportet, ad vitam æternam, vel ut ei juſtificationis gratia conferatur*, ſatis apertè ſupponunt hæc opera non eſſe impoſſibilia ſine tali auxilio, minùs perfectè quàm ut oportet, & honeſtè tamen;ergo &c.prob.ant. nam ſi abſolutè, & univerſaliter æſtimaſſent quæcumque opera non mala, ſed qualitercumque bona eſſe impoſſibilia ſine tali gratia, fruſtra, imò non rectè, ſed diminutè poſuiſſent illam clauſulam limitantem ad opera meritoria ſalutis, vel gratiæ ſanctificantis; ergo quandoquidem ſuas definitiones ſic limitarunt, ſignum eſt, quòd non excludunt alia opera bona, ſeu honeſta ſolis viribus voluntatis factibilia.

Confir. ex illis aliis decretis Pontificum, quibus damnantur iſtæ propoſitiones Baii, qui volebat, [3] *omnia opera infidelium eſſe peccata, & virtutes Philoſophorum vitia;* & dicebat, quòd *liberum arbitrium non niſi ad peccandū valet*, & quod *cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit*, ſicut & illi, qui textum Apoſtoli ad Romanos, *Gentes, quæ legem non habent*, &c. intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. Item, *non niſi pelagiano errore dici poteſt uſus aliquis bonus liberi arbitrii, ſive non malus: & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit*: Hæ inquam propoſitiones falſæ ſunt, & damnatæ ab Eccleſia; ergo iſta, quæ contradictoria illis eſt, debet eſſe vera; *omnia opera infidelium non ſunt peccata, ſed aliqua ſunt bona; & virtutes omnes Philoſo-*

[1] *Rom.* 2.
[2] *Mat.* 5.
[3] *Propo.* 26. 28. 29. 36. & 39.

loſophorum non ſunt vitia, ſed aliquæ ſunt bonæ, & virtutes. Item: *liberum arbitrium valet de ſe ſine gratiæ adjutorio ad non peccandum*; ergo & ad aliquod bonum; ergo *ſine Pelagiano errore dici poteſt boni aliquid eſſe, quod ex naturæ ſolis viribus oritur*; ergo ſine errore Pelagii textus ille Apoſtoli poteſt intelligi de gentibus infidelibus: nam ex Regulis Logicæ, duo contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera, aut falſa: ideò de gentibus illis dicebat Auguſtinus, *quorum aliqua facta ſunt ſecundum juſtitiæ regulam, meritò, rectèque laudamus.*

Prob. 4. ex Patribus, & 1. ex Aug. (1) apud Magiſtrum dicentem, etiam ante gratiam prævenientem, & operantem, qua voluntas bona præparatur, in homine *præcedere quædam bona ex Dei gratia, & libero arbitrio, quæ tamen vitam non merentur, nec gratiam ... & præter hanc gratiam ab homine fieri bona per liberum arbitrium, ut tradit Auguſtinus*: ipſe S. Doctor ſic loquitur, [2] *Si autem hi, qui naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſtus juſtificat*, ſed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum veraciter, juſteque colentium, quædam tamen facta *vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus. Quamquam ſi diſcutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defenſionemve mereantur.* Et addit rationem, quia *non uſque adeò in anima humana imago de terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere, ſi hoc eſt, quod dictum eſt, quia gentes, quæ legem non habent,* &c. certè nil clarius ad rem noſtram dici poſſe videtur: & paulò inferiùs dicit de Judæis. *Nam & ipſi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & ſentit, & facit*. Et Epiſt. 5. ad Marcellam: *Rempublicam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus, etſi non habentibus veram pietatem erga Deum, quæ illos etiam in æternam civitatem poſſent ſalu-*

[1] 2. *d.* 26. *H.* [2] *Ibid.*

ſalubri religione perducere, cuſtodientes tamen ſui generis probitatem,&c.alia loca ex S.Doctore congerunt alii Theologi, nobis iſta ſufficiant.

2. Ex Anſelmo. (1) *Rationali naturæ non eſt aliud eſſe rationale, quàm poſſe diſcernere juſtum à non iuſto, verum à non vero, & bonum à non bono .... hoc autem poſſe omnino inutile eſt illi, & ſuperracaneum, niſi quod diſcernit, quid amet, vel reprobet, ſecundum diſcretionis judicium.* & dixerat antea; (2) *hoc eſſe rationali creaturæ naturaliter datum .... intelligere, & amare, quod eſt optimum, & maximum omnium*, ſcilicet Deum, quem ſicut naturaliter cognoſcit optimum, ita & amare poteſt naturaliter.

3. S. Baſilius in Regulis docet, quòd *homo ad omnia, quæ nobis præcepta ſunt conſequenda, naturales etiam ab ipſo facultates accepit*: & Hieron. *perſpicuum fit natura omnibus ineſſe Dei notitiam, & habere in ſe ſemina ſapientiæ, & juſtitiæ, reliquarumque virtutum, unde multi abſque fide, & Euangelio Chriſti vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè, ut parentibus obſequantur.* unde infert, *infideles magis obnoxios judicio fieri, eò quod in ſe habentes principia virtutum, & Dei ſemina non credunt in eo, ſine quo eſſe non poſſunt*: & ſcribens ad Demetriadem, dicit, *multos Philoſophorum audivimus, & vidimus ipſos caſtos, patientes, benignos, modeſtos, liberales, abſtinentes, juſtitiæ amatores, non minùs quàm ſapientiæ*, &c. Chryſoſtomus, (3) *ſecundum naturam eſt nobis virtus; præter naturam malitia: non aliter quàm bona, & adverſa valetudo*; ergo ſicut peccatum eſt in viribus noſtris, ita & bonum naturale, ſaltem per ſe loquendo.

Item Cyrillus Alex. (4) *Creator homini omnis boni deſiderium ſimul, & notitiam naturaliter indidit: naſcitur enim animal naturali ad bonum aptitudine præditum*. Incredibile autem eſt hominem conditum cum aptitudine, & libertate ad bonum, nullum bonum ſe ipſo, & viribus propriis poſſe agere; in hoc enim pejoris eſſet conditionis, quàm ulla alia creatura.

Item Damaſc. (5) *Homo, quia rationis particeps eſt,* ratio-

[1] *Interrog.* 1. [2] *Gal.* 3.
[3] *Hom.* 21. [4] *Ep. ad Calotyr.*
[5] *De duab. volun. Chr.*

rationem ducem in appetendo ſequitur. Eſt igitur voluntas naturalis quædam appetitio rationi, ſenſuiq; conſentanea, quæ ſolùm naturalibus accommodatur, noſtræ autem voluntatis eſt primum, ut Dei legibus pareamus. Et in Dialogo contra Manichæos id probat ex innata hominis libertate. Nam *arbitrii libertate idcirco eum condidit, quia quidquid ratione utitur, ſui juris ſit, neceſſe eſt*. Quorſum enim ratione utitur, ſi ad bonum libertate careat?

Seraphicus Bonaventura docet hominis liberum arbitrium in puris naturalibus (1) *conſtitutum cum generali Dei influxu, tametſi difficulter, poteſt tamen facere opus bonum morale, quod non diſponat ad gratiam, nec ad gloriam*. Cum hac reſtrictione ſemper loquimur hac de re.

Prob. 5. rationibus, quas inſinuant Patres citati, & alii. Nam homo, etiam lapſus, eſt liber libertate contingentiæ, ſeu pollet libero arbitrio; ergo eſt indifferens ad bonum, & malum; ergo potens eſt ad utrumque: ant. eſt de fide. Prob. conſ. nam inquit Tertullianus, (2) *tota libertas arbitrii in utramque partem conceſſa eſt homini, ut ſui Dominus conſtanter occurreret & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando*, alioqui non poſſet mereri ſervando bonum, nec demereri faciendo malum. *Neque boni, neque mali merces juſte penſaretur ei, qui bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet, non voluntate*.

Confir. quia S. Thomas, & alii plurimi putant hominem integrum, & in ſtatu puræ naturæ potuiſſe ſic operari; ergo & in ſtatu naturæ lapſæ. Prob. conſ. nam ut diximus tr. de homine, homo per peccatum non fuit læſus in naturalibus, niſi quatenùs ſpoliatus fuit donis gratuitis, quibus à malo removebatur, & ad bonum inclinabatur; ergo ſicut tunc poterat ex naturæ viribus bona aliquot opera naturalia operari, ita & nunc cum proportione.

Objic. 1. ex Scriptura: *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis* &c. 2. *omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt*. Fides autem eſt donum ſupernaturale. 3. *ſine me nihil poteſtis facere*, inquit Chriſtus. Non dicit *parum*, ſed *nihil* prorſus boni; ergo ſine gratia non poteſt homo lapſus facere ullum opus bonum.

Reſp.

[1] 2. *d*. 28. *a*. 3. *q*. 3. [2] 2. *con. Marc.*

Reſp. neg. conſ. nam Scriptura loquitur de aliquo opere conducente ad meritum gratiæ, vel gloriæ; hæc enim ſola opera pro aliquo reputantur, cætera pro nihilo, vel loquuntur de neceſſitate concurſus Dei generalis. Nomine autem fidei intelligunt dictamen conſcientiæ, vel conformitatem ad fidem, ſaltem negativè, ut ſcilicet non ſit contra fidem.

Objic. 2. ex Conciliis. Nemo habet de ſuo niſi peccatum, & mendacium (ait Arauſic. II.) alioqui *nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur*, inquit Auguſt. ſed hæc eſſent falſa, ſi ſine gratia fieret ullum bonum; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. niſi peccatum generaliter, & ordinariè loquendo, con. abſolutè, & ſimpliciter, neg. ant. ſic loquuntur, quia ordinariè peccatur ſine gratia, non autem quia ſemper abſolutè. Nec enim id cogitavit Concilium, ſed ut diximus, excluſit opera conducentia ad meritum juſtificationis, & gloriæ, & ſicut oportet. Et ut loquitur Auguſt. [1] *ſive ut ex malo convertatur ad bonum, ſive ut in bono perſeveranter proficiat, ſive ut ad bonum ſempiternum proficiat*. Item nomine auxilii divini intelligunt concurſum generalem, & ordinarium, aut fortè etiam ſpecialem; ſed in ordine naturali, ut ſæpè contigit. Denique peccatum ſumunt largè pro omni actu, qui non eſt meritoriè bonus.

Confir. nam illa Concilia, & illi Patres, & maximè Auguſt. agebant contra Pelagianos, qui nolebant gratiæ ſupernaturalis auxilium nobis eſſe neceſſarium ad opera ſalutis, & contra Semipelagianos, qui volebant, per opera viribus naturæ facta hominem ſe diſponere ad fidei gratiam obtinendam: quod abſit nos prætendere, *niſi vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari, & accipiat facultatem bene operandi; ergo ante omne meritum eſt gratia*. Sola igitur opera diſponentia ad fidem, aut juſtificationem excluduntur à viribus naturæ.

Inſt. ipſe Auguſt. & alii PP. docent per peccatum amiſſum fuiſſe liberum arbitrium; ſed non potuerunt dicere illud amiſſum ad peccandum; ergo ad bene operandum ſine gratia.

Reſp.

[1] *de ſpir. & lit.* 3.

Reſp.neg.maj. abſolutè. Nam 1. hoc eſſet contra definitiones Eccleſiæ, ut patet ex Tridentino, & damnatione Baii dicentis, *liberum arbitrium non niſi ad peccandum valere*; unde 2. debent ipſi adverſarii conciliare dicta Auguſtini cum ſuis definitionibus: 3. quia ſi liberum arbitrium ſine gratia non poſſet non peccare, neceſſariò peccaret, & hoc ipſo non peccaret: nam ubi eſt neceſſitas, ibi non eſt peccatum, nec meritum.

Inſt. 2. SS. Patres probant neceſſitatem gratiæ ad bona opera contra Pelagium ex neceſſitate orandi pro illa obtinenda; ſed oramus pro auxilio ad omnia opera; ergo ad omnia eſt nobis neceſſaria.

Reſp. diſt. maj. ad opera ardua, & conducentia ad ſalutem, & in gravibus tentationibus, con. ad bona opera leviora, neg. maj. & conſ. oramus quidem, & rectè etiam in levioribus occaſionibus, quia auxilia divina quæcunque ſunt ſemper beneficia, & hæc efficaciora, & abundantiora conceduntur orantibus, etiam pro quibuſcumque temporalibus, ſed non ſequitur, quod hæc ſint ſupernaturalia, ſaltem ordinariè.

Inſt. 3. non oramus niſi pro his, quæ non ſunt in noſtra poteſtate; ſed oramus etiam pro levioribus bonis; ergo hæc non ſunt in noſtra poteſtate. Prob. maj. nam ſuperfluum eſt petere, quod habemus.

Reſp. diſt. min. oramus petentes auxilium naturale, & ordinarium, con. ſupernaturale, neg. min. & conſ. quia ipſe concurſus Dei ordinarius pendet ab ejus bonitate; & deinde oratus libentiùs, & efficaciùs, & abundantiùs auxiliatur.

Objic. 3. ipſa opera quantumvis naturalia, & leviter bona diſponunt ad gratiam Dei obtinendam aliquo modo; ſed quæcumque aliqualiter diſponunt, non fiunt ſine auxilio gratiæ; ergo &c. Prob. maj. tum quia *facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*. Unde inquit Auguſt. (1) *fieri non poteſt, ut ſteriliter boni ſimus, ſed bonum non ſumus, quidquid ſteriliter ſumus: arbor enim bona bonos fructus facit* &c. ergo &c.

Reſp. neg. abſolutè maj. vel ſic diſt. diſponunt negativè, & remotè, con. maj. & min. poſitivè, & proximè, neg. maj. & conſ. ad probationem diſt. 1. axioma, *facien-*

[1] 4. *con. Jul.* 3.

facienti quod in ſe eſt, cooperando pro viribus gratiæ prævenienti, & adjuvanti, con. ex puris naturæ viribus, non denegat gratiam, ſed eam dat quaſi ex merito, neg. ant. & ſimiliter diſt. 2. locum, ut ſimus *ſteriliter boni*, bonitate poſitiva, perfecta, & ſupernaturali, con. bonitate naturali, & imperfecta, neg. ant. & conſ. nam ibi agebat contra Pelagianos, & nominatim contra Julianum. *Quibuſdam aliqua quidem bona, quæ ad ſocietatis humanæ pertinent æquitatem, ineſſe poſſe*, ait S. Fulgent. *ſed quia è charitate Dei non fiunt, prodeſſe non poſſe*.

Objic. 4. Auguſtinus pluribi docet opera infidelium eſſe peccata; ergo non ſunt bona ullo modo. Prob. ant. dicit, quòd ea faciunt ex malo fine, & ſine fide, (1) *quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, ſive hominibus placere quærentes, vel ſibi, vel aliis* &c. *abſit ergo pudicum, vel aliter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii ſervat uxori*. Idem docet contra Julianum lib. cit.

Reſp. diſt. ant. dicit eſſe peccata negativè, & impropriè, id eſt non bona, nec utilia ad ſalutem, con. peccata, ſeu mala poſitivè, & propriè ſumpto nomine peccati, neg. ant. & conſ. prob. nec enim talia fiunt ſemper ex prava intentione; licèt enim raro fiant ex motivo honeſtatis, quia ſic recta ratio dictat, tamen aliquando etiam contingit, ut ita fiant. 2. loquitur de his, quæ fiunt ex infidelitate formaliter, non verò de his, quæ fiunt cum infidelitate materialiter, ſeu concomitanter; nec enim infidelitas ſemper influit in omnia opera infidelium, ſicut nec fides ſemper influit in omnes actus fidelium.

Objic. 5. ut opus ſit bonum, debet fieri ex recta intentione; ſed intentio recta eſſe non poteſt ſine fide in Deum; ergo nec ſine gratia ſupernaturali. Maj. patet ex communi regula morum; *ſi oculus tuus lucidus fuerit, totum opus lucidum erit*. Probatur minor: ſola fides oſtendit finem rectum; nam, inquit Auguſtinus, (2) *nemo computet opera ſua bona ante fidem; ubi enim fides non erat, bonum opus non erat, bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit*; ergo &c.

Reſp.

[1] *l. de nupt. c.* 4.
[2] *in Pſ.* 31.

Reſp. diſt. min. recta rectitudine ſupernaturali, & fide ſupernaturali, con. rectitudine naturali, neg. min. & ſimiliter diſt. ant. prob. nam Auguſt. loquitur de bonitate ſupernaturali meritoria gratiæ, & ſalutis; nam ſicut ratio naturalis dictat, Deum eſſe ſummum bonum, & ideò finem ultimum, ita & dirigit intentionem naturalem.

Dixi autem in concluſione, *aliqua bona opera*, nempe leviora, & faciliora, & pro brevi tempore; nam fateor, hæc rarò contingere, & in actibus facilioribus, & familiaribus, quæ magis humanitatem movent, ut actus miſericordiæ, & alii, quos præcipit lex naturæ; ut honorare parentes, abſtinere à furto, vel homicidio, & ſimilia, ad quæ fortiter movet ipſa natura.

Dixi 2. *ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio*; nam fieri poteſt, ut Deus ſpecialibus auxiliis, & motibus, in ordine tamen naturæ, induxerit gentiles illos, in quibus opera inſigniora virtutum conſpicimus, in finem tamen purè naturalem, & per conſequens ex providentia etiam naturali.

Unde colligis falſitatem illarum propoſitionum Baii, quas etiam hoc tempore videntur quidam recentiores Theologi amplecti: ex quibus docent *opera omnia peccatorum, & infidelium eſſe peccata*; & cùm illis objicitur earum cenſura, prætendunt eam non cadere in ipſas propoſitiones ſecundum ſe, ſed in modum illarum, ſcilicet quatenus ille Doctor cenſurabat propoſitiones contrarias, ut *Pelagianas, vel gratiæ Chriſti injurioſas* &c. quod omninò gratis dicunt, & ut eludant Eccleſiæ cenſuras.

QUÆSTIO IV.

An viribus naturæ poſſit homo lapſus diligere Deum ſuper omnia naturali amore.

HÆc quæſtio ſatis cohæret cum præcedenti. Nam ſi homo poſſit naturæ lapſæ viribus efficere aliquod opus moraliter bonum, id tam facilè videtur dicendum de amore Dei, quàm de omni alio actu virtutis moralis; quia Deus tam facilè, & naturaliter agnoſcitur ut ſummè bonus, quàm ullus alius actus

virtutis moralis. Quia tamen iſte amor ſummus eſt altioris virtutis, placet de illo ſpecialiter diſcurrere; nam Bajus [1] prędictus, & recentes Theologi non admittunt amorem Dei naturalem: dicebat quod *diſtinctio duplicis amoris, ſc. naturalis, quo Deus amatur, ut author naturæ, & gratuiti, quo amatur, ut Beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris .... excogitata*. Et quod *omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, & à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum S. diffuſa, Deus amatur*. Et hæ duæ propoſitiones damnatæ ſunt in iiſdem decretis pontificiis.

1. Amor *amicitiæ*, ſeu *benevolentiæ* eſt ille, quo aliquem amamus propter ipſum. Amor verò *concupiſcentiæ* eſt, quo aliquem amamus propter noſmetipſos, & quatenùs nobis eſt bonus. 2. Amor *ſummus*, ſeu *ſuper omnia*, & *perfectus*, eſt ille, quo ſic amamus aliquem, ut parati ſimus illum præferre omnibus aliis, etiam nobiſmetipſis, ſeu alia omnia bona perdere, quàm illum offendere, & hoc vel intenſivè, ſc. actu fortiori, & ferventiori, vel ſaltem appretiativè, ſc. ſecundum prędictam diſpoſitionem, qua parati ſumus omnia perdere potiùs, quàm illum offendere. *Non ſummus*, ſeu *imperfectus* eſt ille, quo aliquem ſine illa prælatione diligimus, ſed abſolutè ſiſtimus in ejus dilectione ſine comparatione ad alios, quos poſſumus amare plùs, aut minùs, unde amare Deum ſuper omnia, & ſummè, eſt eum diligere cum illa prælatione, qua præferamus illum cæteris omnibus bonis, etiam vitæ noſtræ, ſi non explicitè, ſaltem implicitè, & virtualiter. 3. Amor Dei *naturalis* eſt ille, quo amatur, ut cognitus lumine naturali, ut auctor naturæ, & ex fine pure naturali; *ſupernaturalis* verò, quo ex lumine, vel fine ſupernaturali, & ut auctor gratiæ, & gloriæ. 4. ille amor eſt *efficax*, ſi ex ſe talis eſt, ut inducat, vel inducere poſſit ad amanda, ad facienda illa omnia, quæ placere poſſunt Deo, & ad vitanda omnia, quæ poſſunt ei diſplicere; eſt autem *inefficax*, ſi non ita diſponit amantem, ſed ſiſtit in ſimplici complacentia, & affectu erga Deum.

Perfectus igitur amor Dei eſt, 1. benevolentia, ſeu amicitia erga Deum. 2. eſt ſummus ſi non intenſivè,

[1] *prop.* 34. & 38.

altem appretiativè, & 3. eſt *efficax*. Si verò aliqua ex his conditionibus deſit, erit *imperfectus*.

CONCLUSIO.

P*Oſſibilis eſt amor Dei naturalis, & benevolentiæ, & ſummus, ſaltem phyſicè, & affectivus*. Eſt communior contra Bajanos.

Prob. 1. ex Scoto [1] citato in præcedenti, nam textus adductus eſt expreſsè de iſto amore, & quidem ſummo, & in hoc eum ſequuntur Scotiſtæ omnes præter Pitigianum, ut notat Cavellus, & Macedo. [2]

Prob. 2. ex Script. nam, inquit Paulus, [3] *Revelatur ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem omnium eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent... ita ut ſint inexcuſabiles, quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*, &c. Et quidem cognoverunt, non ex fide, ſed ratione naturali, ſc. ex creaturis, ex quibus *inviſibilia Dei intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus, & divinitas*. Loquitur de gentilibus, & idololatris, qui *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem hominis, & volucrum*, &c. Et infra de aliis gentilibus dicit, quod [4] *gentes, quæ legem non habent*, (ex qua Deum, vel præcepta ejus cognoſcant) *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*; ergo & Deum ut naturaliter cognitum etiam amant naturaliter; ſed cognoſcunt ut ſummè bonum, & amandum; ergo & ſummè amant, vel amare poſſunt ſine auxilio legis, aut gratiæ ſupernaturalis.

Prob. 3. ex SS. Patribus citatis in præcedenti. Nam quæ probant nos naturaliter poſſe aliquid non malum facere, probant de poſſibilitate iſtius amoris; nulla enim cognitio nobis naturalior eſt, quàm cognitio Dei, & ſummæ bonitatis ejus: in hoc enim homo factus eſt ad imaginem Dei, quatenùs illi datum eſt *tam præcipuum, tamque ſimile ſummæ ſapientiæ, quia poteſt reminiſci, & intelligere, & amare id, quod eſt optimum, & maximum omnium. Nihil igitur aliud inditum creaturæ alicui, quod ſic præferat imaginem creatoris*, inquit Anſelmus; [5] ſed ratio imaginis Dei eſt in natura noſtra; ergo & facultas cognoſcendi, & aman-

[1] *Ibid.* [2] *coll.* 10. *diff.* 2. [3] *Rom.* 1.
[4] *c.* 2. [5] *menol. c.* 67.

amandi Deum, & quidem ſummè. *Quippè rationali creaturæ non eſt aliud eſſe rationale, quàm poſſe diſcernere juſtum à non juſto, bonum à non bono ... hoc autem poſſe omninò inutile eſt, niſi quod diſcernit, amet, vel reprobet .... nihil ergo apertius, quàm rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, ut ſummam eſſentiam amet ſuper omnia bona, ſicut ipſa eſt ſummum ... imò ut nihil amet niſi illam, aut propter illam, quia illa eſt bona per ſe, & nihil aliud eſt bonum niſi per illam.* Quod confirmari poteſt ex cenſura 2. propoſitionum Baij prædictarum.

Idem docet S. Bernardus [1] ex eodem principio. *Non propterea ejus imago eſt, quia ſui meminit mens, ſeque intelligit, ac diligit, ſed quia poteſt meminiſſe intelligere, ac diligere eum, à quo factus eſt.* Et alibi. *Clam ac intus innata, non ignota ratione juſtitia diligendum eſſe illum, cujus nos totos eſſe, & cui totum debere non ignoramus;* ergo ſicut debitum illud naturaliter cognoſcimus, ita & debito eidem ſatisfacere velle poſſumus, & maximè quia ab ipſa natura ad hoc movemur.

Quod clare docet Auguſt. [2] ſc. *nullam eſſe animam, quantumvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus. Quis enim ſcribit in cordibus hominum naturalem legem, niſi Deus?* &c. atqui lex naturalis nihil evidenter, nec fortiùs præcipit, quàm ſummum auctoris naturæ, & ſummi boni amorem. De qua lege Apoſtolus ait, *gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt,* &c. Ideò confitetur Deo, *feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec quieſcat in te*, ſc. tendentia in Deum eſt ordo naturalis ab ipſo naturaliter inſtitutus, & inditus naturæ. Et alibi docet, quod [3] ſicut recedere à Deo eſt vitium naturæ, ita & Deo adhærere eſt ordo naturæ. *Non itaque eſſet vitium recedere à Deo, niſi naturæ, cujus vitium eſt recedere à Deo;* Et S. Proſper ex Auguſtino ſcribit. [4] *Cum vitium creaturæ rationalis dicitur, quod non adhæret Deo, hinc aperte declaratur ejus natura eſſe, ut Deo adhæreat.*

S. Thom. [5] ſic loquitur. *Quia poſſibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus, utile eſt conſide-*

E 2 *rare*

[1] *medit. c. 1.* [2] *2. ſerm. dom.* [3] *1. confeſſ. 1.*
[4] *ſent. 139.* [5] *3. d. 29. q. 1. n. 3.*

rare ad quantum dilectio naturalis ſe extendit, & reſpondet. Dicendum eſt, quod diligere Deum ſuper omnia, & pluſquam ſeipſum, non ſolùm naturale eſt Angelo, & homini, ſed etiam cuilibet creaturæ, ſecundum quod poteſt amare, aut ſenſibiliter, aut naturaliter. Quod probat de amore amicitiæ, & concludit. [1] *Ideo amore amicitiæ naturaliter Deus ab homine diligitur.* Item de ſummo amore. *Sequitur, quod naturali* dilectione etiam Angelus, & homo priùs, & principaliùs diligit Deum, quàm ſeipſum.

Dices, SS. Patres, & Theologos loqui de natura integra, ſeu inſtituta, ut loquitur Scotus, non verò de lapſa, quæ in libero arbitrio debilitata eſt, & vulnerata; ergo licet homo in ſtatu naturæ puræ, vel integræ poſſet Deum ſic amare, id non poteſt in natura lapſa.

Contra: nam 1. illi Patres, & Theologi docent hominem lapſum naturaliter cognoſcere Deum, ut ſummè bonum, & ſub hac notitia diligere, & quod in hoc principaliùs conſiſtit ratio imaginis Dei. 2. docent, quod in homine lapſo naturalia remanſerunt integra, ſicut & in Angelo, nec aliter homo degenerat à natura pura, quàm demeritoriè, quatenùs per peccatum amiſit juſtitiam originalem, & indignus factus eſt Dei gratia, & auxiliis, ut diximus tr. de homine. 3. quia licet in natura lapſa frequentiores, & vehementiores ſint concupiſcentiæ motus; non ſunt tamen continui, & ideo in aliquibus momentis tranquillitatis poteſt Deum diligere, ſicut & cognoſcere, id eſt ſummè, & propter ſeipſum.

Dices 2. cum aliis hanc facultatem diligendi Deum eſſe quidem antecedentem, & quoad actum primum, non conſequentem, nec quoad actum 2. ſeu quoad exercitiū propter impedimenta, quę difficile eſt vincere.

Contra 1. quia poteſtas in actu 1. & antecedens fruſtranea eſſet ſine conſequenti, & niſi reduci poſſet ad actum 2. Et 2. gratis fingitur illa potentiæ diſtinctio, nam, ut dicebam, impedimenta illa non ſemper urgent. Et 3. quia ſi adſunt impedimenta, hoc per accidens eſt, & ab extrinſeco. Loquimur autem de homine in ſe, & per ſe conſiderato, & præciſè a tentationibus, & duratione, & aliis impedimentis per accidens, & ab extrinſeco occurrentibus.

Prob.

[1] 1. *p. q.* 60. *a.* 3.

Prob. 5. rationibus Theologicis, quas inſinuant præcitati Patres. 1. quia etiam in ſtatu naturæ lapſæ non minùs obligant lex naturæ, & rationis naturalis dictamina; ſed illa dictant Deum ſummè, & propter ſe diligendum; ergo & in eo ſtatu ita diligi poteſt, & debet. Maj. ſupponitur, ut certa, & nota. min. patet ex dictis ex Scriptura, & Patribus de Ethnicis, qui dicuntur inexcuſabiles; quia, cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, & quod non poteſt ignorari Dei exiſtentia, & ſumma bonitas.

Confir. nam voluntas poteſt eo modo ferri in objectum, quo ſibi repræſentatur ab intellectu; ſed Deus ab intellectu naturaliter cognoſcitur, ut ſummè bonus, & ſummè amabilis; ergo ita naturaliter diligi poteſt à voluntate. Prob. maj. tum quia tam eſſentiale eſt homini, ut rationali, ut ſit volitivus, quàm intellectivus; tum quia ſi non poſſet velle, quod cognoſcit volendum, non eſſet liber; ut patet ex Anſelmo cit. & ex Damaſceno, [1] dicente, quòd *homo qua rationis eſt particeps, rationem ducem in appetendo ſequitur. Eſt ergo voluntas naturalis quædam appetitio rationi, ſeruique conſentanea* ... Et alibi, [2] *omne creatum vertibile, & rationale poteſtate eſt liberum. Intellectualis ergo natura, ut rationalis poteſtate eſt libera*. Et S. Athanaſ. [3] *quidquid intelligit, conſtat, quod etiam voluntate ducatur*. Et S. Thom. [4] *in omni natura ubi invenitur cognitio, invenitur voluntas, & delectatio*. Idem docet S. Fulgent. cit. *creaturæ rationali ... ineſſe nullatenus poteſt ratio, niſi ei poſſet ineſſe creatoris dilectio*.

2. Niſi voluntas naturaliter poſſet amare Deum ſuper omnia, id non poſſet etiam ſupernaturaliter; nec enim poteſt elevari ſupra, vel extra ſuum objectum naturale, ſicut nec oculus corporeus ad videndum ſpiritum.

3. Quia Deus, ut auctor naturæ fecit hominem, & Angelum ad ſui amorem, ut in finem naturalem, & debitum ipſi creaturæ rationali; ſed id non potuiſſet facere, ut auctor naturæ, niſi utrique dediſſet vires naturales ad illum finem volendum; ergo dedit homini vires naturales ad illum amorem. Min. patet. Deus

 enim

[1] *de duab. vol. chr.* [2] *2. de fi. 3.*
[3] *deſſinit. ſol. 3.* [4] *1. d. 45. q. 5. ad monim.*

enim intendere non poteſt finem impoſſibilem, nec illum præfigere homini, vel alteri ulli creaturæ. Prob. maj. nam ſicut ſolem fecit in finem aliquem ſibi proprium, ſc. ut præeſſet diei, ſic fecit hominem ad ſe. *Feciſti nos Domine ad te*, &c. ait Auguſtinus cit.

Confir. ex Script. & Patribus. *Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum ... ut diligas Dominum Deum tuum*, &c. . . . *Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & diligas Dominum Deum tuum*, &c. Quæ ſic explicat Methodius. [1] *Ecce ante faciem tuam poſui vitam, & mortem, ut eligas mortem, ut eligas vitam*, &c. Et ut docet Tertull. [2] *neque enim ad vivendum ſolummodo produxerat hominem, & non ad rectè vivendum in reſpectu ſc. Dei, & legis illius*. Et Nyſſenus. *Omnis animæ motus ad bonum eſt conditus ab eo, qui fabricatus eſt naturam*.

4. Quia poſſumus naturaliter amore benevolentiæ amare parentes, amicos; ergo & à fortiori Deum; quia naturaliter cognoſcere poſſumus eum, ut amabiliorem.

5. Quia nulla eſt creatura, quæ naturali amore, ſeu appetitu non feratur in bonum ſuum per media ſibi propria; ergo incredibile eſt hominem carere tali appetitu, ita ut bonum ſuum amare non poſſit, ut debet.

6. Quia ipſi Ethnici idola, ſeu deos ſuos falſos ſic potuerunt diligere; ergo à fortiori fideles verum Deũ; nam ſicut ex errore deos illos putabant ſummè bonos, illiſque filios, & ſeipſos inmolabant, quantò magis nos Deo vero? &c.

Objic. 1. Script. Concilia, & Patres ſemper docent dilectionem Dei, ſeu charitatem eſſe ex Deo; ergo eſſe non poteſt unquam ex viribus naturæ. Prob. ant. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.* &c. Et, [4] *charitas ex Deo:* Et, [5] *charitas cum fide à Deo Patre*. Item, [6] *fructus ſpiritus, charitas gaudium*, &c. ergo &c.

Reſp. diſt. ant. dilectionem ſupernaturalem, effectivam, & perfectam, & ſalutarem Dei cogniti ex fide, & ut auctoris gratiæ, con. dilectionem affecti-

vam,

[1] *Deuter*. 30. [2] 2.*con.mar*.8.
[3] *hom*.8.*in Eccleſ*. [4] *Rom*.1.
[5] *Jo*.4. [6] *Epheſ*.6.

vam, & naturalem Dei cogniti lumine naturali, ut auctoris naturæ, neg. ant. & conſ. prob. nam Scripturæ loquuntur de illa charitate ſalutari, quæ expellit peccatum, & unit cum Deo, & adimplet legem, ſicut oportet, hæc autem non præſtat hæc charitas naturalis. Eodem ſenſu loquuntur Concilia, & Patres, qui nobis opponi ſolent.

Inſt. qui diligit Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum, etiam naturaliter, implet totam legem naturæ; nam *plenitudo legis eſt dilectio*. Et ut loquitur Apoſtolus, [1] *qui diligit legem implevit*. Et Chriſtus. [2] *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Item, *qui diligit me, ſermonem meum ſervabit*. Item, *hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*; ſed Scriptura, Concilia, & Patres docent, non poſſe impleri legem ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio, ut cum dicit, *ſine me nihil poteſtis facere*, &c. ergo &c.

Reſp. diſt. maj. eodem modo, qui diligit amore effectivo, & ſupernaturali, & ſalutari, & ex fide, con. amore affectivo, naturali, & imperfecto, &c. neg. maj. & min. nam per talem amorem non adimpletur tota lex nequidem naturalis, quia non eſt ex fide, nec ſalutaris, nec ſicut oportet. Nam licet aliquibus actibus poſſit homo ex naturæ viribus talem dilectionem exhibere Deo, non diù perſeverabit, niſi adſit auxilium gratiæ ſupernaturalis, nec vincet impedimenta, & tentationes, quę occurrunt in via; nec unquam talis amor diſponet hominem ad gratiam actualem, vel habitualem merendam. Denique per dona illa Dei poſſunt intelligi etiam naturæ bona, quæ per creationem, & providentiam ordinariam ejus recipimus: & non tantùm dona gratiæ, quæ per providentiam ſpecialem, & ſupernaturaliter agentem habemus.

Objic. 2. ex Concilio Arauſicano II. [3] *prorſus donum Dei diligere Deum. Ipſe, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit*. Et Milevit. [4] *utrumque donum Dei, & ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus*. Et Trident. [5] docet, quòd *homo à Deo motus, & excitatus, & adjutus incipit diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem*; ergo non ſolùm amor Dei perfectus,

E 4

[1] *Rom. 3.* [2] *Jo. 14.* [3] *can. 25.*
[4] *can. 4.* [5] *ſeſſ. 6. c. 6.*

fectus, ut eſt amor ſuper omnia; ſed nequidem incoactus, non eſt poſſibilis ſine gratia.

Reſp. diſt.ant. amor Dei ſalutaris, & ſupernaturalis diſponens ad gratiam fidei, aut juſtificationis, con. amor naturalis, & non ſalutaris, nec ita diſponens, neg. ant. & conſ. nam de iſto loquimur, & Concilia de illo, ut patet de Tridentino, quod loquitur de diſpoſitione ad juſtificationem; unde addunt gratiam eſſe neceſſariam ad amandum Deum, ſicut oportet, aut aliud æquivalens, ut notavimus ſupra. Et ipſe D. Paulus [1] ait: Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, *nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*.

Objic.3.ex Patribus, maximè ex Auguſtino, [2] qui ubique nos admonet infirmitatis noſtræ, & neceſſitatis adjutorii divini. Ut cum dicit: [3] *non habet homo, unde diligat Deum, niſi ex Deo.* Loquitur abſolutè, & generaliter. Item, *totum hoc rectè fit, quando fit propter ipſum, id. quando gratis amatur ipſe, qualis amor nobis eſſe non poteſt niſi ex ipſo ...... tunc vitia victa deputanda ſunt, cum Dei amore vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat.* Item, [4] *quis iſtam quantumvis parvam dare cœperat charitatem, niſi qui præparat voluntatem? .. ſi non ex Deo, ſed ex hominibus eſt dilectio Dei, vicerunt Pelagiani, ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos*, &c. Item D. Bernardus, [5] quem citavimus, fatetur difficile, imò & impoſſibile eſſe, *ſuis quempiam viribus ad Deum ex toto corde convertere voluntatem*, &c. ergo &c.

Reſp. eodem modo intelligendum eſſe Auguſtinum, & alios Patres, ut diximus de Scriptura, & Conciliis, ſc. de amore ſalutari, & diſponente ad gratiam, vel ſalutem, contra Pelagianos, qui volebant ad hæc ſufficere vires liberi arbitrii, & cōtra Semipelagianos, qui volebant eas ſufficere ſaltem ad initium fidei, & gratiæ, ut ipſe Auguſtinus dicit ibidem. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo.*

Obji.4.nullus actus diſponens remotè, vel proximè ad gratiam, & remiſſionem peccati eſt poſſibilis naturaliter; ſed ille ſummus amor diſponit ſaltem remotè ad illam gratiam; ergo eſt impoſſibilis naturaliter.

Prob.

[1] *Rom.*8. [2] 15.*tr.*17. [3] 4.*oper. imper.* 3.
[4] *de gra. & lib.arb.*17. & 18.
[5] *de liber.*2.

Prob. min. tum ex Concilio Trident. citato, tum ex Script. dicit enim Chriſtus: [1] *Qui diligit me, diligetur à patre meo .... ad eum veniemus*, &c. ergo amor Dei diſponit, &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. nam illa dilectio, de qua loquitur Chriſtus, eſt ſupernaturalis, & ex fide chriſtiana.

Objic. 5. homo lapſus ſine gratiæ auxilio non poteſt vitare peccatum, nec vincere tentationes; ſed utrumque faceret amando ſic Deum. Nam ille amor opponitur peccato, quod eſt averſivum à Deo; ergo ille amor eſt impoſſibilis naturaliter. Prob. maj. nam per lapſum debilitatus eſt, & inclinatus in peccatum, & in creaturam, & averſus à Deo, ergo naturę lapſæ viribus non poteſt ſurgere, & convertere ſe ad Deum.

Reſp. diſt. maj. non poteſt ita facilè, & urgente gravi tentatione, nec diu ſtare ſine peccato, ſaltem morali poſſibilitate, con. potentia phyſica, & aliquando, & pręciſis gravioribus tentationibus, & ad aliquod tempus, & ſine merito, neg. maj. & min. nam licet hæc in præſenti ſtatu rariora, & difficiliora ſint, non tamen abſolutè, & phyſicè ſunt impoſſibilia. Alioqui dicendum eſſet *peccatorem in omnibus ſuis actibus peccare, & ſervire dominanti cupiditati*. Et quod *liberum arbitrium non niſi ad peccandum valet*, quæ damnat Eccleſia in Bajo.

Objic. denique Scotum [2] dicentem, *quandocumq; voluntas actum hujus præcepti exequitur, diliges Dominum Deum*, &c. *Licet informis, & diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem ſibi oblatam*. Sed actus amoris Dei ſuper omnia ſic diſponens non eſt poſſibilis naturaliter, ex conceſſis; ergo concluſio eſt contra Scotū.

Reſp. diſt. maj. & explico mentem Scoti, diſponit ſe de congruo negativè, & aliqualiter, quatenùs obicem non ponit gratiæ, vel ſi exequitur ſicut oportet, con. diſponit ſe poſitivè, & ſic purè naturaliter exercet actum illum, neg. maj. & minorem pariter diſt. ſic diſponens poſitivè, con. negativè, & aliqualiter, & ex puris naturæ viribus, neg. min. ſic enim explicant Doctorem inſignes Scotiſtæ Cavellus, & Lamazares, ubi etiam adverto Scotum hic non excludere gratiam actualem, ſed habitualem, ſeu ſanctificantem, ideò dicit,

[1] *Jo.* 14. [2] 2. *d.* 28. 8. *B.*

licet informis. Nam per actum informem intelligit actum elicitum extra ſtatum gratiæ ſanctificantis, quâ informantur actus noſtri, ut ſint grati Deo, & meritorii de condigno.

CONCLUSIO II.

Homo ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio non poteſt amare Deum ſuper omnia amore effectivo, & diù durante, & multò minùs ſicut oportet, ut ſe diſponat ad gratiam ſupernaturalem. Eſt communis, & ſequitur ex dict. quæſt. 2. & in iſta.

Prob. 1. ex Scoto [1] mox cit. dicente, quod *liberum arbitrium non poteſt ex ſe cavere omne peccatum mortale pro ſtatu iſto*. Et infra dicit, quod [2] *Judæi non bene vixerunt ſine omni gratia*, &c. Et de Angelo, quòd *non ſufficit voluntas ſola ad meritoriè volendum; ſed requiritur gratia, tanquam principium cooperans*; ergo à fortiori hominis voluntas non ſufficit ſola, quod infertur ex his aliis [3] verbis ejus. *Non poteſt in iſta vita eſſe tanta recollectio virium, ut amotis impedimentis poſſit voluntas tanto conatu ferri, quanto poſſet, ſi vires eſſent unitæ, & non impeditæ*. Et addit ex Auguſtino, & Magiſtro. *Pronitas virium pro ſtatu iſto impedit ſuperiores ab actibus perfectis*.

Prob. 2. ex Script. & Conciliis, & Patribus cit. in præcedentibus; nam illi textus debent ſine dubio intelligi de amore effectivo, & ſufficienter diſponente ad juſtificationem.

Prob. denique rationibus allatis contra Pelagianos, & Semipelagianos quæſtione 2.

Ideò dixi in 1. concluſione (*ſaltem phyſicè*) id eſt poſſibilitate phyſica, nam de morali non auderem aſſerere poſitivè; quia ut mox dicebam, pronitas naturæ in bonum ſenſibile, rebellio appetitus, & tentationes ab extrinſeco diſtrahentes, aut attrahentes in amorem concupiſcentiæ, & ſenſibilium reddunt illos actus amoris Dei difficillimos, & vix poſſibiles.

Dixi 2. (*ſaltem effectivum*) nam iſte effectus licet parùm duret, non ceſſat eſſe verus, & naturaliter bonus, effectivus autem petit actus plures, quibus reſiſta-

[1] *Ibid. n. 7. & 8.* [2] *d. 7. 14.*
[3] *3. d. 27. n. 4.*

ſiſtamus objectis diſtrahentibus à Deo, & vincamus impedimenta obvii, & vitemus omnia, quæ diſplicent Deo; ad quod non ſufficere videntur vires naturales arbitrii noſtri.

QUÆSTIO V.

De neceſſitate gratiæ ad ſervanda præcepta divina, ſeu legem.

INter præcepta divina quædam ſunt *naturalia*, quæ lumine naturali cognoſcuntur, & lege ipſa naturæ dictantur, ſive per principia generalia, ut quod *bonum ſit amandum, & malum fugiendum*, &c. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, &c. Vel in particulari: ut, *quod Deus ſit colendus, parentes honorandi: filii educandi*, &c. Alia *ſupernaturalia*, quæ hominem ad finem ſupernaturalem elevant, præſcribunt media, quibus finem illum conſequi poſſit: ut præcepta fidei, ſpei, & charitatis, & ſacramentalia. Rurſus illa præcepta poſſunt ſervari vel quoad ſubſtantiam, & quaſi *materialiter*, cùm actus, qui præcipiuntur, fiunt, & qui prohibentur, non fiunt, & hoc nudè, & ſimpliciter; vel *quoad modum*, & *formaliter*, cùm actus præcepti exercentur ob finem à lege intentum, quia eſt ſine dubio vita beata civilis, aut cœleſtis, & æterna.

CONCLUSIO.

H*Omo poteſt ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis ſervare aliqua præcepta legis naturæ, ſaltem quoad ſubſtantiam, non autem omnia collectivè, & multò minùs præcepta ſupernaturalia*. Eſt communis quoad 1. & 2. p. & de fide quoad tertiam.

Prob. 1. ex Scoto mox cit. [1] & in præcedenti, ubi dicebat, quod *gentiles potuerunt juſtè vivere ſervando legem naturæ, & tunc ipſi facti ſunt ſibi ipſis lex: id. per legem naturæ ſcriptam in cordibus eorum interiùs direxerunt ſe, rectè vivendo, ſicut Judæi ſe direxerunt per legem ſcriptam. Sed iſti non benè vixerunt ſine omni gratiâ*, loquitur de gentilibus quoad totam legem, ſecundum quam non potuerunt rectè vivere ſine omni

E 6 gratia

[1] *Ibid.*

Google

gratia, ſicut nec judæi; quia gratia potuit eſſe in eis, ſuppoſita hypotheſi abſque obſervatione legis Moſaicæ. Vides eum docere neceſſitatem gratiæ in gentilibus ad rectè vivendum ſecundum legem naturæ, id eſt ab obſervanda omnia ejus præcepta; nam ſi non ſerventur omnia, non rectè vivitur; ergo Scotus longè abeſt ab errore Pelagii, & Semipelagianorum, quē illi imputant aliqui recentiores, & Thomiſtæ.

Prob. 2. quoad 1. p. ex dictis de poſſibilitate bonorum aliquot operum naturalium ex viribus naturalibus liberi arbitrii, & maxime amoris Dei ſuper omnia. Nam per talia opera verè ſervatur lex naturalis, ſaltem quantum ad illa præcepta, quibus illa opera dictantur, & præcipiuntur.

Dixi 1. (*ſaltem quoad ſubſtantiam*) nam Deus, ut auctor naturæ, & legis naturalis, intendit per illa præcepta, & dictamina finem ultimum, & conſummatam hominis felicitatem, non verò tantùm naturalem, juxta illud Auguſtini: *feciſti nos Domine ad te*. hæc homines potuerunt facere ex motivo honeſtatis objectivę, ſeu rationabilitatis illorum actuum, ut diximus, & hoc pertinet ad ſubſtantiam illorum actuum potiùs, quàm ad modum; alioqui non eſſent actus humani.

Probatur 2. p. ſc. quod poſſit ſervare aliqua præcepta, non autem omnia collectivè. Nam non poteſt naturaliter cognoſcere omnes veritates ſpeculativas, & longè minùs practicas, nec cavere à multis erroribus, ut ſuppono ex dictis; ergo nec voluntas ejus ſine auxilio gratiæ cavere poteſt ab omnibus peccatis ſervando totam legem naturæ. Prob. conſ. nam longè plura, & graviora impedimenta avertunt voluntatem à bono morali, quàm intellectum à vero; ergo longè difficilius eſt non peccare contra legem naturæ, & ſervare illam totam, quam in ejus veritatibus non errare. Prob. ant. nam appetitus carnis longe fortiùs pugnant contra appetitum rationalem, quàm contra lumen rationis. unde querebatur D. Paulus de *lege membrorum repugnante legi mentis*, ita ut quod nollet, ſeu quod non approbaret malum hoc ageret. Denique errante intellectu, errat etiam & voluntas, quæ de ſe eſt cœca; ſed ſæpiùs non errante intellectu, peccat voluntas ex abuſu libertatis ſuæ,

dum

dum videns per intellectum meliora, per propriam libertatem deteriora ſequitur.

Prob.3.p.de ſupernaturalibus: 1.ex Scriptura ſupra citata de operibus ſupernaturalibus, & bonis, ſicut oportet, & maximè ex illis locis, quibus docemur nos ſine Deo non poſſe reſiſtere tentationibus, quibus inclinamur ad malum, & avertimur à bono. [1] *In te eripiar à tentatione*. Et Paulus mox citatus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ... quis me liberabit à corpore mortis hujus?..* reſpondetur ei; *ſufficit tibi gratia mea*. Et, *ſine me nihil poteſtis facere*; ergo præcepta legis ſupernaturalis non poſſunt ſervari ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio.

Confir.quia nequidem illa præcepta cognoſcimus, niſi per fidem, ſaltem mediatè; ſed fides eſt donum ſupernaturale; ergo &c.

Prob.2. ex Conciliis. Nam in Concilio Carthaginenſi [2] 1. damnatur Pelagius, quia docebat, quòd Deus talem fecit hominis naturam, *quæ per voluntatem propriam poſſit Dei legem implere*; ſive naturalem ſcriptam in corde, ſive poſitivam litteris datam. Et in II. dicitur Anathema aſſerentibus, *hominem ſine gratia poſſe implere divina mandata*. Et Arauſic.II.dicente, quod [3] *quando ſerviunt divinæ voluntati, quamvis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas eſt, à quo præparatur, & jubetur, quod volunt*. Et quòd Deus *nobis prius ſui fidem, & amorem inſpirat, ut cum ipſius adjutorio, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus*. Et ſic de aliis Conciliis, in quibus definitur nos non poſſe pœnitere, aut diligere, aut credere, ſicut oportet, ſine gratiæ auxilio, ut loquitur Trident.

Prob.3.ex Patribus. Ut ex Auguſtino dicente, quòd *lex nihil proſit, ſed obſit, niſi adjuvet gratia*. Et S. Proſper de lege Moyſi dicit, *notum facit mandatum, ſed obedienti non præſtat affectum, niſi quod eſt occidens per imperium litteræ, fiat vivificans per ſpiritum gratiæ*. Et S. Fulgent. *lex ſine gratia oſtendere poteſt ægritudinem, non ſanare... legis eſt igitur, quòd peccata cognoſcimus, gratiæ, quod vitamus*.

Prob.

[1] *Pſal.7.* [2] *Ep.Synod.Can.5.*
[3] *Can.5.*

Prob. denique ratione jam allata; ſcilicet ex vehementia tentationum tam ab intra ex rebellione concupiſcentiæ, quam ab extra ex objectis, & occaſionibus nos diſtrahentibus à ſequela dictaminum rationis, vel ipſum rationis lumen offuſcantibus; ſed hæc impedimenta ſine gratiæ auxilio vinci non poſſunt; ſaltem id moraliter impoſſibile eſt; ergo nec ipſa præcepta obſervari ſine illis auxiliis.

Confir. 1. quia ad illam obſervantiam requiritur firmum propoſitum nunquam peccandi; ſed tale propoſitum formari, nec firmari prudenter poteſt ſine ſpe auxilii divinæ gratiæ, nec ipſa lex obſervari, & quidem minùs; nam facilius eſt proponere, quàm exequi.

Confir. 2. nam ad obſervantiam totius legis non requiritur tantùm proponere, ſed etiam nunquam peccare; ſed vitare omnia peccata, ſicut & vincere ſemper omnes tentationes impoſſibile eſt, ſaltem moraliter; ergo & illa legis totius obſervantia. Prob. min. ex Scoto. [1] *Liberum arbitrium non poteſt ex ſe cavere omne peccatum mortale pro ſtatu iſto, quia anima ſine gratia aliquo peccato maculatur* &c.

Objic. ex Scriptura. [2] *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*, inquit Apoſtolus. Et Deus per Moyſem; [3] *mandatum hoc, quod ego tibi præcipio hodie, non eſt ſupra te, neque procul poſitum*, ſcilicet non eſt ſupra vires. Et per Sapientem. [4] *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te* &c. ergo mandata Dei etiam legis ſcriptæ non ſuperant vires naturæ.

Reſp. neg. conſ. nec enim id ſequitur ex illis locis rectè intellectis; nam Paulus non loquitur de tota lege naturæ; nec enim illam totam ſervabant gentiles, alioqui non coluiſſent idola; ſed de aliquibus præceptis facilioribus. Et Moyſes, ſive Dominus loquitur de mandatis quoad intellectum, & capacitatem cognitionis, quam ab exteris nationibus non opus erat petere, ſed non loquitur de obſervantia. Et prætere a in iſta includebat Deus auxilia gratiæ ſuæ illis exhibitæ, & paratæ, & qua mediante facilis erat eis obſervantia. Denique ad Eccleſiaſticum, non negamus

quin

[1] 2. *d*. 28. *n*. 7. [2] *Rom*. 2.
[3] *Deuter*. 30. [4] *Eccl*. 15.

quin poſſit homo ſervare mandata, ſi velit; ſed dicimus, quòd ut velit, & faciat, operatur Deus per gratiam. *Præparatur voluntas à Domino*, inquit Auguſt. [1] *& Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere. Certum eſt nos facere, cum facimus, ſed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas.*

Inſt. de facto plures etiam gentiles narrantur ſervaſſe mandata legis naturæ; ut Cyrus, cui dixit Deus per Iſaiam: [2] *Omnem voluntatem meam complebis*, & illum vocat *virum voluntatis ſuæ*; & cùm Chriſtus gentili viro diceret, [3] *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; Reſpondit ille, *omnia hæc cuſtodivi à juventute mea*: & Paulus de ſe ante converſionem ſuam dicit, [4] quòd *in lege converſatus erat ſine querela*, id eſt ſine defectu; ergo tota lex impleri poteſt ſine gratia.

Reſp. neg. conſ. nec enim id ſequitur ex illis hiſtoriis. Certè Cyrus non ſervabat totam legem, quandoquidem non colebat verum Deum, ſed idola; ſed in tantùm fecit voluntatem Dei, quia dimiſit Iſraelitas in libertatem, & templum reſtaurari juſſit. Sic dæmones ipſi faciunt Dei voluntatem. Quoad 2. dives ille non adeo fuit devotus, quia ægrè tulit conſilium Chriſti dicentis ſibi, *vade, & vende univerſa, quæ habes, & da pauperibus*. Ideo vel fictè ſibi gratulabatur de illa obſervantia mandatorum, aut ſuperbè ſic præſumebat, hæc feciſſe ſine omni auxilio gratiæ. Ad 3. loquitur Paulus de obſervantia externa, & quoad forum externum, in quo nullam paſſus eſt querelam, nam quoad forum internum animæ fatetur ipſe, quod erat [5] *aliquando inſipiens, incredulus, errans, ſerviens deſideriis, & voluptatibus variis*, &c.

Objic. 2. Si obſervantia totius legis non eſſet poſſibilis naturæ viribus, non teneremur ad illam; quia ad impoſſibile nemo tenetur; ſed conſeq. eſt falſum, alioqui non peccaremus tranſgrediendo; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. & rationem ejus, ſi non eſſet poſſibilis naturæ viribus, nec adeſſent auxilia, quę complerent potentiam, con. ſi adſint auxilia, quæ compleant facultatem, neg. maj. & min. nam, inquit Auguſtinus, & Con-

[1] *De gra. & lib. ar. 16.*
[2] *Iſa. 44. & 46.* [3] *Matt. 19.*
[4] *Phil. 6.* [5] *1. Tim. 1.*

& Concil. Trident. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.*

CONCLUSIO II.

AD obſervantiam totius legis naturæ non requiritur gratia habitualis ſanctificans abſolutè, & per ſe, benè vero de lege ordinaria.

Prob. 1. ex Scoto, „ quia exiſtens in peccato poteſt „facere opera legis, ſeu bona; ergo ad obſervantiam „legis naturę non eſt per ſe neceſſaria gratia ſanctifi- „cans. Prob. ant. nam ſi quicumque faciens opus præ- „cepti, ſeu legis, & non ex charitate, peccat morta- „liter... hoc dicere non videtur aliud, quàm perver- „tere omnes, qui ſemel commiſerunt peccatum mor- „tale, ut nullum bonum opus ex genere poſtea fa- „ciant, ad quod tamen aliàs ſunt adſtricti; cum ta- „men ſuadendi ſint ad oppoſitum, ut ſcilicet faciant „bona opera ex genere; quia illa diſponunt eos ad „gratiam citius, & facilius obtinendam, &c. nomine gratiæ ſimpliciter intelligit ſanctificantem, & vides, quòd ſine illa fiunt opera bona; ſed per hæc opera homo ſe diſponit ad hanc gratiam: quandocumque autem voluntas actum hujus præcepti (diliges Dominum D.) *exequitur, licet informis, ideſt ſine gratia ſanctificante, & diſponit ſe de congruo ad gratiam ſanctificantem.*

Prob. 2. p. 1. nam per gratias actuales ſufficienter illuſtratur intellectus ad cognoſcenda mandata, & obligationem eorum, & media, quibus debent obſervari, & ſufficienter movetur, & juvatur voluntas ad volendum obſervare; ſed nihil aliud per ſe requiritur ad obſervantiam legis naturæ; ergo hæ gratiæ ſufficiunt per ſe, & abſolutè. maj. prob. ex dictis de natura talium gratiarum. ideo S. Gregor. dicit: *peccatum, quod per pœnitentiam mox non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit.*

Prob. 2. p. 1. ex Script. quæ ſæpiùs docet, quòd niſi in charitate fundemur, & radicemur, vix aliquid boni facimus, & quòd Deus non facile, nec libenter reſpiciat ad peccatores, ut illis miſereatur, & opituletur, & orationes eorum exaudiat, & ideo facile dilabantur

tur in nova, & majora peccata: quippe [1] *abyſſus abyſſum invocat*, & *peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*, & Sap. dicit, *quòd qui non timore Domini convertit ſe, cito corruet domus ejus*, & dicit Deus peccatoribus: *cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam*, &c.

Prob. 2. ex Patribus, nam inquit Aug. [2] *ille non verè implet legem, niſi qui Divinum acceperit Spiritum ſanctum*, & alibi, *factores legis juſtificabuntur*, addit, *factores enim legis juſti ſunt*, ſc. in facto, vel in fieri: & Chryſoſt. *ſicut fracto gubernaculo navis non quò vult vadit, ſed quò tempeſtas impellit, ita homo gratia Dei deſtitutus in præcipitia peccatorum defertur*. Patres autem per nomen gratiæ ſimpliciter, & abſolutè ſolent intelligere ſanctificantem; quod etiam de Scoto monuimus ſuprà.

Prob. denique; nam per obſervantiam mandatorum, ex gratiæ ſupernaturalis auxilio, diſponimur de congruo ad gratiam juſtificantem. Et Deus ſic ſtatuit dicens: *Convertimini ad me*, quod fit juvante gratia per bona opera; *& ego convertar ad vos* per gratiæ juſtificantis, & charitatis infuſionem, qua reddimur grati formaliter Deo; ergo hæc ordinariè non ſeparantur.

Objic. 1. contra 2. p. Si gratia ſanctificans eſſet aliquo modo neceſſaria ad implendam legem, teneremur confiteri ad eam recuperandam ſtatim, atque amiſſa eſt per peccatum mortale: ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes Theologos; ergo &c. prob. maj. nam amiſſa illa gratia, eſſemus ſemper in periculo peccandi novis peccatis; ſed quiſque debet vitare illud periculum, alioqui peccat; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & min. prob. nam periculum illud non eſt ita proximum, quin poſſit per aliquod tempus vitari peccatum mortale, juvante gratia actuali; alioqui omne, quod facit peccator, eſſet peccatum, quod eſt erroneum, & damnatum in Bajo, eſſet tamen ſaluberrimum conſilium, quàm citò confiteri ad recuperandam gratiam Dei, & ob iſtud, & ob alia pericula ſalutis.

Inſt. Saltem ſequitur, quòd nullus infidelis poſſet totam legem implere; ſed conſ. eſt contra nos; ergo &c.

Reſp.

[1] *Thre.* 1. [2] *De catech. rud. c. ult. de ſpir. & lit.* 16.

Reſp.diſt. maj. quandiu maneret infidelis, con. abſolutè, & quando ab infidelitate receſſerit, neg. maj. & min. nam ſicut per auxilium gratiæ actualis poſſet venire ad fidem, ita & conſequi gratiam juſtificantem per opera bona legis.

Objic. 2. Charitas habitualis eſt idem cum gratia ſanctificante; ſed charitas illa non eſt neceſſaria ad omnes actus legis naturæ, nequidem ad actus amoris Dei; ergo nec gratia habitualis ad totam legem implendam. Prob. min. nam habitus charitatis non requiritur niſi ad actus charitatis, ſicut fides ad actus credendi, & temperantia ad actus temperantiæ; nam per nos poſſibilis eſt amor Dei naturalis ſine auxilio gratiæ; ergo à fortiori ſine habitu ſupernaturali charitatis; ergo &c.

Reſp.diſt. utramque min. non eſt neceſſaria per ſe, & abſolutè, con. de lege ordinaria, & ad perſeverandum per aliquod tempus in illa juſtitia naturali, neg. min.1.& 2.nam, ut diximus, poſſibilis eſt quidem naturaliter actus bonus, etiam amoris Dei ſuper omnia, ſed non diu durans propter rationes allatas.

CONCLUSIO III.

Non ſufficit gratia habitualis ad totius legis naturæ obſervantiam perennem, ſed requiritur prœterea auxilium gratiæ actualis.

Prob.1.ex Scoto dicente, quòd [1]*ad actum meritorium non ſufficit voluntas cùm charitate, ſed requiritur influentia ſpecialis non formæ permanentis, ut eſt gratia habitualis, ſed moventis, ut eſt gratia actualis*, & addit,quòd *gratia nunc non ſanat perfecte naturam*: Item, [2] quòd *actus conſideratur* 1. *ut eſt à libero arbitrio* : 2. *ut eſt ab ipſo informato gratia*: (ſcilicet habituali) 3. *ut eſt ab ipſo moto à Spiritu Sancto*, & licèt hic textus ſit additio, & non ponatur à Poncio in vero textu, tamen patet, quod eſt de mente Scoti,quatenus *nomine influentiæ* intelligit gratiam actualem, & nomine *gratiæ* intelligit habitualem. [3] Et dicit, *influentiam generalem ſemper præſupponi ad*

[1] 1.*d*.17.*q*.2.*HH*.24.
(2) *Ibid n*.24.
(3) *To*.2.*p*.1.*diſp*.38.

ad actum meritorium. Ad 1. *dico, quod meritum eſt in poteſtate mea ſuppoſita influentia generali, ſi habeo uſum liberi arbitrii, & gratiam*. Priorem autem textus partem citat Vulpes, ut Scoti.

Prob. 2. ex Conc. Carthag. ſub Cœleſtino. [1] *Præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda*. Et Arauſicano. *Adjutorium Dei & renatis, & ſanctis eſt ſemper implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perſeverare*. Et Innocent. I. in priori illo Concil. docet, *adjutorio quotidiano nos egere negare non poſſumus, hoc enim ſeu benè vivimus, precamur, ut meliùs, ſanctiuſque vivamus*, &c.

Prob. 3. ex Patribus, nam inquit Auguſtin. [2] citatus à Scoto, *ſicut oculus corporis etiam perfectiſſimè ſanatus niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere, ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere*. Idem probat, & aſſerit ex Canticis, ubi ſponſa licèt dealbata, ſeu ſanctificata non benè ambulat, niſi ſuper eum, à quo fuit dealbata, incumbat: addens illud Chriſti: *Sine me nihil poteſtis facere*.

Prob. denique ratione Scoti, nam licet gratia habitualis ſanet animam quoad maculam culpæ, non tamen quoad infirmitatem in agendo, & contra impedimenta orta ex parte concupiſcentiæ. Ideo Paulus, licèt ſanctus, orabat tentatus: *Quis me liberabit à corpore mortis hujus?* ergo niſi Deus per auxilia gratiæ actualis ſuſtineat ſanctos, facilè cadent. ideo dicebat David; *avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus*.

Objic. 1. in Conc. Milevitano definitur, *gratiam, qua juſtificamur, valere non ſolùm ad remiſſionem peccatorum commiſſorum, ſed etiam adjutorium, ut non admittantur*; ergo ſola gratia ſanctificans ſufficit, ut perſeveremus in bono, & ſervetur tota lex.

Reſp. diſt. ant. gratia juſtificans cum appendicibus ſuis, con. præciſe, & ſola, neg. ant. & conſ. nam auxilia gratiæ actualis ſunt appendices juſtificantis, & or-

[1] *c.8. Can.10.* [2] *De lib.ar.6.*

& ordinarie illam comitantur ; & ſicut Deo per illam reconciliamur, ſic & per eandem nobis adeſt Deus auxiliator.

Obiic. 2. Deus infundit gratiam habitualem non tantùm ut ſimus ſancti, ſed etiam ut ſanctè agamus; ergo fruſtra eſt alia. prob. ant. niſi utrumque præſtaret hæc gratia, conditio juſti non melior eſſet, quam peccatoris, quia iſte poteſt perſeverare in bono cum ſola actuali; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & maj. prob. nam conditio juſti cum gratia illa duplici eſt duplo, & longè melior, & fortior; & gratia habitualis facit, ut opera ejus ſint meritoria, & acceptabiliora Deo.

QUÆSTIO VI.

De neceſſitate gratiæ ad vitanda peccata, & tentationes vincendas.

LIcèt hujus quæſtionis ſolutio videatur ſequi ex dictis de neceſſitate gratiæ ad benè operandum, tamen ad majorem claritatem placet etiam examinare quoad peccata vitanda, & tentationes ſuperandas; nam utraque putabant Pelagiani poſſe viribus naturæ ſuperari, ſc. peccata vitari, tentationes vinci. Ideò exprobrat illis Auguſt. [1] *nec donum Dei poſcitis, ne intretis in tentationem*; *hoc eſt ne peccetis, in veſtra enim virtute confiditis.* Quidam verò Theologi in aliud euntes extremum, putant ne leviſſimam quidem tentationem, aut peccatum vitari à nobis poſſe ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis.

Tentatio autem eſt omnis provocatio ad malum; & hæc venit vel ab extrinſeco, ſi homines alii verbis aut exemplis nos provocent ad malum: vel ab intrinſeco, quando ſc. una pars noſtri, v.g. carnis appetitus, inclinat aliam, v. g. ſpiritum ad malum, quod accidit vel ex innata carnis, ſeu partis tentatricis propenſione, & illecebra, vel ex dæmonis opera, carnem moventis per ſpirituum animalium agitationem ad rebellionem contra ſpiritum: Item, tentationes iſtæ ſunt aliquando leves, quæ leviter ad pec-

[1] 1. *op. imper.*

peccatum ſolicitant; aliquando graves, quæ vehementer movent, ſive ad malum grave, ſive ad leve; nam levitas, & gravitas illa menſuratur non ex gravitate objecti, ſed ex vehementia, & intenſione intrinſeca motus, vel ex duratione ejus. Nam quæ diutiùs durant, ſæpè ſunt graviores, & moleſtiores, licèt leviter moveant, quàm vehementiores, quæ citò quieſcunt. Et ideò illis difficiliùs reſiſtitur, quàm iſtis.

Porrò triplici modo vinci poteſt tentatio, 1. per aliam tentationem, ut unum peccatum vitetur per aliud; ut ſi avarus vincat tentationem carnis ex motivo avaritiæ, vel ex violentia iræ, vel elatione ſuperbiæ. Tunc *non peccata coercentur, ſed aliis peccatis alia peccata vincuntur*, inquit Auguſt. [1] & hoc non eſt vincere, ſed vinci. 2. ex motivo timoris, vel amoris Dei, & hæc eſt vera, & laudabilis victoria, *tunc enim victa vitia deputanda ſunt, cum Dei amore vincuntur*, ait idem. 3. per reſiſtentiam; quando ex motivo naturalis honeſtatis, vel horroris item naturalis abſtinetur à malo, ad quod movet tentatio; & & hoc vel per ſuſpenſionem actus mali, vel per actionem aliam non malam, ſed indifferentem ex ſe, vel per actum virtutis naturalis oppoſitæ.

Non quæritur de neceſſitate gratiæ ad vincendas tentationes 1. modo, hoc enim non eſt vincere, ſed vinci, ut diximus, ſed de 2. & 3. modo vincendi.

CONCLUSIO I.

H*Omini lapſo neceſſarium eſt gratiæ auxilium ſupernaturale ad vincendas graves tentationes: non autem ad leves*. Eſt communis contra Pelagianos quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto quærente, [2] *utrum liberum arbitrium hominis ſinè gratia poſſet cavere omne peccatum mortale*. Et pro parte negativa dicit, quod *videtur eſſe hæreſis Pelagiana dicere, quod liberum arbitrium ſufficiat ſine gratia*. Item, *hæc hæreſis videtur potiſſimè increpata ab Auguſtino*, & adducit authoritatem Greg. *peccatum, quod pœnitentia non deletur, mox ſuo pondere*

[1] *de nupt. 3. 21. cir.*
[2] *d. 28. 1. & 2.*

dere ad aliud trahit. Et, *hic dicitur*, *quod propter verba Auguſtini contra Pelagianos non poteſt caveri ab omni peccato ſine gratia*, &c. ergo nec vincere tentationes trahentes ad peccatum.

Prob. 2. p. 1. ex Script. [1] nam inquit David, in *ſolo Deo eripiar a tentatione*, & cum dixiſſet, *non movebor in æternum*, *avertiſti faciem tuam à me*, *& factus ſum conturbatus*. Item, *impulſus everſus ſum*, *ut caderem*, *& Dominus ſuſcepit me*, *fortitudo*, *et laus mea Dominus* &c. Item monemur orare, *ne nos inducas in tentationem*. *Tunc enim*, inquit Cyprianus, [2]*admonemur infirmitatis noſtræ*, *dum ſic rogamus*. Et D. Paulo in tentatione oranti, *quis me liberabit à corpore mortis?* reſpondetur; *ſufficit tibi gratia mea;* ergo &c.

Prob. 3. ex Conciliis: [3] nam Dioſpolitanum damnat Pelagii dictum, ſc. *quod victoria noſtra non ſit ex Dei adjutorio*, *ſed ex libero arbitrio*. Et Carthaginenſe apud Aug. docet ex doctrina erronea Pelagianorum ſequi, [4] *ut nec orare debeamus*, *ne intremus in tentationem*, *quod Dominus & diſcipulos monuit*, *& poſuit in oratione*, *quam docuit*, &c. Et Milevit. apud eundem idem docet de eadem hæreſi inimicorum gratiæ Chriſti, dum dicunt illud orationis Dominicæ, [5] *ne inferas in tentationem*, *non ita intelligendum tanquam divinum adjutorium poſcere debeamus*, *ne in peccatum tentati decidamus*, *ſed hoc in noſtra eſſe poteſtate*, &c. Et Arauſic. *divini muneris eſt*, *cum recte cogitamus*, *& pedes noſtros à falſitate*, *& injuſtitia continemus*. Et infrà. *Nullus miſer de quantacumque miſeria liberatur*, *niſi qui Dei miſericordia prævenitur*.

Confir. ex Decretis Pontificiis. Nam inquit Innoc. I. ad Concilium Carthagin. *pares nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium*, *ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium* ..... *neceſſe eſt enim*, *ut quo auxiliante vincimus*, *eo iterum non auxiliante vincamur*. Et Zozimus: *in omnibus igitur actibus*, *cauſiſque*, *cogitationibus*, *motibus adjutor*, *& protector orandus eſt*. *Superbum eſt enim*, *ut ſibi quidquam humana natura præ-*

[1] *pſ.* 17. & 28. & 118. [2] *de ora. Dom.*
[3] *c.* 15. *Ep.* 19. [4] *Ep.* 92.
[5] *can.* 9. & 14.

præſumat, *clamante Apoſtolo*, *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem*, &c. Et Gregor. [1] *neceſſario ſequitur*, *ut omni tentationi ſit ſubditus*, *quicumque a Deo fuerit derelictus*, &c.

Prob. 4. ex SS. Patribus, ut ex Cypriano cit. ex Ambroſ. dicente. [2] *Quis eſt iam fortis*, *ut nequaquam in tentationem moveatur*, *niſi Dominus ejus adjutor aſſiſtat?* Ex Chryſoſt. in hæc verba Apoſtol. [3) *Deus non patietur vos tentari ſupra id*, *quod poteſtis*, concludit. *Sunt ergo tentationes*, *quæ ferri non poſſunt*. Et, *quæ hæ ſunt? Omnes*, *ut ſemel dicam: poſſe enim ferri ſitum eſt in Dei nutu*. Ex Hieron. in hæc verba Chriſti D. *orate*, *ne intretis in tentationem*, &c. ſic alloquitur Pelagianos. [4) *Debuiſſet dicere juxta vos*, *ſurgite*, *& reſiſtite*; *liberum enim arbitrium*, *& ſemel vobis conceſſa a Deo poteſtate*, *nullius alterius indigetis auxilio*. Eandem rationem urget Auguſt. [5] *quiſquis negat nos debere orare*, *ne intremus in tentationem*, *ab auribus omnium removendum*, *& ore omnium anathematizandum non dubito*. Negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſola lege accepta, humanam ſufficere voluntatem: ſic de aliis.

Prob. 2. p. 1. ex Script. nam cum Apoſtolus dicit Deum non permittere, (6) *nos tentari ſupra id*, *quod poſſumus*, ſupponit ſatis aperte nos non ſemper ſic tentari, ſed ſæpe nos tentari juxta, vel infra vires noſtras.

Prob. 2. ex Decretis Pontificiis, quibus damnatur hæc propoſitio Baii [7) *Fures ſunt quicumque aliundè quam per Chriſtum ..... ad aliquam juſtitiam conſcendi poſſe dicunt*, *aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe ſic*, *ut in eam non incidat*, *aut ab ea ſuperetur*. Nam ſi hoc falſum, & erroneum eſt; ergo verum eſt, quod poteſt homo ſine gratiæ auxilio reſiſtere alicui tentationi leviori ſaltem ſic, ut ab ea non vincatur. Eodem facit iſta ſimiliter damnata. *Liberum arbitrium non niſi ad peccandum valet*; nam ſequitur quod valet ad non pec-

[1] *in pſ.3.* [2[*Pſ.43.* [3] *ho.24: 1. cor.*
[4] *1. compeſug.* [5] *de perf. juſt.fin.*
[6] *1. cor.10.* [7] *prop.29.*

peccandum; ergo & ad vincendam aliquam tentationem ſaltem levem.

Prob. 2. ex Patribus. Hoc & nos dicimus [ait Hieron.) *poſſe hominem non peccare, ſi velit pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus eſt animus*. Subdit, *nec ideò, quia ad breve poſſum, cogis me, ut poſſim jugiter*. Et Auguſt. qui dixerat in confeſſionibus. *Gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci mala*; hoc tamen limitat, cum dicit, l. de perf. juſtitiæ, *In natura vitiata parum eſſe ad non peccandum voluntatis arbitrium, non dicit, quòd prorſus nihil, ſed quod parùm valeat*; ergo valet ad levem tentationem vincendam. Et id patet ex dictis ſupra de facultate naturali ad aliqua bona opera. Item S. Bonaventura, *quia valdè durum videtur dicere, quod liberum arbitrium in ſtatu tali nulli poſſit tentationi reſiſtere, cùm naturale habeat indicatorium, & quendam inſtinctum naturalem remurmurantem contra malum: cum non ſit etiam in malo confirmatum*. Ideo tenet quod *liberum arbitrium omni gratia deſtitutum, nec omni poſſit tentationi reſiſtere, nec neceſſe habeat omni tentationi ſuccumbere*.

Prob. 4. ratione. nam 1. ut dicebamus, homo ex naturæ viribus poteſt aliquod bonum morale naturale facere; ergo & vitare aliquas leves tentationes iiſdem viribus. Prob. conſ. cum enim hæc bona facit, reſiſtit ſuggeſtionibus malorum oppoſitorum, ut cum quis ex naturali miſericordia ſuccurrit pauperi, ſuperat oppoſitionem avaritiæ.

Confir. nam moraliter impoſſibile eſt hominem infidelem, & ratione utentem ſemper, & in omni occaſione facere, aut conſentire malis, quæ ſibi proponuntur, ita ut ex naturali in bonum propenſione, & honeſtatis æſtimatione, & rationis dictamine nunquam reſiſtat, nunquam occaſionem mentiendi, aut luxuriandi, aut furandi prætermittat.

2. Quia per peccatum non eſt penitus excæcata ratio, nec ablata libertas; ergo ſaltem aliquando ratio naturalis oſtendit malitiam, & turpitudinem actuum, ad quos provocatur, & poteſt voluntas illos ex motivo talis turpitudinis vitare. Ant. patet ex

[1] 3. *con. pelag.* [2] *l. 2. c. 7.*
[2] *c. 2.*

ex Concilio Trident. & aliis. Prob. conſ. nam voluntas libera eſt ad eligendum non ſolùm inter bona æqualia, ſed etiam inter inæqualia, & eligere minus bonum præ majori; ergo quando appetitus ſuggerit homini utilitatem furti, aut voluptatem adulterii, & ratio eidem proponit illorum actuum turpitudinem, & honeſtatem fugæ illorum, voluntas poteſt eligere hanc fugam, etiam ſi aliquantulum magis inclinaretur ad illos actus.

Confir. hoc. Nam aliquando ſollicitamur eodem tempore ad duo utilia, vel delectabilia, quorum unum eſt malum, & aliud non malum, v. g. ad turpia, & ad ludum, vel venationem, vel deambulationem, vel aliam recreationem honeſtam, aut ſaltem non malam poſitivè. Quis credet nos non poſſe eligere hæc delectabilia præ illis turpibus ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio? Fateor has victorias non eſſe meritorias ullius mercedis coram Deo, ſaltem quæ conducat ad gratiam juſtificationis, vel ad gloriam.

Objic. 1. con. 1. p. ſi homo ex propriis viribus non poſſet vincere graves tentationes, non peccaret, quando ſuccumbit: ſed conſ. eſt falſum; ergo, &c. Prob. maj. non peccatur per hoc, quod non eſt in poteſtate agentis; ſed non eſſet in poteſtate hominis non ſuccumbere; ergo ſuccumbendo non peccaret.

Reſp. neg. maj. 1. argum. & min. 2. nam eſt in poteſtate non ſolùm phyſica hominis, ſed etiam morali vincere tentationem, & non peccare, ſi velit cooperari oblato, ſeu parato ſibi gratiæ auxilio, vel illud petere.

Inſt. illa victoria eſt ſupernaturalis; ergo non eſt in poteſtate voluntatis. Prob. ant. pendet ab auxilio gratiæ ſupernaturalis; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. eſt ſupernaturalis quoad modum, & ſecundum quid, con. in ſubſtantia, & ſimpliciter neg. ant. nam pendet à voluntatis libertate cooperari motioni, & auxilio gratiæ, & quoad hoc victoria eſt naturalis, ſeu ex viribus naturæ, licet non in toto.

Objic. 2. non plus difficultatis eſt vincere quamlibet tentationem, abſtinendo ab actibus ejus, quàm ad parendum graviſſimis aliquot tentationibus; ſed ad ſatisfaciendum aliquot tentationibus ſufficit

libertas naturalis; ergo & ad illam victoriam. Prob. maj. difficilius eſt, & plus laboris, ac periculi eſt in ſatisfaciendo ambitioni, vel avaritiæ, ac rapacitati appetitus, quàm in illis reſiſtendo; ergo &c. Prob. ant. nam explendo ambitionis, vel rapacitatis tentationem ſubeundi ſunt graviſſimi labores, & pericula etiam vitæ, & in ea ſuperanda homo potiùs ab illis immunis eſt; ergo &c.

Reſp. diſt.maj. & ant.prob. vincere ex aliis motivis ſenſibilibus, & ſine laude, & merito, aut forte per alia peccata, aut quoad executionem, con. laudabiliter, & vera victoria, neg. maj. & ant. nam quod fur timens cuſtodes non furetur, & quod ambitioſus timens pericula belli, aut labores non uſurpet coronas, nec proſequatur dignitates, non eſt vincere tentationes ambitionis, vel avaritiæ, niſi quoad executionem. Tales homines jam victi ſunt internè, & voluntate ſuccubuerunt; non vincunt per virtutem, ſed per alia vitia, v.g. per ignaviam, & timiditatem, &c.

Inſt. nulla eſt gravior tentatio, quàm metus mortis: ſed naturaliter homo ſæpius metum illum ſuperat naturaliter ex motivis virtutis apparentis, & ex errore; ergo à fortiori ex motivo honeſtatis, & virtutis veræ. Prob. min. poteſt hæreticus ex falſa religione, quam putat veram, & ex errore contemnere, & pati mortem, & hoc naturaliter, & ſine gratia, imò potiùs renitente gratia; ergo à fortiori hæc poſſet pati prò veritate.

Reſp. neg. min. abſolutè. Nam licèt hæretici illi, ſi qui ſint, qui verè, & ſyncerè mortem ſic contemnunt, id faciunt ex vana gloria, & pertinacia, ne videantur erraſſe, vel ex prava, & dæmoniaca prudentia, & vanitate, ut fortes, & pii cenſeantur ab aliis hæreticis, & iſtos contineant in errore, non autem ex ſyncera pietate. (1) *Hæc conſtantia eſt donum, non hæreditaria, in quibus ſumus hæredes Dei, ſed quæ poſſunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & Schiſmatici, vel hæretici comparantur, non habentes niſi falſam fidem, quæ per elationem, vel timorem, non veram, quæ per dilectionem operatur*, ait Aug. igitur iſti vincunt unam tentationem per aliam fortiorem, qualis eſt pertinacia, & inanis gloriæ cupiditas.

Objic.

[1] *de patient.* 28.

Objic.con.2. ex Scriptura, & Patribus docemur omnes tentationes vinci ex Dei auxilio, & nullam excipiunt; ergo tam egemus Dei gratia ad ſuperandas leves, quàm graves. Prob. ant. 1. *in te eripiar à tentatione*. 2. ex Concilio Arauſic. II. *nullus miſer de quacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur*. Et, *nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum*. 3. Chryſoſt. cit. quærens, quæ ſunt tentationes, quæ ferri non poſſunt, reſpondet, *omnes, ut ſemel dicam*; ergo gratia eſt neceſſaria tam ad leves, quàm ad graves ſuperandas.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. ad omnes tentationes ſuperandas laudabiliter, & meritoriè ad ſalutem, con. abſolutè, neg. ant. & conſ. prob. nam Script. & Concilia, & Patres loquuntur de victoria ſalutari, & meritoria, ſicut de bonis operibus, vel de omnibus copulativè, vel de gravioribus.

Inſt. Chriſtus dum docet nos orare, ut non ſinat nos tentari, non diſtinguit de gravibus, aut levibus, dicit abſolutè, *ne nos inducas in tentationem*; ergo neque nos diſtinguere debemus; ſed pro omnibus orandum eſt.

Reſp. neg. conſ. nam orare docemur ad vincendas tentationes cum merito gratiæ, & vitæ æternæ, & ex motivo charitatis: nos autem diſtinguimus inter vincere tentationes cum merito illo, & hoc dicimus fieri non poſſe ſine gratiæ auxilio, & inter vincere illas ex motivo honeſtatis virtutum, & turpitudinis vitiorum, de quibus tentamur; & hanc victoriam dicimus naturæ viribus poſſibilem, ſi tentationes ſint leves.

CONCLUSIO II.

Homo poteſt naturæ viribus vitare aliqua peccata etiam mortalia; non tamen omnia; imò etiam cum gratia ordinaria, & ſine ſingulari Dei privilegio, quantumvis juſtus diu vivere non poteſt immunis ab omnibus peccatis collectivè.

Prob. 1. p. ex Scoto[1] cit. in præcedenti, & præterea cùm dicit, quòd *quantum eſt ex parte liberi arbitrii, poteſt ſervari juſtitia*, (ſc. vitando peccatum mortale) licet

[1] *Ibid. n. 8.*

licet quando juſtitia non habetur, juſtitia ſervari non poſſit, quod intelligi poteſt vel de recuperanda juſtitia perdita per peccatum, vel de vitando novo peccato.

Prob.2. ex dictis de poſſibilitate operum bonorum, & amoris Dei, & victoria aliquot tentationum viribus naturæ. Nam dum homo reſiſtit tentationibus, vel elicit actus amoris Dei etiam naturales, vel opera quædam virtutum moralium facit, non peccat; ergo naturaliter poſſunt vitari aliqua peccata.

Confir. ex damnatione dictarum propoſitionum Baji dicentis, quod *omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia*, & quòd *liberum hominis arbitrium nonniſi ad peccandum valet*; nam hinc ſequitur hominem non ſemper peccare, nec in omnibus ſuis actibus, & quod valet ad non peccandum, ſaltem mortaliter.

Prob. 3. Poteſt homo lapſus, ſine auxilio gratiæ, committere aliquod mortale; ergo & aliquod vitare. prob. conſ. nam niſi poſſet illud vitare, non eſſet liber, ſed neceſſariò peccaret, quod repugnat ipſi rationi peccati, quod debet eſſe liberum.

Prob.2. p. nam 1. quædam ſunt, ad quæ provocamur gravibus tentationibus; ſed ex dictis homo, ſine auxilio gratiæ, non poteſt vincere graves tentationes; ergo ſunt aliqua peccata, quæ homo non poteſt vitare ſine gratia; ergo nec omnia.

Prob. 2. quia ad vitanda omnia peccata homo debet diu, imò ſemper debet ſervare juſtitiam; ſed hoc eſt impoſſibile, non quidem phyſicè, ſed moraliter; ergo &c. prob. min. 1. ex Scriptura, & Conciliis: nam [1] *ſeptiès in die cadit juſtus*. Et, [2] *non eſt homo, qui non peccet*. Item, [3] *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, quem locum citans Cōcil. Milevit. ait: [4] *quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dicere nos habere peccatum, non quia verè ita ſit, Anath. ſit*; ergo nullus homo dicere, vel præſumere poteſt ſe poſſe vitare peccata omnia, quandoquidem non poſſit dicere ſe non habere de facto peccatum.

Con.

[1] *Pſ.* 24. [2] *Paral.* 9.
[3] 1. *Jo.* 1. [4] *Can.* 6.

Confir. ex Concil. Tridentino mox citando; nam ſi homo quantumcumque juſtus non poteſt vitare peccata omnia venialia per totam vitam, ne quidem cum auxilio gratiæ ordinario, multò minus ſine gratia.

Dico, *impoſſibile id eſſe moraliter, & copulativè*, nam licèt nullum ſit nec mortale, nec veniale in particulari, & disjunctivè, per ſe loquendo, & præcisè ab aliquibus circumſtantiis, quod non poſſit vitare; tamen, ſpectata naturæ fragilitate, & continuarum tentationum procella, & prudentiæ humanæ obſcuritate, & imperfectione, cui multa & ſubjectione, & inconſideratione excidunt, moraliter impoſſibile eſt cavere ſemper, vel diu ab aliquo veniali. Hinc

Prob.3.p.1.ex præcitatis textibus Scripturæ,& aliis, in quibus ipſimet Sanctiſſimi viri ſeſe fatentur peccatores, ut cum David poſt longam pœnitentiam, & poſtquam Deus illi remiſerat impietatem peccati ſui, dicit, quòd (1) *pro hac orabit omnis ſanctus ad Deum*. Vide cum Auguſtino, quòd (2) *non omnis peccator, ſed omnis Sanctus ſic orare debet*, ut ipſemet pro ſeipſo, (3) *non intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Et ſapiens dicit, *non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & qui non peccet*. Et cum Deus docet nos orare, *dimitte nobis debita noſtra*, loquitur ad ſanctos æquè, ac ad peccatores: denique S. Jacobus, cum dicit, *in multis offendimus omnes*, neminem excipit.

Prob.2. ex Concilio Tridentino ſupra citato. (1) *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit in tota vita poſſe etiam peccata venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, anath. ſit.*

Prob. 3. ex dictis, nam difficilius eſt cavere omnia venialia collectivè, quàm mortalia; ergo major, ſeu ſpecialior gratia eſt neceſſaria ad vitanda toto tempore vitæ omnia venialia.

Prob. ant. 1. quia auxilia, & motiva retrahentia à mortalibus ſunt fortiora, quàm quæ retrahunt à venia-

[1] *Pſ.* 31. [2] *De peccat. mer.* 5.
[3] *Pſ.* 142.
[4] *ſeſſ. 6. can.* 23.

venialibus; nam à mortalibus nos retrahunt naturalis horror turpitudinis, & deordinationis eorum; remorſus conſcientiæ, repugnantia rationis, timor damnationis æternæ, & amiſſionis gratiæ, & gloriæ, &c. hæc motiva non tam fortia ſunt pro venialibus: 2. occaſiones venialium ſunt frequentiores, objecta magis familiaria, & delectabiliora cum exigua, aut nulla remurmuratione conſcientiæ, inſtigationes dæmonum ſubtiliores, & continuæ, motus concupiſcentiæ prævenientes, aut fallentes maturitatem judicii, & vigilantiam prudentiæ, inſtabilitas, & inconſtantia voluntatis levior eſt; ergo &c.

Objic. 1. cont. 1. p. Si homo nature viribus, & ſine auxilio poſſet vitare ullum peccatum, & mortale, poſſet omnia, & ſemper; ſed conſ. eſt contra nos; ergo & ant. prob. maj. nam ex Scoto, [1] *ſi poteſt cavere peccatum hoc, vel pro iſto nunc poſſet & quodvis aliud, & pro quocumque alio tempore*; eſt enim eadem ratio de omnibus peccatis, & temporibus: quia habet pro omnibus, & ubique eaſdem vires, & libertatem; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. eadem ratio phyſicè, con. moraliter, neg. ant. & conſ. nam revera voluntas habet eandem phyſicè libertatem, & vires, ſed non moraliter, quia tentationes ingraveſcunt, vires debilitantur, & ipſamet voluntas in ſua inſtabilitate debilitatur.

Objic. 1. cont. 3. p. ex Scriptura, dicitur de Job, [2] *quod non ſit ſimilis illi in terra, ſine querela, juſtus, abſtinens ſe ab omni opere malo*, &c. & S. Joannes, [3] *quod omnis, qui manet in Deo, non peccat*, Et, *omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatū non facit*, & talis eſt, *qui manet in charitate, nam in Deo manet*, &c. Item [4] de Zacharia, & Eliſabeth, *erant ambo juſti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Dei ſine querela*, & Chriſtus non præciperet, [5] *eſtote perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: nam ad hoc neceſſe eſt immunem eſſe ab omni peccato; ſed non conſtat, quod iſti, & alii habuerint gratias ſingulares; ergo poſſunt juſti per auxilia ordinaria gratiæ vivere ſine ullo peccato.

Reſp. diſt. maj. & explico textus illos, fuerunt ſine pec-

[1] *Ibid. n.* 5. [2] *Job.* 1. [3] 1. *Jo.* 3.
[4] *Luc.* 1. [5] *Matth.* 5.

peccato gravi,cum quo juſtitia ſanctitatis non eſſet incompatibilis, con. ſine omni peccato ſimpliciter, & abſolutè, nequidem leviſſimo, neg. maj. & conſ. & quod ſic intelligendæ ſint Scripturæ illæ, patet ex aliis ſupra citatis. Sic Job, quamvis dicatur, quod in omnibus tentationibus Sathanæ *non peccavit, neque ſtultum quid loquutus eſt;* tamen reprehenditur à Deo, & idem Joannes, qui ſine dubio erat in charitate, & manebat in Deo, fatetur tamen ſe habere peccata. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus.* &c. Et D. Paulus, qui dicit, *bonum certamen certavi, fidem ſervavi,* &c. & ſe fuiſſe *in lege ſine querela,* dubitat tamen, dicens, *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum,* fatetur ſe nondum eſſe perfectum: *Non quod jam perfectus ſim.* Et quod dicitur de Zacharia, & Eliſabeth, ſignificat quidem eorum eminentem, ac ſingularem pietatem, ſed non immunem ab omni peccato: unde quia hæſitaverat credere Angelo prædicenti nativitatem Joannis, factus eſt mutus. Denique cùm jubet Chriſtus nos eſſe perfectos, ſicut eſt Pater, non loquitur in rigore mathematico, loquitur occaſione dilectionis inimicorum, nec diſpenſat nos ab illa particula orationis, quam docet, *dimitte nobis,* &c.

Objic. 2. ſi perfectio illa eſſet impoſſibilis ſecundum vires ordinarias gratiæ, Deus non illud præciperet; nam impoſſibilia non jubet; ergo illa perfectio eſt poſſibilis cum auxilio ordinario gratiæ.

Reſp. ſi eſſet ſimpliciter, & abſolutè impoſſibilis, con. ſecundum quid, & defectu veniente ex parte noſtra, neg. ant. & conſ. nam abſtinere ab omnibus peccatis, etiam leviſſimis, collectivè, & toto tempore vitæ noſtræ eſt quidem ſimpliciter poſſibile ex parte Dei, & id fieret, ſi perfectè cooperaremur gratiæ totis viribus noſtris, quia majora ſemper, & abundantiora præberet auxilia, quæ parat, & offert: ſed imperfectè cooperamur, & ideo cadimus ſæpè, & ſingulis momentis. Unde culpa eſt hominum, quod peccata non vitent, ait Auguſt. [1] *nolunt homines facere, quod juſtum eſt.* Certè Deus non jubet impoſſibilia, nec difficillima, niſi fiant facilia cum adjutorio gratiæ, & cooperatione aſſidua voluntatis noſtræ; ſed hæc aſſiduitas eſt adeò rara, ut nulli puro homini contigerit

[1] *de pecca. mer.* 17.

Digitized by Google

præter Deiparam. (1) *Ad aliqua ſuperanda, quæ vel male metuuntur, vel malè cupiuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus eſt voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam dici voluit, non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, &c.

Objic. 3. homo juſtus laudabiliter diceret, *volo ſemper vitare omnia venialia*, non autem, *volo committere aliqua*, vel, *nolo vitare omnia*; ſed neutrum eſſet verum, niſi eſſet poſſibile vitare omnia de via ordinaria, ſeu cum ordinario gratiæ auxilio; ergo non eſt neceſſaria gratia ſpecialis ad vitanda omnia etiam collective. Prob. min. homo non poteſt laudabiliter promittere impoſſibile, nec vituperandus eſt proponens facere, quod vitare non poteſt; ſed primus proponeret impoſſibile, & ſecundus proponeret facere, quod vitare non poſſet: ergo primus non recte, & 2. non male proponeret.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. promittere impoſſibile phyſicè, & collectivè conſideratū, ut tale, con. moraliter, & diſtributivè conſideratum, neg. maj. & conſſimiliter diſtincta min. primum propoſitum eſt de omni peccato in particulari, ita ut nullum ſit in particulari, & determinatè cognitum, quod non velit, ut & poſſit vitare. 2. verò eſt de aliquibus peccatis, etiam diſtributivè, & in particulari admittendis, quæ poſſet vitare; & ſic ille laudabiliter loquitur, quia determinatè proponit non peccare, iſte vero minimè, quia abſolutè, & determinatè proponit peccare.

Inſt. nullum eſt peccatum diſtributivè, quod non poſſit vitare; ergo poteſt omnia etiam collectivè, nam de diſtributivo ad collectivum valet conſequentia.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. a diſtributivo, cujus partes omnes numerantur diſtributive, conc. ſi non ſic numerentur, neg. ant. & conſ. nam hæc enumeratio peccatorum vitandorum ſingulatim non poteſt fieri ſtante humana infirmitate, & occaſionum, ac circumſtantiarum, & tentationum multitudine, & varietate in decurſu vitæ occurrentium.

Igitur ex ſpeciali quidem gratiæ auxilio, & privilegio poſſet purus homo per totam vitam ſe immunem

(1) *Ibid.* 3.

nem præſtare ab omni prorſus peccato actuali, ſed tale privilegium ſoli B. Virgini reſervatum eſt, nulli autem alteri conceſſum: ut notabamus ex Concil. Trid. & docet Auguſt. [1] *ſcimus enim, quod ei plus gratiæ collatum eſt ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*, &c.

Loquimur autem ſemper de gratia actuali, quam dicimus neceſſariam ipſi homini juſto ad vincendas tentationes, & peccata.

Quæres autem *in quonam conſiſtat illa ſpecialitas gratiæ neceſſariæ ad vitanda omnia prorſus peccata, & quomodo differat ab ordinaria, qua vitantur mortalia, & venialia diſtributive.*

Reſp. 1. Eam non conſiſtere præcisè 1. in aliqua majori intenſione graduali, quia ſæpe accidit, vel accidere poteſt, ut quis ſit cautior, & exactior alio cum æquali, vel remiſſiori auxilio gratiæ in entitate. Nec 2. in aliqua perfectione ſpecifica ſuperiori propter eandem rationem; & quia ſine ratione urgenti ea diſtinctio fingeretur. Sed 3. in majoritate extenſiva, quatenùs in iis, qui ab omni culpa etiam leviſſima per totum longioris vitæ curſum abſtinerent, auxilia eſſent abundantiora, frequentiora, & continuatiora; nam ſic homo redditur vigilantior, & attentior in ſe, ne ſubrepat peccatum; magis, & continuò excitatur ad bonum., ne obdormiat in malum, &c. Ideò

Reſpondeo 2. inde poſſe dici, gratiam, qua vitantur venialia, eſſe majorem ſecundum quid illa, qua vitantur lethalia, & ſecundum quid minorem. Eſt major extenſivè, ut dicebamus, imò quatenùs importat privilegium vitandi omnia prorsùs venialia, ut dicebamus de B. Virgine, & adæquatè ſpectata importat redundantiam quandam charitatis, & heroicitatem virtutum, & cumulum donorum omnium, & auxiliorum extraordinariorum, & ad vincendas quaſcumque, & cujuſcumque peccati occaſiones: In his, inquam, gratia hæc ſingularis eſt, & maxima.

Reſp. 3. gratiam, quæ dat vitare mortalia, eſſe etiam ſecundum quid majorem, ſc. quatenùs eſt ſalutarior,

 & ma-

[1] *de nat. & gra.* 36.

& magis neceſſaria, quippe per illam conſervatur innocentia eſſentialis, & vitatur damnatio, & pervenitur ad ſalutem; & denique eſt magis gratuita, & minùs debita.

QUÆSTIO VII.

De neceſſitate gratiæ actualis ad perſeverandum in bono, ſeu de gratia perſeverantiæ: Quæ, & qualis ſit.

HÆc quæſtio connectitur aliquo ſenſu cum præcedentibus de obſervantia legis, & vitatio peccatorum lethalium, & venialium in homine juſto eſt quædam perſeverantia in juſtitia; ſed ut quid ſpeciale habeat

Suppono, *perſeverantiam* dici ſtabilitatem, & perſiſtentiam in aliquo ſtatu, & maximè in bono; nam inſtabilitas in malo dicitur potiùs *pertinacia*, vel *induratio*. Propriè autem *perſeverantia* dicitur donum illud, quo homo perſiſtat in bono, & ſanctitate uſque ad finem, ſeu mortem incluſivè, & quidem per temporis notabilem aliquam durationem. Nam qui ſtatim, aut brevi admodum tempore poſt adeptam gratiam ſanctitatis moriuntur, ut bonus latro in cruce, & infantes poſt baptiſmum, non dicuntur ita propriè perſeverantes, ſicut nec illi, qui poſt longam perſiſtentiam in bono tandem deficiunt, & in peccatis moriuntur, & damnantur. Ut ex Auguſtino legitur de quodam; qui cum uſque ad 85. annum ſanctè vixiſſet, tandem lapſus eſt: & reliquum tempus vitæ in peccatis peregit, & miſere periit. Propriè ergo perſeverantia exigit 1. longiorem, & 2. finalem in bono *perſeverantiam*, quæ in morte coronetur; & de iſta præcipuè quæritur, an ſit ex aliquo ſpeciali dono gratiæ ſupernaturalis, & quale ſit illud donum.

CONCLUSIO I.

HOmo cum ſola gratia ſanctificante, & ſine ſupernaturali gratiæ auxilio perſeverare non poteſt finaliter, & meritoriè in bono. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto(1) citato in præcedentibus; nam ſi per

[1] *Ibid.*

per ſeipſum non poteſt homo ſervare totam legem, nec vitare omne peccatum lethale, aut veniale diù, & per totam vitam, nec vincere omnes tentationes, multò minus poterit perſeverare finaliter, & meritoriè: nam moraliter impoſſibile eſt totam vitam agi poſſe ſine gravibus tentationibus, &c. ergo ad perſeverantiam finalem eget ſpeciali auxilio gratiæ.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat Deum aſſiſtere ſpecialiter ſanctis viris, ne cadant; ut cum dicebat David, [1] *à dextris eſt mihi, ne commovear*, & orabat, *fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te*: id eſt, ut non recedamus: &, *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*. Et ipſe Deus per Jeremiam: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant à me*. Et Chriſtus orabat: *Pater ſerva eos in nomine tuo*. Denique ex citatis hucuſque textibus, quibus probatur neceſſitas gratiæ ad implendam legem, & vitanda peccata, &c. ergo, &c.

Prob. 3. ex Conciliis: nam inquit Arauſic. [2] *adjutorium Dei etiam renatis, & ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare*. Et Trident. [3] *de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt niſi ab eo, qui poteſt eum qui ſtat ſtatuere, ut perſeveranter ſtet*, &c. Et infra perſeverantiam vocat *magnum donum*; & decernit: *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anath. ſit*.

Prob. 4. ex doctrina S. Sedis Apoſtolicæ. Nam ut ſcribit Innocent. I. ad 2. Concil. Carthaginenſe; [4] *poſtquam Deus nos redemit à præteritis peccatis, quotidiana præſtat remedia, quibus niſi confiſi fretique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*. Hinc Cæleſtinus (5) item I. infert, *neminem etiam baptiſmatis gratia renovatum idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & carnis concupiſcentias, niſi per quotidia-*

[1] *Pſ.* 15. 79. & 116. [2] *can.* 10. [3] *Seſſ.* 6. *c.* 13. [4] *can.* 16. & 22. [5] *Ep.* 6.

num auxilium Dei perſeverantiam bonæ converſatio- nis acceperit.

Prob. 5. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. (1) *negare non poſſumus perſeverantiam in bono proficientem uſque in finem magnum eſſe Dei munus, nec eſſe niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt, omne datum optimum*, &c. Et alibi, [2] *ſicut oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis alicujus non poteſt cernere: ſic homo, etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus non ſolùm ut deleat, quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus.* Et S. Cyprianus orationis Dominicæ particulas exponens infert. *Ergo & hi, qui jam ſancti ſunt, quid orant, niſi ut in ea ſanctitate, quæ illis data eſt, perſeverent?* Idem notat S. Aug. de bono perſeverantiæ ex eodem. Et ſic de aliis.

Prob. denique: quia ut dictum eſt in præcedentibus, non minùs requiritur auxilium gratiæ ad reſiſtendum tentationibus diaboli, & carnis, & benè operandum, & in virtutum exercitio, & ſtatu perſeverandum, quàm ad illos actus aliquoties, aut ſæpiùs eliciendos, & virtutes acquirendas, & maxime ad juſtificationis gratiam aliquando promerendam: ſed ad hæc omnia neceſſarium eſt auxilium gratiæ ſupernaturalis; ergo à fortiori neceſſarium eſt ad illa conſervanda, & in eis finaliter, & meritoriè perſeverandum.

Objic. 1. nihil deeſt juſto, ut poſſit vitare omnia peccata mortalia; ergo juſtus non eget gratia ſpeciali ad perſeverandum in accepta juſtitia: ad id enim ſufficit vitare omnia mortalia. Prob. ant. nam per gratiam habitualem non ſolum mundatur à mortalibus præteritis, ſed etiam præſervatur à futuris; nam per illam elevatur ad ſtatum ſupernaturalem, inclinatur, & roboratur ad bonum; ergo ſi ante acceptam gratiam illam poterat aliqua peccata vitare ſaltē pro brevi tempore, ut diximus, multò magis poſt acceptam.

Reſp. diſt. ant. ut poſſit vitare omnia peccata mortalia ſingillatim, & diſtributivè, & maximè ſi non urgeat gravior tentatio, con. collectivè, & urgēte graviori tentatione, neg. ant. & conſ. prob. nam licēt gratia habitualis ea omnia præſtet, non tamen ſufficiunt, nec ſatis

[1] *de correp. & gr. 6.* [2] *de nat. & gr. 26.*

ſatis roborant ſine novis, & ſpecialibus auxiliis, &, ut diximus ex Scoto, *gratia illa non perfectè ſanat animam*, & ideò eget manu Dei ſponſi, quæ illam ſuſtineat.

Inſt. qui ſtatim, aut brevi poſt acceptam gratiam moritur, non eget alio dono, ut perſeveret; ergo nec alii, qui diutiùs vivunt.

Reſp.neg.conſ. quia qui ſtatim moritur, non incurrit in occaſiones, vel tentationes, nec laſſatur in via juſtitiæ, & virtutum, ut accidit longè viventibus propter infirmitatem naturæ.

Reſp.2. neg.ant. nam in iſtis mors ipſa præcipitata, & promptior eſt effectus ſpecialis providentiæ; ut de juniori mortuo docet ſapiens, *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus* &c.

Objic.2. Adam ſi juſtus manſiſſet, non egebat ſpeciali gratia ad perſeverandum: ſufficiebat illi gratia habitualis; ergo nec juſti chriſtiani. Prob. conſ.nam per Chriſti gratiam reparatur copioſè, quod in Adam amiſſum eſt.

Reſp.quidquid ſit de ant.neg.conſ.quia Chriſtus quidem meruit nobis gratias abundantiores, & copioſè nos redemit; ſed non ſequitur, quin illis abundantioribus, & efficacioribus egeamus in natura lapſa, quam gratia ſanctificans ſe ſola non perfectè ſanat.

Dixi (quidquid ſit de ant.) nam ipſius Adæ lapſus ſatis probat indigentiam auxilii divini etiam in illo ſtatu. Quod quidem auxilium non defuit, ſed ſi cum illo cecidit, quantò magis ſine illo cecidiſſet? Primo homini datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non *quo* fieret, ut perſeveraret, ſed *ſine quo* per liberum arbitrium perſeverare non poſſet; ait Auguſt. [1]

Objic. 3. juſtitia, ſeu gratia habitualis dat juſto homini jus ad gloriam; ergo & ad media omnia conducentia ad illam; ſed perſeverantia eſt medium neceſſarium ad gloriam; ergo eſto, ſit donum aliquod diſtinctum à gratia habituali, adhuc non eſt ſpecialis gratia, ſed quid conſequens ad habitualem.

Reſp.diſt. ant. dat jus ad gloriam ſuppoſita perſeverantia finali, con. præciſè ab illa, neg. ant. perſeverantia enim eſt cōditio, ſine qua homo non habet jus per-

[1] *de correp.* 12.

perfectum, ſed inchoatum ad gloriam, & ideò ipſa perſeverantia eſt donum ſpeciale.

Inſt. hoc ipſo, quod homo eſt juſtus, non deſeritur à Deo; ſed ſi non deſeratur, nunquam cadet, ſed perſeverabit; ergo perſeverantia eſt quid conſequens, & annexum, ſaltem de lege communi, cum gratia, non autem quid ſpeciale præter illam. Maj. prob. ex Concil. Trid. Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.

Reſp. diſt. maj. non deſeritur à Deo quoad vinculum charitatis, quamdiu eſt juſtus, con. quoad permiſſionem cadendi, & deficiendi à juſtitia, neg. maj. & ſimiliter diſt. min. ſi non deſeratur permiſſivè, con. ſi non deſeratur propriè, & quoad vinculum charitatis, neg. min. & conſ. Deus non deſerit hominem quoad amicitiam, quandiu eſt juſtus, & ſervat in ſe charitatem ad Deum, non recedendo ab ipſo, hoc docet Concil. ſed quoad libertatem derelinquit eum, & permittit illum ſibi, ut à juſtitia declinet, & de facto declinat, niſi per auxilia continua, & efficacia ſuſtenter, & retineat.

CONCLUSIO II.

GRatia, quæ dat perſeverare, importat interiora Dei auxilia, quibus interiùs roborantur juſti ad reſiſtendum peccato in iis, qui diù gratiam conſervant, & externam protectionem, eamque ſingularem in iis, qui poſt acceptam gratiam cito moriuntur.

Prob. 1. ex Scoto, qui in Deo agnoſcit duplicem miſericordiam, unam, qua prohibet malum imminens, & aliam, qua tollit præſens, & quod nullum accidit, quod non permittat, nec ullum removetur, aut vitatur niſi ipſo dante ſeu volente antecedenter, aut conſequenter; ergo quod homo non incidat in malum peccati quocumque tempore, & maximè pro toto tempore vitæ poſt acceptam gratiam, ſemper venit ex ejus miſericordia ſive in peccatoribus, ſive in juſtis.

Prob. 2. quoad 1. p. ex dictis in præcedenti; nam Scriptura, Concilia, & Patres requirunt auxilium gratiæ, ſine quo ſancti ipſi ſtare non poſſunt in ſua juſtitia, nec perſeverare. De hoc autem auxilio loquun-

quuntur in hac occaſione ſicut in aliis; ſed in aliis intelliguntur de auxilio interno gratiæ actualis; ergo & in iſta. Et hoc facilè colligitur ex ipſis textibus: v. g. ex Concil. Trid. *ſi quis dixerit juſtificatum ſine auxilio ſpeciali Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe* &c. *Anath. ſit*. Vides, quòd auxilium dans perſeverantiam eſt quid præter gratiam iuſtificantem.

Confir. ex Auguſt. dicente, quod [1] *ſi juſtis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorium Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec in eis Deus operaretur, ut vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes in infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut poſſent*; ergo auxilium, quo datur perſeverare voluntatem afficit, & roborat interiùs.

Prob. 2. p. maximè de adultis, ex ſapientis dicto de illo juvene, qui dicitur [2] *raptus ne malitia mutaret intellectum ejus* &c. Et Chriſtus dicit, quod in fine mundi breviabuntur dies, ne pervertantur homines, *niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur* &c. 2. ex Auguſtino probante, quod perſeverantia finalis ſit donum Dei, quia *vitæ huic, quando voluerit, ipſe dat finem, quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeverare uſque in finem* Sed mirabilior, & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei eſt, quòd *etiam parvulis, quibus obedientia non eſt illius ætatis, detur hæc gratia*. Certè in parvulis non eſt neceſſaria gratia interior, quia cùm capaces non ſint uſus rationis, nec boni, aut mali, tota gratia perſeverantiæ conſiſtit in illa ſpeciali protectione, & miſericordia Dei, qua prævenit eorum caſum, & mortem ſpiritualem per temporalem.

Denique negari ſine impietate non poteſt, quin ſingulare ſit Dei beneficium hominem, ſive adultum, ſive infantem, eo momento, & tempore ſanctificari, quo amittere non poteſt gratiam, ſed in ea ſtatim coronandus eſt, & quo *mors temporalis, quæ eſt inimica vitæ, fit inſtrumentum, per quod tranſitur ad vitam*, ſc. æternam, ait idem Auguſt.

Poſſet hic quæri, an omnibus detur gratia perſeve-ran-

[1] *de corr.* 12. [2] *Sap*. 4.

rantiæ, & an cadat ſub meritum: 1. videamus in communi de gratia actuali ſufficienti, an omnibus detur; nam inde facilè decidetur de auxilio ſufficienti ad perſeverandum: altera quæſtio patebit ex dicendis de merito.

QUÆSTIO VIII.

An gratia auxiliatrix ſufficiens omnibus detur juſtis, infidelibus, peccatoribus, excæcatis, & parvulis.

POſt examinatam gratiæ auxiliantis, ſeu actualis exiſtentiam, & neceſſitatem, reſtat videre, an ſicut neceſſaria eſt omnibus ad ſalutem, ita omnibus in promptu adſit, aut parata ſit, nemine prorsùs mortalium excepto, nequidem reprobis, & perditiſſimis peccatoribus, imò nec parvulis in utero matrum decedentibus, & quibus propterea non poteſt applicari baptiſmus, aut aliud remedium peccati originalis.

Hæc etiam quæſtio pendet ex alia, quæ fuit examinata in tr. 1. *An Deus velit omnes ſalvari*. Item ex alia ſuo loco videnda; *an Chriſtus pro omnibus mortuus ſit*.

CONCLUSIO I.

O*Mnibus adultis adeſt gratia ſufficiens, qua poſſibilia ſint eis præcepta omnia, & poſſint ſalvari.* Eſt communis, & videtur de fide contra hæreticos, & noviſſimè contra Janſeniſtas docentes, non ſolum *aliqua præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires, eſſe impoſſibilia*, ſed etiam quod *deeſt eis gratia, qua poſſibilia fiant*. Ita Janſenius ipſe l. 3. de gratia Chriſti c. 13. pagina mihi 138. & 139.

Prob. 1. ex Scoto. Nam inquit, (1) *Deus vult omnes homines ſalvos fieri; quantum ſc. ex parte ſui, & voluntate ſua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem*.

Prob. 2. ex Scriptura 1. quia ſic Deus ſalutem nobis proponit, ut ſit in electione, & poteſtate noſtra, ſci-

[1] 1. *d*. 46. *B*. 3.

ſcilicet mediante gratiæ adjutorio, [1] *Ante homi-nem vita, & mors, & bonum, & malum, quod placue-rit ei, dabitur illi*. Item, *propoſui vobis vitam, & mor-tem . . . elige tibi vitam*; ſed hæc, & ſimilia fruſtra dicerentur, niſi parata eſſent ex parte Dei auxilia, qui-bus ſalus electis redderetur poſſibilis: ergo &c.

2. Quia eadem Scriptura dicit, mandata Dei eſſe in poteſtate noſtra: [2] *mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt*. [3] Item, *ſi volueris ſervare mandata, ſervabunt te* &c. ergo poſſibilitas manda-torum eſt in voluntate mediante gratia, quæ parata eſt ex parte Dei, nec aliud quærit à nobis, quam velle.

3. Quia ex ſe Deus ſemper facit partes ſuas. (4) *Quid potui facere vineæ meæ, & non feci? an quod expecta-vi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* ſed hoc Deus non rectè diceret, niſi daret gratiam, qua homo poſ-ſet facere opera præcepta, & vitare prohibita, ut pa-tet; ergo &c.

4. Quia Deus vult converſionem, & ſalutem perdi-tiſſimorum peccatorum, & inſtat, ut convertantur. [5] *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vi-vat*: quod ſæpius de illo canit Eccleſia ex illo textu Ezechielis: *Quare moriemini domus Iſrael, dicit Do-minus, vivo ego, nolo mortem impii* &c. Id juramento per vitam ſuam aſſerit, & ipſe dicit. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Aperi mihi* &c. Et conqueritur. *Tota die extendi manum meam ad populum non credentem, & contradicentem*, ſcilicet ad perditiſſimos, ad infideles, ad induratos &c.

5. Ex novo teſtamento neminem excludit à ſalute, ſed ea ratione, qua eſt unus Deus omnium, ſic vult o-mnium ſalutem, & omnibus lucet, & ſolem ſuum oriri facit ſuper malos, & bonos. (6) *Vult omnes ho-mines ſalvos fieri. Unus eſt enim Deus omnium*. Item ſicut *eſt lux vera omnium, ſic illuminat omnem ho-minem*. Et, *pater veſter ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*, ſc. ſolem juſtitiæ.

6. Non ſolùm ex titulo. Deitatis communis omni-bus, ſed etiam unitatis mediatoris, & ſicut eſt unus mediator omnium, & redemptor, ita & vult omnium ſalutem. *Unus enim Deus, unus mediator Dei, & homi-*

num

(1) *Eccl.* 15. [2] *Deuter.* 30. [3] *Eccl.* 15.
[4] *Iſa.* 15. [5] *c.*33. [6] 1. *Tim.* 2.

num homo Chr. J. qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus; ergo ſicut eſt Deus omnium, & unus Redemptor omnium, ita & omnibus parat gratias, & media, quibus de facto redemptioni participent. Et denique *venit quærere, & ſalvum facere, quod perierat*; ſed omnes perierant; ergo omnes quærit per gratias.

Prob. 3. ex Conciliis. Nam Concilium Tridentinum poſt Auguſtinum docet, quòd *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis*; ſed juberet impoſſibilia, niſi per gratias ſufficientes juvaret ad implenda præcepta, vel immediatè largiendo auxilia, vel ſaltem mediatè excitando, & juvando, ut petamus ea, quæ deſunt; ergo &c.

Item in Concilio Arelatenſi III. inter plures anathematiſmos legitur: [1] *dicitur Anathema illi qui dixerit illum, qui periit, non accepiſſe ut ſalvus eſſe poſſet, id eſt de baptizato, vel ætatis illius pagano, qui credere potuit, & noluit*. Item, [2] *Anathema illi, qui dixerit quod vas contumeliæ non poſſit aſſurgere, ut ſit vas honoris*. Et in Valentino III. Patres illi declarant, & decernunt, *nec ipſos malos ideò perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanſerunt*. Et in Colonienſi dicitur. *Quanquam nemo convertatur ad Deum, niſi Pater eum traxerit, nemo tamen excuſationem prætextat, quod non trahatur, ſtat enim ad oſtium, & pulſat*. Nihil clarius dici poteſt ad rem præſentem.

Confir. ex Decretis Sedis Apoſtolicæ damnantis prædictam aſſertionem Janſenii; nam ſi illa eſt *impia, blaſphema, hæretica* &c. ſequitur, quod ei contradictoria eſt pia, & de fide. Scilicet *nulla præcepta hominibus juſtis ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, & non deeſt eis gratia, qua fiant illis poſſibilia*. Ideò dicendum nunc, quod olim dicebat Auguſtinus. *A Sede Apoſtolica reſcripta venerunt, cauſa finita eſt*.

Prob. 4. ex SS. Patribus. Nam ex Auguſtino l. de duabus animabus, niſi Deus daret gratias ſufficientes ad

[1] *Anath.* 5.
[2] *v. porter. p.* 119.

ad implenda præcepta, non poſſet juſtè punire tranſgreſſores, nec iſti peccarent non implentes. Nam " ſummæ iniquitatis,& inſaniẹ eſt,ut peccati reus quiſ-" quam teneatur, qui non facit, quod facere non po-" tuit. Hoc enim habemus in poteſtate, quod cùm" volumus poſſumus, præceptum verò idem nobiſ-" cum agit, ut quam eſt in poteſtate faciamus, ſi" nondum eſt in poteſtate, oremus nobis poteſta-" tem dari. Ideò enim Deus aliqua jubet, quæ non" poſſumus, ut noverimus, quid ab eo petere debea-" mus: ipſa eſt enim fides,quæ orando impetrat, quod" Deus imperat. Et alibi docet,quòd omnes homines" poſſunt, ſi velint, ſe ab amore viſibilium ad e-" jus præcepta ſervanda convertere; quia illud lu-" men illuminat omnem hominem, &c. Idem do-" cet Chryſoſt. (1) nam inquit, Deus illuminat profe-" ctò omnem hominem, quantum in ipſo eſt. Si qui" autem ſponte ſua mentis oculis conniventibus ad" hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non" ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed ex" malitia ſua,&c.Et S.Ambroſ. (2)ſi quis non credit in" Chriſtum, generali beneficio ipſe perfraudat, ut ſi" quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat, non ideo" ſol non ortus eſt omnibus, &c.Et S.Proſp.(3) etiam" in extremis mundi partibus ſunt aliquæ nationes," quibus nondum gratia Salvatoris, (ſc. Euangelium)" illuxit, quibus tamen menſura generalis auxilii, quæ" deſuper omnibus ſemper hominibus præſtita eſt," non negatur. Et ſic de aliis; ergo ex Patribus nulli deeſt gratia ſufficiens.

Prob. 5. ratione theologica deſumpta ex illis textibus Scripturæ, Conciliorum, & Patrum. Nam 1. ſi Deus vult omnes homines ſalvari; ergo providet omnibus auxilia ſufficientia, ſeu media ad ſalutem conſequendam. 2. ſi pro omnibus de facto Chriſtus venit, & mortuus eſt; ergo meruit omnibus gratias ſalutares ad finem redemptionis. 3. ſi Deus vult præcepta ſua ſervari ab omnibus, & ſi punit tranſgreſſores, & ſi iſti peccant tranſgrediendo; ergo præcepta illis poſſibilia ſunt, vel fiunt per gratias ſufficientes.

[1] *de gen. con. Manich.* 3. *ho.* 7.
[2] *Jo.* 1. *in pſ.* 18.
[3] 2. *voc.* 17.

tes. Nam inquit Auguſtinus. (1) *Deus nec impoſſibile potuit imperare, qui juſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius eſt. Unde execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non poſſe à ſingulis ſervari* &c. (2) *Igitur juſtè Deus nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio, quo præceptum fit poſſibile*, inquit S. Leo. 4. quia dicere Deum præcepiſſe impoſſibilia, & niſi reddat ea poſſibilia per gratias, eſt accuſare creatorem. *Si enim impotes nos fecit* (ait Chryſoſt.) *culpa ejus eſt. Quomodo ergo ais, non poſſunt? Dic potius, nolunt, ſi enim omnes voluerint, poſſunt* &c.

Objic. 1. ſunt aliquæ tentationes inſuperabiles homini, etiam juſto, & tamen peccat, ſi ſuccumbat; ergo ſunt aliqua præcepta homini juſto impoſſibilia; & illi deeſt ad hæc gratia ſufficiens. Prob. ant. 1. ex S. Bonaventura, (3) *de aliqua tentatione per ſe non poteſt evadere homo, ſi tamen conſentiat, non eſt à culpa immunis: quia ex ſua culpa devenit in illam neceſſitatem*. 2. ex D. Thoma, (4) *quamvis illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin gratiæ impedimentum ponant ... tamen hoc eis imputatur* &c. 3. ex Auguſt. (5) *per arbitrii libertatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato: ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem*; ergo ex Patribus ſunt aliquæ tentationes inſuperabiles, & præcepta impoſſibilia; ergo non datur omnibus, aut ſemper gratia ſufficiens, qua illæ fiant ſuperabiles, & hæc poſſibilia.

Reſp. diſt. ant. inſuperabiles ſine gratia, con. cum gratia, neg. ant. & conſ. utramque. Nam SS. illi Patres dicunt quidem tentationes quaſdam eſſe inſuperabiles, & ſupra vires noſtras proprias, quantum eſt ex ſe, & ſpectata infirmitate noſtra, & caſu; ſed non negant, quin adſit nobis ex parte Dei auxilium, quo ſuperabiles fiant, & præcepta poſſibilia; ut patet ex ipſis verbis eorum, *fides clamat, de neceſſitatibus*

meis

[1] *ſer. 6. & 191. de temp.*
[2] *ſer. 16. de paſſ.*
[3] *2. d. 28. a. 2. q. 2.*
[4] *3. con. gen. 160. n. 3.*
[5] *de perfect. juſt. 3.*

Digitized by Google

meis erue me, inquit Auguſt. (1) *per propriam poteſtatem, niſi gratiæ auxilio præveniatur*, ait S. Thomas, *per ſe non poteſt evadere*, ait S. Bonaventura. Agnoſcunt indigentiam gratiæ, non neceſſitatem peccandi.

Objic. 2. ex Janſenio. Si adeſſet ſemper gratia illa ſufficiens, non juberemur eam petere: nam inquit Auguſt. *quid ſtultius, quam orare, ut poſſis, quod jam habes in tua poteſtate? mendaciter enim petuntur, ſi ea, quæ præcepta ſunt, non adjuvante gratia ejus facere poſſumus*; ſed jubemur petere auxilium gratiæ, quo poſſimus implere præcepta; ergo vel illa gratia non adeſt, vel poſſibilitas deeſt.

Reſp. diſt. maj. ſi adeſſet actu ante orationem, con. ſi adeſt tantùm in virtute orationis, neg. maj. & conſ. ante orationem gratiæ auxilium eſt quidem paratum, & quaſi oblatum; ſed nondum eſt in poteſtate noſtra, ideò petendum eſt.

Inſt. homo per peccatum mortale privatur omni gratia, & fit indignus illa, & nihil boni facere poteſt, quo illam impetret; ergo peccator nec habet gratiam illam ſufficientem, nec eam impetrare poteſt: ant. patet ex Patribus, quos citat Janſenius.

Reſp. diſt. ant. omni gratia habituali gratum faciente, & nihil boni facere poteſt, ut impetret meritoriè, con. omni gratia actuali excitante, & adjuvante, & omni bono congruo, neg. ant. & conſ. *non ceſſat Sathanas ſuadere malum tentatione, ſed nec Deus ceſſat ſuadere bonum gratia excitante*, ait Auguſtinus. (2)

Inſt. 2. ſi Deus deſerit peccatorem negando ei omnem gratiam, utitur jure ſuo; ergo ſaltem aliquando ita deſerit; ergo non ſemper dat gratias ſufficientes, quibus præcepta fiant poſſibilia.

Reſp. neg. utramque conſ. aliud enim eſt, quòd Deus poſſit ſine injuſtitia deſerere peccatorem; de quo non diſputamus; aliud quòd de facto eum ſic deſerat, quod negamus, quia ipſe dixit, *nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur* &c.

Objic. 3. illa gratia ſufficiens ad ſervanda præcepta daretur omnibus, vel daretur ſemper, & permanenter, vel tranſeunter, & quoties indigemus; ſed

[1] *Ibid.* [2] *de gra. & lib. ar. 4.*

ſed neutrum dici poteſt; ego non datur omnibus. Prob. min. 1. non permanenter, quia per nos hæc gratia eſt actualis, & non tranſiens. 2. nec tranſeunter, & quoties urget præceptum; quia plures flagitioſi bibunt iniquitatem ſicut aquam, & ſine remorſu, *cauterizatam habentes conſcientiam*, ut ait Apoſtolus; ergo non ſentiunt motus gratiæ actualis excitantis, & retrahentis à peccato; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. datur enim ſaltem quoties urget occaſio, & quamvis plures ad ejus motum indurentur, & ad vocem ſurdeſcant, & ad lumen ejus cœcutiant, non ſequitur, quin tangat, clamet, & illuceat: ideò dicit Auguſt. (1) *nullam eſſe animam quamvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus.*

Dico, *ſaltem in occaſionibus*; nam etiam aliàs, & quaſi continuè ſollicitat nos Deus ad bonum, *nec aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cœleſtis poteſt deficere medicus. Ideò ſemper ſe poſſe converſo dare ſalutem teſtatur*, ait S. Fulgent. & ut loquitur Conc. Senonenſe, *cum illa gratia ſemper in promptu ſit, & ne momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.*

Objic. 4. ex Patribus: *ſcimus gratiam non omnibus dari, & quibus datur, non ſecundum merita dari*: ait Auguſt. Item (2) *communis eſt omnibus natura, non gratia*. Et alibi magis explicat dicens, (3) *pagani enim non habent gratiam Dei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Et iterum, *hanc enim naturam etiam cum impiis, & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem, gratia vero per fidem Jeſu Chriſti eorum tantummodò eſt, quorum eſt fides*. Et Chryſoſt. (4) *Petrum dicit peccaſſe, non ex frigiditate, ſed ſuperni auxilii derelictu*. Et alibi inquit, (5) *negatio Petri non tam erat ſocordiæ, ac negligentiæ, quam ex eo, quod Deus eum deſeruerat*; conſentitque Auguſt. quòd *Deus Petrum paululùm deſeruerat*; ergo non omnibus datur gratia ſufficiens

[1] *de ſer. Dom.* 15.
[2] *Ep.* 107. *ſer.* 11. *de ver. apoſt.* 4.
[3] *ſer.* 5. *c.* 11. [4] *ho.* 2. *Jo.* & 31.
[5] *Hebr. ſer.* 124. *temp.*

ciens, ne quidem juſtis, & in occaſionibus tentationum, & præceptorum.

Reſp. neg. conſ. nec enim Patres in his, & ſimilibus locis loquuntur de gratia ſufficienti, ſed de gratia potentiori, & efficaciori, quam non habuit Petrus, nec habent alii juſti, quando peccant; nam ut docet Tridentinum poſt Auguſtinum, [1] *Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi priùs ab eis deſeratur*. Petrus non habuit tantam gratiam, quando negavit Chriſtum, quam cùm pro eo paſſus eſt mortem. 2. Auguſtinus in illis prioribus locis loquitur de illa gratia, qua *ſumus populus ejus, & oves paſcuæ ejus:* hanc dicit non eſſe omnibus communem, quia ſc. *non omnes juſtificantur, & adoptantur reipſa*, &c. Loquitur ergo de gratia actuali efficaci, qua de facto convertimur, & habituali, & adoptionis, qua juſtificamur, &c.

CONCLUSIO II.

E*Tiam infidelibus omnibus adeſt gratia ſufficiens, qua illi ad fidem veniant*. Eſt etiam communis contra eoſdem.

Prob. 1. ex Scoto cit. nam infideles, & peccatores omnes non excluduntur ab illa voluntate Dei ſalvandi omnes homines, nec ab illa univerſalitate Redemptoris. *Dico, quod etſi Deus non haberet voluntatem beneplaciti ad iſtum; tamen vult iſti illa adjutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter bene vivere, & ſalvari; propter quæ dici poteſt, quod quantum eſt ex parte ſui, vult omnes ſalvos fieri*. Pater quidem Macedo [2] conatur divertere Scotum à nobis, & à vero ſenſu verborum iſtorum, dicens, *Scotus loquitur ibi de voluntate applicata ad media, non ad perſonas immediatè: nam, ait Scotus, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem*. Et ideò iſte Doctor non putat de mente Scoti, quod Deus velit omnes ſalvari. Et ideò non putat hunc textum probare intentum noſtrum. At pace tanti viri dixerim, hanc explicationem eſſe voluntariam. Nam

[1] *ſſ*.4.*c*. 1. [2] 1. *colla*. 12. *diff*. 3. *ſſ*. 2.

Nam niſi Deus directè, & immediatè vellet omnibus perſonis ſalutem voluntate ſcilicet antecedente, & quantum eſt ex parte ſui, ut loquitur Doctor, non rectè diceret Apoſtolus. quod *Deus vult omnes ſalvos fieri*, nec video, quòd Dei ſapientiam deceat providere de mediis priùs, quàm de fine, aut nihil cogitando de iis, quibus vult & finem, & media. Ne autem prolixior ſim præter morem in diſputando circa mentem Doctoris, ſufficit, quod Scotiſtæ communiter ſic eum intelligunt, ut nos intelligimus: Vide Maſtrium, Poncium, Tataretum, Lichetum, Fraſſen, Herinx. Vide, quæ diximus de voluntate Dei.

Prob.2.ex Script.locis cit.quibus generalis voluntas Dei ſalvandi omnes ſignificatur; nullum enim excludit, inquit Chryſoſt. (1) *non Judæum, non Græcum, non Scytham, non barbarum* &c. Quod magis extendit ad infideles Apoſtolus addens, *Ad agnitionem veritatis venire*. Et de facto Chriſtus mittit Apoſtolos in univerſum mundum, ut prædicent omni creaturæ, & ut doceant omnes gentes. Item, (2) *ego ſto ad oſtium omnium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*: Tum ex aliis, quibus gentiles dicuntur inexcuſabiles, quia (3) *cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt*. Scilicet *omnibus ratione utentibus indita eſt Dei cognitio, tum ex naturæ lumine*, tum ex gratiæ auxilio, quo debuerunt, & per conſequens potuerunt Deum glorificare. Tum ex illis, quibus conſtat generalis redemptio. Nam *Chriſtus dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*. Item, *omnes ſitientes vocat ad aquas*, & omnes habitatores civitatis per vicos, & plateas errantes invitat ad nuptias; ſed hæc fieri non poſſunt ſine gratia ſufficienti aliqua; ergo &c.

Prob. ſpecialiter de peccatoribus; nam iſti cùm fuerint illuminati, & aliquando juſti, faciliùs, & potentiùs invitantur ad pœnitentiam. Clament Scripturæ ſingulis, (4) *ne tardes converti ad Dominum* &c. (5) *Convertimini, ſicut in profundum receſſeratis*. Et, (6) *hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Et, (7) *vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem*

[1] *Jo.7.Jo.* [2] *Apoc.3.* [3] *Rom.1.* [4] *Eccl.5.* [5] *Pſal.31.* [6] *Pſal.94.* [7] *Ezech.33.*

tem peccatoris, ſed ut convertatur, &c. ſed hæc non poteſt seriò velle, niſi & tribuat auxilia, quibus poſſint converti; ergo dat de facto omnibus.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Nam, ut docet Auguſtinus in eum locum pſalmi; [1] *non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Deus non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis, ipſam enim penetravit verbi calor*: & ad illa verba citata Pauli, [2] *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*, &c. ſc. infidelibus, notat, *vides quomodo non dixerit eos veritatis ignaros, ſed, quod veritatem in iniquitate detinerent, quia occurrebat animo, ut quærerent, unde illis eſſe potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat, neque hoc tacuit, unde habere potuerunt*, &c. *Sed cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt .... ab ipſo lumine incommutabilis veritatis averſi ſunt, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, &c. Et in illud pſalmi, *Deus in medio ejus*, ait, *hoc ſignificat, quod Deus æquus eſt omnibus, & perſonas non accipit .... æqualiter omnibus conſulens*. Et in alia verba Pauli, *vult omnes ſalvos fieri*, addit, *infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, qui vult eos ſalvare, cùm ejus Euangelio non credunt, nec ideo tamen eum vincunt, verum ſeipſos fraudant magno, ſummoq; bono... experturi in ſuppliciis poteſtatem, cujus in donis miſericordiam contempſerunt*; ergo infideles omnes, qui defectu credendi damnātur, habuerunt, & habent dona Dei, quibus poſſent ſalvari, & quæ contemnunt.

Prob. 4. ratione 1. quia ſi quid probaret deeſſe aliquibus gratias ſufficiētes, quibus poſſent pervenire ad fidem, maximè quia prædicatio fidei non venit ad omnes. *Quomodo enim credent ſine prædicante?* ſed hæc ratio nulla eſt; ergo nullis deeſt hæc gratia. Prob. min. 1. quia, ut notat Cardin. de Laurea, nunquam defuerunt, qui docerent de Deo, ſive Patriarchæ, ſive Prophetæ, ſive Philoſophi, & ſapientes. 2. quia eum cognoſcere debuerunt per lumen naturale, in quod non cadit ignorantia Dei. *Inviſibilia enim illius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, i. a ut inexcuſabiles ſint*, &c. 3. Quia lex ipſa naturalis indita eſt, & ſcripta in cordibus omnium. Unde

[1] *pſ*. 18. [2] *de ſpi. & litt*. 12.

gentes, *quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ipſi ſibi ſunt lex, quia oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*, &c. Et, ut notat Gloſſa ex Origene, [1] *naturali ratione illuminati diſcernunt facienda, & vitanda*. 4. Quia ubique adſunt viri docti; quippe *dubitandum non eſt, & gentes ſuos habere Prophetas*, ait Aug. & ab his audiunt, vel quid credere debeant, vel petere à Deo, agente interius lumine, & motu gratiæ Dei, cui ſi cooperarentur, tandem venirent ad veram fidem.

Confir. hoc. Quia non eſt credibile, quòd Deus, qui fecit hominem ex tanta bonitate, ut ſummum bonum intelligeret, amaret, & poſſideret, ut finem ſupernaturalem, illique præcepit, quæ in eum finem conducunt, credibile, inquam, non eſt eundem Deum optimum non providere eidem homini media, & auxilia, quibus poſſit implere præcepta, & ad finem deſtinatum pervenire; ergo ita eum feciſſe, & facere conſtanter aſſerendum eſt. Prob. ant. ex Script cit. & aliis, dicente ſapiente, [2] *miſereris omnium Domine, quia omnia potes, & diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. O quam ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus, ideoque eos, qui exerrant, corrigis, & de quibus peccant, admones, ut relicta malitia credant in te*, &c. Et idem probant innumera Scripturæ loca, quibus prædicatur immenſa Dei miſericordia; & alia, quorũ vix ſalvari poſſet veritas, niſi credamus, Dei gratiam nulli homini, quantumvis derelictus videatur, gratiam deeſſe.

Prob. denique. Nam ſi derelictiſſimi barbari, & in ſilvis, ignotiſque mundi partibus nullum haberent Dei lumen, & auxilium, quo poſſent venire ad fidem, & ſalvari, non peccarent ex infidelitate, nec defectu impletionis mandatorum, nec viderentur juſtè damnari, nec dicere poſſent, quod Deus neminem vult perire, &c.

Objic. 1. hæc aſſertio incidit in errores Pelagianorum, & Semipelagianorum; ergo eſt hæretica. Prob. ant. nam ſequitur, vel quòd per dona purè naturalia, & vocationes externas homines ad Deum, & fidem venire poſſunt, ut docebat Pelagius, vel ſaltem ſe per

[1] *Ibid. c. 27.* [2] *Sap. 11. & 12.*

per opera purè naturalia diſponere ad gratiam fidei,& hanc gratiam omnibus eſſe communem, ut dicebant Semipelagiani, teſte S. Proſpero; ergo &c.

Reſp.neg. ant. utrumque. nam licèt dicamus infideles ad fidem poſſe excitari ex conſideratione operum Dei viſibilium,ut docet Apoſtolus, & per prædicationes, & doctrinas prophetarum, & ſapientum,tamen ſimul agnoſcimus neceſſitatem gratiæ interioris, qua mens illuſtretur, & voluntas excitetur, & juvetur: quippe Deus ſolus verbi ſemini dat incrementum. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*, ajebat Paulus. Sic longè diſtamus ab errore Pelagii, qui nullam gratiam agnoſcebat præter externam legis doctrinam. Negamus item, quòd illa initia, & cognitiones, & opera purè naturalia rationem habeant meriti reſpectu gratiæ internæ, ut volebant Semipelagiani;non dicimus illa eſſe propria initia ſalutis, ſed dicimus infideles per inſpirationem Spiritus ſancti illuminari, moveri, & juvari ad quærendam, & petendam, & impetrandam lucem veram fidei. Illi volebant priorem eſſe obedientiam, ſeu opera viribus naturæ facta, quàm gratiam, ut initium ſalutis *ex eo, qui ſalvatur, non ex eo, qui ſalvat*, &c. inquit S Proſper. [1]

Objicies 2. ex Script. nemo ſalvari poteſt,niſi nomen Dei invocet, nemo invocare poteſt, niſi credat, nec credere, niſi audiat, nec audire ſine prædicante, nec iſte prædicare, niſi mittatur; ſed multi ſunt populi barbari in ſylvis, & terris incognitis, ad quos nullus penetravit Apoſtolus, vel propheta, vel concionator; ergo & multi, quibus nulla datur gratia ſufficiens ad fidem; argumentum hoc putat P. Macedo inſolutum, & inſolubile.

Reſp. tamen diſt. maj. quoad duas ultimas particulas inductionis, ſine prædicante interius,vel exteriùs, & mediatè, vel immediatè, con. ſine prædicante exteriùs, & immediatè, neg. maj. ad min.dico, ut ſupra dicebam cum Auguſtino [2] nullam eſſe animam quamvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt,in cujus conſcientia non loquatur Deus;nulla eſt natio tam rudis, & barbara, quæ non poſſit, & de facto non videat tum ex operibus, tum excitante,

[1] *Ep. ad Aug.* [2] *ſer.Dom.*15.

& juvante interiùs gratia, quod Deus eſt, & *quod inquirentibus ſe remunerator eſt*. Nam, inquit Apoſtolus, [1] *inviſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur ... ita ut inexcuſabiles ſint....* Dico *ſaltem mediatè*, nam ex illis imperfectis cognitionibus movente eadem gratia excitantur ad optandum majus lumen, & ad orandum, & impetrandum; & ſi velint cooperari gratiæ illi, orabunt, & impetrabunt.

Id docuit S. Thomas. [2] *Si aliquis nutritus in ſylvis, vel inter bruta animalia ductum rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè tenendum, quod ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem prædicatorem fidei ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium*, &c. Et idem docet in Epiſt. ad Rom. addens; [3] *ſed tamen hoc ipſo, quod aliqui faciunt, quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum*, &c. Igitur omnibus adſunt auxilia, vel proximè, vel ſaltem remotè ſufficientia ad fidem audiendam, & recipiendam. Unde naturam lapſam Auguſt. [4] ſic conſolatur, *neque tamen ſine miſericordia derelicta es: quia certis temporum, rerumque menſuris vocaris, ut redeas.*

Inſt. Illa imperfecta cognitio Dei ex creaturis, & lumine rationis vel eſt naturalis, vel ſupernaturalis; ſed neutrum dici poteſt, quod ſalvet difficultatem; ergo &c. Prob. min. 1. ſi naturalis; ergo non diſponit ad ſalutem; alioqui ſentiremus cum Semipelagianis. 2. ſi ſupernaturalis, non eſt fides Theologica, & vera, quia hæc eſt ex auditu, ſi non eſt Theologica, & vera; ergo non diſponit ad ſalutem; nam ex Trident. [5] *fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis.*

Reſp. neg. min. & ad prob. dico cum Auguſtino, [6] quod illæ cognitiones ex auxiliis gratiæ divinæ *ſunt ſupernaturales, & inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles*, non autem fides perfecta, & illæ inchoationes ſufficiūt illis hominibus cum auxilio divino ad pias aliquas affectiones excitandas, ad inquirendam,

[1] *Rom.* 1. [2] *q.* 14. *de verit. a.* 11.
[3] *c.* 10. *lect.* 3. [4] *con. Epiſt. fundam.* 37.
[5] *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. [6] 1. *ad ſimplic. q.* 2.

dam, poſtulandam, & impetrandam per vias, quas providentia divina ſuggeret, plenam veritatis agnitionem.

Inſt.2. illa fides inchoata, & imperfecta non datur omnibus, & multò minùs perfecta; ergo nulla ſolutio. Prob. ant. ex ipſo Auguſt. [1] *fides*, inquit, *& inchoata, & perfecta donum Dei eſt, & hoc donum quibuſdam dari, & quibuſdam non dari, omninò non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare*. Imò ex ipſa ſcriptura patet Deum nolle, ut D. Paulus, [2] & Timotheus prædicent verbum Dei in Aſia; ergo à fortiori Deus Aſiaticis negat gratiam internam fidei. Quod confir. ex eodem libro, in quo Apoſtolus dicit, [3] *in præteritis generationibus dimiſit* (Deus) *omnes gentes ingredi vias ſuas*, ſc. derelinquendo eas in ſuis erroribus, & peccatis.

Reſp. neg.ant.& diſt.prob. fides inchoata per prędicationem externam, con. per inſpirationes internas, neg. ant. nec enim de iſta loquitur Auguſtinus, ut patet ex locis citatis. Ad factum Pauli, & Timothei dici poteſt id factum, vel quia ad alios deſtinabantur, vel quia Aſiatici contempſerant priores gratias internas, & prędidebantur male uſuri prędicatione externa, vel quia nondum erant diſpoſiti ad audiendum, quia reſervabatur Aſia Joanni. Ad confir.neg. conſ.nam illa permiſſio gentium non ſignificat, quod Deus eas dereliquerit ſine omni gratia, & lumine, ſed quia non dedit eis legem ſpecialem, qua dirigerentur in cultu Dei, ſicut Iſraelitis, in quorum comparatione alię nationes videntur derelictæ; ſed tamen *nunquam ſunt manifeſtis, occultiſque beneficiis abdicati*, ait S. Proſper. [4]

CONCLUSIO III.

Deus excæcatos, & induratos peccatores non relinquit ſine gratiis ſufficientibus, quibus redire poſſint ad pœnitentiam. Eſt etiam communis contra eoſdem Janſeniſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto citato. [5] Nam quæ dicit de voluntate generali Dei ſalvandi omnes, poſſunt etiam iſtis applicari.

 Prob.

[1] *de præd.ſanct.9.* [2] *act.16.* [3] *Ibid. 14.*
[4] *2.vocat.gent.4.* [5] *Ibid.*

Prob. 2. ex Script. [1] jam citata; nam de omni peccatore, & impio, ſine exceptione, dicit, *vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*; nam ſi non vult mortem iſtorum, & ſi vult ſyncerè, ut convertantur, & vivant, dat eis gratias, ſine quibus neceſſariò morientur in peccatis, & non poterunt converti. Item S. Petrus[2] ad peccatores loquitur dicens, quod Deus *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, & apud Iſajam, [3] *quia dixit Sion, dereliquit me Dominus, oblitus eſt mei*, Reſpondet Deus, *nunquid oblivisci poterit mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filii uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit; ego tamen non obliviſcar tui*. Et apud Jeremiam [4] ad omnem animam peccatricem dicit. *Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me: dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te*. Ponit hypotheſin in peſſimo peccato, ſc. adulterio, quod Job dicit *iniquitatem maximam*. Item ad omnes, & quidem ad induratos loquitur Deus. *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non erat, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*. Et cum monet Paulus, *argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*, id dicit de excæcatis, & durioribus, non de facilioribus, & tenerioribus: & Chriſtus Dominus nullum peccatorem excludit, cum dicit, *non veni vocare juſtos, ſed peccatores*. Et poſitivè de induratis, & excæcatis dicit per Iſaiam; *ſi fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, &c. Et Paulus obſtinatum hortatur, cùm dicit, *ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram*. Et S. Stephanus, *Dura cervice, & incircumciſis cordibus vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis*. Et tamen invitat addens, *benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*; ergo Deus nullum, quantumvis atrocem excæcatum, & durum peccatorem deſerit ſine gratia ſufficienti, qua poſſit converti.

Prob. 3. ex Concil. nam in Concil. Later. III. & habetur in cap. *tatis* d. 3. de pœnitentia. [5] *Etiam ſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen reverti velit ad ſalutis viam, ſuſcipit, & libenter amplectitur*

[1] *Ezech.* 33. [2] 2. *Pe.* 3. [3] *Iſa.* 49.
[4] *Hie.* 3. [5] *c. firm. vit.*

ſtitur Deus; ſed non poteſt ille peccator id velle niſi per gratiam; ergo illi non deeſt gratia.

Confir. ex Concil. Trid. [1] ubi nullum peccatorem excludit à pœnitentiæ virtute, aut ſacramento. *Fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent quovis tempore ad gratiam neceſſaria*, unde Propheta ait: *convertimini, & agite pænitentiam*, &c. Fruſtra autem hæc eſſent, niſi Deus internè excitaret, & juvaret, ut poſſent omnes pœnitere, &c.

Prob. 4. ex Patribus. Nam inquit Cyprianus, [2] *quando iſtinc exceſſum fuerit, jam non erit locus pænitentiæ. Hic vita aut amittitur, aut tenetur, neque quiſquam aut peccatis retardatur, aut annis*. Et Auguſt. [3] ſi eſt author l. de præd. & gratia. *Si piè de Deo ſentiamus, etiam Pharaoni non negavit miſericordiam ſuam*, & alibi de excæcatis dicit, *dedit eos in reprobum ſenſum. Nam ea eſt cæcitas mentis; in eam quiſquis datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur,* (nota hæc verba) *ſed non dum penitus dum in hac vita eſt*. Adde, quod jam non ſemel ex eodem retulimus: *nullam eſſe animam, quamvis perverſam, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus*, ſc. per gratias excitantes, & juvantes. Et alibi, [4] *tempus, & locus pœnitentiæ datur etiam filiis iræ, deditis morti, & pænitentiam non acturis*, & denique eam eſſe Auguſtini [5] mentem fatetur P. Macedo, doctrinæ ejus tenaciſſimus.

Idem docet S. Proſper diſcipulus ejus. *Nemini Deus correctionis adimit viam, neque quemquam boni poſſibilitate ſpoliat*. Et alibi docet, [6] *gratiam Dei omnibus adfuiſſe providentia quidem pari, bonitate generali, ſed multimodo opere, atque menſura, quoniam ſive occultè, ſive manifeſte ipſe eſt ſalvator omnium hominum, maximè fidelium*.

Idem docent communiter alii Patres, claudat Gregor. *quiſquis delinquit, & vivit, idcirco hunc divina diſpenſatio in æquitate tolerat, ut eum ab iniquitate compeſcat*; quomodo compeſceret niſi per gratias? ergo &c.

[1] *ſeſſ.* 14 *c.* 1. [2] *l.* 2. *Ep.* 2.
[3] *ſer. Dom.* 15. [4] *collat.* 12. [5] *diſſ.* 3. *§.* 3.
[6] *vocat. gent.* 31.

Prob.5. rationibus jam adductis. 1. quia vult omnes ſalvari. 2. quia pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & omnes redemit quoad ſufficientiam, & quidem copioſè. Et hæc fruſtrarentur ex ipſo Dei facto, & voluntate, niſi, quantum eſt de ſe, daret omnibus peccatoribus auxilia ſufficientia, quibus poſſent redire ad pœnitentiam.

Probatur 6. quia ſi quid probaret ullius peccatoris derelictionem, id faceret vel ſcriptura, vel traditio Patrum, vel ratio certa; ſed nullum horum id probat; ergo &c. Prob. min. 1. non ſcriptura, tum quia probat potiùs contrarium, ut vidimus: tum quia quæ afferuntur ex illa, id non ſignificant, ut patebit ex objectionibus. 2. non Patres, ut patet, & patebit. 3. non ratio, quia ſi quæ adſint, mox reſpondebimus.

Confir. Nam ſi quid probaret eam negationem gratiæ induratis, maximè gravitas, aut multitudo peccatorum, aut neglectus gratiarum; ſed neutrum probat; ergo &c. prob. min. quoad 1. David non deſperabat, cùm dicebat, *repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit, æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adjutorio*. Nec tamen adjutorio gratiæ caruit. Item graviſſimum fuit Deicidium Judæorum, & tamen Chriſtus pro ipſis orat, & de illis Jeremias dicit, *major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*. Unde Anſelmus notat. *Videmus, quia violationi vitæ corporalis hujus hominis* [Chriſti] *nulla immenſitas, vel multitudo peccatorum extra perſonam Dei comparari valet*; ſed nullus dicet, Deum illis negaſſe auxilium gratiæ, quo pœniterent; imò multi ex ipſo momento mortis receſſerunt [1] *percutientes pectora ſua*; ergo nullum eſt peccatum adeo grave, propter quod Deus deneget gratiam ſufficientem ad converſionem. His adde tot exempla perditiſſimorum, ut de Nabucodonoſore, Pharaone, Manaſſe, Heliodoro, &c. Certè non diceretur homo cor durum, niſi quia reſiſtit gratiæ: nam, inquit Bernardus. *Cor durum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis*. &c. ergo Deus non ceſſat ſollicitare peccatorem durum, ut

[1] *Luc.* 23.

ut molleſcat; & adſunt exempla inſignia ſceleratiſſimorum, qui tandem gratiæ conſenſerunt, & converſi ſunt, & in quibus Deus *omnipotentiam ſuam parcendo manifeſtavit*.

Confir. adhuc, quia niſi Deus adeſſet illis peccatoribus per gratias ſufficientes,quibus poſſent converti,& abſtinere à novis actibus malis, non imputaretur illis duratio illa in peccatis, nec nova illa peccata; ſed conſ. eſt falſum, & erroneum; ergo &c. prob. maj. nam illa duratio, & nova illa peccata eſſent eis neceſſaria, & extra potentiam eorum deſerendi præterita, & vitandi imminentia.

Objicies 1. ex Scripura, quæ toties indicat receſſum Dei à peccatore, & retractionem Angeli cuſtodis, & gratiam; ut cùm legimus de vinea ingrata. *Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem*, &, *curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam*, &c. & ſapiens dicit, *quod nemo poſſit corrigere, quem Deus deſpexerit*, item, *dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis*, 2. imò non tantùm deſerit Deus peccatores, ſed etiam dicitur eos indurare, ut patet de Pharaone, & de populis, ac regibus, quos Joſue debellavit, quod Deus *induraverat corda eorum, ut pugnarent contra Iſrael*, & de Judæis dicit Euangelium, quod miraculis Chriſti non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, *excæcavit oculos eorum, induravit cor eorum*. 3. ne quidem oratus Deus concedit gratiam: nam de Antiocho dicitur, *orabat ſceleſtus ad Dominum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus, ſupervenerat enim in eum juſtum Dei judicium*. 4. denique *Deus cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*; ergo non ſemper, nec omnium peccatorum miſeretur, ſed alios emollit, & alios indurat, prout placet.

Reſp. neg. hanc ultimam conſ. nam ille receſſus Dei venit, & ſignificat ſubtractionem gratiæ habitualis, & amoris amicitiæ,quo unitur juſtis, & quem negat peccatoribus, & quoad hoc ab eis recedit: locus de vinea intelligitur de Synagoga, quam temporalibus deſolationibus permiſit, maximè ſub Romanis. Idem eſt de Babylone, cujus ſalus temporalis deplorata erat ita, ut de illa deſperarent gentiles, & Deus

inde volebat educere Judæos, monens,ut recederent ab illa, quia caſura erat. 3. dimittere dicitur ſecundum deſideria peccatorum, non per negationem omnis prorſus gratiæ ſufficientis, ſed tantùm gratiæ potentioris, & efficacioris, ac ſpecialis, quam poſſet exhibere, ut vinceret eorum pertinaciam. 4. Dictum ſapientis verum eſt. Nam niſi Deus per gratiam ſuam revocet peccatorem, nullus eum corrigere poteſt, ſed non dicit, quod de facto Deus quemquam ſit deſpiciat, ut illi deneget omnem gratiam.

2. Diximus alias, quo ſenſu dicatur Deus indurare, ſc. negativè, & hoc non retrahendo penitùs omne auxilium gratiæ ſuæ, ſed gratias efficaciores, ut dicebamus: induratio gentilium contra Judæos non eſt ad rem, induratio autem Judæorum contra Judæos non erat à Deo, ſed ex eorum propria malitia, quæ reſiſtebat gratiis tam externis miraculorum, & doctrinæ, quàm internis, *quare non poterant credere?* ſi à me quæratur, cito reſpondeo; *quia nolebant*, ait Auguſt.[1]

3. Antiochus non erat miſericordiam conſequuturus, quia male orabat, nam ſi bene oraſſet, non defuiſſet gratia, ſine qua nequidem poterat orare; orabat ex furore potiùs, & deſperatione, quàm ex vera pietate, & pœnitentia ſyncera.

4. Fatemur Deo pleniſſimè liberum eſſe miſereri, aut non miſereri, ſi nollet miſereri,juſtiſſimè id faceret: ſed de facto *ſuperexaltat miſericordia judicium*, nunquam obliviſcitur miſereri.

Fateor etiam, quod aliquando, & per aliquod tempus, & in aliquibus occaſionibus poteſt Deus permittere, ut peccatores cadant, ut juſtitiam ſuam, vel providentiam oſtentet, ſed ſufficit, quod in occaſionibus urgentibus ad ſalutem adſit per gratias ſufficientes; ita ut nullus peccator prætendere poſſit excuſationem in peccatis, nec defectum auxilii ſufficientis, quo potuerit non peccare, aut reverti à peccato.

Inſt. 1. Tyrii, & Sidonii non habuerunt gratias ſufficientes, ſicut Corozaitæ; ergo non omnibus peccatoribus dantur. prob. ant. nam ex Chriſti oraculo converſi fuiſſent, [2] *pœnitentiam egiſſent in cinere, & cilicio*; & ipſemet etiam fatetur Deum Patrem non reve-

[1] *Tr.53. Jo.* [2] *Matth. 11.*

revelare myſteria fidei ſuperbis, *ſeu ſapientibus*, *&* *prudentibus*, *ſed parvulis*.

Reſp. diſt.ant. non habuerunt tantas gratia, & non viderunt tot miracula, con. non habuerunt ſufficientes abſolutè, neg.ant.& ita eſt de ſuperbis; Deus non dat omnibus gratias æquè abundantes, non revelat ſuperbis tam ſpeciales virtutes, nec eis tantas gratias largitur, ſed dat ſufficientes.

Inſt. 2. Sunt aliqua peccata irremiſſibilia tam in hoc ſæculo, quàm in futuro, ut patet de peccatis in Spiritum ſanctum, & de illis, qui ſemel illuminati ſunt, & prolapſi, & de voluntariè peccantibus, *pro quibus non relinquntur hoſtia pro peccatis, & pro illis ne roget quis*, ergo pro iſtis nulla datur gratia ſufficiens, alioqui daretur fruſtra.

Reſp. diſt.ant. irremiſſibilia, id eſt quæ difficilè, & rarò dimittuntur, con. abſolutè non poſſunt remitti, neg. ant. nam ut notant Patres,& Doctores, imò & in Scriptura ſolent impoſſibilia dici, quæ ſunt difficilia; ſic peccata in Spiritum ſãctum rarò, & difficilè remittuntur, quia præcludunt faciliorem aditum gratiæ Dei. Certè Deo nihil eſt impoſſibile, & cum S. Joannes videtur prohibere,ne pro peccato,quod eſt ad mortem, *roget quis*, loquitur de peccato cum impœnitentia finali, quod ſc. durat uſque ad mortem incluſivè, & pro eo ſc. *qui finaliter decedit*, inquit Hugo Cardin.

Objic.2. ex Patribus, nam Auguſtinus pluries docet, quod in pœnam peccati non dantur aliquibus gratiæ, *quibus deeſt tale auxilium, jam pœna peccati eſt*, & ut dicebamus de Petro, [1] *Chriſtus Petrum non ad negandum impulit*, ſed dereliquit, *ut ſuam ipſe intelligeret imbecillitatem*, inquit Chryſoſtomus; [2] ergo omnibus peccatoribus, & maximè induratis non datur gratia ſufficiens.

Reſp.neg.conſ. neque enim id ſequitur ex dictis Patrum. Auguſtinus loquitur de auxilio efficaciori, & operante, quo privatur peccator defectu ſuæ cooperationis, & aſſenſus ad excitantem gratiam. De Petro autem jam diximus, eum ex temeritate peccaſſe; nam inquit Origenes,*permiſit Deus,ut tentatio invaleſceret, quã Petrus de ſuis virtutibus præſumens à ſe vinci poſſe.*

[1] *De corr.* [2] *Ho.72. Jo.*

exiſtimabat, nec audivit Chriſtum monentem eum de caſu futuro; nam inde cautior, & humilior fieri debuerat; non tamen defuit gratia ſufficiens ordinaria, qua retrahebatur ab occaſione peccandi, & roborabatur ad vincendam tentationem, ſi cooperari voluiſſet.

CONCLUSIO IV.

Etiam parvulis omnibus Deus providet, & exhibet gratias ſufficientes ſaltem mediate ad ſalutem. Non eſt adeo communis quoad infantes morientes ante baptiſmum, & maximè in utero materno. Sed tamen eſt communior contra eoſdem. Dixi autem, *ſaltem mediate*, nec enim omnibus de facto dantur, maximè iis, qui decedunt in utero materno, & antequam iis poſſit applicari remedium peccati originalis.

Prob. 1. ex Scoto citato, [1] nam hos quoque Deus ex parte ſua vult ſalvari, & quantùm eſt ex ſe paravit media communia ſufficientia, quibus poſſent ſalvari.

Prob. 2. ex iiſdem Scripturæ locis in concl. 1. citatis, & aliàs pro voluntate Dei ſalvandi omnes, & ex dicendis de Chriſti morte pro omnibus.

Hoc autem ut diſtinctiùs probemus, notandum, quòd alii ſunt infantes, qui moriuntur in utero matrum, antequam eis applicari poſſit remedium ullum peccati orginalis abſque culpa parentum, vel cum aliqua eorum negligentia, & de iſtis non dicimus, quòd eis dentur de facto gratiæ ſufficientes ad ſalutem immediatè, ſed tantùm mediatè, quatenus Deus voluntate antecedenti vellet eos ad lucem venire, & ſuſcipere remedium peccati, & ſalvari, & paraverat talia remedia, voluntate, inquam, generali, & antecedenti, & cooperaturus erat cauſis ſecundis, ut in lucem venirent, & applicarentur eis talia remedia, niſi impediretur per alias cauſas particulares cauſantes abortum; imò & ipſis parentibus non deeſt quoad auxilia ſufficientia, ut feliciter pariant, & ſaluti fœtus provideant.

2. Alii naſcuntur, ſed brevi decedunt, antequam baptiſ-

[1] *Ibid*.

baptiſma, vel aliud remedium eis applicetur, ſive ex negligentia parentum, aut aliorum, ſive ex caſu aliquo, & de iſtis minor eſt difficultas, & minus dubium, quin eis Deus providerit media, & gratias ſufficientes, & immediatiores ad ſalutem.

3. Alii ſunt filii infidelium, quibus non poteſt applicari tale remedium peccati, aut quia moriuntur ante partum, aut quia nolunt parentes illis applicari, & pro iſtis gratiæ ſunt remotiores, & tota iſta ſufficientia ſe tenet ex parte remediorum, & gratiarum paratarum quantùm ad perſonas parvulorum, & gratiarum oblatarum, vel etiam exhibitarum ipſis parentibus adultis, & infidelibus, ut ab infidelitate recederent.

4. De aliis, qui poſt acceptum baptiſma, vel aliud remedium peccati moriuntur in infantia ante uſum rationis, priuſquam ſint capaces peccati, & de iſtorum ſalute, nec per conſequens de aſſiſtentia gratiæ ſufficientis non dubitatur, de præcedentibus verò, qui moriuntur ante ſuſceptum baptiſma, aut aliud remedium, non dubitatur etiam, quin damnentur, & multò magis adulti, qui negligunt aliud remedium propria voluntate, & culpa.

His ſuppoſitis prob. univerſaliter de omnibus aliis, nam hi omnes ſubſunt, & comprehenduntur ſub generali voluntate Dei ſalvandi omnes, & ſub univerſaliſſima redemptione per Chriſtum; ergo & iſtis omnibus providit Deus, & quantùm eſt ex ſe, dat gratias ſufficientes, ut ſalventur ſaltem mediatè.

Confir. Nam à parte rei omnibus ſunt applicabilia remedia peccati, & non deeſt Deus inſpirare parentes, aut alios, ut vel vitent cauſas abortus, quo impeditur collatio baptiſmi, vel ut natis applicent illa, vel alios ut orent, & precibus obtineant felicem partum, & amotionem cauſarum abortus, aut necis infantium, aut aliorum impedimentorum baptiſmi, & ſalutis. Certè medico non imputaretur mors ægroti, poſtquam non tantùm ordinaſſet remedium efficax ad ſanitatem reddendam, ſed etiam illud ipſe præparaſſet, & miniſtris tradidiſſet ad illud applicandum cum ſyncera voluntate ſanandi infirmum; ſed hæc omnia fecit Deus ex parte ſua, & Chriſtus per Redemptionem crucis; ergo &c.

Con-

Confir. ex Auguſtino, qui apertè docet, locum illum Apoſtoli extendi ad parvulos. [1] *Numquid autem homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, omnes homines?* ergo ex Auguſtino tam vult Deus parvulos ſalvari, quàm adultos. Et S. Proſper: [2] *Non irreligioſè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique ſi benè uterentur eorum parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.*

Objic. 1. Si Deus vellet parvulos illos ſalvari, impediret eos ita mori, amovendo cauſas mortis, donec ad baptiſmum pervenirent; nam qui vult finem, vult & media; ſed Deus hoc non præſtat; ergo nec illud vult.

Reſp. diſt. maj. ſi vellet in particulari, & voluntate conſequenti, & abſoluta, con. voluntate antecedenti, generali, & conditionata, neg. maj. & rationem ejus. Deus ergo vult quidem infantes, ſicut & alios homines ſalvari, ſed voluntate antecedenti, generali, & conditionata, ſi videlicet aliæ cauſæ ſecundæ concurrant; quod non faciunt, ſed potiùs impediunt in iſtis.

Objic. 2. ex Auguſtino. [3] *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulis detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Quod iiſdem fere verbis repetit alibi. *Aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus, ac paratis Deo nolente non datur, cum repente antequam detur, expiret.. unde manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt perſpicuæ veritati, non intelligere omninò, qua locutione ſit dictum, quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cum tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur & in parvulis*; ergo ex Auguſtino Deus non vult ſalutem illis parvulis.

Reſp. diſt. ant. Deo nolente voluntate conſequenti, con. voluntate antecedenti, neg. ant. & conſ. nam in utroque loco patet Auguſtinum loqui de voluntate

par-

[1] 4. *con. Jul.* 8. [2] 2. *Vocat.* 23.
[3] *De bon. perſev.* 12. *Ep.* 107.

particulari, & conſequenti, ſuppoſito ſcilicet impedimento veniente ex ordine, & curſu cauſarum ſecundarum, quo fit, ut parvulus ille moriatur, & quem curſum Deus non vult impedire, ne turbet ordinem naturæ, ſed hoc non impedit, quin voluntate generali, & antecedente, & de ſe velit eum ſalvare, & quin illi præparaverit gratias ſufficientes ex intentione ſyncera illum ſalvandi.

Inſt. 1. Deus vult poſitivè omnia quæ fiunt, excepto peccato; ergo vult poſitivè mortem illam præcipitatam parvuli ante baptiſmum, vel in utero; ergo non vult illi vitam, qua poſſet baptizari, nec ſalutem, nec ullam gratiam ad illam.

Reſp. ut ſupra, diſt. ant. vult poſitivè voluntate antecedenti, aut conſequenti, & ſecundaria, con. primaria, & antecedenti, neg. ant. & conſ. Deus vult voluntate primaria, & antecedenti, & de ſe, ut detur parvulo baptiſma, & vult ſimiliter illi media, & gratias, ut detur, ſed voluntate ſecundaria, & conſequenti non vult, quia ex lege, & ordine naturæ vult concurrere cum cauſis ſecundis ad ejus mortem, qua fit, ut non poſſit baptizari.

Inſt. 2. imò docet Auguſt. [1] parvulos ſæpe mori ex Dei ſecreta, & inſcrutabili voluntate ante baptiſma, non autem parentum culpa, cùm è contra filii peſſimorum parentum vivant, & baptizentur, *quæ tandem hic merita præceſſerunt*, inquit, *ſi parentum attenderis bona, ſunt illa, quorum filii repentinis mortibus ſine Chriſti baptiſmate perierunt, mala vero illa, quorum filii per Chriſtianorum aliquam poteſtatem ad ſacramenta Eccleſiæ pervenerunt* &c. & concludit: *Certè hic, ubi fati nulla eſt immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla perſonæ dignitas, quid reſtat, niſi miſericordiæ, & veritatis profunditas?* ergo non eſt recurrendum ad voluntatem antecedentem, nec conſequentem, ſed ad velle Dei poſitivum, quo vult uni ſalutem, & non vult alteri.

Reſp. diſt. ant. ex ſecreta voluntate permiſſiva, & quoad eos, qui moriuntur ſine baptiſmo, con. ex voluntate poſitiva, neg. ant. & conſ. Nam licèt mala pœnæ poſſit Deus velle poſitivè, & directè, & ſæpiùs ita velit, non tamen videtur convenire infinitæ miſericor-

[1] *Epiſt.* 105.

cordiæ ejus, ut velit ita mortem iſtam pueris nullius actualis peccati reis, quoad alios verò, qui cõtra ſpem, aut aliis viis extraordinariis ſervantur, donec baptizentur, nihil facit ad nos, rectè recurrit Auguſtinus *ad profunditatem miſericordiæ, & veritatis, cur pro iſtis faciat miracula, non pro aliis*; quando leges communes præſcripſit naturæ, non ſibi ligavit manus, ne poſſit extra eas egredi, quando libuerit, ſicut non ſemper ſe ab eis diſpenſat, ſic non eſt noſtrum quærere quando ſe, aut alios diſpenſat.

CONCLUSIO V.

POtuiſſet Deus nulla providere auxilia gratiæ ſufficientis homini poſt lapſum, abſolutè loquendo, ſed ſuppoſita voluntate ſyncera ſalvandi omnes, non potuit non providere. Hæc videtur non poſſe controverti.

Prob. 1. p. nam ſuppoſito peccato Adæ, ac poſterorum ejus culpa in ipſo, & ſi eo præviſo decreviſſet omnes punire pœna damni, nulli feciſſet injuriam, & ex pura miſericordia decrevit parcere, imo & dare filium ſuum ad omnium Redemptionem.

Prob. 2. p. nam Deus nequidem de potentia abſoluta poteſt velle contraria; ſed ſi vellet ſalvare homines, & nollet eis dare media ad ſalutem ſufficientia, vellet contraria, & quidem eodem actu; ergo ſuppoſita voluntate ſalvandi omnes homines, neceſſariò voluit providere illis auxilia ſufficientia. Prob. min. nam idem virtualiter actus, quo quis vult efficaciter finem, vult & media neceſſaria ad illum; ſed gratiæ ſufficientes ſunt media neceſſaria homini ad ſalutem conſequendam, ut probatum eſt; ergo &c.

Objic. con. 2. p. potuit Deus velle ſalutem hominis ſimplici complacentia; ſed ſimplex complacentia non attingit media ulla; hoc enim proprium eſt volitionis efficacis; ergo Deus potuit velle ſalutem hominum ſine volitione auxiliorum gratiæ.

Reſp. diſt. maj. potuit velle inefficaciter, & ſimplici complacentia ſalutem noſtram, ut objectum purè bonum, con. ut finem, neg. maj. & diſt. min. ſimplex complacentia boni, ut puri objecti, con. ut finis, neg. min. nam implicat velle aliquid ut finem, quin finalizet.

Objic. 2.

Objic. 2. etiam nunc cùm Deus vult hominem ſalvare, non vult illi gratias pro ſingulis momentis, vult aliquando illum ſine gratia relinquere; ergo poſſet etiam velle relinquere pro ſemper.

Reſp. neg. conſ. nam non eſt impoſſibile hominem ſalvari, quamvis deſeratur ſine gratiæ auxilio pro aliquo tempore; ſed non poteſt ſalvari, ſi deſeratur pro ſemper, & ideò in ſuppoſitione noſtra non poteſt deſeri pro ſemper.

QUÆSTIO IX.

De præparatione ad gratiam actualem: an facienti quod eſt in ſe viribus naturæ detur gratia.

DIco 1. *ad gratiam actualem*, ſcilicet excitantem, & operantem, ſeu adjuvantem; nam de habituali, & juſtificante dicemus poſtea: 2. *ex viribus naturæ*; nam de præparatione ad unam gratiam per opera ſupernaturalia ex aliis prioribus gratiis elicita non eſt tanta controverſia inter Catholicos, & Pelagianos, & Maſſilienſes, qui volebant initium aliquod ſalutis pendere ex nobis, & hominem ſe diſponere ad primam gratiam fidei, & vocationis per opera aliqua viribus propriis liberi arbitrii elicita. Et hoc ſenſu dicebant *Deum facienti quod eſt in ſe, non denegare gratiam*. Ideò dicebat Caſſianus. [1] *Præſto eſt Deus occaſione ſibi tantummodo oblata à nobis, ad hæc omnia conferenda*; ſcilicet Semipelagiani nolebant gratiam ſupernaturalem vocationis dari dormientibus, vel otioſis, & multò minùs malè agentibus, ſed petentibus, & orantibus, & conantibus: & aliqui hanc opinionem tribuunt Scoto male intellecto.

Nota autem non dubitari poſſe de præparatione per meritum aliquod vel condignum, & rigoroſum, vel congruum, & minùs proprium, quod ſcilicet non inducat obligationem juſtitiæ, vel per aliquam diſpoſitionem poſitivam, quę aliqualiter exigat, aut moveat Deum ad dandam gratiam vocationis, & quod largitionem ejus præcedat in nobis, & ex parte noſtra, vel ſaltem per diſpoſitionem aliquam

[1] *12. inſt. 12. & collat. 13.*

non denegat gratiam; ſed hoc intelligitur de actibus naturalibus reſpectu omnis gratiæ, etiam actualis; ergo homo ſe diſponit naturaliter ad gratiam actualem.

Reſp. neg. min. nã verus ſenſus illius axiomatis eſt, quod qui excitatus, & motus à Deo per gratiam excitantem, & prævenientem illi cooperatur de ſe, & fideliter aſſentiendo, Deus illi non denegat ulteriorem, ſc. adjuvantem, & ſubſequentem, & tandem illi concedit juſtificantem. Sed nunquam fuit mens Theologorum, quòd Deus ullo modo teneatur dare gratiam ullam ſupernaturalem ſive actualem, ſive habitualem intuitu ullius operis eliciti ex puris naturæ viribus ob rationes allatas.

Inſt. ſi ex duobus audientibus prædicationem Euangelii unus audiat ex vana curioſitate, alter pio deſiderio, aut ſaltem non malo, congruentius eſt, ut Deus adjuvet iſtum, quàm illum; ſed iſte non aliter erit diſpoſitus, quàm naturaliter; ergo ex diſpoſitione naturali debetur ſaltem de congruo gratia actualis.

Reſp. diſt. min. ſi pium deſiderium jam ſit ex gratia, con. ſin minùs, neg. min. nam ſi Deus excitarit pium illud deſiderium in eumfinem, ut inſtruatur in fide, & audiat verbum Dei, congruum eſt, ut cooperetur deſiderio, quod illi inſpirat; ſed ſi hoc facit homo ex ſeipſo ſolo, Deus ſine ulla nequidem in congruitate, poteſt illi non dare auxilium ullum, & tam uni, quàm alteri poteſt dare illud, vel negare. Vix autem accidere poteſt, ut quis ex bono motivo velit audire verbum Dei, quin ad hoc excitetur, & adjuvetur à Deo. Et fateor, quod congruentius quidem videtur, ut adjuvet eum, qui audiret ex motivo non malo, quàm eum, qui ex malo: ſed tamen id non faceret ex ullo debito.

Inſt. 2. ex Script. conſtat Cornelium per eleemoſynas meruiſſe, ut Deus illi deſtinaret D. Petrum Apoſtolum, à quo inſtrueretur, & baptizaretur; ſed illa opera erant purè naturalia; erat enim gentilis; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam illa opera faciebat Cornelius ex inſpiratione, & gratia actuali, & divina. *Quidquid antequam in Chriſtum crederet, & cum credidiſſet, operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum, ne forte quis extollatur*, ait Auguſtinus.

Objic.

Objic. 2. effectus prædicationis in auditores pendet ſæpius ex diſpoſitione naturali miniſtrorum, v. g. ex naturali facundia, & modo dicendi; ergo etiam poteſt pendere ex naturali diſpoſitione auditorum, quod iſtos excitet, & juvet Deus ad credendum præ aliis. Prob. conſ. nam illa diſpoſitio externa prædicantium eſt purè naturalis, nec major eſt ratio, cur naturalis diſpoſitio extrinſeca iſtorum juvet, quàm intrinſeca pariter naturalis auditorum.

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Nam extrinſeca diſpoſitio loquentium ab ipſis pendet, intrinſeca vero auditorum à Deo eſt, *neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus*. Ideò ab eodem miniſtro multi audiunt, & pauci credunt: *multi ſunt vocati, pauci electi*.

Inſt. vocatio interior ſequitur neceſſariò exteriorem; ergo ſi exterior pendet ex diſpoſitione naturali, ita & interior. prob. ant. intellectus audientis eſt potentia naturalis, nec poteſt non videre objectum ſufficienter applicatum, v.g. duo oculi cum æquali diſpoſitione æqualiter aſſiciuntur, & vident objectum pariter applicatum, & non vident æqualiter, ſi non ſint æqualis diſpoſitionis naturalis.

Reſ. diſt. ant. quoad perceptionem ſpeculativam, con. quoad affectivam, neg. ant. utrumque; imò fieri poteſt in rebus fidei, ut intellectus perſpicacior, & clariùs percipiens veritatem minùs afficiatur in voluntate, & nequior permaneat, quàm qui minùs intelligit, prout Deus tangit cor audientis. Non inficior, quin cæteris paribus ille, in quo naturalia ſunt propenſiora in bonum, multum ex illis diſpoſitionibus proficiat, ſed ſemper gratia eſt principale agens, & ſine ejus præventione, & auxilio nihil proſunt naturalia in ordine ad ſalutem, & opera fidei, & virtutum ſupernaturalium.

Objic. 3. ex pluribus Theologis, & D. Tho. [1] ſi Barbarus nutritus in ſylvis ex dictamine naturalis rationis virtutem ſectaretur, & vitium fugeret, aut Deus ad illum mitteret concionatorem, ut ad Corneliũ, aut excitaret eum ad quærendum illum, à quo inſtrueretur; ſed illa faceret ex puris naturalibus, & quoad in ſe eſt; ergo facienti quod in ſe eſt, ex natura-

lr

[1] *de verit. q. 14. a. 11. ad 1.*

exiſtimabat, nec audivit Chriſtum monentem eum de caſu futuro; nam inde cautior, & humilior fieri debuerat; non tamen defuit gratia ſufficiens ordinaria, qua retrahebatur ab occaſione peccandi, & roborabatur ad vincendam tentationem, ſi cooperari voluiſſet.

CONCLUSIO IV.

E*Tiam parvulis omnibus Deus providet, & exhibet gratias ſufficientes ſaltem mediate ad ſalutem*. Non eſt adeo communis quoad infantes morientes ante baptiſmum, & maximè in utero materno. Sed tamen eſt communior contra eoſdem. Dixi autem, *ſaltem mediate*, nec enim omnibus de facto dantur, maximè iis, qui decedunt in utero materno, & antequam iis poſſit applicari remedium peccati originalis.

Prob. 1. ex Scoto citato, [1] nam hos quoque Deus ex parte ſua vult ſalvari, & quantùm eſt ex ſe paravit media communia ſufficientia, quibus poſſent ſalvari.

Prob. 2. ex iiſdem Scripturæ locis in concl. 1. citatis, & aliàs pro voluntate Dei ſalvandi omnes, & ex dicendis de Chriſti morte pro omnibus.

Hoc autem ut diſtinctiùs probemus, notandum, quòd alii ſunt infantes, qui moriuntur in utero matrum, antequam eis applicari poſſit remedium ullum peccati orginalis abſque culpa parentum, vel cum aliqua eorum negligentia, & de iſtis non dicimus, quòd eis dentur de facto gratiæ ſufficientes ad ſalutem immediatè, ſed tantùm mediatè, quatenus Deus voluntate antecedenti vellet eos ad lucem venire, & ſuſcipere remedium peccati, & ſalvari, & paraverat talia remedia, voluntate, inquam, generali, & antecedenti, & cooperaturus erat cauſis ſecundis, ut in lucem venirent, & applicarentur eis talia remedia, niſi impediretur per alias cauſas particulares cauſantes abortum; imò & ipſis parentibus non deeſt quoad auxilia ſufficientia, ut feliciter pariant, & ſaluti fœtus provideant.

2. Alii naſcuntur, ſed brevi decedunt, antequam baptiſ-

[1] *Ibid.*

baptiſma, vel aliud remedium eis applicetur, ſive ex negligentia parentum, aut aliorum, ſive ex caſu aliquo, & de iſtis minor eſt difficultas, & minus dubium, quin eis Deus providerit media, & gratias ſufficientes, & immediatiores ad ſalutem.

3. Alii ſunt filii infidelium, quibus non poteſt applicari tale remedium peccati, aut quia moriuntur ante partum, aut quia nolunt parentes illis applicari, & pro iſtis gratiæ ſunt remotiores, & tota iſta ſufficientia ſe tenet ex parte remediorum, & gratiarum paratarum quantùm ad perſonas parvulorum, & gratiarum oblatarum, vel etiam exhibitarum ipſis parentibus adultis, & infidelibus, ut ab infidelitate recederent.

4. De aliis, qui poſt acceptum baptiſma, vel aliud remedium peccati moriuntur in infantia ante uſum rationis, priuſquam ſint capaces peccati, & de iſtorum ſalute, nec per conſequens de aſſiſtentia gratiæ ſufficientis non dubitatur, de præcedentibus verò, qui moriuntur ante ſuſceptum baptiſma, aut aliud remedium, non dubitatur etiam, quin damnentur, & multò magis adulti, qui negligunt aliud remedium propria voluntate, & culpa.

His ſuppoſitis prob. univerſaliter de omnibus aliis, nam hi omnes ſubſunt, & comprehenduntur ſub generali voluntate Dei ſalvandi omnes, & ſub univerſaliſſima redemptione per Chriſtum; ergo & iſtis omnibus providit Deus, & quantùm eſt ex ſe, dat gratias ſufficientes, ut ſalventur ſaltem mediatè.

Confir. Nam à parte rei omnibus ſunt applicabilia remedia peccati, & non deeſt Deus inſpirare parentes, aut alios, ut vel vitent cauſas abortus, quo impeditur collatio baptiſmi, vel ut natis applicent illa, vel alios ut orent, & precibus obtineant felicem partum, & amotionem cauſarum abortus, aut necis infantium, aut aliorum impedimentorum baptiſmi, & ſalutis. Certè medico non imputaretur mors ægroti, poſtquam non tantùm ordinaſſet remedium efficax ad ſanitatem reddendam, ſed etiam illud ipſe præparaſſet, & miniſtris tradidiſſet ad illud applicandum cum ſyncera voluntate ſanandi infirmum; ſed hæc omnia fecit Deus ex parte ſua, & Chriſtus per Redemptionem crucis; ergo &c.

Con-

Confir. ex Auguſtino, qui apertè docet, locum illum Apoſtoli extendi ad parvulos. [1] *Numquid autem homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, omnes homines?* ergo ex Auguſtino tam vult Deus parvulos ſalvari, quàm adultos. Et S. Proſper: [2] *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique ſi benè uterentur eorum parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.*

Objic. 1. Si Deus vellet parvulos illos ſalvari, impediret eos ita mori, amovendo cauſas mortis, donec ad baptiſmum pervenirent; nam qui vult finem, vult & media; ſed Deus hoc non præſtat; ergo nec illud vult.

Reſp. diſt. maj. ſi vellet in particulari, & voluntate conſequenti, & abſoluta, con. voluntate antecedenti, generali, & conditionata, neg. maj. & rationem ejus. Deus ergo vult quidem infantes, ſicut & alios homines ſalvari, ſed voluntate antecedenti, generali, & conditionata, ſi videlicet aliæ cauſæ ſecundæ concurrant; quod non faciunt, ſed potiùs impediunt in iſtis.

Objic. 2. ex Auguſtino. [3] *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulis detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Quod iiſdem fere verbis repetit alibi. *Aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus, ac paratis Deo nolente non datur, cum repente antequam detur, expiret.. unde manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt perſpicuæ veritati, non intelligere omninò, qua locutione ſit dictum, quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cum tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur & in parvulis*; ergo ex Auguſtino Deus non vult ſalutem illis parvulis.

Reſp. diſt. ant. Deo nolente voluntate conſequenti, con. voluntate antecedenti, neg. ant. & conſ. nam in utroque loco patet Auguſtinum loqui de voluntate par-

[1] 4. *con. Jul.* 8. [2] 2. *Vocat.* 23.
[3] *De bon. perſev.* 12. *Ep.* 107.

particulari, & conſequenti, ſuppoſito ſcilicet impedimento veniente ex ordine, & curſu cauſarum ſecundarum, quo fit, ut parvulus ille moriatur, & quem curſum Deus non vult impedire, ne turbet ordinem naturæ, ſed hoc non impedit, quin voluntate generali, & antecedente, & de ſe velit eum ſalvare, & quin illi præparaverit gratias ſufficientes ex intentione ſyncera illum ſalvandi.

Inſt. 1. Deus vult poſitivè omnia quæ fiunt, excepto peccato; ergo vult poſitivè mortem illam præcipitatam parvuli ante baptiſmum, vel in utero; ergo non vult illi vitam, qua poſſet baptizari, nec ſalutem, nec ullam gratiam ad illam.

Reſp. ut ſupra, diſt. ant. vult poſitivè voluntate antecedenti, aut conſequenti, & ſecundaria, con. primaria, & antecedenti, neg. ant. & conſ. Deus vult voluntate primaria, & antecedenti, & de ſe, ut detur parvulo baptiſma, & vult ſimiliter illi media, & gratias, ut detur, ſed voluntate ſecundaria, & conſequenti non vult, quia ex lege, & ordine naturæ vult concurrere cum cauſis ſecundis ad ejus mortem, qua fit, ut non poſſit baptizari.

Inſt. 2. imò docet Auguſt. [a] parvulos ſæpe mori ex Dei ſecreta, & inſcrutabili voluntate ante baptiſma, non autem parentum culpa, cùm è contra filii peſſimorum parentum vivant, & baptizentur, *quæ tandem hic merita præceſſerunt*, inquit, *ſi parentum attenderis bona, ſunt illa, quorum filii repentinis mortibus ſine Chriſti baptiſmate perierunt, mala vero illa, quorum filii per Chriſtianorum aliquam poteſtatem ad ſacramenta Eccleſiæ pervenerunt* &c. & concludit: *Certè hic, ubi fati nulla eſt immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla perſonæ dignitas, quid reſtat, niſi miſericordiæ, & veritatis profunditas?* ergo non eſt recurrendum ad voluntatem antecedentem, nec conſequentem, ſed ad velle Dei poſitivum, quo vult uni ſalutem, & non vult alteri.

Reſp. diſt. ant. ex ſecreta voluntate permiſſiva, & quoad eos, qui moriuntur ſine baptiſmo, con. ex voluntate poſitiva, neg. ant. & conſ. Nam licèt mala pœnæ poſſit Deus velle poſitivè, & directè, & ſæpiùs ita velit, non tamen videtur convenire infinitæ miſeri-

[a] *Epiſt.* 105.

cordiæ ejus, ut velit ita mortem iſtam pueris nullius actualis peccati reis, quoad alios verò, qui cōtra ſpem, aut aliis viis extraordinariis ſervantur, donec baptizentur, nihil facit ad nos, rectè recurrit Auguſtinus *ad profunditatem miſericordiæ, & veritatis, cur pro iſtis faciat miracula, non pro aliis*; quando leges communes præſcripſit naturæ, non ſibi ligavit manus, ne poſſit extra eas egredi, quando libuerit, ſicut non ſemper ſe ab eis diſpenſat, ſic non eſt noſtrum quærere quando ſe, aut alios diſpenſat.

CONCLUSIO V.

Potuiſſet Deus nulla providere auxilia gratiæ ſufficientis homini poſt lapſum, abſolutè loquendo, ſed ſuppoſita voluntate ſyncera ſalvandi omnes, non potuit non providere. Hæc videtur non poſſe controverti.

Prob. 1. p. nam ſuppoſito peccato Adæ, ac poſterorum ejus culpa in ipſo, & ſi eo prævifo decreviſſet omnes punire pœna damni, nulli feciſſet injuriam, & ex pura miſericordia decrevit parcere, imo & dare filium ſuum ad omnium Redemptionem.

Prob. 2. p. nam Deus nequidem de potentia abſoluta poteſt velle contraria; ſed ſi vellet ſalvare homines, & nollet eis dare media ad ſalutem ſufficientia, vellet contraria, & quidem eodem actu; ergo ſuppoſita voluntate ſalvandi omnes homines, neceſſariò voluit providere illis auxilia ſufficientia. Prob. min. nam idem virtualiter actus, quo quis vult efficaciter finem, vult & media neceſſaria ad illum; ſed gratiæ ſufficientes ſunt media neceſſaria homini ad ſalutem conſequendam, ut probatum eſt; ergo &c.

Objic. con. 2.p. potuit Deus velle ſalutem hominis ſimplici complacentia; ſed ſimplex complacentia non attingit media ulla; hoc enim proprium eſt volitionis efficacis; ergo Deus potuit velle ſalutem hominum ſine volitione auxiliorum gratiæ.

Reſp. diſt. maj. potuit velle inefficaciter, & ſimplici complacentia ſalutem noſtram, ut objectum purè bonum, con. ut finem, neg. maj. & diſt. min. ſimplex complacentia boni, ut puri objecti, con. ut finis, neg. min. nam implicat velle aliquid ut finem, quin finalizet.

Objic. 2.

Objic. 2. etiam nunc cùm Deus vult hominem ſalvare, non vult illi gratias pro ſingulis momentis, vult aliquando illum ſine gratia relinquere; ergo poſſet etiam velle relinquere pro ſemper.

Reſp. neg. conſ. nam non eſt impoſſibile hominem ſalvari, quamvis deſeratur ſine gratiæ auxilio pro aliquo tempore; ſed non poteſt ſalvari, ſi deſeratur pro ſemper, & ideò in ſuppoſitione noſtra non poteſt deſeri pro ſemper.

QUÆSTIO IX.

De præparatione ad gratiam actualem: an facienti quod eſt in ſe viribus naturæ detur gratia.

DIco 1. *ad gratiam actualem*, ſcilicet excitantem, & operantem, ſeu adjuvantem; nam de habituali, & juſtificante dicemus poſtea: 2. *ex viribus naturæ*; nam de præparatione ad unam gratiam per opera ſupernaturalia ex aliis prioribus gratiis elicita non eſt tanta controverſia inter Catholicos, & Pelagianos, & Maſſilienſes, qui volebant initium aliquod ſalutis pendere ex nobis, & hominem ſe diſponere ad primam gratiam fidei, & vocationis per opera aliqua viribus propriis liberi arbitrii elicita. Et hoc ſenſu dicebant *Deum facienti quod eſt in ſe, non denegare gratiam*. Ideò dicebat Caſſianus. [1] *Præſto eſt Deus occaſione ſibi tantummodo oblata à nobis, ad hæc omnia conferenda;* ſcilicet Semipelagiani nolebant gratiam ſupernaturalem vocationis dari dormientibus, vel otioſis, & multò minùs malè agentibus, ſed petentibus, & orantibus, & conantibus: & aliqui hanc opinionem tribuunt Scoto male intellecto.

Nota autem non dubitari poſſe de præparatione per meritum aliquod vel condignum, & rigoroſum, vel congruum, & minùs proprium, quod ſcilicet non inducat obligationem juſtitiæ, vel per aliquam diſpoſitionem poſitivam, quę aliqualiter exigat, aut moveat Deum ad dandam gratiam vocationis, & quod largitionem ejus præcedat in nobis, & ex parte noſtra, vel ſaltem per diſpoſitionem aliquam

[1] 12. *inſt.* 12. & *collat.* 13.

quam negativam, quatenus per aliquod opus naturale ex parte noſtra tollatur obex gratiæ divinæ ſupernaturalis vocationis.

CONCLUSIO I.

HOmo ex puris naturalibus non poteſt mereri, vel diſponere ſe nequidem de congruo ad primam gratiam excitantem, ſeu vocantem. *Eſt de fide contra* Pelagianos, & Semipelagianos prædictos.

Prob. 1. ex Scoto, quem ab initio probavimus ab hoc errore alieniſſimum, & præcipuè cùm dicit, quod [1] *cùm operatio meritoria ſit voluntatis, vel hominis per voluntatem operantis, ſequitur, quod illud, quo meritoriè agit, non poteſt eſſe pura natura, quia tunc ex ſolis naturalibus poſſet meritoriè agere, quod videtur error Pelagii*. Alios textus dedimus ſupra, & vide PP. Vulpium, & Macedo.

Prob. 2. ex Script. [2] *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum*, inquit Chriſtus D. non enim ait, *duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat* &c. inquit Auguſt. l. 1. contra Epiſt. Pelagianorum. Item idem Deus dicit. [3] *Sine me nihil poteſtis facere*. Ergo inquit idem Auguſtinus, [4] *ſive parum, ſive multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo fieri nihil poteſt*. [5] Et Apoſtolus dicit, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Et Deum inducit dicentem per Prophetam. [6] *Inventus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant*, & ideò inquit S. Tho. *præter merita, & intentionem gentilium oſtenditur fuiſſe eorum converſio*. Denique *Deus operatur in nobis velle, & perficere*; ergo per nihil prævium mereri poteſt prima gratia vocationis, & initium ſalutis.

Prob. 3. ex Conciliis. Nam inquit Arauſic. II. [7] *ſi quis dixerit ſine gratia Dei credentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam conferri* &c. *Anath. ſit*. Et Trident. juſtificationis exordium in adultis [8] *à Deo per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe*, hoc eſt ab ejus gratia, qua nullis præ-

(1) *to. 2. p. 1. d. 45. a. 3.* (2) *Jo. 6.* (3) *c. 19.* (4) *tr. 81. Jo.* (5) *2. cor. 3.* (6) *Ro. 10.* (7) *Can. 6.* (8) *Seſſ. 6. cap. 5.*

præcedentibus eorum meritis vocantur. &c. Et infra. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione, atque adjutorio hominem poſſe credere*, &c. ergo ex puris naturalibus nihil operari poteſt homo, quo poſſit ullo modo primam gratiam vocationis mereri nequidem de congruo, quod confirmari poteſt ex Epiſt. Leonis Papæ [1] contra Maſſilienſes. Hoc inquit, *tota arte fallendi, niſi intelligantur, ſibi excipiunt, ut gratia Dei ſecundum merita dari accipientium ſentiatur, quæ utique, niſi gratis detur, non eſt gratia, ſed merces*, dicente Paulo, *gratis eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt, non ex operibus, ne quis glorietur*, & addit; *fidem, qua in Chriſto credimus, naturæ eſſe volunt, non gratiæ, & hominibus ex Adam*, (quod dici nefas eſt) *in libero arbitrio remanſiſſe*; ergo &c.

Prob. 4. ex Patribus, nam inquit Auguſt. *ſcimus gratiam Dei nec majoribus, nec parvulis, ſecundum merita noſtra dari*: agebat autem de gratia actuali. Et S. Proſper. [2] *in iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in homine collocatur; ſi divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideò quis adjuvetur, quia voluit, non ideò velit quia adjuvatur*, &c. Et patet ex aliis Auguſtini, & Patrum locis adductis ſupra de neceſſitate gratiæ ad fidem.

Prob. 5. ratione. Tum quia ſi ex parte noſtra adeſſet ulla poſitiva præparatio naturalis ad illam gratiam, hæc non diceretur excitans, vel præveniens, ſed potiùs excitata, poſtulata, quæſita, & præventa; quod eſt contra omnes. 2. Quia exordium noſtræ juſtificationis in adultis non eſſet à gratia, ut docet Trident. [3] ſed ex nobis. 3. quia diſpoſitiones, & merita debent habere aliquam proportionem cum forma, & præmio; ſed opera naturalia nullam habent proportionem cum gratia ſupernaturali; ergo non poſſunt eſſe merita, nec diſpoſitiones ad illam gratiam. 4. denique homo ſeipſum diſcerneret per illa merita, & diſpoſitiones, non autem id haberet à Deo, vel ab ipſius gratia, quod eſt contra Apoſtolum; ergo &c.

Objic. 1. Tritum axioma, *facienti, quod in ſe eſt, Deus* non

[1] *Epiſt.* 84. [2] *Ep. ad Aug.*
[3] *Seſſ.* 6. *cap.* 5.

non denegat gratiam; ſed hoc intelligitur de actibus naturalibus reſpectu omnis gratiæ, etiam actualis; ergo homo ſe diſponit naturaliter ad gratiam actualem.

Reſp.neg. min.nã verus ſenſus illius axiomatis eſt, quod qui excitatus, & motus à Deo per gratiam excitantem, & prævenientem illi cooperatur de ſe, & fideliter aſſentiendo, Deus illi non denegat ulteriorem, ſc. adjuvantem, & ſubſequentem, & tandem illi concedit juſtificantem. Sed nunquam fuit mens Theologorum, quòd Deus ullo modo teneatur dare gratiam ullam ſupernaturalem ſive actualem, ſive habitualem intuitu ullius operis eliciti ex puris naturæ viribus ob rationes allatas.

Inſt. ſi ex duobus audientibus prædicationem Euangelii unus audiat ex vana curioſitate, alter pio deſiderio, aut ſaltem non malo, congruentius eſt, ut Deus adjuvet iſtum, quàm illum; ſed ille non aliter erit diſpoſitus,quàm naturaliter; ergo ex diſpoſitione naturali debetur ſaltem de congruo gratia actualis.

Reſp. diſt. min. ſi pium deſiderium jam ſit ex gratia, con. ſin minùs, neg. min. nam ſi Deus excitarit pium illud deſiderium in eumfinem, ut inſtruatur in fide, & audiat verbum Dei, congruum eſt, ut cooperetur deſiderio, quod illi inſpirat; ſed ſi hoc facit homo ex ſeipſo ſolo, Deus ſine ulla nequidem in congruitate, poteſt illi non dare auxilium ullum, & tam uni, quàm alteri poteſt dare illud, vel negare. Vix autem accidere poteſt, ut quis ex bono motivo velit audire verbum Dei, quin ad hoc excitetur, & adjuvetur à Deo. Et fateor, quod congruentius quidem videtur, ut adjuvet eum, qui audiret ex motivo non malo,quàm eum, qui ex malo: ſed tamen id non faceret ex ullo debito.

Inſt.2. ex Script. conſtat Cornelium per eleemoſynas meruiſſe, ut Deus illi deſtinaret D.Petrum Apoſtolum, à quo inſtrueretur, & baptizaretur; ſed illa opera erant purè naturalia; erat enim gentilis; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam illa opera faciebat Cornelius ex inſpiratione, & gratia actuali,& divina. *Quidquid antequam in Chriſtum crederet, & cum credidiſſet, operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum, ne forte quis extollatur*, ait Auguſtinus.

Objic.

Objic. 2. effectus prædicationis in auditores pendet ſæpius ex diſpoſitione naturali miniſtrorum, v. g. ex naturali facundia, & modo dicendi; ergo etiam poteſt pendere ex naturali diſpoſitione auditorum, quod iſtos excitet, & juvet Deus ad credendum præ aliis. Prob. conſ. nam illa diſpoſitio externa prædicantium eſt purè naturalis, nec major eſt ratio, cur naturalis diſpoſitio extrinſeca iſtorum juvet, quàm intrinſeca pariter naturalis auditorum.

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Nam extrinſeca diſpoſitio loquentium ab ipſis pendet, intrinſeca vero auditorum à Deo eſt, *neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus*. Ideò ab eodem miniſtro multi audiunt, & pauci credunt: *multi ſunt vocati, pauci electi*.

Inſt. vocatio interior ſequitur neceſſariò exteriorem; ergo ſi exterior pendet ex diſpoſitione naturali, ita & interior. prob. ant. intellectus audientis eſt potentia naturalis, nec poteſt non videre objectum ſufficienter applicatum, v.g. duo oculi cum æquali diſpoſitione æqualiter aſſiciuntur, & vident objectum pariter applicatum, & non vident æqualiter, ſi non ſint æqualis diſpoſitionis naturalis.

Reſ. diſt. ant. quoad perceptionem ſpeculativam, con. quoad affectivam, neg. ant. utrumque; imò fieri poteſt in rebus fidei, ut intellectus perſpicacior, & clariùs percipiens veritatem minùs aſſiciatur in voluntate, & nequior permaneat, quàm qui minùs intelligit, prout Deus tangit cor audientis. Non inficior, quin cæteris paribus ille, in quo naturalia ſunt propenſiora in bonum, multum ex illis diſpoſitionibus proficiat, ſed ſemper gratia eſt principale agens, & ſine ejus præventione, & auxilio nihil proſunt naturalia in ordine ad ſalutem, & opera fidei, & virtutum ſupernaturalium.

Objic. 3. ex pluribus Theologis, & D. Tho. [1] ſi Barbarus nutritus in ſylvis ex dictamine naturalis rationis virtutem ſectaretur, & vitium fugeret, aut Deus ad illum mitteret concionatorem, ut ad Corneliū, aut excitaret eum ad quærendum illum, à quo inſtrueretur; ſed illa faceret ex puris naturalibus, & quoad in ſe eſt; ergo facienti quod in ſe eſt, ex natura-

[1] *de verit. a. 91. ad 1.*

libus, Deus non denegat gratiam, ſed ille ad hanc diſponitur naturaliter.

Reſp. neg.min.nam licet, ut diximus, non repugnet hominem ductu rationis naturalis aliqua opera naturaliter bona facere, aut ſaltem non mala: tamen ea facere non poteſt in ordine ad gratiam ſupernaturalem promerendam, nec ad initium, ſeu diſpoſitionem poſitivam ejus. Dico, *aliqua*; nam ex dictis patet eam probitatem non duraturam, nec in difficilioribus perſeveraturam, nec totam legem impleturam.

Inſt. ergo iſte neceſſariò damnabitur, licèt faciat, quod in ſe eſt; ſed conſ. eſt duriſſimum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. nam licèt Deus non daret illi gratiam ex merito, vel juſtitia, vel congruitate, daret tamen ex miſericordia, & liberalitate, & ſic poſſet inſtrui in fide, & lege aliqua via, quam illi homini provideret.

Objic. 4. ſi facienti, quod in ſe eſt, Deus ex debito, vel congruitate juſtitiæ non daret gratiam, fruſtra mitterentur catechiſtæ, & concionatores ad infideles, & ad peccatores, ſuadendo eleemoſynas, & alia bona opera, quibus ſe diſponerent ad fidem, & juſtificationem; ſed conſ. eſt falſum, & contra praxim, & Scripturam ipſam; ergo &c. Prob. maj. nam cùm illi ſint infideles, & peccatores, illa opera ante converſionem eſſent pure naturalia, & inutilia.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam illa opera, quę illi peccatores, & infideles faciunt ſuaſu concionatorum, ſunt ex motu, & adjutorio gratiæ divinæ, & ſi illi talia non faciunt, nec obediunt cōcionatoribus, pereunt ſua culpa. [1] *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.*

Objic. denique cum Molina. Deus pater iniit pactum cum Chriſto filio, quo primam gratiam conferre promiſit iis, qui bene moraliter ſe gerunt, quantum eſt ex ſe; ergo facienti, quod in ſe eſt, naturaliter ex aliqua ſaltem fidelitate Deus dat gratiam.

Reſp. neg. ant. nam ſine fundamento, & gratis aſſeritur tale pactum, imò contrarium aſſerimus ex fundamentis concluſionis.

CON-

[1] *Oſe.* 13.

CONCLUSIO II.

N*Ihil prohibet dicere, quod facienti, quod in ſe eſt, cooperando gratiæ prævenienti, & operanti, Deus ulteriores, & uberiores dat gratias ſaltem de congruo*. Hæc patet ex dictis, & magis patebit ex dicendis de merito.

Prob. ex Concil. Trident. [1] quo docemur juſtificationis exordium iu adultis ex præveniente gratia ſumendum eſſe. Peccatores ſe diſponunt ad ſuam juſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, & ſenſim, & gradatim moventur in Deum, incipiunt credere, timere, diligere, & deteſtari peccata, & hanc præparationem ſequitur ipſa juſtificatio per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum; ergo ex Concilio per cooperationem ad primas gratias actuales homo diſponitur ad poſteriores, quibus excitatur, & juvatur ad illos poſteriores actus uſque ad infuſionem gratiæ ſanctificantis.

Confir. ex Scriptura, in qua Deus dicit, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; ergo dum per cooperationem ad gratiam excitantem convertimur ad Deum, ipſe convertitur ad nos per ulteriores gratias ſubſequentes, & adjuvantes,& tandem per reconciliantem, ſeu juſtificantem. Ideò dicebat etiam, *ſi impius egerit pœnitentiam, vita vivet, & non morietur*, &c. Et de facto Magdalena per actus dilectionis elicitos ex gratia actuali excitante diſpoſuit ſe ad remiſſionem multorum peccatorum.

Dixi, *ſaltem de congruo*; nam ad meritum de condigno requiritur ſtatus gratiæ ſanctificantis, & aliæ conditiones, quæ nondum adſunt in illis initiis.

Prob.3.nam Deus eo fine largitur gratias excitantes, & moventes, ut hominem ſic excitatum, & motum, ſi velit conſentire, & cooperari motionibus illis primis, gradatim, & ſenſim promoveat ad gratias majores, & denique ad gloriam: nam illæ primæ ſunt primi effectus prædeſtinationis in executione.

Confir. nam Eccleſia nos docet orare Deum, ut nobis concedat auxilia gratiæ ſuæ, quod non faceret, niſi

[1] *Seſſ.6.c.5.& 6.& 7.*

niſi crederet ea poſſe impetrari etiam à nondum juſtificatis; ergo &c. Igitur verus, & Catholicus ſenſus iſtius axiomatis, *facienti quod in ſe eſt*, *Deus non denegat gratiam*, non eſt, quod teneatur, vel moveatur ex ullo motivo juſtitiæ ad dandam gratiam actualem, vel habitualem homini propter opera quantumcumque bona ex puris naturæ viribus liberi arbitrii facta, quia poſſet eas non dare abſque ulla injuſtitia; ſed quod *facienti quod eſt in ſe mediante Dei gratia actuali excitante, & juvante*, *Deus ampliores dat gratias, & præcipuè juſtificantem*, quod ſi aliquando reſpiciat ad aliqua bona opera naturalia, v. g. ad opera honeſta infidelium, ut contigit Cornelio, id facit ex mera liberalitate, & miſericordia.

Hinc etiam habes, quo ſenſu dici poſſit gratiam, & converſionem eſſe in poteſtate hominis: ita ut perditio ejus ſemper ſit ab ipſo, juxta illud, *perditio tua ex te*, nam quia Deus ſemper habet paratum gratiæ ſuæ auxilium, quo excitat, & vocat nos ad fidem, aut pœnitentiam; & in libertate noſtra eſt illi vocationi reſpondere per aſſenſum, & cooperationem, numquam poteſt imputari perditio noſtra Deo, ſed ſemper ex nobis eſt; ſicut ſemper eſt in poteſtate noſtra cooperari gratiæ, qua vocamur, & juvamur ad ſalutem; ita & ſalvari.

DISPUTATIO IV.

De gratia habituali, ſeu juſtificante.

HUc uſque ſatis fusè diximus de gratia actuali, quæ dat benè, & laudabiliter operari. Nunc agendum eſt de habituali, quæ dat eſſe in bono, & ſanctitate, & ſicut ad iſtam illa præparat; ſic ab illa de iſta dicturi ſumus hac diſputatione utraque juvante.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit gratia habitualis.

JAm diximus gratiam dici habitualem, prout actuali opponitur, quia hæc datur ad operationem, & cum ipſa tranſit. Illa verò datur per modum habitus, & qualitatis permanentis, & ad eſſe potiùs, quàm ad operari, licèt non maneat otioſa. Nunc preſſius eſt examinanda ejus natura, & ſtabilienda exiſtentia.

Igitur per *gratiam habitualem* intelligimus qualitatem phyſicam in entitate ſupernaturalem, animæque inhærentem, & reddentem illam mundam à peccato, Deo gratam, & dignam vita æterna. Ab effectibus dicitur *juſtificans*, ſeu *ſanctificans*; quia peccati malitiam expungit, maculas abſtergit, animæ nitorem, & venuſtatem ſupernaturalem, & quaſi divinam reſtituit. Item, *gratum faciens*, & quidem formaliter, quia, ut dicebamus, reddit animam Deo gratam, & amicam. Item, *charitas*, quia eſt vinculum quoddam amicitiæ inter Deum, & animam, &c. Quærimus an exiſtat, & detur talis gratia.

CONCLUSIO I.

D*Atur verè gratia illa ſanctificans, ſeu gratum faciens*. Eſt de fide contra Hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas, qui volunt hominem non juſtificari niſi extrinſecè per imputationem juſtitiæ Chriſti, ut videbimus.

Prob. 1. ex Scoto [1] ex profeſſo propugnãte inhærentiam habitualem charitatis. Injuria, ſeu peccatum *non poteſt auferri ab aliquo, niſi ei detur habitus oppoſitus, quia privare privationem*, quale eſt peccatum, *eſt habitum ponere*, &c. Quod idem probat aliis argumentis, & maximè quia Deus non poteſt acceptare aliquos ad gloriam, & actus ipſorum ad præmium ſine habitu ſupernaturali gratiæ dignificante naturam, & concurrente activè ad opera, &c. Et alibi dicit, [2] quod gra-

[1] 1.*d*.17.*q*.3.18.
[2] 2.*d*.17.4.

gratia eſt, qua *Deus habet aliquem gratum ... eſt illud, propter quod Deus acceptat habens, ut dignum beatitudine*, &c.

Prob. 2. ex Script. quæ ſæpiùs loquitur de gratia, prout reddit hominem gratum Deo; ut cùm dicit Paulus de ſeipſo, *gratia Dei ſum id, quod ſum, gratia ejus ſemper in me manet*. Et de nobis, *juſtificati gratis per gratiam ipſius*. Et iterum, *convivificavit vos in Chriſto, cujus gratia ſalvati eſtis*. *Ut juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus .... vitæ æternæ*: Sed hæc, & ſimilia loca non poſſunt intelligi de gratia externę imputationis, ſed de interna, & in animabus noſtris infuſa, quas emundat, & dignificat, & ſanctificat interiùs. Quod maximè confirmatur ex aliis locis ejuſdem Apoſtoli. Ut cum dicit, *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*, &c. Ablutio non fit per imputationem munditiæ, quæ eſt in alio; ergo &c.

Prob. 3. ex Concil. maximè ex Trident. [1] docente, quòd *juſtificatio non eſt ſola remiſſio peccatorum, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, unde homo ex inimico fit amicus, ex injuſto fit juſtus, ut ſit hæres*, &c. Non poteſt eſſe magis gratum faciens, quàm quod faciat hominem ex injuſto juſtum, & ex inimico amicum Dei, & hæredem ejus.

Prob. 4. ex Patribus. Nam, inquit Auguſtinus, [2] *Attendamus gratiam Dei, non ſolùm qua fecit nos, ſed etiam qua refecit*. Et in illud Pſalmiſtæ, [3] *gratiam, & gloriam dabit Dominus*; ait, *quam gratiam? niſi eam, de qua Apoſtolus ait, gratia Dei ſum id, quod ſum*. Et Hieronymus de B. Virgine dicit. *Mariæ ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Iſta gratia non ſolum implevit mentem, ſed ventrem*. Hoc autem magis patebit ex concluſione ſequenti.

CONCLUSIO II.

GRatia *gratum faciens, ſeu ſanctificans eſt qualitas ſupernaturalis inhærens animæ, quam emundat à peccati macula, & facit Deo gratam*. Hęc olim dicebatur probabilior, ſed jam videtur de fide contra eoſdem hæreticos.

Prob.

[1] *ſeſſ. 6. c. 7. can. 11.* [2] *in pſ. 144.* [3] *Pſ. 83.*

Prob. 1. ex Scoto citato. [1] Ibi enim contendit gratiam iſtam, quam cum charitate identificat, eſſe interiùs inhærentem: ſc. *quòd neceſſe ſit ponere charitatem creatam formaliter inhærentem beatificabili*, ſeu *in anima viatoris*; ut loquitur in Reportatis, & concludit, quod [2] *de potentia ordinaria non juſtificat aliquem, niſi conferendo ſibi charitatem*.

Prob. 2. ex Script. citata, [3] & alibi, ubi de gratia loquitur ut de re permanente, informante, ſeu inhærente homini. Sic *Maria Deipara dicitur gratia plena*. Sic Stephanus dicitur *plenus Spiritu ſancto*. Et, [4] *ubi abundavit delictum*, (ſc. in anima [5]) *ſuperabundavit & gratia, ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet in vitam æternam per juſtitiam ..... peccatum in vobis non dominabitur*. Hæc omnia, & ſimilia ſignificant inhærentiam: ergo &c.

Prob. 3. ex Conciliis. Nam in Concilio Viennenſi [6] definitum eſt, opinionem, quæ dicit, tàm parvulis, quàm adultis conferri in baptiſmo *informantem gratiam .... tanquam probabiliorem....ſacro approbante Concilio, duximus eligendam*. Et in Trident. [7] definitur, quòd, *ſi quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei; anath. ſit*. Et idem patet ex cap. 7. citato. Et Concilium Senonenſe definit, quod [8] *Sacramento pœnitentiæ cauſatur gratia informans, & ſanctificans, & delens peccata*. Et in aliis Conciliis decernitur per varia ſacramenta cauſari augmentum gratiæ, & alia hujuſmodi, quæ non poſſunt verificari, niſi de qualitate inhærente, & permanente.

Confir. ex Catechiſmo Concilii Trid. qui agens de baptiſmo ait. *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus credendum decrevit, non ſolùm per quam peccatorum fit remiſſio, ſed divina qualitas in anima inhærens*. Habet autem hoc opus auctoritatem ſummi Pontificis Pii, ſc. V. cujus juſſu proponitur toti Eccleſię ad inſinuandam mētem Concilii Tridentini.

(1) *Ibid.* (2) *Ibid. n.7.* (3) *Luc.2.* (4) *Act.6.*
(5) *Ro.5.* (6) *de SS. Trin. Clem.*
(7) *ſeſſ.6. can.11.* (8) *c.10.*

Prob. 4. ex SS. Patribus, qui huic gratiæ tribuunt, ſi non vocabulum, ſaltem proprietates omnes qualitatis, & habitus, ut cùm Ambroſius ei tribuit virtutem abluendi, & mundandi, & infuſionem Spiritus S. *cui adeſt ſpiritus gratiæ, nihil deeſt, & cui Spiritus S. infunditur, magnarum virtutum plenitudo eſt*. Et Hieronymus in Epiſtola de ſcientia legis docet, quod cùm *aquâ lavacro abluitur corpus, anima mundatur per gratiam*, & quod *gratia gratis quidem peccata dimittit, ſed cum conſenſu, & voluntate credentis*, & quod *abjicit gratiam Dei, qui peccatis poſt baptiſmum ſordidatur*. Certè ſi peccatum maculat animam, & ideò hæret intùs in ea, debet etiam gratia, per quam abluitur, & mundatur, eidem inhærere. Et S. Auguſtinus dicit, [1] per gratiam reſtitui nobis imaginem, ſeu ſimilitudinem Dei. *Hoc agit ſpiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis. Vitium quippe contra naturam eſt, quod ſanat gratia*. Ecce gratiam oppoſitam vitio, quod eſt qualitas, & habitus maculans animam. Et ideò tam ille, quàm Concilium vocat *eam juſtitiam, qua gratia in interiore homine revocato Juſtitia ſcribitur, quam culpa deleverat*. Et Cyprianus dicit [2] eam intendi, aut remitti, quæ ſunt paſſiones qualitatis. *Planè gratia ſpiritualis, quæ æqualiter in baptiſmo à credentibus ſumitur, in converſione, & actu noſtro poſtmodum minuitur, vel augetur*.

Prob. denique rationibus Scoti. Nam 1. homo fit injuſtus per injuſtitiam interiùs inhærentem; ergo gratia, per quam tollitur illa injuſtitia, & fit juſtus, eſt pariter qualitas inhærens; nam contrariorum eadem eſt ratio.

Dices, hoc argmentum non probare in via Scoti, qui putat Deum poſſe tollere peccatum per puram condonationem ſine gratiæ infuſione.

Contra; nam 1. id tantùm fieri docet de potentia abſoluta, non autem de potentia ordinaria. Et 2. quia in caſu ſimplicis condonationis homo non fieret poſitivè juſtus, ſed negativè tantùm, quatenùs auferretur ab eo injuſtitia; ergo cùm dicitur poſitivè juſtus, & amicus Dei, ſignificatur eum habere in ſe for-

[1] 14. *civ*. 27.
[2] *l*. 1. *Ep*. 5. *ad rogat*.

formam, & qualitatem juſtitiæ, qua mediante acceptamur à Deo in amicos, & filios, & hæredes ejus.

Alias probationes vide in textu, & non quidem, ut demonſtrent, ſed ſuadeant valde probabiliter hanc veritatem. Ideò ſtandum decretis Conciliorum, & Eccleſiæ.

Objic. 1. non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas aſſerendæ talis qualitatis;ergo &c.Prob. min.ut homo ſit juſtus,& amicus,& gratus Deo, ſufficit externa condonatio peccati, quo redditur injuſtus, inimicus, & ingratus; ergo fruſtra eſt alia qualitas. Prob. ant. ut homo fiat homini gratus, & amicus, nihil iſte per amicitiam ponit in illo; ergo nec Deus neceſſariò ponit quidquam in homine, quem accipit in gratiam, vel amicitiam; ſed totum ſe tenet ex parte Dei.

Reſp. neg. maj. 1. argum. & ant. 2. & conſ. 3. nec enim valet paritas amoris divini, & humani, iſte eſt ſterilis, & ſæpiùs errat: non facit amicum amabilem, ſi non eſt, & ſæpe amat odiendos, non ſic Deus; amor ejus eſt efficax, facit amabiles, & bonos, quos amat, & ut dicebamus, ſi peccatum tollitur per ſimplicem, & externam condonationem, homo non fit poſitivè juſtus, ſed ad ſummum negativè; quia non habet in ſe formam, nec qualitatem ullam juſtificantem, non magis, quam ſi poneretur in puris naturalibus.

Objic. 2. ex Script. [1] dare gratiam alicui nihil eſt aliud, quàm facere, ut ametur per favorem extrinſecum; ergo idem eſt de homine reſpectu Dei. Prob. ant. *dedit Dominus gratiam Danieli in conſpectu principis Eunuchorum*, ſed hoc non fecit per infuſionem ullius qualitatis inhærentis Danieli, quia eam Eunuchus non percepiſſet; ſed per puram inſpirationem factam principi, & ſic de aliis multis, de quibus narrantur ſimilia; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. utriuſque argumenti, tum ob diſparitatem allatam in præcedenti; tum quia ſufficiebat inclinare cor principis erga Danielem, aut etiam forte infundere in vultum, & mores Danielis aliquos modos agendi,& gratias externas,quibus alliceret Eunuchum ad ſui amorem; Deus verò quoad ſe ſolet

[1] *Dan.* 1.

aliter agere; nam amor ejus præit gratiæ; *ipſe prior dilexit nos, & lavit nos*, &c.

Objic. 3. non aliter amat Deus juſtos in tempore, quàm ab æterno; quia non mutatur; ſed ab æterno dilexit nos ſine infuſione gratiæ; ergo & nunc. Prob. min. *dilexit nos ante mundi conſtitutionem*: imò dilexit nos, *cum adhuc peccatores eſſemus*, ſed tunc non dabat gratiam; ergo neque nunc.

Reſp. diſt. maj. non aliter ex parte actus amoris, & quoad affectum, con. ex parte termini, & effectus, neg. maj. amat ab æterno, & dum ſumus in peccato, ut infundat gratiam, & alia conferat beneficia in tempore.

Objic.4.ex Script. & Patribus. Gratia, & charitas, qua juſtificamur, eſt ipſe Spiritus ſanctus, *qui datus eſt nobis, & communicatio Spiritus ſancti*. Et ut loquitur Damaſcenus, [1] *dicimus ſubſtantiam eſſe Spiritum S.* ergo gratia ſanctificans non eſt qualitas, nec habitus.

Reſp. diſt. ant. eſt ipſe Spiritus S. originaliter, & ut efficiens appropriatè, con. ut formalis ſanctificatio, neg. ant. nam *unica formalis cauſa juſtificationis eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt; ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur . . . . juſtitiam in nobis recipientes*, inquit Trident. cit. [2]

Objic. iterum ex Script. ex Apoſtolo, [3] *ſicut per unius delictum peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi*. Item, *credenti in eum, qui juſtificat impium* (ſc. Chriſtum) *fides ejus reputatur ad juſtitiam*: ſed peccatum Adæ non eſt in nobis niſi per imputationem; ergo nec juſtitia niſi per imputationem juſtitiæ Chriſti, quam nobis applicamus per fidem in illum.

Reſp. quidquid ſit de minori, de qua diximus aliàs, cùm de peccato originali ageremus, diſt. maj. ſicut, &c. per aliquam analogiam, con. per omnimodam paritatem, neg. maj. nec enim id prætendit Apoſtolus, vult tantum, quòd ſicut peccatum originale, quo maculamur, derivatur à peccato Adæ, quod fuit cauſa noſtrorum; ita noſtra juſtitia derivatur à juſtitia Chriſti, ſed non eodem modo; nos enim peccavimus

[1] *l.de ſpir.S.* [2] *ſeſſ.6.c.7.*
[3] *Rom. 5.*

vimus in Adam, & cum Adam, in cujus voluntate continebantur noſtræ, & ideò illud peccatum fuit nobis aliquo modo voluntarium; non ita eſt de juſtitia, & merito Chriſti, quod in eo ſolo eſt, & cujus intuitu juſtitia nobis infunditur.

Locus de Abraham ſignificat tantùm, quod fides in Chriſtum in adultis eſt quædam diſpoſitio neceſſaria ad gratiam juſtificantem; imò ſicut fides Abrahæ non fuit purè extrinſeca, nec gratia, quæ illi data eſt, ita & in nobis neutra eſt extrinſeca.

Alia objiciunt hæretici, quæ facilè per hæc ſolventur.

Igitur conſtat, quòd gratia juſtificans eſt qualitas inhærens animæ, & quidem 1. *ſupernaturalis*, ut patebit ex dicendis de cauſa ejus efficiente.

Item *emundans animam à peccato*; in eo enim conſiſtit effectus ejus primarius, & patebit ex dicendis de effectibus hujus gratiæ.

Denique *efficiens hominem Deo gratum, & amicum*, qui ſunt alii effectus ejus, de quibus etiam dicemus infra.

CONCLUSIO III.

Gratia ſanctificans deſcribi poteſt qualitas ſupernaturalis animæ diviniùs infuſa, quâ efficitur Deo grata, & dilecta in ordine ad vitam æternam, & ipſa inclinatur ad rectè operandum in ordine ad eundem finem.

Prob. 1. ex Scoto [1] ſic deſcribente charitatem, & gratiam ſecundum diverſos reſpectus, ſecundum quos dicit eas diſtingui. *Charitas dicitur, quâ habens eam habet Deum charum, ita quod reſpicit Deum non in ratione diligentis, ſed in ratione diligibilis. Gratia* (autem) *eſt, quâ Deus habet aliquem gratum, ita quòd ipſa reſpicit Deum acceptantem, ſeu diligentem, non autem dilectum.* (Hoc facit in ratione charitatis) & ulterius docet, quod gratia non dicitur *id omne, propter quod Deus diligit; quia tunc eſſentia divina in filio poſſet dici gratia, quia propter eam diligit filium; ſed* dicitur *illud, propter quod Deus acceptat habentem, ut dignum beatitudine*, ſc. *dignitate, quæ eſt in correſpondentia*

[1] 2. *d*.27.*q*.4.

meriti ad præmium, *illud dicitur gratia*. vides ergò noſtram deſcriptionem in ſubſtantia eſſe ſatis conformem doctrinæ Scoti.

Prob. 2. nam ſic explicatur quidditas gratiæ ſecundum entitatem ejus phyſicam, & moralem, & ſecundum principales effectus ejus. dicitur 1. *qualitas ſupernaturalis*, quod ponitur loco generis; nam ſic convenit cum aliis donis, & virtutibus per ſe infuſis.

2. *Animæ divinitus infuſa*. Et per hoc jam incipit differre à corporis dotibus, & anima ſumitur realiter, & adæquatè ſecundum ſuam ſubſtantiam, & potentias.

3. *Qua efficitur Deo grata*, *&* *dilecta*; & in hoc eſt ſpecifica ejus differentia non ſolùm à fide, & ſpe, ſed etiam à charitate ipſa, quæ reſpicit Deum, ut diligibilem.

4. Addidi, *inclinat ad operandum*, &c. Ut ſignificarem gratiam non eſſe habitum purè otioſum; quod patebit ex dicendis.

QUÆSTIO II.

An, *&* *quomodo hæc gratia diſtinguatur à charitate*.

SUppono ex dicendis ſuo loco, per ſacramentum baptiſmi non ſolùm animam ſanctificari per remiſſionem peccatorum, ſed etiam ſimul infundi in eam habitus fidei, ſpei, & charitatis; ideò quæritur, an ipſa gratia ſanctificans ſit habitus diſtinctus ab habitu prædictæ charitatis.

CONCLUSIO I.

GRatia gratum faciens non diſtinguitur realiter ab habitu charitatis; *ſed tantum formaliter ex natura rei*, *&* *penes diverſa connotata*. Eſt Scotiſtarum, & aliorum contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Poteſt teneri opinio magiſtri* ... *quod Spiritus S. non per alium habitum diſtinctum a charitate movet voluntatem ad diligendum Deum meritoriè*, *&* *diſtinctum ab illo habitu*, *quo animam* *ha-*

[1] 2. *d.* 27. *n.* 3.

inhabitat, qui eſt gratia, & ipſa eſt charitas, &c.... ſic ergo poſſumus concedere, quod licet idem abſolutum ſit in anima, per quod anima diligit Deum, ut obiectum, & per quod anima acceptatur ſpeciali acceptatione à Deo, & ordinatur ad beatitudinem: (Vides aſſertam identitatem, audi diſtinctionem) *Tamen alia, & alia ratio eſt in iſto abſoluto, in quantum ſic, & ſic reſpicit Deum.... & ſic omnis gratia eſt charitas, & tamen ſunt diſtinctæ ab invicem formaliter .... differunt etiam ratione connotati*, &c. Ecce totam concluſionem in Scoto.

Prob. 1. quoad 1. par. Quæ habent eaſdem proprietates habent eandem realiter eſſentiam; ſed gratia, & charitas habent eaſdem proprietates; ergo & eandem eſſentiam. Prob. min. diſcurrendo per ſingulas. 1. utraque eſt cauſa formalis juſtificationis expellens formaliter peccatum mortale. Nam, inquit Concil. Trid. [1] *in hac juſtificatione id fit.... dum per Spiritum S. charitas diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Et dixerat eandem fieri *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. 2. Utraque facit hominem de inimico amicum. Nam ipſa charitas, ſicut & gratia iſta eſt formalis amicitia cum Deo. [2] *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et ut docet Auguſt. [3] *dilectio*, ſeu charitas, *diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli... qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo.* 3. Utraque eſt principium meriti, & facit, ut opera ex eo facta ſint meritoria. Et ſicut in ſtatu peccati opera hominis ſunt mortua, & in ſtatu gratiæ ſunt *actus vivi membri*, ut loquitur Trident. [4] ita eſt de charitate. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis... & in oratione exaudietur.* 4. Utraque transfert hominem de regno diaboli in regnum Dei. Nam per gratiam *dignos nos facit in partem ſortis ſanctorum* (Deus Pater) *in lumine, & eripit nos de poteſtate tenebrarum.* Ita & charitas diſtinguit nos à filiis diaboli, & facit nos filios Dei. *Nullum eſt iſto Dei dono excellentius, ſolum eſt, quod dividit inter filios regni æterni, & filios æternæ perditionis*; ait Auguſt. [5]

5. Utraque vivificat animam, [6] tollit utraque pec-

H 5 catum

[1] *ſeſſ. 6. cap. 7.* [2] 1. *Jo. 4.* [3] *Ibid. tr. 4.*
[4] *can. 33.* [5] 15. *tr.* 18. [6] 1. *Pe. 2.*

catum, quod eſt mors animæ, ut per grattiam *peccatis mortui juſtitiæ vivamus*. Ita & per charitatem, nam [1] *translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. qui non diligit, manet in morte*.

6. Denique utraque nos facit Dei filios, nam ſicut per gratiam Chriſtus dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri: ſic per charitatem. [2] *Videte, qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus*; ergo eædem ſunt proprietates gratiæ habitualis, & charitatis.

Prob. 3. ex Patribus. Nam ex Auguſt. [3] *ipſa charitas eſt veriſſima, & pleniſſima, perfectiſſimaque juſtitia*; eſt illa veſtis nuptialis, ſine qua non admittimur ad epulas nuptiales; ſicut nec ſine gratia. *Quid intelligere debemus per veſtem nuptialem, niſi charitatem?* Ait Gregor. [4] *ſed cum nuptiali veſte non venit, ſi charitatis gratiam non cuſtodit*. Vides charitatem cum gratia confundi, &c. ergo ex Patribus gratia, & charitas ſunt idem realiter habitus.

Prob. 4. quia non poſſunt ſeparari realiter: ergo realiter idem habitus. Prob. ant. quia ſi poſſent ſeparari, idem homo poſſet ſalvari, & damnari; ſalvaretur, quia eſſet ſine peccato, & in gratia ſanctificante; non poſſet ſalvari, ſed damnaretur, quia eſſet ſine charitate, ſine qua nulla virtus homini prodeſt, ex Apoſtolo.

Prob. denique, nam ſufficit unus, & idem habitus ad omnia, quæ fieri poſſent, vel dicuntur fieri per duos illos, qui dicuntur gratia juſtificans, & charitas habitualis; ergo non ſunt plures habitus, non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Prob. ant. nam ex dictis, & de facto omnia, quæ tribuuntur uni, tribuuntur alteri, tum in ſcriptura, tum à SS. Patribus.

Prob. 2. p. ex Scoto cit. [5] nam gratia eſt ille habitus, quo conſideratur homo, ut gratus Deo, & reſpicit Deum, ut condonantem, reconciliantem, & diligentem, & charitas eſt habitus, quo conſideratur homo, ut diligens, & Deus, ut diligiblis; ergo diſtinguuntur per diverſas formalitates, & connotata

Con-

[1] 1. *Jo.* 3. [2] *Jo.* 1. 1. *q.* 3.
[3] *de nat. & gra.* 42. [4] *ho.* 38. *Euang.*
[5] *Ibid.*

Confir. nam charitas prædicatur de Deo formaliter, & in recto, non ita eſt de gratia. Dicitur, Deus charitas eſt, quod non legimus ita dictum de gratia; ergo &c.

Objic. 1. ex Conciliis. Gratia diſtinguitur à virtutibus, & ipſa non eſt virtus; ſed charitas eſt virtus; ergo diſtinguitur à gratia. Prob.maj. ex Concilio Viennenſi dicente, quod per baptiſmum conferuntur gratia informans, & virtutes. Et Tridentinum docet Juſtificationem fieri per infuſionem gratiæ, & donorum; ergo diſtinguunt gratiam à virtutibus.

Reſp.diſt.maj.ab aliquibus virtutibus, con. ab omnibus, & ipſa non eſt virtus, neg. maj. & conſ. gratia diſtinguitur à fide, & ſpe, & à virtutibus moralibus, non autem à charitate, ut probatum eſt; licet iſta ſit virtus, & quoad hanc denominationem diſtingui poſſet à virtute, ſed non in entitate ſua.

Objic.2. ex Script. prius eſt gratiam infundi, quàm virtutes, & ipſam charitatem; ergo gratia, & charitas realiter diſtinguuntur. Prob. ant. ex Scriptura. *Charitas Dei diffunditur per Spiritum S. qui datus eſt nobis;* ergo priùs datur gratia, & Spiritus S. quam diffundatur charitas.

Reſpond.neg. ant.& diſt. prob. priùs datur gratia actualis excitans, vel adjuvans, aut gratia fidei, con. gratia habitualis. neg.conſ. quia ibi, & alibi nomine Spiritus ſancti intelligitur quælibet gratia, & quodlibet donum Dei, quæ tribuuntur Spiritui ſancto, & ejus nomine ſignificantur.

Inſt. charitas eſt fructus gratiæ; nam dicitur, fructus ſpiritus eſt charitas, & idem Apoſtolus utramque diſtinguit. Gratia Domini noſtri J. C.& charitas Dei; ergo ab invicem diſtinguuntur gratia, & charitas.

Reſp.diſt.conſ.gratia actualis, & charitas, con. gratia habitualis, neg. conſ. nam nomine ſpiritus in primo illo textu, & gratia in 2. ſumuntur pro gratia actuali, à qua ſunt bona alia opera, ſicut & opera charitatis,, v. g. *gaudium, pax, patientia*, &c. Quæ numerantur inter fructus Spiritus S.

Inſt.2. prius eſt animam diligi à Deo, quàm diligere Deum, nam *ipſe prior dilexit nos*; ergo & prius eſt nos eſſe in gratia, per quam diligimur à Deo, quàm habere charitatem, qua diligimus Deum.

Reſpondeo diſt. ant. prius eſt animam diligi à Deo, id. recipere gratiam habitualem, quæ eſt effectus dilectionis activæ Dei, quàm anima eliciat ex illa dilectione actum, & quidem proprietate connotationis, & intelligentiæ, con. prius eſt animam recipere objectum formale dilectionis paſſivæ, qua à Deo diligitur, quàm principium dilectionis activæ, qua Deum diligat, & prioritate exiſtentiæ, neg. ant. & conſ. nam eadem gratia, & habitus charitatis, quem Deus infundit animæ ex amore, quo eam diligit, eſt in illa principium, quo Deum diligit.

Inſt. 3. ex Auguſt. (1) gratia prævenit charitatem, & juſtitia, qua juſti efficimur, diſtinguitur à charitate, qua Deus [2] *facit nos dilectores*; ergo prioritas illa, & poſterioritas ſunt reales, & inferunt diſtinctionem realem gratiæ à charitate.

Reſpondeo diſt. ant. gratia actualis, con. habitualis, neg. ant. nam in priori loco, & toto libro illo de prædeſtinatione SS. loquitur de gratia actuali præveniente, à qua eſt initium æquè, ac complementum fidei, & juſtificationis. Idem eſt de 2. in quo agit de eadem gratia, qua movemur ad juſtitiam, & cujus ope ad illam pervenimus.

Objicies 3. quod dat eſſe, diſtinguitur realiter ab eo, quod dat operari: nam natura diſtinguitur realiter à ſui potentiis, quæ ſunt illi principia immediata operandi: nam ſolius Dei eſt operari per eſſentiam; & operari ſequitur eſſe, & eſſe pertinet ad actum primũ, operari verò ad actum 2. ſed gratia dat eſſe ſupernaturale, & divinum animæ, & charitas dat illi operari; ergo gratia diſtinguitur realiter à charitate.

Reſpondeo ex dictis in philoſophia, neg. maj. & rationes ejus, ſaltem de diſtinctione reali; nam ibi oſtendimus animam rationalem realiter identificari cum ſuis potentiis; & formam ſubſtantialem, per quam compoſitum ſubſtantiale conſtituitur, eſſe etiam operativam. Et quamvis id admitteremus de formis ſubſtantialibus, non tamen cogeremur id dicere de accidentalibus, qualis eſt gratia reſpectu animæ: & tam per charitatem habitualem, quam per gratiam

ſimus

[1] 1. *præd. ſanct.* 2.
[2] *de ſpir. & lit.* 32.

ſimus conſortes divinæ naturæ in eo omni ſenſu, quo id dici poteſt.

Inſt. charitas non poteſt eſſe prima forma dans eſſe ſupernaturale, quo efficimur conſortes divinæ naturæ; ſed hoc præſtatur per gratiam habitualem; ergo hæc diſtinguitur realiter ab illa. Prob. maj. omnis forma immediate operativa præſupponit aliam priorem, quæ ſit radicaliter tantùm, & mediatè operativa, ſicut voluntas præſupponit intellectum, & iſte animam; ſed charitas eſt forma immediatè operativa dilectionis, & gratia eſt radicaliter operativa; ergo illa præſupponit iſtam.

Reſp. neg. maj. utriuſque argumenti, cujus falſitas patet ex dictis de identitate reali animæ cum ſuis potentiis.

Objic. 4. quæ habent diverſa realiter ſubjecta, diſtinguuntur etiam realiter; ſed gratia, & charitas habent diverſa realiter ſubjecta; nam gratia eſt in eſſentia animæ, & charitas in voluntate; ergo &c.

Reſp. neg. min. tum quia animæ eſſentia, & voluntas non ſunt ſubjecta realiter diſtincta, ut dicebamus, tum quia utraque eſt in voluntate, ut patebit ſuo loco.

Objic. denique, charitas inclinat animam ad Deum diligendum, ut finem ultimum; ergo ſupponit naturam aliquam, à qua velut à radice emanet talis inclinatio, & proprietas ejus; ſed illa radix non poteſt eſſe aliud, quam ipſa gratia; ergo charitas ſupponit gratiam, & ab ea diſtinguitur.

Reſp. neg. min. nam ipſa ſubſtantia animæ, ac voluntatis ſuſcipit illam inclinationem, quæ quidem non eſt illi naturalis, nec proprietas 4. modo, ſed ſupernaturalis, & adventitia; nec requiritur alia radix talis inclinationis præter ipſam entitatem habitus charitatis, quæ eſt ipſa gratia. Præterea negari poſſet ult. conſ. nam ea emanatio non argueret niſi diſtinctionem formalem, non autem realem; ſicut nec emanatio riſibilis à rationali.

QUÆSTIO III.

De ſubjecto gratiæ habitualis. An immediatè ſubjectetur in voluntate, vel in eſſentia animæ.

HÆC tria ſunt in anima, inquit Auguſt. [1] memoria, intelligentia, & voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ, ſed una vita, nec tres mentes, ſed una mens; conſequenter nec tres ſubſtantiæ, ſed una ſubſtantia: & ideò diximus animæ ſubſtantiam non diſtingui realiter ab animæ potentiis, ſed ſolum formaliter ex natura rei, & ideò licet realiter loquendo, habitus gratiæ, ac virtutum omnium dici poſſint ſubjectari in ipſa ſubſtantia animæ materialiter ſpectata, tamen ſicut quælibet ejus potentiarum ſuos habent proprios actus, ita & ſuos habitus, qui prout ſingulas potentias afficiunt, & juvant ad proprios illos actus, ita & in ſigulis formaliter conſideratis reſident, prout ab invicem, & ab animæ ſubſtantia diſtinguuntur. Ideò querimus, an gratia habitualis ſub conceptu præciſo gratiæ ſubjectetur in ſubſtantia animæ, an verò in aliqua ejus facultate formaliter ſpectata, & prout ab ea diſtinguitur.

CONCLUSIO.

G*Ratia immediate ſubjectatur in voluntate, & mediatè tantùm in anima*. Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas.

Prob. 1. p. ex Scoto: [1] Tum quia docet eam eſſe eundem habitum cum charitate, debet etiam dicere illam eſſe in voluntate, ſicut eſt charitas: tum quia id expreſſè docet alibi, quia inquit poſt Philoſophum, *omnis habitus eſt in potentia, quia opus habentis reddit bonum*. Et infra, [2] quia *cum gratia ſit realiter cum gloria, vel per ſe ſit diſpoſitio ad eam, ſequitur, quod per ſe ſit in eodem ſubjecto, in quo eſt beatitudo*. Beatitudo autem non eſt per ſe in eſſentia, ſed in potentia; ergo &c. Et per ipſum beatitudo conſiſtit principaliter, & eſſentialiter in fruitione, ſeu amore. *Concedi poteſt concin-*

[1] 2. *d.*26.*A*.4.
[2] *Ibid*.B.5.

concluſio iſtarum rationum, quia iſte habitus... perficit potentiam animæ, & determinatam, ſc. voluntatem, &c.

Prob.2. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus; [1] *gratia ſe habet ad liberum arbitrium, ſicut ſeſſor ad equum.* Liberum autem arbitrium eſt ipſa voluntas. Et ex Anſelmo,[2] quem citat Doctor, *Omnis juſtitia, & injuſtitia eſt in voluntate*: Sed gratia eſt quædam juſtitia formalis, & rectitudo; ergo eſt in voluntate.

Prob. 3. nam gratia, & charitas ſunt iidem habitus; ſed charitas eſt in voluntate, ergo & gratia. Maj. patet ex dictis, & min. admittitur ab omnibus.

Prob. 4. ex dictis de beatitudine, quod ſc. conſiſtat in amore fruitionis, & per conſequens in actu voluntatis; nam in eodem ſubjecto immediatè eſt diſpoſitio ad formam aliquam, in quo eſt ipſa forma; ſed gratia eſt diſpoſitio ad beatitudinem, hæc eſt in voluntate; ergo & gratia.

Prob. 5. gratia eſt principium actus meritorii, & in illa potentia debet immediatè recipi, quam debet perficere ad illam operationem; ſed illa operatio actus meritorii eſt à voluntate, ergo & gratia eſt in voluntate, ut eam perficiat, & elevet ad tales operationes. Prob. min. nam de ratione actus meritorii eſt, ut ſit liber, & ſit ex charitate, ergo ſicut libertas eſt in voluntate, & non in eſſentia animæ, ita & gratia, ut eſt principium meriti.

Prob.3.p. Tum quia ipſa voluntas eſt in anima, ut proprietas, ſeu facultas ejus, & cum illa realiter identificatur: tum quia per gratiam dicitur anima ſanctificari ita, ut ſit ſubjectum denominationis ejus principale; ergo gratia eſt in anima ſaltem mediatè: nec de hoc diſſentiunt adverſarii, qui volunt animam eſſe ſubjectum immediatum gratiæ.

Objicies 1. ex Scriptura. *Charitas diffunditur in cordibus noſtris*: ſed nomine cordis intelligitur anima; ergo charitas ipſa ſubjectatur in anima, non in voluntate.

Reſp. diſt. conſ. in anima mediatè, & adæquatè ſumpta, con: in anima immediatè, & formaliter ſumpta, & inadæquatè ſumpta, prout diſtinguitur à ſuis

[1] *ſer.12.de ver.Apoſt.*
[2] *de con.virgi.3.*

ſuis potentiis, neg. conſ. poſſet etiam negari minor, loquendo de anima formaliter, & inadæquatè, pro ut diſtinguitur à ſuis potentiis, nam vox [*cordis*) ſumitur etiam ſæpiſſime pro quacumque animæ facultate: ut diſcurrenti patebit facilè, v. g. cum dicitur; *nec in cor hominis aſcendit*, loquitur de intellectu, vel imaginatione. item, *dixit inſipiens in corde ſuo*, item, *confitebor in toto corde meo*, &c. &, *præparationem cordis eorum audivit auris tua*, &, *deſiderium cordis*, &, *tranſierunt in affectum cordis*, &, *inflammatum eſt cor meum*, &, *in ipſo ſperavit cor meum*, &c. imo & nomen ipſum animæ uſurpatur etiam pro ipſis potentiis. *Concupivit anima mea deſiderare* &c. &, *ſitivit anima mea*, &c.

Reſp. 1. Hunc locum Pauli facere pro nobis: nam ipſi adverſarii concedunt charitatem ſubjectari in voluntate; ergo & gratia.

Inſt. Accidentia recipiuntur in ſubſtantia, non in accidentibus; ſed gratia eſt accidens, & anima eſt ſubſtantia, & potentiæ ſunt quaſi accidentia; ergo gratia eſt immediatè in anima.

Reſp. neg. min. falſum enim eſt, quod potentiæ animæ ſint accidentia, ut patet ex Philoſophia.

Reſp. 2. neg. maj. nam ſic dicendum eſſet alios habitus, v. g. charitatis, fidei, & ſpei, recipi immediatè in ſubſtantia animæ. Sic utraque præmiſſa eſt falſa, nam ſi potentiæ ſint accidentia; ergo ſubjectant immediatè alia accidentia, ſc. habitus illos.

Objic. 2. Quod eſt magis indeterminatum, magis eget forma determinante; ſed ſubſtantia animæ eſt magis indeterminata, quàm voluntas, quæ eſt determinata ad actus ſuos; ergo in illa debet recipi gratia, per quam determinetur ad eſſe, & operari.

Reſp. diſt. min. eſſentia animæ eſt magis indeterminata in ratione operativi immediati, con. mediatè, neg. min. & conſ. nam gratia non debet determinare immediatè niſi potētiam, quæ debet operari immediatè, & proximè, anima verò non debet operari niſi per potentias.

Inſt. Forma determinans ad operari debet eſſe in principali agente, priuſquam in inſtrumento agentis: ſed anima eſt principale agens, & potentia, ſeu voluntas eſt velut inſtrumentum; ergo &c.

Reſp.

Reſp. diſt.maj. quam in inſtrumento ſeparato, & diſtincto realiter à principali agente,con. quàm in inſtrumento conjuncto, intrinſeco, & realiter identificato agenti principali, neg. maj. & conſ. nam potentiæ animæ, ut voluntas, realiter idem ſunt cum anima. Præterea argumentum nimis probaret, nam ſic virtutes fidei, ſpei, & charitatis ob eandem rationem deberent ſubjectari in eſſentia animæ, non verò in potentiis; quod eſt contra ipſos adverſarios.

Inſt. 2. Habitus,qui ſunt immediatè in potentiis,ordinantur ad ſolos actus talium potentiarum; ſed gratia non ordinatur ad ſolos actus voluntatis; ergo non eſt immediate in ſola voluntate. prob.min. nam gratia habitualis concurrit ad actus fidei, ſpei, & virtutum moralium æque, ac ad actus charitatis; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. ad ſolos actus potentiarum eliciendos, con. ad actus imperandos, neg. maj. & ſic diſt. min. gratia (idem eſt de charitate) non ordinatur ad ſolos actus voluntatis imperandos, con. eliciendos, neg. min. & conſ. charitas ipſa, licèt ordinetur ad ſolos actus amoris, & per conſequens voluntatis eliciendos, tamen imperat etiam actus intellectus, v. g. actus fidei, & prudentiæ, &c. ſic gratia movet voluntatem, ut imperet aliis potentiis actus ſuos.

Objic. 3. Forma,quæ ſemper habet actum ſuum,debet eſſe in ſubjecto, quod etiam ſemper ſit in actu ſuo; ſed gratia ſemper habet actum ſuum, & ſola anima eſt ſemper in ſuo actu, nam voluntas non ſemper eſt in actu volendi: ergo gratia debet eſſe in ſola anima. prob. min. nam gratia ſemper eſt in actu gratam faciendi animam.

Reſp.diſt. min. gratia ſemper eſt in actu ſuo formali, con. in actu elicito, neg. min. & conſ. nam efficere gratum eſt effectus formalis gratię, non effectivus, ſeu elicitus; ſicut effectus formalis albedinis eſt facere album, ſed non ſemper producit actus meritorios activè, ſeu elicitivè, nec ſemper eos imperat, licet ſemper faciat hominem Deo gratum, qui eſt effectus ejus formalis.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An, & quo ſenſu gratia dicatur participatio naturæ divinæ.

HAbemus ex Scriptura [1]quod per dona Dei *efficiamur divinæ conſortes naturæ*,& quod aliquo ſenſu dii ſumus. [2] *Ego dixi, dii eſtis, & filii excelſi omnes*, & Scotus docet [3] Deum dare poſſe aliquam formam Deiformem creaturæ, quam habens ſpecialiter diligatur, & opus ejus, ad quod ipſa inclinat... ſpecialiter acceptum ſit.

Porrò participatio illa eſt vel *phyſica*, prout entitas gratię ex natura ſua, & phyſicè conſiderata eſt aliqua participatio excellentiæ, & ſanctitatis divinæ, independenter ab ulla elevatione,aut deſtinatione per voluntatem Dei extrinſecam: vel *moralis*, prout ex inſtitutione divina habens gratiam diſponitur, & elevatur ad jus aliquod ad viſionem, & fruitionem Dei, vel ad operationes ſimiles operationibus divinis; v. g. lux aeris participat phyſicè de luce ignis, & ſolis,quia id habet ex natura ſua à parte rei, & independenter ab ulla ordinatione ſpeciali humana, vel divina, ut illuminet objecta.

Certum eſt quidem, quòd gratia, ſicut & aliæ omnes creaturæ, in genere entis, & in ſuo gradu eſt quædam participatio divini eſſe, & quidem phyſicè; nec in hoc ſenſu agitatur hæc quæſtio; non enim eſt ens independens, nec à ſe, ſed.ens participatum, ſicut & omnis creatura, & aliud omne ens extra Deum. Quæſtio ergo procedit de quadam participatione ſpeciali perfectionum divinarum, v.g. ſanctitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, filiationis, &c. & quæritur, an ex ſua entitate phyſica nobis communicet illas perfectiones; an verò id præſtet ex ordinatione voluntatis ejus, qua ſtatuit, ut cui largitur entitatem illam, participet de illis perfectionibus.

CON·

[1] 2. *Pe.* 1. [2] *Pſ.* 8. [3] *Quodl.* 7.5.

CONCLUSIO I.

Gratia habitualis ex natura ſua phyſica non eſt participatio ſpecialis, & ſupernaturalis naturæ divinæ, ſed tantum moraliter. Eſt Scotiſtarum, & aliorum magis communiter.

Prob.1.ex Scoto cit.[1] Nam ibi docet, quòd *gratia dicitur forma Deiformis, qua fit, ut eam habens ſpecialiter diligatur, & opera, ad quæ inclinat, & quæ ex illa fiunt, ſpecialiter acceptentur*. Et magis patebit eius mens quoad hoc ex dicendis de effectibus ejus, & de oppoſitione ejus cum peccato, &c. nam ſi hæc non habeat gratia ex ſe phyſicè, ſed ex ordinatione, & pacto divino, multò minùs habebit iſtud.

Prob.2. ex cit. loco Divi Petri, non enim hoc dicit de ſola gratia habituali, ſed de omnibus aliis donis, quòd per illa efficiamur divinæ conſortes naturæ. *Quomodo omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria, & virtute, per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*. Item oſtendit, in quo conſiſtat illa participatio, & quomodo acquiratur, ſc. per imitationem ſanctitatis ejus, ſeu *fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*; ergo illa participatio naturæ Dei, quam tribuit nobis gratia, conſiſtit in hoc, quod inclinat nos ad imitandum illum in moribus noſtris per fugam peccati, & per opera ſanctitatis.

Confir. ex eo, quod dicit Joannes. *Omnis, qui facit juſtitiam, ex Deo natus eſt*: qui autem ex Deo naſcitur, participat ejus naturam; ergo participatio Deitatis, quam tribuit gratia, conſiſtit in eo, quod nos facit imitari mores Dei, & juſtitiam ejus; ſed hoc non facit per ſuam entitatem phyſicam, ſed moraliter nos inclinando, & juvando ad illa opera: ſicut cùm dicit Chriſtus, *Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filii patris veſtri*, ſc. per imitationem.

Aliter etiam dat filiationem, ut videbimus, ſc. ex adoptione, & per conſequens moraliter, non phyſicè; ſed de hoc infra.

Prob.

[1] *Ibid*.

Prob. 3. Nam ſi gratia ex ſe phyſicè daret participationem naturæ divinæ, daret etiam ceteras perfectiones, & iſtæ non darentur ſine illa; ſed hæc præcisè, & per ſe phyſicè non dat gratia; ergo nec illam: patet maj. nam qui habet, aut participat naturam, quæ eſt radix omnium pooprietatum, & virtutum divinarum, habet & iſtas, nec iſtas poteſt habere ſine illa, ſicut non poteſt haberi riſibilitas ſine rationalitate, vel humanitate. prob. min. tum quia non implicat haberi gratiam ſine donis ſpei, & fidei, & de facto habentur hæc dona ſine gratia, ut patet de peccatore, qui non amittit fidem per peccatum mortale, & in cœlo erit gratia ſine fide, & ſpe; ergo gratia per ſe phyſicè nō tribuit alias virtutes divinas.

Confir. Nam ſi gratia de ſe phyſicè communicaret alia prædicata naturæ divinæ, ſicut lux aeris participat in prędicatis lucis ſolaris, participaremus in illis phyſicè, & ſecluſo omni favore extrinſeco, ſicut aer participat de ipſa luce, ſeu de natura lucis: ſed non participamus in prędicatis naturę divinę per receptionē gratię, ſaltem phyſicè, & ſecluſo favore Dei extrinſeco; ergo nec de ipſa natura: prob. min. nam ut dicemus Concilium Tridentinum loquens de juſtificatione per gratiam non excludit favorem Dei extrinſecum, ſed potiùs includit: vetatque ſolùm, ne dicatur gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei.

Prob. 4. ex principiis Thomiſtarum. Iſti negant poſſibilem ſpeciem impreſſam Deitatis repræſentativam, quia deberet habere vim repræſentativam infinitam extenſivè; ſed eadem ratio militat contra participationem phyſicam ejuſdem Deitatis; ergo tam iſta eſt impoſſibilis, quàm illa. prob. min. natura divina non minùs eſt infinita extenſivè quoad participari, quam quoad repræſentari; ergo ſi propter infinitatem repræſentabilitatis non eſt poſſibilis ſpecies impreſſa Deitatis, ita nec participatio phyſica ejuſdem per gratiam. prob. denique, nam Deitas infinitè excedit omnem creaturam; ergo eſt phyſicè inimitabilis, & imparticipabilis.

Prob. 2. p. nam participatio poſſibilis naturæ Dei in homine conſiſtit in unione ejus cum illo in ſimilitudine aliqua morum, & actuum ejus, in jure, quod illi conceditur ad hæreditatem, ad viſionem intui-

intuitivam eſſentiæ, quam *videbimus, ſicuti eſt, & tunc ſimiles ei erimus*, in filiatione ejus adoptiva, &c. ſed hæc omnia præſtat gratia moraliter, & ex Dei voluntate extrinſeca, ut videbimus de ſingulis; ergo tota participatio illa eſt moralis effectus gratiæ. maj. patet ex Scriptura. *Qui adhæret Deo, unus eſt ſpiritus*, unitate morali charitatis, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Hæc inquam non intelliguntur de unitate, & immanentia phyſica, ſed morali; ergo &c.

Objic. 1. Omnis forma phyſica, & ſupernaturalis debet participare phyſicè aliquam perfectionem divinam ſibi proportionatam; ſed gratia eſt forma phyſica, & radix omnium aliarum formarum ſupernaturalium, ſicut natura divina eſt radix omnium perfectionum divinarum; ergo gratia eſt participatio naturæ divinæ.

Reſp. diſt. maj. eo modo, quo illa perfectio divina eſt participabilis, con. ſi illa ſit imparticipabilis phyſicè, neg. maj. & min. nam 1. deitas non eſt phyſicè participabilis, ut oſtenſum eſt, niſi ſecundum prædicata aliqua tranſcendentia, & metaphyſicè, quod non eſt proprium formis ſupernaturalibus magis, quàm naturalibus, omnia participant de ente Dei, aliqua de ratione ſubſtantiæ, aliqua de ratione, & gradu vitę, alia de gradu vitę intellectualis; ſed de ratione formali deitatis nulla creatura participare poteſt, nequidem gratia participat de gradu ſubſtantiæ divinæ, cum ipſa ſit accidens. 2. falſum etiam eſt, quòd gratia ſit primum, & radix omnium aliorum donorum ob rationes allatas, & quia non diſtinguitur à virtute charitatis.

Inſt. per gratiam homo participat de amicitia Dei, & fit amicus Dei, & vera amicitia ſtatuitur inter Deū, & hominem; ſed hoc non poteſt fieri niſi per phyſicā participationem naturæ Dei; ergo &c. Prob. min. nam *amicitia pares facit, aut invenit*, eſt inter æquales; ſed paritas, vel æqualitas non poteſt fundari niſi in unitate, ſeu participatione phyſica naturarum; ergo &c.

Reſp. neg. min. 1. ar. & diſt. maj. 2. æquales, ſeu pares morali aliquo nexu, & ſimilitudine, & convenientia, con. paritate phyſica, neg. maj. & min. & certè 1. non implicat Deum amare creaturam amore amicitiæ ſine infuſione interioris gratiæ. 2. ſimilitudo, & con-

& convenientia, & unitas, quæ eſt inter juſtos, & Deum, eſt moralis, & de gratia dicitur ſub nomine ſapientiæ, quod *infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt* (per actus virtutum) *participes facti ſunt amicitiæ Dei*, &c.

Objic. 2. natura parentum communicatur per generationem, qua fiunt filii eorum; ſed per gratiam homo fit Dei filius, & generatur in Deo; ergo per gratiam communicatur Dei natura. Prob. min. ex Script. [1] *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt* Et, *qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum*: Sed horum textuum propria veritas non ſalvatur per nativitatem moralem, aut per participationem moralis rectitudinis Dei; hæc enim non dat participationem naturæ, quæ neceſſaria eſt, & ſignificatur per nativitatem, & filiationem; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. per generationem naturalem, & phyſicam, con. per generationem moralem, & ſpiritualem, neg. maj. per hanc communicatur Spiritus, mores, ſanctitas, ſicut per illam communicatur natura, & ſubſtantia, per utramque contrahitur filiatio, ſed diverſa. Per naturalem generationem contrahitur filiatio naturalis, per ſpiritualem, & moralem filiatio ſpiritualis, & moralis. De his dicitur, *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*: &, *ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*, inquit Apoſtolus. Filiatio hæc colligitur ex imitatione ſpiritus, & morum.

Inſt. imitatio illa ſpiritus, & morum venire non poteſt niſi ex participatione aliqua reali naturæ; ergo gratia, per quam homo imitatur mores Dei, eſt participatio ejus naturæ. Prob. ant. operationes ſimiles nō poſſunt venire niſi à ſimili principio; ergo & à ſimili natura; ergo gratia, quæ dat homini ſimiles operationes divinis, dat ſimilem naturam. Prob. ant. ex Patribus. Nam inquit S. Cyrillus, [2] *eandem operationem connaturaliter habentes cum Deo, neceſſe eſt eſſe ejuſdem naturæ*, & ut docet S. Dionyſ. [3] *unuſquiſque ſolum agit, quæ ſubſtantiæ, ſtatuſque ſui ſunt*.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. à ſimili principio moraliter, aut phyſicè, con. ſimili phyſicè, neg. ant. & conſ. & ita intelligendi ſunt Patres, & ipſa Scriptura, cum dicit

[1] *Jo. 1.* [2] *2. Theſ. 2.*
[3] *Eccle. Hierar. 2.*

dicit nos filios eorum, quos imitamur. Sic cùm Chriſtus dicebat Judæis, *vos ex patre diabolo eſtis*, & de Juda, *unus ex vobis diabolus eſt*, nolebat hoc intelligi de phyſica participatione naturæ diaboli, ſed de morali per imitationem malitiæ. Ideò addit rationem Chriſtus. [1] *Vos facitis opera patris veſtri.... & deſideria patris veſtri vultis facere*, & Judas dicitur diabolus non natura, ſed moribus, hic enim erat traditurus eum.

Inſt. delectatio orta ex operatione arguit connaturalitatem ejus; ergo delectatio, quam dat gratia in operationibus ſimilibus divinis, venit ex connaturalitate ſeu participatione ejuſdem naturæ, qua ſic inclinatur homo. Prob. ant. connaturalitas operationis eſt conformitas ejus ad naturam agentis; ergo hoc ipſo, quod gratia facit, ut operationes bonæ, quibus homo imitatur Deum, ſint ſibi connaturales, ita & facit, quod homo participet naturam Dei.

Reſp. neg. ant. nam operationes ortæ ex gratia actuali etiam fiunt delectabiliter, & hæc delectatio orta ex talibus actibus venit ab illa gratia, & tamen nullus prætendit hanc gratiam eſſe veram, & phyſicam naturæ divinæ participationem; ergo ſicut Deus dat illi gratiæ, aut per illam gratiam actualem agere condelectabiliter opera dilectionis abſque communicatione phyſica naturæ ſuæ, ita & idem præſtate poteſt per gratiam habitualem. Ideò

Reſp. 2. diſt. utrumque ant. delectatio, & connaturalitas, quæ venit ex naturali inclinatione agentis, conc. ex inclinatione ſupernaturali, & obedientiali, neg. ant. utrumque ob inſtantiam allatam de gratia actuali. Et præterea ſupponitur in argumento, quod operationes ſanctæ, quas ex gratia, ſive habituali, ſive actuali facimus, contra inclinationem naturæ humanæ ſecundum ſe ſpectatæ, quod falſum eſt; habet enim anima inclinationem ſaltem inchoatam ad illas, & appetitum ad beatitudinem, & per conſequens aptitudinem ad illam elevationem gratiæ, qua illa opera delectent, ſunt ſupra naturales vires, non contra, ſed potiùs juxta inclinationem animæ rationalis.

Igitur gratia eſt participatio moralis, non phyſica naturæ divinæ; quia ex divina ordinatione, non ex natura ſua phyſica habet, quod animam ſanctificet, &

[1] *Jo. 6.*

& eam elevet ad operationes ſanctas, & nos uniat affectibus cum Deo. Hoc inquam habet non ex ſua entitate phyſica, ſed morali voluntate Dei ſic cum illa agente, & volente, ut influat, quod magis patebit ex ſequentibus.

QUÆSTIO V.

De oppoſitione gratiæ habitualis cum peccato; an ſit phyſica, vel moralis.

CErtum eſt iſta opponi de facto, ita ut gratia deleat peccatum, & iſtud expellat gratiam; ſed dubitatur de oppoſitione iſta, qualis ſit, an phyſica, & ex entitate phyſica utriuſque ad invicem, qualis eſt oppoſitio inter calorem, & frigus, inter albedinem, & nigredinem, an verò moralis tantùm, ſc. ex voluntate, & ordinatione Dei, quatenùs ſtatuit delere peccatum, quoties, & eo inſtanti, quo infundit gratiam, & hanc auferre ab anima eo inſtanti, quo conſentit in peccatum grave. Quæſtio etiam procedit de peccato gravi, ſeu mortali: nam certum etiam eſt, gratiam, & peccatum veniale non ſic opponi, quin poſſint eſſe ſimul, & de facto ſæpius ita ſunt.

Nota cum P. Maſtrio noſtro, quod gratia dupliciter ſumitur. 1. materialiter, ut eſt qualitas phyſica ſupernaturalis in ſua entitate. 2. formaliter, & reduplicativè, ut gratia: in 1. ſenſu eſt nuda qualitas in genere naturæ, habetque effectum ſibi naturalem, & ex ratione ſua intrinſeca, qui conſiſtit in qualificatione quadam animæ ad ſtatum ſupernaturalem, & præſcindit omninò ab eo, quod eſt eſſe gratia, id eſt reddere animam Deo gratam, juſtam, ſanctam, expellendo ab ea peccatum, ſeu movendo Deum ad illud remittendum, & ad diligendum, & habendum gratam animam, cui ineſt. Et iſta formalitas eſt purè extrinſeca illi entitati, conſiderata phyſicè, ſeu materialiter, & in genere naturæ, & venit ex mera Dei voluntate ſic ſtatuente, non autem ex natura rei; quod notandum eſt tam pro præſentis quæſtionis, quàm ſequentium deciſione.

Quæſtio igitur hæc movetur de gratia phyſicè, & materialiter conſiderata; an ex ſe habeat oppoſitionem realem phyſicam cum peccato, ſicut calor cum frigore,

frigore, aut lux cum tenebra? non autem de gratia formaliter, & reduplicative, ut gratia eſt: nam in hac conſideratione certum eſt, & evidens, eam omnino incompoſſibilem eſſe cum peccato, & ſi ſumeretur in hoc ſenſu, idem eſſet ac quærere, an formalis ſanctitas, & negatio peccati ſit oppoſita, vel compoſſibilis cum peccato.

Aliter etiam poſſet proponi quæſtio, an ſcil. ratio gratiæ ſit phyſice intrinſeca entitati illi materiali, in qua eſt, an vero inſit illi ex lege divina, qua, ut dicebamus, voluit Deus, ut qualitas illa phyſica vim haberet reddendi animam, cui ineſt, Deo gratam, amicam, &c. An vero id habeat de ſe independenter ab omni extrinſeca Dei voluntate, ſicut calor habet ex ſe facere calidum, & expellere frigus.

CONCLUSIO I.

G*Ratia, & peccatum non opponuntur, nec ſe invicem expellunt phyſica oppoſitione*; ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto pluribus locis hoc docente, vel ſupponente. Nam & docet, [1] *culpam, & gratiam non opponi immediate, quia non eſſent immediate oppoſita in ſtatu innocentiæ, tunc enim potuit aliquis eſſe in puris naturalibus*, &c. Et alibi probat, [2] quod peccatum non ſit privatio gratiæ, *quia gratia eſt a ſolo Deo per creationem, & ab eo ſolo conſervatur*, &c. Et alibi docet, [3] quod *gratia non opponatur formaliter cum peccato originali*, &c. *Nulla virtus infuſa poteſt corrumpi a nobis per aliquem actum noſtrum, quaſi per naturam repugnantiæ, ſed ſolum per cauſam demeritoriam; anima enim peccans demeretur, quod gratia non conſervetur in ea*, &c.

Prob. 2. ex eodem. Nam gratia producitur a ſolo Deo per creationem; ergo a ſolo Deo poteſt deſtrui, & cum deſtruitur, hoc fit per annihilationem, quæ a nulla creatura poteſt cauſari phyſice, ſicut nec creatio. ant. patebit ex dicendis de productione gratiæ, conſ. autem eſt evidens. Nam conſervatio eſt ab eadem cauſa, a qua eſt prima productio; ergo ſicut gra-

[1] 2.*d*.28.*A*.2. [2] *d*. 9.2.5.
[3] 4.*d*.1.*q*.6.*D*. & PP.33.

tia a ſolo Deo creatur libere, ita & conſervatur.

Prob. 3. Nam peccatum, & gratia non aliter probantur opponi, quam ex effectibus eorum, quæ ſunt reddere hominem juſtum, & injuſtum, amicum, & inimicum Dei, dignum vita æterna, & indignum vita illa, ſed potius morte æterna, &c. ſed iſti, & ſimiles effectus non conveniunt entitati gratiæ, & peccato, niſi moraliter, & ex lege divina; ergo nec iſtæ oppoſitiones. Maj. patet. Prob. min. ex dicendis in ſequentibus de hujuſmodi effectibus gratiæ, quos probabimus eſſe morales, ſicut & patet ex dictis de peccato.

Prob. 4. Si opponerentur phyſicè, oppoſitio eſſet vel relativa, vel contraria, vel contradictoria, vel privativa; ſed nullum horum dici poteſt; ergo neque ulla oppoſitio phyſica inter peccatum, & gratiam. Prob. min. 1. non relative, non enim ſe habent ad invicem, ut producens, & productum, &c. 2. non contradictorie: nam gratia non dicit formaliter, & ex natura ſua phyſica negationem peccati, nec peccatum negationem gratiæ: non enim eſt pura negatio, ut patet ex dictis, & maxime in ſententia adverſariorum, quorum plures volunt peccatum eſſe uid poſitivum. 3. non contrarie, quia hæc oppoſitio eſt inter formas poſitivas, & peccatum non eſt forma poſitiva phyſica, & realis, ut probatum eſt tr. ſuperiori. 4. nec privative: nam ut ibidem probatum eſt, peccatum actuale non eſt formaliter privatio gratiæ, ſed rectitudinis, ſeu honeſtatis debitæ ineſſe actui: habituale vero eſt reatus, ſive dignitas ad pœnam, vel permanentia moralis peccati actualis non retractati, nec condonati, nec aliter importat privationem gratiæ, quam ex lege divina, ut etiam probatum eſt; ergo illa oppoſitio non eſt phyſica in ullo ex quatuor generibus oppoſitionum.

Fateor peccatum importare quidem privationem gratiæ, ſicut gratia importat negationem peccati, ſed hoc importat peccatum demeritorie, & ex lege divina, qua ſtatuit auferre gratiam ab homine, quoties peccat mortaliter, & gratia importat ſimiliter negationem peccati, non quidem in ratione qualitatis phyſicæ, ſicut lux importat negationem tenebræ, ſed in ratione gratiæ formaliter, & reduplicative ut eſt

gratia, id eſt talis qualitas ſupernaturalis, ex cujus intuitu, & exiſtentia Deus ſtatuit condonare peccatum, dans eidem qualitati virtutem ornandi, & ſanctificandi animam.

Certe peccatum habituale non eſt quid reale phyſicum poſitivum, ſed eſt vel reatus, & dignitas paſſiva ad pœnam, connotans peccatum actuale præteritum non retractatum, vel eſt ipſum peccatum actuale præteritum non retractatum, nec dimiſſum, ſed moraliter perſeverans; ergo cum non ſit phyſica entitas, non debet expelli per formam phyſicam, nec phyſice, ſed moraliter.

Objic. 1. ex Scriptura. Peccatum, & gratia opponuntur phyſice, ſicut lux, & tenebræ; ſed hæc opponuntur; ergo & illa. Probat. maj. nam ex Divo Paulo [1] in ſtatu peccati homo erat tenebræ, & in ſtatu gratiæ *eſt lux in Domino*; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. moraliter, & ex lege divina, conc. ex natura rerum illarum phyſica, & præciſa omni lege divina, neg. maj. & conſ. idem dico ad textum Scripturæ: nam peccatum demeritorie, & ex lege divina infert privationem gratiæ, & hæc ex eadem lege expellit tenebras peccati, & reddit hominem filium lucis.

Objic. 2. Effectus gratiæ ſunt filiatio Dei, dignitas vitæ æternæ, amicitia Dei, &c. peccati vero alienatio a Deo, excluſio a gloria, & conſortio Dei, & inimicitia cum eo; ſed hæc phyſice opponuntur; ergo & ipſæ cauſæ ſunt phyſice incompoſſibiles.

Reſp. diſt. maj. effectus morales gratiæ, & peccati, conc. phyſici, neg. maj. & conſ. nam ut jam diximus de participatione Dei naturæ, & ut dicemus de aliis, illi omnes effectus, qui tribuuntur gratiæ, ſunt morales, & idem diximus de præcipuis effectibus peccati.

Inſt. Averſio a Deo, & converſio ad Deum opponuntur intrinſece, & phyſice; ſed gratia eſt converſio ad Deum, & peccatum eſt averſio a Deo; ergo opponuntur phyſice.

Reſp. diſt. min. gratia eſt converſio ad Deum ex inſtitutione divina, & quaſi paſſive in anima, conc. ex natura ſua phyſica, & præciſa omni ordinatione di-

[1] *Ephes.* 5.

vina, & active, neg. min. & conſ. nam gratia ex Dei voluntate facit, ut anima ſit Deo grata, & ut Deus convertatur ad illam, ſeu eſt id, quo Deus convertitur ad animam, & quo illam reddit ſibi gratam, quia ſic voluit; peccatum vero eſt ipſa formalis averſio a Deo, etiam moraliter, & active ex parte hominis peccantis, & ſic demeritorie facit, ut Deus averſetur eum, quia Deus ſic ſtatuit.

Objic. 3. Gratia eſt formalis, & perfecta juſtitia; peccatum vero eſt formalis injuſtitia; ſed formalis juſtitia, & injuſtitia per ſe, & phyſice opponuntur; ergo & peccatum cum gratia. Maj. patet; *nam formalis juſtitia eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit*, inquit Concilium, [1] *dum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret*. Prob. min. nam præſcindendo ab omni extrinſeca Dei deputatione, juſtitia excludit injuſtitiam, & injuſtitia juſtitiam, & a parte rei implicat eundem eſſe ſimul juſtum, & injuſtum. Quod patet ex Script. [2] *Omnis, qui in Deo manet, non peccat, & omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ejus in eo manet*.

Reſp. diſt. maj. gratia formaliter, ut gratia, con. gratia phyſice, & materialiter, ut qualitas, nego maj. nam ſicut illa qualitas non habet ex ſua entitate intrinſeca, & phyſica, quod ſit gratia, ſeu gratificans, ita nec quod ſit juſtitia formalis, ſed ex divina inſtitutione. Et Concilium ita loquens conſiderat illam qualitatem formaliter ut gratiam, & juſtitiam; & talis quidem eſt de facto, ſed ex inſtitutione divina.

CONCLUSIO II.

PEccatum, *& gratia opponuntur moraliter, ita ut peccatum expellat gratiam demeritorie*. Sequitur ex præcedenti.

Prob. ex Scoto cit. [1] nam inquit, *anima peccans demeretur, quod gratia non conſervetur in ea, & ſic propter tale demeritum quaſi præcedens, Deus non conſervat gratiam, & ſic annihilatur, ... dico, quod per*

per

[1] *Seſſ.5.c.7.* [2] *1.Jo.3.*
[3] *4.d.1.q.1.PP.3.d.17.q.2.GG.*

peccatum non eſt aliquis formaliter inimicus, ſed tantummodo demeritorie, &c. Et quoad gratiam dicit, *propter acceptationem naturæ .... oportet ponere unum habitum ſupernaturalem, quo habens illum formaliter acceptatur a Deo*, &c. Vides ubique intervenire ſtatutum, & voluntatem divinam, & acceptationem, qua vult habere gratum hominem, cui infundit talem habitum gratiæ.

Prob. 2. nam certum eſt de fide, quod gratia expellit peccatum, & peccatum gratiam; ſed non expellunt ſe phyſice, ut probatum eſt; ergo expellunt ſe moraliter, & meritorie quoad gratiam reſpectu peccati, & demeritorie quoad peccatum reſpectu gratiæ.

CONCLUSIO III.

Peccatum, & gratia de potentia ordinaria nequeunt eſſe ſimul, bene vero de potentia Dei abſoluta. Eſt Scotiſtarum, & aliorum contra eoſdem Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto citato. [1] Nam ſicut entitas gratiæ non expellit peccatum, nec illi opponitur, niſi ex lege divina, qua ſtatuit remittere culpam ei, cui dat gratiam, & auferre gratiam ab eo, qui peccat, ita ut peccatum non expellat gratiam, niſi demeritorie, ita poſſet diſpenſare ab illa lege, non quidem de potentia ordinaria, quia per hanc gubernat ſecundum leges, quas poſuit, ſed de potentia abſoluta, qua diſpenſat ab his legibus, & ſupra illas agit.

Prob. 2. quoad 1. p. tum ex Script. [2] nam *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, tum ex Concil. Trid. dicente, [3] quod *ſi quis per Jeſu Chriſti gratiam .... aſſerit non tolli totum id, quo veram rationem peccati habet, &c. anath. ſit*: Tum denique, quia ex illis authoritatibus Scripturæ, & Patrum, quibus docemur nos per gratiam fieri amicos, mundos, filios Dei, hæredes regni per gratiam, & eam eſſe veſtem nuptialem, &c. & e contra per peccatum nos fieri inimicos, exoſos, & addictos pœnis æternis, & maculatos, &c. Hæc enim omnia probant incompatibilitatem maximam peccati cum gratia. Denique ſi vix aliqui Theologi patiuntur hæc dici compatibilia per potentiam Dei abſolutam, multo minus pa-

[1] *Ibid.* [2] 1. *Jo.* 3. [3] *Seſſ.* 5. *can.* 5.

tientur ea dici compatibilia de potentia ordinaria.

Prob. 2. p. 1. nam in eo nulla eſt manifeſta implicantia contradictionis, ergo id non eſt denegandum abſolutæ Dei potentiæ. Conſ. patet: nihil enim debet denegari abſolutæ Dei potentiæ, niſi involvat evidenter contradictionem: maj. autem patebit ſolutione objectionum.

Prob. 2. ex dictis. Gratia non expellit peccatum, niſi moraliter, & ex ordinatione, qua ſtatuit condonare peccatum, & recipere in ſuam amicitiam hominem, cui gratia ineſſet: & viciſſim peccatum non expellit gratiam, niſi demeritorie, & ex lege, qua ſtatuit Deus eam auferre ab eo, qui admittit peccatum; ſed Deus poteſt ſuſpendere executionem legum ſuarum de potentia abſoluta; eſt enim ſupra leges omnes; ergo poſſet non auferre gratiæ ſuæ entitatem phyſicam a peccatore, & nō remittere culpam, nec reddere amicitiam ſuam illi, cui infunderet entitatem gratiæ.

Prob. 3. Effectus formalis gratiæ ex inſtitutione divina eſt facere animam ſupernaturaliter diligibilem, & effectus peccati eſt facere illam averſam, & inimicam Deo; ſed hæc non implicant eſſe ſimul; ergo nec peccatum, & gratia. Prob. min. nihil enim implicat hominem diligere alium, & ab iſto non diligi, ſed potius odiri; ergo nec implicat Deum amare animam peccatricem, & ab ea odiri.

Objic. con. 1. p. Peccatum ineſt pro illo inſtanti, quo remittitur; ergo & pro illo eodem inſtanti peccatum, & gratia ſunt ſimul.

Reſp. diſt. ant. pro inſtanti, quo remittitur in fieri, & in actu primo remiſſionis, conc. quo remittitur in facto eſſe, ſeu in actu 2. remiſſionis, neg. ant. & conſ. nam eo ipſo inſtanti, quo ineſt gratia, deeſt peccatum. *Baptiſmus expellit omne peccatum*, ait Doctor [1], *non quia in eodem inſtanti inſit gratia, & peccatum*.

Objic. 1. con. 2. p. Peccatum actuale, & charitas actualis nequeunt eſſe ſimul; ergo neque habituale peccatum cum charitate habituali. Tam enim iſta opponuntur, quam illa.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia voluntas non poteſt ſimul habere duos actus, quorum unus dicit negationem alterius, & quidem phyſicam: non ita eſt

[1] 4. *d.* 4. *q.* 5.

eſt de duobus habitibus, qui non ſe excludunt eſſentialiter, & phyſice. Charitas habitualis exigit quidem, ut Deus peccatum remittat, & iſtud, ut Deus ceſſet conſervare illam; ſed non cogit, nec imponit illi ullam neceſſitatem alterutrum faciendi. Certe ſi de potentia abſoluta poteſt impedire, ne calor expellat frigus, aut frigus calorem, eo magis poterit ipſe non annihilare charitatem habitualem, ſtante peccato, licet hoc exigat peccatum.

Inſt. Converſio habitualis non minus repugnat cum averſione habituali, quam actualis cum actuali; ſed iſtæ repugnant; ergo & illæ. Prob. min. non minus una infert negationem alterius, quam actualis negationem alterius actualis; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam gratia habitualis dicit pro formali exigentiam amicitiæ in Deo terminative ad creaturam, peccatum vero averſionem in creatura terminative ad Deum; & sic non inferunt negationem ejuſdem formalitatis in eodem ſubjecto, ſicut averſio, & converſio in eodem homine ad eundem terminum: non autem repugnant in diverſis ſubjectis, v.g. in homine, & Deo.

Objic. Implicat eumdem ſimul eſſe amicum Dei, & inimicum, ſeu non amicum, filium Dei, & non filium, juſtum, & non juſtum, &c. ſed ſi gratia, & peccatum eſſent ſimul in eodem, iſte eſſet ſimul amicus, & inimicus, &c. ergo &c. Prob. min. nam gratia habitualis eſt formalis amicitia, juſtitia, &c. & peccatum eſt formalis inimicitia, injuſtitia, &c. ergo habens gratiam, & peccatum ſimul eſſet ſimul & amicus Dei, & inimicus, juſtus, & non juſtus, &c.

Reſp. neg. min. & diſt. prob. eſt formalis amicitia, &c. moraliter, & ex ordinatione extrinſeca Dei, con. ex natura ſua phyſica, & intrinſeca, neg. ant. & conſ. ille homo haberet peccatum, & entitatem phyſicam gratiæ, quæ ex Dei voluntate, & de lege poſita exigit amicitiam Dei, ſi Deus eam vellet concedere, ſed de facto non haberet actualem Dei amicitiam. Ita & haberet peccatum, quod ex ſimili Dei lege demeretur, ut Deus auferat gratiam, ſed de facto Deus non auferret eam. Quid inde contradictionis?

Inſt. atqui amor, & odium ejuſdem hominis eſſent ſimul in Deo: ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſump. per

infuſionem gratiæ faceret illum gratum, & per conſequens dilectum, & per peccatum, quod nollet deleri per gratiam, faceret illum ingratum, & exoſum; ergo amaret, & non amaret reſpectu ejuſdem.

Reſp. diſt. ſubſ. ſub diverſo reſpectu,con.ſub eodem reſpectu, neg. ſubſ.& hoc patet ex ipſo ant.prob. nam ratione gratiæ poſſet illum amare, & reſpectu peccati poſſet non amare; & præterea cum reddere hominem gratum ſit effectus ſecundarius gratiæ, & moralis, non vero phyſicus, poſſet Deus hunc ſuſpendere.

Objic.3. forma non poteſt eſſe ſine ſuo effectu formali; ſed expulſio peccati eſt effectus formalis gratiæ, & viciſſim; ergo gratia non poteſt eſſe ſine expulſione peccati; ergo non poteſt eſſe cum peccato.

Reſp. diſt. maj. ſine effectu formali primario, & phyſico, conc. maj. & neg. min. ſine effectu formali ſecundario, & morali, neg. maj. & conſ. nam expulſio peccati eſt tantum effectus ſecundarius, & moralis gratiæ; ſicut autem Deus poteſt impedire,ne calor expellat frigus, quia illa expulſio eſt effectus ejus ſecundarius, licet phyſicus, ita a fortiori poſſet impedire, & nolle gratiam expellere peccatum. Fateor iterum, quod tunc non haberet rationem gratiæ formaliter, qualem habet de facto, ſed tamen haberet totam entitatem ſuam phyſicam qualitatis ſupernaturalis.

Objic.4. non poteſt Deus conſervare in eodem ſubjecto duas formas oppoſitas privative; ſed gratia, & peccatum opponuntur privative; ergo &c. Prob. min. ex Scoto, [1] *Privatio non eſt peccatum, niſi in quantum eſt privatio juſtitiæ debitæ*; ſed gratia eſt juſtitia formalis; ergo ex Scoto peccatum eſt privatio gratiæ.

Reſp.neg. min. & diſt. maj.privatio juſtitiæ, quæ eſt rectitudo moralis, ſeu conformitas ad legem, con. juſtitiæ, quæ eſt gratia, neg. maj. & conſ. importat quidem privationem gratiæ, ſed demeritorie, non autem formaliter, nec phyſice illam cauſat, ut ſæpe dictum eſt.

[1] 2.d.27.A.4.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De effectibus gratiæ habitualis.

GRatiæ natura, & dignitas melius cognoſcetur ex effectibus ejus, qui plurimi ſunt, iique præcellentiſſimi, & colliguntur ex variis Scripturæ, & Patrum dictis. Nam modo vocatur *veſtitus deauratus, & grata, mirabiliſque varietas:* modo *veſtis nuptialis*, quæ placet ſponſo. Et *eſt charitas, quam qui non habuerit, non intrabit in regnum cœlorum*, ait Auguſt. [1] *Byſſinus ſplendens, & candidus*. Nam *byſſinum ſunt juſtificationes ſanctorum*; &, ut dicit Lyran. Byſſinum eſt interior ſanctitas. 4. *theſaurus, quem habemus in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit ex virtute Dei, & non ex nobis*, inquit Apoſtol. (2) quippe, ut docet Theodoretus, [3] *Theſauro comparat ſpiritus gratiam, quæ data eſt. Teſtæ autem naturam corporis*. 5. *ſemen Dei*, juxta illud, (4) *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ejus manet in nobis*, id eſt gratia, *quæ non compatitur ſecum tale peccatum*, inquit Lyran. 6. *aqua viva*; ideo Chriſtus Samaritanæ dicebat: (5) *ſi ſcires donum Dei, forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſes tibi aquam vivam*, id eſt gratiam, ut docet idem Lyran. 7. *unctio, ſignaculum, & pignus ſpiritus, quia unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris:* nam unxit nos gratia ſua, & dedit pignus pro futura gloria, ait idem Lyran. 8. *juſtitia*, ut ſæpe dictum eſt. [6] *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus*. Ideo ejus receptio dicitur juſtificatio, &, ut loquitur Trident. [7] *Hæc fit, dum juſtitiam ejus in nobis recipimus*, & quidem hic effectus eſt primarius, & principalis; ergo eſt *renovatio interioris hominis, ſanctificatio, & peccatorum remiſſio*, ut docet Trident. 10. *Filiatio Dei adoptiva*, ideo dicitur, [8] *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum .... ipſe enim ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei*. 11. *Amicitia cum Deo*, & illi placentia, ſeu quædam gratificatio; ideo dicitur *gratia*, & *gratum faciens*, juxta

[1] *con. donat.* 2. [2] 2. *cor.* 4. [3] *Ibid.* [4] 1. *Jo.* 3. [5] *Jo.* 4. [6] *Matth.* 6. [7] *Seſſ.* 6. *cap.* 7. [8] *Rom.* 8.

ta illud, [1] *Vos autem dixi amicos*. Et de homine juſto, (2) *Placens Deo factus eſt dilectus*. 12. *Conſortium, ſeu participatio quædam divinæ naturæ*, de quo diximus ſupra. 13. *Libertas a ſervitute peccati, & diaboli*. Per hanc enim (3) *Deus Pater dignos vos fecit in parte ſortis ſanctorum in lumine, & eripuit nos de poteſtate tenebrarum, traſtulitque in regnum filii dilectionis ſuæ*, inquit Trident. poſt Apoſtolum.

14 *Habitatio Dei in nobis*, & *noſtra in Deo*: nam inquit Joan. [4] *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Et, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; & quidem per gratiam in nobis eſt Spiritus S. ut in templis. *Neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti .. neſcitis, quia templum Dei eſtis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

15 *Dignificatio operum noſtrorum*, & acceptabilitas eorum in ordine ad meritum gloriæ æternæ de condigno. Hoc ſenſu dicitur, [5] *gratia Dei vita æterna*; Gloſſa addit, *quæ in fine a Deo meritis præcedentibus redditur*, quæ non a nobis ſunt, ſed in nobis facta ſunt per gratiam, & ſine iſta gratia non proſunt nobis alia virtutum opera, ut docet Paulus. [6] *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans*, &c. Hinc Chriſtus dicebat: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, ſc. prima gratia eſt fons, & origo gratiarum ſubſequentium, quas meremur per illam.

Reſtat videre, quomodo effectus illos producat gratia: an ſc. ex influxu ſuo phyſico, & virtute intrinſeca, an moraliter ex pacto, & acceptatione divina, ut loquitur Doctor.

CONCLUSIO I.

Gratia habitualis vere operatur remiſſionem, ſeu deletionem culpæ mortalis, ſed id operatur non phyſice, ſed moraliter, & ex ordinatione divina. Eſt de fide quoad 1. p. & Scotiſtarum, & aliorum quoad 2.

Prob.

[1] *Jo.15.* [2] *Sap.4.*
[3] *Coloſſ.1.* [4] *1.Jo.4.*
[5] *Ro.6.* [6] *1.cor.13.*

Prob. 1.ex Scoto docente, [1] quod remiſſio culpæ fieri poteſt ſine gratia. *Concedo, quod divina offenſa placatur, & iſte, cui dimittitur offenſa, reconciliatur, ſed non ſequitur; ergo eſt acceptus Deo iſta acceptatione ſpeciali, qua eſt acceptus per gratiam. Pax enim, & reconciliatio non dicunt; niſi Deum nolle vindicare culpam iſtam*; ergo remiſſio culpæ eſt immediate a Deo, non effective a gratia, nec formaliter phyſice, ſed moraliter, quatenus intuitu gratiæ, & per infuſionem ejus remittit ipſe, & condonat culpam, & acceptat hominem in amicum.

Confir. nam alibi docet, [2] quod *ratio acceptandi naturam videtur eſſe quidam decor naturæ complacens voluntati divinæ; ita quod ſive ponatur habitus iſte activus, ſive non activus*, (loquitur de gratia habituali) *ex hoc ſolo, quod eſt talis forma decorans, & ornans animam, poteſt eſſe ratio acceptandi naturam, quia ille decor non eſt tota ratio, nec cauſa deletionis peccati, ſed concurrit acceptatio ex parte Dei, & præcedit potius condonatio, ſaltem prius natura.*

Prob. 2.quoad 1.p.ex Script. nam David orat. *Dele iniquitatem meam*; &, *Omnes iniquitates meas dele*; &, *Convertimini, ut deleantur peccata veſtra*; ergo ex Scriptura delentur peccata per gratiam.

Prob.3.ex Concilio Trident. [3] docente, quod *juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio* .... & quod *in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc ſimul infuſa recipit .... fidem, ſpem, & charitatem*, &c.Et Seſ. 6.docuerat, *per baptiſmum peccata non tantum radi, aut non imputari, ſed etiam omnino tolli*. Et Canone 2. definit, quod *ſi quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, &c. Anath. ſit.*

Prob.2.p.1.ex eodem Concilio dicente, quod *miſericors Deus eſt cauſa efficiens juſtificationis, qui gratuito abluit, & ſanctificat .... meritoria autem eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus*,&c.ergo deletio,& remiſſio peccati eſt effective, & phyſice a ſolo Deo.

Prob.2.quia hæc deletio vel eſt idem cum remiſſione paſſiva, vel effectus ejus; ſed neutrum poteſt fie-

[1] *4.d.1.q.6.E.*
[2] *1.d.17.q.2.n.66.vel q.3.n.33.*
[3] *Seſs.6.c.7.*

ri phyſice ab ulla creatura; ergo nec ab entitate gratiæ. Prob. min. nam remiſſio paſſiva, ſicut & activa, proveniunt a ſolo Deo, ex Concil. Trident.cit.ergo non ab ulla creatura.

Confir.ex dictis de peccato, & macula ejus: non enim eſt quid poſitivum reale, ſed moris, & paſſiva dignitas ad pœnam, aut ipſum peccatum actuale moraliter perſeverans, & non condonatum; ergo non deletur per ullam cauſam creatam phyſicam, quia condonatio activa ſe tenet ex parte Dei offenſi, & paſſiva eſt quid relativum ad activam.

Prob.3.nihil creatum præciſa inſtitutione, & acceptatione Dei poteſt reparare Dei offenſam, & determinare illum ad condonandum, nec reddere hominem dignum ejus amicitia; ſed hæc concurrunt in deletione peccati; ergo hæc non poſſunt eſſe phyſice, & ab entitate phyſica gratiæ, & præciſa Dei ordinatione, & acceptatione gratuita.

Dico *præciſa Dei ordinatione, & acceptatione*, & quidem antecedente, qua decrevit remittere culpam, & condonare offenſam; & acceptare in amicum quemcunque dono illo gratiæ decoraret; nec enim intendo, quod præter infuſionem gratiæ requiratur nova, & poſterior aliqua Dei acceptatio, & volitio condonandi offenſam, ut quidam putant Scotum voluiſſe.

Objic.con.2. p.gratia eſt cauſa formalis juſtificationis eodem modo, quo Deus eſt ejus cauſa efficiens; ſed Deus eſt cauſa efficiens phyſica; ergo & gratia eſt cauſa formalis phyſica. Prob.maj.ex Concil.cit.nam eodem modo, quo dixit, *cauſa efficiens eſt Deus* .... dicit, *unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei*, &c.

Reſp.neg.maj.& ant.prob.nec enim ſomniavit Cōcilium dicere, quod gratia eodem modo concurrat in ſuo genere cauſæ ad juſtificationem, quo ipſe Deus; ſed ſolum intendit, quod Deus non tantum extrinſece, & per ſuam condonationem offenſæ juſtificet peccatorem, ſed etiam per gratiæ interioris infuſionem, quod negabant hæretici. Sic hæc gratia eſt *unica formalis cauſa juſtificationis*, ſeu ipſa formalis juſtitia, & ſanctitas poſitiva interior, & inhærens. Certe remiſſio peccati præciſe non requirit ullam talem qualitatem: nam homo poteſt remittere offenſam

ini-

inimico per puram condonationem extrinſecam : & ita juſtificationem noſtram coram Deo fieri volebant hæretici ; & Deus poſſet quidem id ita præſtare , ſed de facto conſtat ex principiis fidei id non fieri excluſa gratia interiori , ut loquitur Concilium .

Confir.hoc . Nam cum Patres Concilii docent gratiam,qua juſtificamur , non eſſe tantum favorem Dei extrinſecum , ſatis indicant etiam hunc favorem intervenire .

Inſt. Concilium dicit gratiam non ſolum eſſe cauſam formalem juſtificationis , ſed addit eam eſſe unicam ; ſed non eſſet unica, ſi interveniret ille favor,ſeu acceptatio,vel ordinatio ; ergo non intervenit .

Reſp.diſt.min. non eſſet unica cum excluſione concauſæ, con.non eſſet unica interior , & inhærens, neg. min. & conſ. gratia cum illa volitione , & ordinatione eſt unica cauſa formalis , quæ tamen non expelleret peccatum, niſi Deus eam vim illius entitati phyſicæ tribuere voluiſſet , ut cum illius infuſione dimitteret ipſe peccatum .

Reſp. 2. neg. eamdem min. nam cum illa Dei acceptatio , & ille favor , quo cum gratia Deus concurrit remittendo offenſam , non ſit quid intrinſecum , & inhærens animæ , ſed extrinſecum ſe tenens in Dei voluntate ; ideo gratia eſt unica forma intrinſeca , & inhærens , qua Deus operatur illam juſtificationem in eo genere .

Inſt. 1.ſi gratia non deleret peccatum ex natura ſua, & phyſice,ſeu ex Dei ordinatione,non eſſet vera cauſa formalis juſtificationis ; ſed conſeq.eſt contra Concilium ; ergo &c.Prob. maj. eſſet potius cauſa inſtrumentalis , aut ſignum remiſſionis peccati , & ſanctitatis, non autem ipſa ſanctitas ; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam Deus elevando entitatem gratiæ ad hunc effectum cauſandum , non eam elevavit , aut inſtituit, ut merum ſignum illius dignitatis , ſed ut ipſam formalem dignitatem , honorem,decorem,& formam animæ,in cujus vi Deus remittit offenſam , quas dignitates non habet ex natura ſua phyſica , ſed ex illa Dei ordinatione .

CON-

CONCLUSIO II.

GRatia habitualis vere facit hominem ſanctum, juſtum, & Deo gratum, ſed non ex natura ſua phyſica, ſed moraliter. Eſt etiam de fide quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] ubi hos effectus tribuit gratiæ ex acceptatione divina.

Prob. 2. quoad 1. p. de ſanctitate. Nam nomine ſanctitatis hic nihil aliud intelligitur, quam emundatio a peccato, juxta illud Dionyſii: [2] ſanctitas eſt ab omni immunditia libera, perfecta, & immaculata munditia. Et hoc ſenſu dicitur apud Jeremiam: [3] antequam exires de vulva, ſanctificavi te. Et de Joanne Baptiſta, [4] ſpiritu ſancto repletus eſt ex utero matris ſuæ: Sed hoc præſtat gratia habitualis: nam ideo vocatur ſanctificans, & Concilium Tridentinum juſtificationem vocat ſanctificationem, ut doceat Adamum perdidiſſe nobis gratiam iſtam, dicit eum perdidiſſe nobis, & ſibi acceptam a Deo ſanctitatem, & juſtitiam; ergo &c.

Confir. ex Apoſtolo dicente, quod Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ, &c. Ut ſit ſancta, & immaculata, &c.

Prob. de juſtitia. Nam idem Tridentinum vocat hanc gratiam juſtitiam, quam in nobis recipimus. Et Scriptura eodem ſenſu loquitur, cum dicit: Et peccatis mortui juſtitiæ vivamus: Et ab ea dicitur; ibunt juſti in vitam æternam, nec de hoc ullus dubitat.

Prob. de gratificatione, qua Deo placent, qui hanc gratiam recipiunt; nam ideo dicitur gratia gratum faciens, ad differentiam aliarum ſpecierum gratiæ, quæ de ſe præciſe non faciunt gratos Deo habentes. Ideo Apoſtolus dicit; qui ſunt in carne, Deo placere non poſſunt, vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu.

Prob. 2. p. ex dictis ſupra: nam gratia hæc non facit hominem ſanctum, nec juſtum, nec Deo gratum niſi eo modo, & influxu, quo expellit, & delet peccatum, & quo reddit eum conſortem Dei naturæ;

[1] Ibid. [2] div. no. 2. [3] Jerem. 1.
[4] Luc. 1.

ræ; ſed hæc non præſtat niſi moraliter; ergo nec illa. Min. patet ex dictis. Probat. maj. nam 1. quoad ſanctitatem; hæc fundatur principaliter in munditia a peccato, quæ eſt quid morale. 2. Idem eſt de juſtitia. Nam *peccatum eſt iniquitas*, & quidem moralis; ergo ſicut expellitur, & deletur peccatum, ita confertur juſtitia, & fit homo juſtus.

Prob. 2. ex Patribus. Juſtitia eſt in unoquoque fideli ut obedienti, ut *Deus homini, animus corpori, & ratio vitiis etiam repugnantibus imperet*, &c. ait Auguſt. & alibi: [1] *Juſtitiæ ratio eſt, ut declinentur mala, & fiant bona*. Et l. 3. con. duas litt. *ad* Bonifacium, *juſtitia perficitur in dilectione Dei vera, & perfecta, & quanto amplius diligimus Deum, tanto ſumus utique juſtiores, & plena juſtitia tantummodo poſt hanc vitam acquiritur*, &c. Et ſic de aliis proprietatibus juſtitiæ, quas ex Auguſtino, [1] & aliis Patribus colligimus; ſed hæc non poſſunt haberi phyſice a gratia habituali, ſed ab aliis virtutibus, & a gratia actuali, cujus auxilio poſſumus elicere plures actus veræ juſtitiæ, licet non meritorios de condigno; ergo gratia habitualis ex natura ſua phyſica non facit hominem juſtum. Prob. min. ex dictis diſp. ſuperiori de neceſſitate gratiæ actualis etiam in iis, qui habent gratiam habitualem.

Confir. ex Concil. Trident. dicente, quod gratiæ auxilium non ſolum dat nobis, ut facilius impleamus mandata, ſed facit, ut poſſimus; ergo facere hominem juſtum non eſt effectus phyſicus, nec proprius gratiæ habitualis.

Probat. etiam de gratificatione, ſeu de facere gratum; nam nihil creatum ex natura ſua habet, quod ſic placeat Deo ſpecialiter, & maxime in ordine ad meritum vitæ æternę independenter a libera ejus acceptatione, qua ſtatuit illos habere gratos, & diligerut tales, quibus infundit illum decorem. Prob. ex Apoſtolo: *elegit nos in ipſo* (Chriſto,) *ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate .... ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuę*, &c.

CON-

[1] 19. civ. 25. [2] *de mirab. ſcript.*

CONCLUSIO III.

Neque etiam gratia phyſice, & ex natura ſua, ſecluſa Dei acceptatione libera, facit hominem Dei amicum, aut filium Dei, vel hæredem regni ejus, nec liberum a ſervitute diaboli, ſed tantum moraliter, & eadem ordinatione divina.

Prob. 1. ex Scoto ibidem; [1] nam textus allegati ſunt ſatis formales ad hoc, nec placet repetere.

Prob. 2. nam ex Scriptura, & Patribus [2] patet nihil eſſe in homine, quod ad tantas dignitates, & merita poſſit eum elevare, niſi quia ipſe ita voluit. *Quid eſt homo, quia reputas eum? Et quid eſt homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?* Et Chriſtus ipſe dixit, *numquid gratiam habet Dominus ſervo illi, quia fecit, quod ei imperaverat? Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus;* ergo multo minus poterimus nos dicere Dei amicos, vel prætendere ex ulla cauſa phyſica ejus amicitiam. Unde & gratiam ipſam, & amicitiam, & filiationem, & hæreditatem libere, & volens largitur. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et Paulus: [3] *gratia Dei ſum id, quod ſum,* &c.

Confir. ex Concil. Arauſic. [4] nam, inquit, tales nos amat Deus, quales futuri ſumus, non ex aliquo, quod ſit in nobis, ſed ex ejus dono.

Prob. 3. nam nulla videtur nequidem poſſibilis creatura, quæ ex natura ſua nobis conferat Dei amicitiam, nec filiationem, nec viſionem beatam, quæ eſt vita æterna; nec eripere poſſit de ſe ex poteſtate diaboli, quando in eam cecidimus per peccatum.

Confir. de filiatione, hæc enim eſt ſpeciale Dei donum. [5] *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ab ipſo accipimus *adoptionem filiorum, in quo clamamus Abba, pater.* Et, *gratis prædeſtinavit in adoptionem filiorum per I. C.*

Confir. 2. nam in humanis hæc filiatio eſt ex ſola vo-

[1] *Ibid.* [2] *pſal.* 143. *Job.* 7.
[3] *pſalm.* 86. [4] 1. *Cor.* 5.
[5] *Joan.* 1.

voluntate adoptantis; ergo a fortiori in Deo. Ideo dicitur, [1] *ſalvum me fecit, quoniam voluit me*. Et, *ſalvum facit eum, quoniam vult eum*. Quod etiam confir. ex perſona Chriſti, nam licet ipſe ſit filius Dei naturalis, tamen id non habet ex vi gratiæ, ſed ex voluntate Dei. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis*. Uno verbo [2] *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per I. C. ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*.

Prob. 4. de hæreditate. Nam in humanis conſtitutio hæredum eſt plane voluntaria; ergo a fortiori in Deo nihil eſt in rerum natura, quod, ipſo non volente, poſſit hominem facere illius hæredem; ergo a nullius creaturæ conditione naturali, & phyſica, & ſecluſa ejus lege libera, poteſt Deus determinari ad conſtituendum hominem hæredem regni ſui.

Deniq; de libertate a ſervitute diaboli habemus ex Scriptura, quod [3] *Deus Pater eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit nos in regnum hæreditatis ſuæ, in quo habemus redemptionem*, &c. ergo hæc translatio non fit per influxum phyſicum gratiæ, aut ullius entitatis creatæ, ſed immediate, & directe per ejus potentiam, & miſericordiam, movente ad hoc eum ipſa ejus gratia, per quam applicatur meritum ſanguinis Chriſti.

Confirm. nam ex Concil. Trident. [4] *ſola efficiens cauſa illius libertatis eſt miſericors Deus, qui gratuito abluit, & ſanctificat nos*, & Chriſtus pretium redemptionis perſolvit; ergo libertas a ſervitute diaboli, & peccati, quam nobis reſtituit gratia ſanctificans, eſt quidem effectus ejus, ſed non phyſicus; quaſi vero ex natura ſua intrinſeca illam operetur, ſed eſt effectus moralis, quem operatur ex divina ordinatione, qua ſtatuit ipſemet eripere hominem ab illa dira ſervitute, dum illi infunderet divinam illam formam, & qualitatem.

Dixi, *alium effectum huius gratiæ eſſe, quod illa ſit principium meriti:* de quo latius infra videbimus, ubi de merito. Et hoc etiam habet ex acceptatione divina, ut probabimus.

Objic.

[1] *pſal.* 17. & 21. [2] *Ro.* 4. [3] *Coloſſ.* 2.
[4] *ſs.* 6. *c.* 7.

infuſionem gratiæ faceret illum gratum, & per conſequens dilectum, & per peccatum, quod nollet deleri per gratiam, faceret illum ingratum, & exoſum; ergo amaret, & non amaret reſpectu ejuſdem.

Reſp. diſt. ſubſ. ſub diverſo reſpectu, con. ſub eodem reſpectu, neg. ſubſ. & hoc patet ex ipſo ant. prob. nam ratione gratiæ poſſet illum amare, & reſpectu peccati poſſet non amare; & præterea cum reddere hominem gratum ſit effectus ſecundarius gratiæ, & moralis, non vero phyſicus, poſſet Deus hunc ſuſpendere.

Objic. 3. forma non poteſt eſſe ſine ſuo effectu formali; ſed expulſio peccati eſt effectus formalis gratiæ, & viciſſim; ergo gratia non poteſt eſſe ſine expulſione peccati; ergo non poteſt eſſe cum peccato.

Reſp. diſt. maj. ſine effectu formali primario, & phyſico, conc. maj. & neg. min. ſine effectu formali ſecundario, & morali, neg. maj. & conſ. nam expulſio peccati eſt tantum effectus ſecundarius, & moralis gratiæ; ſicut autem Deus poteſt impedire, ne calor expellat frigus, quia illa expulſio eſt effectus ejus ſecundarius, licet phyſicus, ita a fortiori poſſet impedire, & nolle gratiam expellere peccatum. Fateor iterum, quod tunc non haberet rationem gratiæ formaliter, qualem habet de facto, ſed tamen haberet totam entitatem ſuam phyſicam qualitatis ſupernaturalis.

Objic. 4. non poteſt Deus conſervare in eodem ſubjecto duas formas oppoſitas privative; ſed gratia, & peccatum opponuntur privative; ergo &c. Prob. min. ex Scoto, [1] *Privatio non eſt peccatum, niſi in quantum eſt privatio juſtitiæ debitæ*; ſed gratia eſt juſtitia formalis; ergo ex Scoto peccatum eſt privatio gratiæ.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. privatio juſtitiæ, quæ eſt rectitudo moralis, ſeu conformitas ad legem, con. juſtitiæ, quæ eſt gratia, neg. maj. & conſ. importat quidem privationem gratiæ, ſed demeritorie, non autem formaliter, nec phyſice illam cauſat, ut ſæpe dictum eſt.

QUÆ-

[1] 2. d. 27. ʃ. 4.

QUÆSTIO VI.

De effectibus gratiæ habitualis.

GRatiæ natura, & dignitas melius cognoſcetur ex effectibus ejus, qui plurimi ſunt, iique præcellentiſſimi, & colliguntur ex variis Scripturæ, & Patrum dictis. Nam modo vocatur *veſtitus deauratus, & grata, mirabiliſque varietas*: modo *veſtis nuptialis*, quæ placet ſponſo. Et *eſt charitas, quam qui non habuerit, non intrabit in regnum cœlorum*, ait Auguſt. [1] *Byſſinus ſplendens, & candidus*. Nam *byſſinum ſunt juſtificationes ſanctorum*; &, ut dicit Lyran. Byſſinum eſt interior ſanctitas. 4. *theſaurus, quem habemus in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit ex virtute Dei, & non ex nobis*, inquit Apoſtol. (2) quippe, ut docet Theodoretus, [3] *Theſauro comparat ſpiritus gratiam, qua data eſt. Teſta autem naturam corporis*. 5. *ſemen Dei*, juxta illud, (4) *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ejus manet in nobis*, id eſt gratia, *quæ non compatitur ſecum tale peccatum*, inquit Lyran. 6. *aqua viva*; ideo Chriſtus Samaritanæ dicebat: (5) *ſi ſcires donum Dei, forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam*, id eſt gratiam, ut docet idem Lyran. 7. *unctio, ſignaculum, & pignus ſpiritus, quia unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris*: nam unxit nos gratia ſua, & dedit pignus pro futura gloria, ait idem Lyran. 8. *juſtitia*, ut ſæpe dictum eſt. [6] *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus*. Ideo ejus receptio dicitur juſtificatio, &, ut loquitur Trident. [7] *Hæc fit, dum juſtitiam ejus in nobis recipimus*, & quidem hic effectus eſt primarius, & principalis; ergo eſt *renovatio interioris hominis, ſanctificatio, & peccatorum remiſſio*, ut docet Trident. 10. *Filiatio Dei adoptiva*, ideo dicitur, [8] *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum .... ipſe enim ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei*. 11. *Amicitia cum Deo*, & illi placentia, ſeu quædam gratificatio; ideo dicitur *gratia*, & *gratum faciens*, juxta

[1] *con.donat.*2. [2] 2.*cor*.4. [3] *Ibid.* [4] 1. *Jo*. 3.
[5] *Jo*.4. [6] *Matth*.6. [7] *Seſſ*.6. *cap*.7. [8] *Rom*.8.

ta illud, [1] *Vos autem dixi amicos*. Et de homine juſto, (2) *Placens Deo factus eſt dilectus*. 12. *Conſortium, ſeu participatio quædam divinæ naturæ*, de quo diximus ſupra. 13. *Libertas a ſervitute peccati, & diaboli*. Per hanc enim (3) *Deus Pater dignos vos fecit in parte ſortis ſanctorum in lumine, & eripuit nos de poteſtate tenebrarum, traſtulitque in regnum filii dilectionis ſuæ*, inquit Trident. poſt Apoſtolum.

14 *Habitatio Dei in nobis, & noſtra in Deo*: nam inquit Joan. [4] *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Et, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; & quidem per gratiam in nobis eſt Spiritus S. ut in templis. *Neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti .. neſcitis, quia templum Dei eſtis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

15 *Dignificatio operum noſtrorum*, & acceptabilitas eorum in ordine ad meritum gloriæ æternæ de condigno. Hoc ſenſu dicitur, [5] *gratia Dei vita æterna*; Gloſſa addit, *quæ in fine a Deo meritis præcedentibus redditur*, quæ non a nobis ſunt, ſed in nobis facta ſunt per gratiam, & ſine iſta gratia non proſunt nobis alia virtutum opera, ut docet Paulus. [6] *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans*, &c. Hinc Chriſtus dicebat: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, ſc. prima gratia eſt fons, & origo gratiarum ſubſequentium, quas meremur per illam.

Reſtat videre, quomodo effectus illos producat gratia: an ſc. ex influxu ſuo phyſico, & virtute intrinſeca, an moraliter ex pacto, & acceptatione divina, ut loquitur Doctor.

CONCLUSIO I.

Gratia habitualis vere operatur remiſſionem, ſeu deletionem culpæ mortalis, ſed id operatur non phyſice, ſed moraliter, & ex ordinatione divina. Eſt de fide quoad 1. p. & Scotiſtarum, & aliorum quoad 2.

Prob.

[1] *Jo.15.* [2] *Sap.4.*
[3] *Coloſſ.1.* [4] *1.Jo.4.*
[5] *Ro.6.* [6] *1.cor.13.*

Prob. 1.ex Scoto docente, [1] quod remiſſio culpæ fieri poteſt ſine gratia. *Concedo, quod divina offenſa placatur, & iſte, cui dimittitur offenſa, reconciliatur, ſed non ſequitur; ergo eſt acceptus Deo iſta acceptatione ſpeciali, qua eſt acceptus per gratiam. Pax enim, & reconciliatio non dicunt; niſi Deum nolle vindicare culpam iſtam*; ergo remiſſio culpæ eſt immediate a Deo, non effective a gratia, nec formaliter phyſice, ſed moraliter, quatenus intuitu gratiæ, & per infuſionem ejus remittit ipſe, & condonat culpam, & acceptat hominem in amicum.

Confir. nam alibi docet, [2] quod *ratio acceptandi naturam videtur eſſe quidam decor naturæ complacens voluntati divinæ; ita quod ſive ponatur habitus iſte activus, ſive non activus,* (loquitur de gratia habituali) *ex hoc ſolo, quod eſt talis forma decorans, & ornans animam, poteſt eſſe ratio acceptandi naturam, quia ille decor non eſt tota ratio, nec cauſa deletionis peccati, ſed concurrit acceptatio ex parte Dei, & præcedit potius condonatio, ſaltem prius natura.*

Prob. 2.quoad 1.p.ex Script. nam David orat. *Dele iniquitatem meam*; &, *Omnes iniquitates meas dele*; &, *Convertimini, ut deleantur peccata veſtra*; ergo ex Scriptura delentur peccata per gratiam.

Prob.3.ex Concilio Trident. [3] docente, quod *juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio* .... & quod *in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc ſimul infuſa recipit .... fidem, ſpem, & charitatem*, &c.Et Seſ. 6.docuerat, *per baptiſmum peccata non tantum radi, aut non imputari, ſed etiam omnino tolli*. Et Canone 2. definit, quod *ſi quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, &c. Anath. ſit.*

Prob.2.p.1.ex eodem Concilio dicente, quod *miſericors Deus eſt cauſa efficiens juſtificationis, qui gratuito abluit, & ſanctificat .... meritoria autem eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus*,&c.ergo deletio,& remiſſio peccati eſt effective, & phyſice a ſolo Deo.

Prob.2.quia hæc deletio vel eſt idem cum remiſſione paſſiva, vel effectus ejus; ſed neutrum poteſt fie-

I 6 ri phy-

[1] *4.d. 1.q. 6. E.*
[2] *1.d. 17. q. 2.n. 66. vel q. 3. n. 33.*
[3] *Seſs.6.c.7.*

ri phyſice ab ulla creatura; ergo nec ab entitate gratiæ. Prob. min. nam remiſſio paſſiva, ſicut & activa proveniunt a ſolo Deo, ex Concil. Trident.cit.ergo non ab ulla creatura.

Confir.ex dictis de peccato, & macula ejus: non enim eſt quid poſitivum reale, ſed moris, & paſſiva dignitas ad pœnam, aut ipſum peccatum actuale moraliter perſeverans, & non condonatum; ergo non deletur per ullam cauſam creatam phyſicam,quia condonatio activa ſe tenet ex parte Dei offenſi, & paſſiva eſt quid relativum ad activam.

Prob.3.nihil creatum præciſa inſtitutione, & acceptatione Dei poteſt reparare Dei offenſam, & determinare illum ad condonandum, nec reddere hominem dignum ejus amicitia; ſed hæc concurrunt in deletione peccati; ergo hæc non poſſunt eſſe phyſice, & ab entitate phyſica gratiæ, & præciſa Dei ordinatione, & acceptatione gratuita.

Dico *præciſa Dei ordinatione, & acceptatione*, & quidem antecedente, qua decrevit remittere culpam, & condonare offenſam; & acceptare in amicum quemcunque dono illo gratiæ decoraret; nec enim intendo, quod præter infuſionem gratiæ requiratur nova, & poſterior aliqua Dei acceptatio, & volitio condonandi offenſam, ut quidam putant Scotum voluiſſe.

Objic.con.2. p.gratia eſt cauſa formalis juſtificationis eodem modo, quo Deus eſt ejus cauſa efficiens; ſed Deus eſt cauſa efficiens phyſica; ergo & gratia eſt cauſa formalis phyſica. Prob.maj.ex Concil.cit.nam eodem modo, quo dixit, *cauſa efficiens eſt Deus* .... dicit, *unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei*, &c.

Reſp.neg.maj.& ant.prob.nec enim ſomniavit Cōcilium dicere, quod gratia eodem modo concurrat in ſuo genere cauſæ ad juſtificationem, quo ipſe Deus; ſed ſolum intendit, quod Deus non tantum extrinſece, & per ſuam condonationem offenſæ juſtificet peccatorem, ſed etiam per gratiæ interioris infuſionem, quod negabant hæretici. Sic hæc gratia eſt *unica formalis cauſa juſtificationis*, ſeu ipſa formalis juſtitia, & ſanctitas poſitiva interior, & inhærens. Certe remiſſio peccati præciſe non requirit ullam talem qualitatem: nam homo poteſt remittere offenſam ini-

inimico per puram condonationem extrinſecam: & ita juſtificationem noſtram coram Deo fieri volebant hæretici; & Deus poſſet quidem id ita præſtare, ſed de facto conſtat ex principiis fidei id non fieri excluſa gratia interiori, ut loquitur Concilium.

Confir. hoc. Nam cum Patres Concilii docent gratiam, qua juſtificamur, non eſſe tantum favorem Dei extrinſecum, ſatis indicant etiam hunc favorem intervenire.

Inſt. Concilium dicit gratiam non ſolum eſſe cauſam formalem juſtificationis, ſed addit eam eſſe unicam; ſed non eſſet unica, ſi interveniret ille favor, ſeu acceptatio, vel ordinatio; ergo non intervenit.

Reſp. diſt. min. non eſſet unica cum excluſione concauſæ, con. non eſſet unica interior, & inhærens, neg. min. & conſ. gratia cum illa volitione, & ordinatione eſt unica cauſa formalis, quæ tamen non expelleret peccatum, niſi Deus eam vim illius entitati phyſicæ tribuere voluiſſet, ut cum illius infuſione dimitteret ipſe peccatum.

Reſp. 2. neg. eamdem min. nam cum illa Dei acceptatio, & ille favor, quo cum gratia Deus concurrit remittendo offenſam, non ſit quid intrinſecum, & inhærens animæ, ſed extrinſecum ſe tenens in Dei voluntate; ideo gratia eſt unica forma intrinſeca, & inhærens, qua Deus operatur illam juſtificationem in eo genere.

Inſt. 1. ſi gratia non deleret peccatum ex natura ſua, & phyſice, ſeu ex Dei ordinatione, non eſſet vera cauſa formalis juſtificationis; ſed conſeq. eſt contra Concilium; ergo &c. Prob. maj. eſſet potius cauſa inſtrumentalis, aut ſignum remiſſionis peccati, & ſanctitatis, non autem ipſa ſanctitas; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam Deus elevando entitatem gratiæ ad hunc effectum cauſandum, non eam elevavit, aut inſtituit, ut merum ſignum illius dignitatis, ſed ut ipſam formalem dignitatem, honorem, decorem, & formam animæ, in cujus vi Deus remittit offenſam, quas dignitates non habet ex natura ſua phyſica, ſed ex illa Dei ordinatione.

CON-

CONCLUSIO III.

Neque etiam gratia phyſice, & ex natura ſua, ſecluſa Dei acceptatione libera, facit hominem Dei amicum, aut filium Dei, vel hæredem regni ejus, nec liberum a ſervitute diaboli, ſed tantum moraliter, & eadem ordinatione divina.

Prob. 1. ex Scoto ibidem; [1] nam textus allegati ſunt ſatis formales ad hoc, nec placet repetere.

Prob. 2. nam ex Scriptura, & Patribus [2] patet nihil eſſe in homine, quod ad tantas dignitates, & merita poſſit eum elevare, niſi quia ipſe ita voluit. *Quid eſt homo, quia reputas eum? Et quid eſt homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?* Et Chriſtus ipſe dixit, *numquid gratiam habet Dominus ſervo illi, quia fecit, quod ei imperaverat? Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus*; ergo multo minus poterimus nos dicere Dei amicos, vel prætendere ex ulla cauſa phyſica ejus amicitiam. Unde & gratiam ipſam, & amicitiam, & filiationem, & hæreditatem libere, & volens largitur. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et Paulus: [3] *gratia Dei ſum id, quod ſum*, &c.

Confir. ex Concil. Arauſic. [4] nam, inquit, tales nos amat Deus, quales futuri ſumus, non ex aliquo, quod ſit in nobis, ſed ex ejus dono.

Prob. 3. nam nulla videtur nequidem poſſibilis creatura, quæ ex natura ſua nobis conferat Dei amicitiam, nec filiationem, nec viſionem beatam, quæ eſt vita æterna; nec eripere poſſit de ſe ex poteſtate diaboli, quando in eam cecidimus per peccatum.

Confir. de filiatione, hæc enim eſt ſpeciale Dei donum. [5] *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ab ipſo accipimus *adoptionem filiorum, in quo clamamus Abba, pater.* Et, *gratis prædeſtinavit in adoptionem filiorum per I. C.*

Confir. 2. nam in humanis hæc filiatio eſt ex ſola vo-

[1] *Ibid.* [2] *pſal.* 143. *Job.* 7.
[3] *pſalm.* 86. [4] 1. *Cor.* 5.
[5] *Joan.* 1.

voluntate adoptantis; ergo a fortiori in Deo. Ideo dicitur, [1] *ſalvum me fecit, quoniam voluit me*. Et, *ſalvum facit eum, quoniam vult eum*. Quod etiam confir. ex perſona Chriſti, nam licet ipſe ſit filius Dei naturalis, tamen id non habet ex vi gratiæ, ſed ex voluntate Dei. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis*. Uno verbo [2] *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per I. C. ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*.

Prob. 4. de hæreditate. Nam in humanis conſtitutio hæredum eſt plane voluntaria; ergo a fortiori in Deo nihil eſt in rerum natura, quod, ipſo non volente, poſſit hominem facere illius hæredem; ergo a nullius creaturæ conditione naturali, & phyſica, & ſecluſa ejus lege libera, poteſt Deus determinari ad conſtituendum hominem hæredem regni ſui.

Deniq; de libertate a ſervitute diaboli habemus ex Scriptura, quod [3] *Deus Pater eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit nos in regnum hæreditatis ſuæ, in quo habemus redemptionem*, &c. ergo hæc translatio non fit per influxum phyſicum gratiæ, aut ullius entitatis creatæ, ſed immediate, & directe per ejus potentiam, & miſericordiam, movente ad hoc eum ipſa ejus gratia, per quam applicatur meritum ſanguinis Chriſti.

Confirm. nam ex Concil. Trident. [4] *ſola efficiens cauſa illius libertatis eſt miſericors Deus, qui gratuito abluit, & ſanctificat nos*, & Chriſtus pretium redemptionis perſolvit; ergo libertas a ſervitute diaboli, & peccati, quam nobis reſtituit gratia ſanctificans, eſt quidem effectus ejus, ſed non phyſicus; quaſi vero ex natura ſua intrinſeca illam operetur, ſed eſt effectus moralis, quem operatur ex divina ordinatione, qua ſtatuit ipſemet eripere hominem ab illa dira ſervitute, dum illi infunderet divinam illam formam, & qualitatem.

Dixi, *alium effectum huius gratiæ eſſe, quod illa ſit principium meriti*: de quo latius infra videbimus, ubi de merito. Et hoc etiam habet ex acceptatione divina, ut probabimus.

Objic.

[1] *pſal. 17. & 21.* [2] *Ro. 4.* [3] *Coloſs. 2.*
[4] *ſs. 6. c. 7.*

Objic. 1. contra eam partem harum concluſionum, qua negatur hos effectus eſſe phyſice a gratia. Actus Dei circa objecta creata non mutatur, niſi extrinſece, quatenus illa objecta mutantur in ſeipſis; ſed actus accep ionis, & dilectionis Dei circa hominem mutatur, nam hominem acceptat, diligit quamdiu habet gra iam, & odit, & non acceptat, quando deeſt gratia; ergo gratia facit illam intrinſecam mutationem in homine, & facit eum diligibilem, & acceptabilem; ergo id facit realiter, & ex natura ſua phyſica antecedenter ad ullam acceptationem. Prob. hæc ultima conſ. nam acceptatio, & dilectio Dei præſupponit gratiæ inexiſtentiam, ſicut odium, & reprobatio præſupponit peccatum, & abſentiam gratiæ. Hoc eſt præcipuum fundamentum Aureoli, & aliorum adverſariorum.

Reſp. neg. ſubſumptum, ſeu ultimam conſ. nam ex argumento ſequitur quidem, quod præſentia gratiæ facit hominem diligibilem, amicum, juſtum, &c. ſed non quod id faciat ex natura ſua phyſica, ſed ſufficit ad veritatem prioris argumenti, quod Deus ab æterno ſtatuerit habere amicum, juſtum, ſanctum, filium, hæredem, &c. omnem hominem, cui mediante ſacramento, vel alia diſpoſitione ſtatuta infunderet illam formam, ſeu qualitatem, quæ dicitur gratia habitualis. Ad hoc autem minime requiritur, ut gratia operetur iſta ex natura ſua intrinſeca, & phyſica. Imo & de potentia ſua abſoluta poſſet ſic acceptare, & diligere, ſine infuſione talis qualitatis, ut dicemus, aut non acceptare, nec diligere, nec remittere peccatum etiam inexiſtente tali gratia, ut probatum eſt.

Inſt. quando Deus vult Petro gloriam, quam antea non volebat illi, neceſſe eſt aliquam mutationem realem accidiſſe Petro; ergo & aliquam formam realem ineſſe, quæ non inerat, & quæ cauſat illud jus ad gloriam; ergo gratia id facit ex natura ſua phyſica: ita eſt de forma, ſeu peccato, ratione cujus fit odibilis, & non vult illi gloriam, ſed pœnam æternam.

Reſp. neg. pariter conſ. nam admittimus, quod gratia eſt nova illa forma, quæ reddit Petrum diligibilem in ordine ad gloriam, & eſſe peccatum, quod red-

dit

dit illum odibilem in ordine ad pœnam æternam, ſed negamus illa hæc facere phyſice ex natura ſua; ſed dicimus gratiam id facere ex ordinatione divina, qua ſtatuit ſic diligere, & dare gloriam habenti gratiam finaliter, & peccatum facere etiam demeritorie, ut velit damnare Petrum, ſi obierit cum peccato mortali, extra gratiam.

Inſt. 2. omne pulchrum, & bonum ex natura ſua eſt amabile; ſed homo per gratiam ex natura rei, & phyſice habet in ſe realem pulchritudinem, & bonitatem ſupernaturalem; ergo & ex natura talis gratiæ eſt in ſe diligibilis, & acceptabilis.

Reſp. diſt. maj. eſt amabile ex natura ſecundum bonitatem, quam ex natura ſua habet, con. ſecundum bonitatem, quam habet aliunde, quam ex natura ſua, neg. maj. & ſic diſt. min. per gratiam ex natura rei habet bonitatem ſupernaturalem phyſicam in ratione talis entis, & phyſicam, & abſolutam, con. in ordine ad jus, vel meritum gloriæ, vel ad filiationem, &c. neg. min. Deus diligit entitatem phyſicam gratiæ, ſicut entitatem habitus ſupernaturalis fidei, aut ſpei, aut alterius virtutis, qui habitus licet ſint ſupernaturales, non dant ex ſe jus ad gloriam, nec amicitiam, nec filiationem, nec ſanctitatem, cum ſint aliquando in peccatoribus: habent ſuam pulchritudinem, & bonitatem ſpecificam, & intrinſecam; ita & entitas, ſeu habitus gratiæ phyſice ſpectatæ; ſed habet aliam bonitatem adventitiam ex voluntate, & acceptatione divina, ſecundum quam operatur illos effectus, aut ipſe Deus eos operatur intuitu talis formæ, & pulchritudinis, quam illi tribuit.

Objic. 2. ex Concilio Trident. gratia infuſa eſt unica formalis cauſa juſtificationis; ergo eam cauſat ex ſe, & independenter ab acceptatione, vel ordinatione intrinſeca Dei. Prob. antec. unius effectus eſt una cauſa formalis: ſed ſi cum gratia illa concurreret etiam alia cauſa formalis ejuſdem effectus, eſſent duæ cauſæ formales, & ſic gratia non eſſet unica cauſa formalis; ergo &c. Vaſquez valde urget hoc argumentum, ut reddat odioſam noſtram ſententiam.

Reſp. diſt. ant. & maj. prob. unica unitate integritatis, ſeu totalitatis, con. unitate ſimplicitatis exclu-

cludens conſortium alterius compartis, neg. ant. & maj. prob. acceptatio divina cum entitate gratiæ facit, & integrat cauſam illam formalem, nec aliud prætendit Concilium.

Inſt. cauſa formalis debet eſſe intrinſeca ſubjecto, & inhærens; ſed ſola entitas gratiæ eſt intrinſeca, & inhærens juſtificato; ergo eſt unica cauſa formalis juſtificationis unitate ſimplicitatis, & ſine comparte. Prob. min. nam ordinatio, & acceptatio divina ſe tenet ex parte Dei, & eſt extra entitatem gratiæ, ſicut & animæ juſtificatæ; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſecundum vim, quam habet ad cauſandum ſuum effectum, con. ita ut vis illa inſit ei ab intrinſeco, & ex natura ſua, neg. maj. & conſ. gratia juſtificans tota, & ſola inhæret ſecundum vim, quam illi tribuit Deus per ſuam acceptationem, & inſtitutionem antecedentem ad actualem ejus infuſionem.

Objic. 3. ſequeretur juſtificationem pendere ab extrinſeco favore Dei, non autem fieri per internam hominis renovationem; ſed hoc eſt contra Concilium, & eſt error Lutheri, & Calvini; ergo &c. Maj. patet, nam gratia non juſtificaret niſi per acceptationem liberam Dei: prob. min. nam illi hæretici docebant, quod gratia non juſtificat niſi imperfecte, & inchoative; completive autem per externam, & gratuitam Dei acceptationem, vel imputationem juſtitiæ Chriſti; ſed hoc ita contingeret in noſtra ſententia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. gratia ex natura ſua, & præciſa lege divina, qua illi entitati talem virtutem libere indidit, con. ſuppoſita illa lege, & virtute per illam legem accepta, neg. ant. hæretici dicebant hominem juſtificari mediante fiducia, quam habet in Dei miſericordia, & in meritis Chriſti, qua fiducia mediante Deus non imputat, ſed tegit illius peccata, imputans illi juſtitiam Chriſti. Sic ab illis toto cœlo differt noſtra ſententia.

Objic. 4. ſequeretur gratiam poſſe intendi in ratione gratiæ, & non intendi in ratione qualitatis; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo &c. Prob. maj. poſſet Deus acceptare entitatem remiſſam qualitatis gratiæ ad majorem, aut minorem ſanctitatem, glo-

riam,

riam, & juſtitiam pro ſuo libitu; nam ille effectus commenſuraretur acceptationi Dei, non vero entitati gratiæ; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam ſuppoſita ordinatione Dei antecedenti, & generali, effectus gratiæ; ut gratia eſt, ſc. ſanctificatio, amabilitas &c. commenſurantur ipſi entitati gratiæ. Ex alia quidem lege poſſibili hoc etiam potuiſſet Deus facere, ſed de lege poſita, & ordinaria id non facit; ſed ſicut entitas gratiæ intenditur per additionem gradus ad gradum, ita & effectus ejus ex illa Dei generali acceptatione.

Objic. denique. Sequeretur, quod omnes effectus, qui ex Scriptura, & Patribus tribuuntur gratiæ, eſſent extrinſeci favores Dei, & ſic homo non eſſet intrinſece juſtus, nec ſanctus, nec gratus Deo, &c. ſed conſequens eſt falſum, & abſurdum; ergo &c. Prob. maj. nam hæc omnia efficeret ex Dei acceptatione, quæ eſt extrinſeca tum gratiæ, tum homini.

Reſp. neg. maj. nam gratia, quæ eſt formalis juſtitia, & ſanctitas, inhæret intrinſece homini juſto, & per ſuam inhærentiam, & virtutem ſibi à Deo tributam ipſum mundat, ſanctificat, & cauſat omnes illos effectus.

Inſt. ex hac doctrina ſequitur charitatem non facere hominem Deo amicum, charum, & gratum niſi ex acceptatione divina; ergo hæc omnia reducuntur ad extrinſecum Dei favorem.

Reſp. diſt. ant. ex acceptatione cum infuſione interna ipſius charitatis, quæ iſta efficit per virtutem ſibi moraliter inditam ex acceptatione, ſeu ordinatione divina, con. ex acceptatione pure externa ſine infuſione interioris charitatis, neg. ant. & conſ. nam ut ſæpius dictum eſt, utrumque concurrit, & acceptatio divina entitatis gratiæ, ut iſta præſtet in homines, & infuſio habitus ſupernaturalis gratiæ, ſeu charitatis.

DISPUTATIO V.

De cauſis gratiæ.

CAuſæ phyſicæ gratiæ, ſicut & reliquorum omnium entium creatorum, quatuor poſſunt eſſe, *efficiens*, *finalis*, *formalis*, *&* *materialis*, & addi poteſt *inſtrumentalis*. De prima, 3. & 4. hic principaliter agendum eſt; nam cum ſit entitas ſpiritualis, & ideo ſimplex, nihil videtur addendum ad ea, quæ hucuſque diximus de ejus natura: & de inſtrumentali agemus in tr. de ſacramentis. De cauſa morali, ſeu meritoria dicemus in tract. de incarnatione.

QUÆSTIO I.

De cauſa efficiente gratiæ.

CAuſa efficiens alia eſt *principalis*, quæ in productione ſui effectus a nullius alterius cauſæ ſuperioris concurſu dependet in eodem genere cauſę: Alia *minus principalis*, ſeu *coagens*, quæ in productione ſui effectus dependet a concurſu alicujus cauſæ ſuperioris; ita ut ſine illa non poſſet producere. Sic Deus ſolus eſt prima, & principalis cauſa rerum omnium, & creaturæ omnes, reſpectu ejus, ſunt ſecundariæ, & *minus principales*. Quæritur hic quænam ſit cauſa efficiens gratiæ tam principalis, & primaria, quam ſecundaria; an ſcilicet Deus ſe ſolo eam producat, an cum ipſo concurrat ad efficientiam ejus, ſeu effective ulla creatura.

CONCLUSIO.

D*Eus ſolus ita eſt cauſa efficiens gratiæ, ut nulli creaturæ poſſit competere illius efficientia*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Gratia eſt a ſolo Deo per creationem, & a ſolo Deo conſervatur, et quando deſtruitur, annihilatur, quia ejus productio eſt creatio, ejus*

[1] 2.d.27.A.4.

jus deſtructio eſt annihilatio. Quod etiam innuit alibi ſæpe ex eodem principio.

Prob.2. ex Script. [1] nam dicitur, *gratiam, & gloriam dabit Dominus*: & *humilibus dat gratiam*: & Apoſtolus, [2] *unus eſt Deus, qui juſtificat*. Et, [3] *Deus qui juſtificat, quis eſt, qui condemnet?* Et, [4] *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Et, *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Et ſic de aliis; nam ejus eſt producere, & dare gratiam, cujus eſt juſtificare, & dimittere peccata.

Prob 3. ex Conciliis. Nam in Concilio Tridentino de cauſis juſtificationis docet, quod [5] *efficiens eſt miſericors Deus, qui gratuito & abluit, ſanctificat ſignans, & ungens ſpiritu promiſſionis ſancto*. Et colligitur ex Concil. Viennenſi docente, *gratiam, & virtutes parvulis infundi*: a quo enim poſſent infundi, niſi a ſolo Deo?

Prob.4. ex Patribus. Nam Auguſtinus [6] loquens de ſponſa dealbata, a quo dealbata eſt, niſi ab illo, qui dicit per Prophetam, *ſi fuerint peccata veſtra, ut phœnicium, ſicut nivem dealbabo*, &c. Et alibi ait, [7] *ſi quis auſus fuerit dicere, juſtifico te*, ſc.efficienter, *conſequens eſt, ut dicat, crede in me*. Et Dionyſ. [8] loquens de baptizato, *Hunc divina majeſtas in ſui conſortium intus admittit, eique lucem ſuam perinde, ac ſignum aliquod tradit, ſanctum efficiens, & ſanctorum ſortis, ordiniſque participem*, &c.

Prob. 5.ratione. 1. quia ejus eſt gratiam producere, & infundere, cujus eſt juſtificare,& peccata remittere: nam ſic eſt effectus formalis hujus gratiæ; ſed hoc ſoli Deo competit; ergo & illud. Min. patet ex Script. Conciliis, & Patribus citatis.

2. Quia gratia eſt entitas ſupernaturalis in ſubſtantia; nec poteſt eſſe connaturalis ulli creaturæ, ut patet ex ejus effectibus ſupra enumeratis, nequidem naturaliter cognoſci, ſed ſola fide; ergo a ſolo Deo eſt.

3.Quia nulla creatura poteſt habere efficientiam ul-

lam

[1] *pſ.83.* [2] *Jac.4.* [3] *Rom.3.* [4] *Job.14.*
[5] *ſ.6.c.7.* [6] *cant. de gra. & lib.ar.6.*
[7] *de pec. mer. 14.*
[8] *Eccleſ. Hierar.2.*

CONCLUSIO II.

GRatia habitualis vere facit hominem ſanctum, *juſtum, & Deo gratum, ſed non ex natura ſua phyſica, ſed moraliter*. Eſt etiam de fide quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] ubi hos effectus tribuit gratiæ ex acceptatione divina.

Prob. 2. quoad 1. p. de ſanctitate. Nam nomine ſanctitatis hic nihil aliud intelligitur, quam emundatio a peccato, juxta illud Dionyſii: [2] *ſanctitas eſt ab omni immunditia libera, perfecta, & immaculata mundities*. Et hoc ſenſu dicitur apud Jeremiam: [3] *antequam exires de vulva, ſanctificavi te*. Et de Joanne Baptiſta, [4] *ſpiritu ſancto repletus eſt ex utero matris ſuæ*: Sed hoc præſtat gratia habitualis: nam ideo vocatur ſanctificans, & Concilium Tridentinum juſtificationem vocat *ſanctificationem*, ut doceat Adamum perdidiſſe nobis gratiam iſtam, dicit eum perdidiſſe nobis, & ſibi *acceptam a Deo ſanctitatem, & juſtitiam*; ergo &c.

Confir. ex Apoſtolo dicente, quod Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, *mundans lavacro aquæ*, &c. *Ut ſit ſancta, & immaculata*, &c.

Prob. de juſtitia. Nam idem Tridentinum vocat hanc gratiam *juſtitiam, quam in nobis recipimus*. Et Scriptura eodem ſenſu loquitur, cum dicit: *Et peccatis mortui juſtitiæ vivamus*. Et ab ea dicitur; *ibunt juſti in vitam æternam*, nec de hoc ullus dubitat.

Prob. de gratificatione, qua Deo placent, qui hanc gratiam recipiunt; nam ideo dicitur *gratia gratum faciens*, ad differentiam aliarum ſpecierum gratiæ, quæ de ſe præciſe non faciunt gratos Deo habentes. Ideo Apoſtolus dicit; *qui ſunt in carne, Deo placere non poſſunt, vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu*.

Prob. 2. p. ex dictis ſupra: nam gratia hæc non facit hominem ſanctum, nec juſtum, nec Deo gratum niſi eo modo, & influxu, quo expellit, & delet peccatum, & quo reddit eum conſortem Dei naturæ;

[1] *Ibid.* [2] *div. no.* 2. [3] *Jerem.* 1. [4] *Luc.* 1.

ræ; ſed hæc non præſtat niſi moraliter; ergo nec illa. Min. patet ex dictis. Probat. maj. nam 1. quoad ſanctitatem; hæc fundatur principaliter in munditia a peccato, quæ eſt quid morale. 2. Idem eſt de juſtitia. Nam *peccatum eſt iniquitas*, & quidem moralis; ergo ſicut expellitur, & deletur peccatum, ita confertur juſtitia, & fit homo juſtus.

Prob. 2. ex Patribus. Juſtitia eſt in unoquoque fideli ut obedienti, ut *Deus homini, animus corpori, & ratio vitiis etiam repugnantibus imperet*, &c. ait Auguſt. & alibi: [1] *Juſtitiæ ratio eſt, ut declinentur mala, & fiant bona*. Et l. 3. con. duas litt. *ad* Bonifacium, *juſtitia perficitur in dilectione Dei vera, & perfecta, & quanto amplius diligimus Deum, tanto ſumus utique juſtiores, & plena juſtitia tantummodo poſt hanc vitam acquiritur*, &c. Et ſic de aliis proprietatibus juſtitiæ, quas ex Auguſtino, [2] & aliis Patribus colligimus; ſed hæc non poſſunt haberi phyſice a gratia habituali, ſed ab aliis virtutibus, & a gratia actuali, cujus auxilio poſſumus elicere plures actus veræ juſtitiæ, licet non meritorios de condigno; ergo gratia habitualis ex natura ſua phyſica non facit hominem juſtum. Prob. min. ex dictis diſp. ſuperiori de neceſſitate gratiæ actualis etiam in iis, qui habent gratiam habitualem.

Confir. ex Concil. Trident. dicente, quod gratiæ auxilium non ſolum dat nobis, ut facilius impleamus mandata, ſed facit, ut poſſimus; ergo facere hominem juſtum non eſt effectus phyſicus, nec proprius gratiæ habitualis.

Probat. etiam de gratificatione, ſeu de facere gratum; nam nihil creatum ex natura ſua habet, quod ſic placeat Deo ſpecialiter, & maxime in ordine ad meritum vitæ æternę independenter a libera ejus acceptatione, qua ſtatuit illos habere gratos, & diligeret tales, quibus infundit illum decorem. Prob. ex Apoſtolo: *elegit nos in ipſo* (Chriſto,) *ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate .... ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuę*, &c.

CON-

[1] 19. civ. 25. [2] *de mirab. ſcript.*

CONCLUSIO III.

NEque etiam gratia phyſice, & ex natura ſua, ſecluſa Dei acceptatione libera, facit hominem Dei amicum, aut filium Dei, vel hæredem regni ejus, nec liberum a ſervitute diaboli, ſed tantum moraliter, & eadem ordinatione divina.

Prob. 1. ex Scoto ibidem; [1] nam textus allegati ſunt ſatis formales ad hoc, nec placet repetere.

Prob. 2. nam ex Scriptura, & Patribus [2] patet nihil eſſe in homine, quod ad tantas dignitates, & merita poſſit eum elevare, niſi quia ipſe ita voluit. *Quid eſt homo, quia reputas eum? Et quid eſt homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?* Et Chriſtus ipſe dixit, *numquid gratiam habet Dominus ſervo illi, quia fecit, quod ei imperaverat? Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus*; ergo multo minus poterimus nos dicere Dei amicos, vel prætendere ex ulla cauſa phyſica ejus amicitiam. Unde & gratiam ipſam, & amicitiam, & filiationem, & hæreditatem libere, & volens largitur. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et Paulus: [3] *gratia Dei ſum id, quod ſum*, &c.

Confir. ex Concil. Arauſic. [4] nam, inquit, tales nos amat Deus, quales futuri ſumus, non ex aliquo, quod ſit in nobis, ſed ex ejus dono.

Prob. 3. nam nulla videtur nequidem poſſibilis creatura, quæ ex natura ſua nobis conferat Dei amicitiam, nec filiationem, nec viſionem beatam, quæ eſt vita æterna; nec eripere poſſit de ſe ex poteſtate diaboli, quando in eam cecidimus per peccatum.

Confir. de filiatione, hæc enim eſt ſpeciale Dei donum. [5] *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ab ipſo accipimus *adoptionem filiorum, in quo clamamus Abba, pater.* Et, *gratis prædeſtinavit in adoptionem filiorum per I. C.*

Confir. 2. nam in humanis hæc filiatio eſt ex ſola vo-

[1] *Ibid.* [2] *pſal.* 143. *Job.* 7.
[3] *pſalm.* 86. [4] 1. *Cor.* 5.
[5] *Joan.* 1.

voluntate adoptantis; ergo a fortiori in Deo. Ideo dicitur, [1] *ſalvum me fecit, quoniam voluit me*. Et, *ſalvum facit eum, quoniam vult eum*. Quod etiam confir. ex perſona Chriſti, nam licet ipſe ſit filius Dei naturalis, tamen id non habet ex vi gratiæ, ſed ex voluntate Dei. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis.* Uno verbo [2] *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per I. C. ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*.

Prob. 4. de hæreditate. Nam in humanis conſtitutio hæredum eſt plane voluntaria; ergo a fortiori in Deo nihil eſt in rerum natura, quod, ipſo non volente, poſſit hominem facere illius hæredem; ergo a nullius creaturæ conditione naturali, & phyſica, & ſecluſa ejus lege libera, poteſt Deus determinari ad conſtituendum hominem hæredem regni ſui.

Deniq; de libertate a ſervitute diaboli habemus ex Scriptura, quod [3] *Deus Pater eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit nos in regnum hæreditatis ſuæ, in quo habemus redemptionem*, &c. ergo hæc translatio non fit per influxum phyſicum gratiæ, aut ullius entitatis creatæ, ſed immediate, & directe per ejus potentiam, & miſericordiam, movente ad hoc eum ipſa ejus gratia, per quam applicatur meritum ſanguinis Chriſti.

Confirm. nam ex Concil. Trident. [4] *ſola efficiens cauſa illius libertatis eſt miſericors Deus, qui gratuito abluit, & ſanctificat nos*, & Chriſtus pretium redemptionis perſolvit; ergo libertas a ſervitute diaboli, & peccati, quam nobis reſtituit gratia ſanctificans, eſt quidem effectus ejus, ſed non phyſicus; quaſi vero ex natura ſua intrinſeca illam operetur, ſed eſt effectus moralis, quem operatur ex divina ordinatione, qua ſtatuit ipſemet eripere hominem ab illa dira ſervitute, dum illi infunderet divinam illam formam, & qualitatem.

Dixi, *alium effectum huius gratiæ eſſe, quod illa ſit principium meriti:* de quo latius infra videbimus, ubi de merito. Et hoc etiam habet ex acceptatione divina, ut probabimus.

Objic.

[1] *pſal.* 17. & 21. [2] *Ro.* 4. [3] *Coloſs.* 2.
[4] *ſ.* 6. *c.* 7.

Objic. 1. contra eam partem harum concluſionum, qua negatur hos effectus eſſe phyſice a gratia. Actus Dei circa objecta creata non mutatur, niſi extrinſece, quatenus illa objecta mutantur in ſeipſis; ſed actus acceptionis, & dilectionis Dei circa hominem mutatur, nam hominem acceptat, diligit quamdiu habet gratiam, & odit, & non acceptat, quando deeſt gratia; ergo gratia facit illam intrinſecam mutationem in homine, & facit eum diligibilem, & acceptabilem; ergo id facit realiter, & ex natura ſua phyſica antecedenter ad ullam acceptationem. Prob. hæc ultima conſ. nam acceptatio, & dilectio Dei præſupponit gratiæ inexiſtentiam, ſicut odium, & reprobatio præſupponit peccatum, & abſentiam gratiæ. Hoc eſt præcipuum fundamentum Aureoli, & aliorum adverſariorum.

Reſp. neg. ſubſumptum, ſeu ultimam conſ. nam ex argumento ſequitur quidem, quod præſentia gratiæ facit hominem diligibilem, amicum, juſtum, &c. ſed non quod id faciat ex natura ſua phyſica, ſed ſufficit ad veritatem prioris argumenti, quod Deus ab æterno ſtatuerit habere amicum, juſtum, ſanctum, filium, hæredem, &c. omnem hominem, cui mediante ſacramento, vel alia diſpoſitione ſtatuta infunderet illam formam, ſeu qualitatem, quæ dicitur gratia habitualis. Ad hoc autem minime requiritur, ut gratia operetur iſta ex natura ſua intrinſeca, & phyſica. Imo & de potentia ſua abſoluta poſſet ſic acceptare, & diligere, ſine infuſione talis qualitatis, ut dicemus, aut non acceptare, nec diligere, nec remittere peccatum etiam inexiſtente tali gratia, ut probatum eſt.

Inſt. quando Deus vult Petro gloriam, quam antea non volebat illi, neceſſe eſt aliquam mutationem realem accidiſſe Petro; ergo & aliquam formam realem ineſſe, quæ non inerat, & quæ cauſat illud jus ad gloriam; ergo gratia id facit ex natura ſua phyſica: ita eſt de forma, ſeu peccato, ratione cujus fit odibilis, & non vult illi gloriam, ſed pœnam æternam.

Reſp. neg. pariter conſ. nam admittimus, quod gratia eſt nova illa forma, quæ reddit Petrum diligibilem in ordine ad gloriam, & eſſe peccatum, quod red-

dit illum odibilem in ordine ad pœnam æternam, ſed negamus illa hæc facere phyſice ex natura ſua; ſed dicimus gratiam id facere ex ordinatione divina, qua ſtatuit ſic diligere, & dare gloriam habenti gratiam finaliter, & peccatum facere etiam demeritorie, ut velit damnare Petrum, ſi obierit cum peccato mortali, extra gratiam.

Inſt. 2. omne pulchrum, & bonum ex natura ſua eſt amabile; ſed homo per gratiam ex natura rei, & phyſice habet in ſe realem pulchritudinem, & bonitatem ſupernaturalem; ergo & ex natura talis gratiæ eſt in ſe diligibilis, & acceptabilis.

Reſp. diſt. maj. eſt amabile ex natura ſecundum bonitatem, quam ex natura ſua habet, con. ſecundum bonitatem, quam habet aliunde, quam ex natura ſua, neg. maj. & ſic diſt. min. per gratiam ex natura rei habet bonitatem ſupernaturalem phyſicam in ratione talis entis, & phyſicam, & abſolutam, con. in ordine ad jus, vel meritum gloriæ, vel ad filiationem, &c. neg. min. Deus diligit entitatem phyſicam gratiæ, ſicut entitatem habitus ſupernaturalis fidei, aut ſpei, aut alterius virtutis, qui habitus licet ſint ſupernaturales, non dant ex ſe jus ad gloriam, nec amicitiam, nec filiationem, nec ſanctitatem, cum ſint aliquando in peccatoribus: habent ſuam pulchritudinem, & bonitatem ſpecificam, & intrinſecam; ita & entitas, ſeu habitus gratiæ phyſice ſpectatæ; ſed habet aliam bonitatem adventitiam ex voluntate, & acceptatione divina, ſecundum quam operatur illos effectus, aut ipſe Deus eos operatur intuitu talis formæ, & pulchritudinis, quam illi tribuit.

Objic. 2. ex Concilio Trident. gratia infuſa eſt unica formalis cauſa juſtificationis; ergo eam cauſat ex ſe, & independenter ab acceptatione, vel ordinatione intrinſeca Dei. Prob. antec. unius effectus eſt una cauſa formalis: ſed ſi cum gratia illa concurreret etiam alia cauſa formalis ejuſdem effectus, eſſent duæ cauſæ formales, & ſic gratia non eſſet unica cauſa formalis; ergo &c. Vaſquez valde urget hoc argumentum, ut reddat odioſam noſtram ſententiam.

Reſp. diſt. ant. & maj. prob. unica unitate integritatis, ſeu totalitatis, con. unitate ſimplicitatis exclu-

cludens conſortium alterius compartis, neg. ant. & maj. prob. acceptatio divina cum entitate gratiæ facit, & integrat cauſam illam formalem, nec aliud prætendit Concilium.

Inſt. cauſa formalis debet eſſe intrinſeca ſubjecto, & inhærens; ſed ſola entitas gratiæ eſt intrinſeca, & inhærens juſtificato; ergo eſt unica cauſa formalis Juſtificationis unitate ſimplicitatis, & ſine comparte. Prob. min. nam ordinatio, & acceptatio divina ſe tenet ex parte Dei, & eſt extra entitatem gratiæ, ſicut & animæ juſtificatæ; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſecundum vim, quam habet ad cauſandum ſuum effectum, con. ita ut vis illa inſit ei ab intrinſeco, & ex natura ſua, neg. maj. & conſ. gratia juſtificans tota, & ſola inhæret ſecundum vim, quam illi tribuit Deus per ſuam acceptationem, & inſtitutionem antecedentem ad actualem ejus infuſionem.

Objic. 3. ſequeretur juſtificationem pendere ab extrinſeco favore Dei, non autem fieri per internam hominis renovationem; ſed hoc eſt contra Concilium, & eſt error Lutheri, & Calvini; ergo &c. Maj. patet, nam gratia non juſtificaret niſi per acceptationem liberam Dei: prob. min. nam illi hæretici docebant, quod gratia non juſtificat niſi imperfecte, & inchoative; completive autem per externam, & gratuitam Dei acceptationem, vel imputationem juſtitiæ Chriſti; ſed hoc ita contingeret in noſtra ſententia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. gratia ex natura ſua, & præciſa lege divina, qua illi entitati talem virtutem libere indidit, con. ſuppoſita illa lege, & virtute per illam legem accepta, neg. ant. hæretici dicebant hominem juſtificari mediante fiducia, quam habet in Dei miſericordia, & in meritis Chriſti, qua fiducia mediante Deus non imputat, ſed tegit illius peccata, imputans illi juſtitiam Chriſti. Sic ab illis toto cœlo differt noſtra ſententia.

Objic. 4. ſequeretur gratiam poſſe intendi in ratione gratiæ, & non intendi in ratione qualitatis; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo &c. Prob. maj. poſſet Deus acceptare entitatem remiſſam qualitatis gratiæ ad majorem, aut minorem ſanctitatem, glo-

riam,

riam, & juſtitiam pro ſuo libitu; nam ille effectus commenſuraretur acceptationi Dei, non vero entitati gratiæ; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam ſuppoſita ordinatione Dei antecedenti, & generali, effectus gratiæ, ut gratia eſt, ſc. ſanctificatio, amabilitas &c. commenſurantur ipſi entitati gratiæ. Ex alia quidem lege poſſibili hoc etiam potuiſſet Deus facere, ſed de lege poſita, & ordinaria id non facit; ſed ſicut entitas gratiæ intenditur per additionem gradus ad gradum, ita & effectus ejus ex illa Dei generali acceptatione.

Objic. denique. Sequeretur, quod omnes effectus, qui ex Scriptura, & Patribus tribuuntur gratiæ, eſſent extrinſeci favores Dei, & ſic homo non eſſet intrinſece juſtus, nec ſanctus, nec gratus Deo, &c. ſed conſequens eſt falſum, & abſurdum; ergo &c. Prob. maj. nam hæc omnia efficeret ex Dei acceptatione, quæ eſt extrinſeca tum gratiæ, tum homini.

Reſp. neg. maj. nam gratia, quæ eſt formalis juſtitia, & ſanctitas, inhæret intrinſece homini juſto, & per ſuam inhærentiam, & virtutem ſibi à Deo tributam ipſum mundat, ſanctificat, & cauſat omnes illos effectus.

Inſt. ex hac doctrina ſequitur charitatem non facere hominem Deo amicum, charum, & gratum niſi ex acceptatione divina; ergo hæc omnia reducuntur ad extrinſecum Dei favorem.

Reſp. diſt. ant. ex acceptatione cum infuſione interna ipſius charitatis, quæ iſta efficit per virtutem ſibi moraliter inditam ex acceptatione, ſeu ordinatione divina, con. ex acceptatione pure externa ſine infuſione interioris charitatis, neg. ant. & conſ. nam ut ſæpius dictum eſt, utrunique concurrit, & acceptatio divina entitatis gratiæ, ut iſta præſtet in homines, & infuſio habitus ſupernaturalis gratiæ, ſeu charitatis.

DISPUTATIO V.

De cauſis gratiæ.

CAuſæ phyſicæ gratiæ, ſicut & reliquorum omnium entium creatorum, quatuor poſſunt eſſe, *efficiens*, *finalis*, *formalis*, *&* *materialis*, & addi poteſt *inſtrumentalis*. De prima, 3. & 4. hic principaliter agendum eſt; nam cum ſit entitas ſpiritualis, & ideo ſimplex, nihil videtur addendum ad ea, quæ hucuſque diximus de ejus natura: & de inſtrumentali agemus in tr. de ſacramentis. De cauſa morali, ſeu meritoria dicemus in tract. de incarnatione.

QUÆSTIO I.

De cauſa efficiente gratiæ.

CAuſa efficiens alia eſt *principalis*, quæ in productione ſui effectus a nullius alterius cauſæ ſuperioris concurſu dependet in eodem genere cauſę: Alia *minus principalis*, ſeu *coagens*, quæ in productione ſui effectus dependet a concurſu alicujus cauſæ ſuperioris; ita ut ſine illa non poſſet producere. Sic Deus ſolus eſt prima, & principalis cauſa rerum omnium, & creaturæ omnes, reſpectu ejus, ſunt ſecundariæ, & *minus principales*. Quæritur hic quænam ſit cauſa efficiens gratiæ tam principalis, & primaria, quam ſecundaria; an ſcilicet Deus ſe ſolo eam producat, an cum ipſo concurrat ad efficientiam ejus, ſeu effective ulla creatura.

CONCLUSIO.

D*Eus ſolus ita eſt cauſa efficiens gratiæ, ut nulli creaturæ poſſit competere illius efficientia*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Gratia eſt a ſolo Deo per creationem, & a ſolo Deo conſervatur, et quando deſtruitur, annihilatur, quia ejus productio eſt creatio, ejus*

[1] 2. d. 27. A. 4.

jus deſtructio eſt annihilatio. Quod etiam innuit alibi ſæpe ex eodem principio.

Prob.2. ex Script. [1] nam dicitur, *gratiam, & gloriam dabit Dominus:* & *humilibus dat gratiam:* & Apoſtolus, [2] *unus eſt Deus, qui juſtificat*. Et, [3] *Deus qui juſtificat, quis eſt, qui condemnet?* Et, [4] *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Et, *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Et ſic de aliis; nam ejus eſt producere, & dare gratiam, cujus eſt juſtificare, & dimittere peccata.

Prob 3. ex Conciliis. Nam in Concilio Tridentino de cauſis juſtificationis docet, quod [5] *efficiens eſt miſericors Deus, qui gratuito & abluit, ſanctificat ſignans, & ungens ſpiritu promiſſionis ſancto*. Et colligitur ex Concil. Viennenſi docente, *gratiam, & virtutes parvulis infundi*: a quo enim poſſent infundi, niſi a ſolo Deo?

Prob.4. ex Patribus. Nam Auguſtinus [6] loquens de ſponſa dealbata, a quo dealbata eſt, niſi ab illo, qui dicit per Prophetam, *ſi fuerint peccata veſtra, ut phœnicium, ſicut nivem dealbabo*, &c. Et alibi ait, [7] *ſi quis auſus fuerit dicere, juſtifico te*, ſc.efficienter, *conſequens eſt, ut dicat, crede in me*. Et Dionyſ. [8] loquens de baptizato, *Hunc divina majeſtas in ſui conſortium intus admittit, eique lucem ſuam perinde, ac ſignum aliquod tradit, ſanctum efficiens, & ſanctorum ſortis, ordiniſque participem*, &c.

Prob. 5.ratione. 1. quia ejus eſt gratiam producere, & infundere, cujus eſt juſtificare,& peccata remittere: nam ſic eſt effectus formalis hujus gratiæ; ſed hoc ſoli Deo competit; ergo & illud. Min. patet ex Script. Conciliis, & Patribus citatis.

2. Quia gratia eſt entitas ſupernaturalis in ſubſtantia; nec poteſt eſſe connaturalis ulli creaturæ, ut patet ex ejus effectibus ſupra enumeratis, nequidem naturaliter cognoſci, ſed ſola fide; ergo a ſolo Deo eſt.

3.Quia nulla creatura poteſt habere efficientiam ul-
lam

[1] *pſ.83.* [2] *Jac.4.* [3] *Rom.3.* [4] *Job.14.*
[5] *ſs.6.c.7.* [6] *cant. de gra. & lib.ar.6.*
[7] *de pec. mer.* 14.
[8] *Eccleſ. Hierar.2.*

lam circa miſſionem Spiritus S. ergo nec circa gratiam iſtam. Prob. conſ. nam datur nobis Spiritus S. quando hanc gratiam infundit, juxta illud, *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*.

4. Creatio eſt ſolius Dei, ita ut a creatura eſſe non poſſit, nequidem inſtrumentaliter; ſed gratia producitur per creationem; ergo eſt a ſolo Deo. Maj. ſupponitur ex Philoſophia. Minor patebit ex dicendis.

5. Cauſa principalis gratiæ deberet continere eminenter, aut virtualiter omnes virtutes, ſeu effectus gratiæ, delere peccata, facere juſtum, ſanctum, filium, & amicum, & hæredem Dei, &c. ſed hæc nulli creaturæ convenire poſſunt; ergo &c. Hoc argumentum non videtur favere iis, qui tribuunt hos effectus entitati gratiæ ex natura ejus phyſica. Nam ſicut hæc qualitas includeret tales effectus in ſua virtute, & efficacia naturali, ita & eoſdem poſſet habere virtualiter alia creatura ſubſtantialis, & quidem a fortiori.

Objic. 1. humanitas Chriſti concurrit efficienter ad productionem gratiæ ſaltem ut cauſa coagens, & minus principalis, & ſacramenta ut cauſæ inſtrumentales; ſed humanitas illa eſt creatura, ſicut & materiæ ſacramentales; ergo efficientia gratiæ non convenit ſoli Deo, ſed etiam creaturæ ſaltem minus principaliter, & inſtrumentaliter. Prob. maj. ex Script. *gratia, & veritas per I.C. facta eſt*. Et hoc, inquit Chryſoſt. [1] *quia cum poteſtate remittebat peccata, regenerabat*, &c. De ſacramentis non poteſt dubitari, quin ſint cauſæ inſtrumentales gratiæ; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quoad 1. p. effective ratione ſuppoſiti divini, & ut Deus, con. ut humanitas, & præciſè a ſuppoſito divino, neg. maj. Apoſtolus nomine Jeſu Chriſti intelligit totam perſonam, quæ eſt Deus, & homo. *In rebus per tempus ortis illa ſumma gratia eſt, quod homo in unitate perſonæ conjunctus eſt Deo, in rebus vero æternis veritas ſumma tribuitur verbo*, inquit Auguſtin. explicans illum textum.

De ſacramentis etiam diſt. illam partem: Sacra-

[1] *Jo. 1.*

men-

menta concurrunt, ut cauſæ inſtrumentales morales, con. ut cauſæ phyſicæ, neg. maj. nam ex Scoto, ſacramenta cauſant gratiam moraliter tantùm, non phyſicè. Aliter tueri ſe debent Thomiſtæ, & alii, qui dant illis cauſalitatem phyſicam, ſed ipſi viderint.

Objicies 2. non implicat creaturam concurrere phyſicè ad productionem gratiæ; ergo non debet dici impoſſibile Deum elevare creaturam, ut ſecum illam poſſit producere. Probatur ant. ſi implicaret, hoc eſſet vel ob ſpiritualitatem, vel ob ſupernaturalitatem; ſed ex neutro capite implicat; ergo ex nullo. Prob. min. nam homo, & Angelus concurrunt phyſicè ad productionem viſionis Dei, & fruitionis, & ad actus charitatis tum in via, tum in patria; ſed hi actus ſunt ſpirituales, & ſupernaturales æquè, ac gratiæ; ergo &c.

Reſpondeo neg. min. nam implicat ex ſupernaturalitate, qua fit, ut natura non poſſit operari extra ſuum ordinem, & maximè propter effectus illos gratiæ, ſuppoſito quod ſint phyſicè à gratia, ut volunt plurimi. Ad prob. neg. paritatem. Nam actus illi viſionis, & fruitionis non ſunt ita extra ordinem intellectus, & voluntatis; nam illæ potentiæ habent pro objecto ſuo adæquato omne ens, omne intelligibile, & volibile, & ſic Deus continetur ſub illorum objecto, quamvis non ſit hoc modo ab eis attingibilis naturaliter, tamen habent inchoatam vim illud attingendi, quam non habent circa productionem gratiæ.

Reſpondeo 2. neg. ant. & maj. prob. non enim ſufficienter enumerat capita implicantiæ, venit quippe ex natura gratiæ, & creaturæ; nam illa petit creari, & huic eſt impoſſibilis actio creativa, ut jam diximus, & probatum eſt alibi ex parte creaturæ, & probabitur ex parte gratiæ.

Objicies 3. idem agens, quod producit ultimas diſpoſitiones ad formam, producit & ipſam; ſed homo producit ultimas diſpoſitiones ad gratiam in anima; ergo & ipſam gratiam. Prob. min. homo producit actum contritionis; ſed iſte actus eſt ultima diſpoſitio ad gratiam; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſi forma educatur de potentia ſubje-

&i, ut ignis de potentia ligni, con. ſi non educatur, ſed creetur, neg. maj. & conſ. nam gratia non educitur de potentia naturali animæ, ſed creatur, ut mox patebit.

Reſp. 2. diſt. eandem maj. ſi forma producatur phyſicè, & neceſſariò ſequatur diſpoſitiones poſitas ex parte ſubjecti, & productio formæ non dependeat ab agente ſuperiori, & libero, con. ſi productio formæ non ita ſequatur, & pendeat à cauſa ſuperiori, & libera, & diſpoſitiones ſint moraliter tantùm connexæ cum forma, neg. maj. hæc autem omnia concurrunt in præſenti. Diſpoſitiones ex parte animæ, ſc. contritio, & actus charitatis non habent connexionem niſi moralem, non phyſicam, & naturalem cum gratia producenda. Et præter has diſpoſitiones ex parte animæ requiritur ex parte Dei acceptatio illorum actuum, & condonatio peccati, niſi enim vellet remittere offenſam, & pro illa remiſſione acceptare contritionem, nihil fieret, etiamſi productio phyſica gratiæ eſſet in poteſtate hominis. Hæc magis patebunt ex dicendis de cauſa diſpoſitiva.

Sequitur ergo, quòd non ſolùm de facto, ſed etiam de poſſibili productio phyſica gratiæ pendet à ſolo Deo.

QUÆSTIO II.

Qualis ſit productio gratiæ. An ſit creatio, vel eductio.

SUppono ex dictis, creationem eſſe productionem totalem rei ex nihilo ſui, & ex nihilo ſubjecti, ita ut iſtud nullo modo concurrat ad fieri talis rei. Dico ad fieri; nam quod forma, ſeu res illa creata recipiatur in ſubjecto, ut anima rationalis in corpore; tamen productio illa non minùs eſt creatio. Eductio verò eſt productio rei dependenter à ſubjecto, ita ut iſtud non modo eam recipiat, ſed etiam influat ſuo modo, ſeu materialiter in ejus productionem, & exiſtentiam, ſicut materia ligni influit in formam ignis, qui in ea, & ex ea generatur.

Quidam diſtinguunt *concreationem* a *creatione*, & eductione, & illam definiunt actionem, qua aliquid ita fit ex

ſit ex nihilo, ut tamen dependeat ab aliquo ſubjecto in eſſe, & conſervari; ut accidentia, & ſic diſtinguunt eam ab eductione, quod hæc ſit actio, qua forma producitur dependenter à potentia naturali ſubjecti. Concreatio verò eſt productio dependenter à potentia obedientiali ſubjecti, & hoc ſenſu dicunt gratiam produci à Deo ex potentia non naturali, ſed obedientiali animæ; & in hoc differt ejus productio ab aliis accidentibus naturalibus, quæ educuntur ex potentia naturali ſubjecti.

Quæritur ergo hic, an gratia producatur à Deo per veram creationem, licèt ex natura ſua, cùm ſit accidens de genere qualitatis, petat inhærere ſubjecto, ſcilicet animæ.

CONCLUSIO.

G*Ratiæ productio eſt vera creatio*. Ita Scotiſtæ communiter cum ſuo Doctore Seraphico, & Subtili, & aliis.

Prob. 1. ex Scoto (1) citato in præcedenti, & alibi ſæpiùs, ut cum dicit, quod *in eodem inſtanti temporis, in quo charitas, vel gratia creatur, infunditur animæ; ſed in alio, & alio inſtanti naturæ; quia prius natura gratia, vel charitas creatur, quam animæ infundatur, licet totum ſit in eodem inſtanti temporis. Unde duplex eſt ibi mutatio; una à non eſſe gratiæ ad eſſe gratiæ, & hæc eſt verè mutatio, quæ eſt creatio, & non eſt mutatio propriè dicta; quia nihil præſupponit, nec naturam, nec ſubjectum ejus*, &c. In his duobus locis adeò poſitivè loquitur Doctor, (2) ut non videam, quomodo P. Maſtrius huic ſententiæ favere quidem ſæpiùs videatur, ſed non illi adhæſiſſe firmiter. Quandoquidem non ſolùm aſſerit, ſed etiam probat eſſe creationem. fortè dicet hunc 2. textum non eſſe Scoti, ſed additionem; quia in antiquis ita notatur, & id monet Cavellus; ſed in editionibus recentioribus per Cavellum habentur hæc verba ſine hac nota, & idem legitur iiſdem fere verbis in Reportatis.

Prob. 2. ex Script. quæ charitatis productionem vocat creationem, ut cum dicit, *cor mundum crea in me Deus*. Creatio non cadit in cor, ſed in munditiam, ſeu

[1] *1.d.18.n.6.* [2] *1.diſp.1.n.43.*

ſeu gratiam, qua mundantur. Et homo ſic mundatus, & juſtificatus dicitur *nova creatura*, *& ſecundum Deum creatus in juſtitia*, *& ſanctitate*: Et fideles dicuntur creati in Chriſto J. ergo ex ſcript. gratiæ productio eſt vera creatio; nam licet vox *creatio* non ſemper ſumatur propriè, tamen in his locis nihil vetat illã ſumere propriè pro vera productione ex nihilo, & maximè ſic eã intelligentibus graviſſimis Theologis.

Probatur 3. gratia non educitur propriè ex ſubſtantia animæ, vel alterius creaturæ; ergo verè creatur; nam omnis productio eſt vel creatio, vel eductio. Prob. ant. ut forma dicatur educi, debet ita dependere à ſubjecto in ſuo fieri, ut iſtud illam aliquo modo contineat in ſua virtute, & potentia obedientiali, aut naturali in ſuo genere cauſæ, ut in ejus exiſtentiam influat à priori: nam vox *eductio* eſt quædam rei extractio ex materia, ſeu ſubjecto, vel loco, ubi quaſi latebat, aut detinebatur; ſed gratia non poteſt ita contineri in ſubſtantia ulla creata; ergo nec ex ulla ſic educi. Prob. min. nam ſi ſic dependeret à priori, & in fieri ab ulla re creata, non eſſet nobiliſſima creaturarum, nec videtur, quomodo ejus eductio non poſſet fieri ab aliquo agente creato; ſed utrumque conſequens eſt falſum, & contra omnes; ergo non ſic continetur in potentia ulla ullius ſubjecti creati. Prob. ſeq. 1. enim omnis dependentia arguit imperfectionem, & inferioritatem. 2. nulla ratio fortior poteſt dari, cur gratiæ productio ſoli Deo ſit reſervata, quàm quòd producatur ex nihilo ſui, & ſubjecti; ergo ſi gratia ullo modo contineretur in potentia ulla ullius creaturæ, non eſſet omnium nobiliſſima, ſed inferior, & dependens ab ea, quæ influeret materialiter in ejus fieri.

Prob. 4. ex Scoto cit. (1) gratia non ceſſat eſſe niſi per annihilationem; ergo nec accipit eſſe niſi per creationem. Ant. patet: non enim tranſit in ſubſtantiam animæ, nec in aliam ullam formam poſitivam, vel qualitatem, ut calor ſuccedit frigori. Prob. conſ. nam inquit Doctor, *cujus productio eſt creatio, ejus deſtructio eſt annihilatio, & viciſſim*.

Objicies 1. omnis creatio eſt productio rei ex nullo præſuppoſito ſubjecto; ſed productio gratiæ eſt ex præ-
ſuppo-

[1] 2.*d*.27.*A*.4.

ſuppoſito ſubjecto; ergo non eſt creatio, ſed eductio. Prob.min.præſupponit animam, vel Angelum, in quo recipiatur, & cui inſit inhæſivè, ergo &c.

Reſpond. diſt. maj.ex nullo præſuppoſito ſubjecto, quod à priori influat materialiter in eius fieri, & in cujus potentia cōtineatur virtualitate materiali, con. ex nullo ſubjecto, in quo recipiatur, neg. maj. & ſic diſt. min. ex ſubjecto, in quo recipiatur, con. à quo dependeat in fieri, neg. min. nam gratia recipitur quidem in anima, ut in ſubjecto, etiam aliqualis inhæſionis, ſed quod nihil influat in eius fieri, nec conſervari, ſed à ſolo Deo quoad utrumque. Nam inquit Doctor, creatio gratiæ non præſupponit nec naturam, nec ſubjectum ejus ſuſceptivum, ſed eſt prior natura, quam receptio ejus in anima: non ita eſt de eductione, quæ eſſentialiter præſupponit ſubjectum, ex quo extrahitur forma.

Inſt. gratia producitur, ut accidens,cujus eſſe eſt inhærere. non verò ut ſubſtantia, cujus eſſe eſt per ſe eſſe; ergo præſupponit ſubjectum, cui inhæreat.

Reſp. producitur, ut accidens ad exiſtendum in ſubjecto in inſtanti naturæ poſteriori ſua productione, con. ut accidens dependens in ſuo fieri à ſubjecto, cui eſt infundendum, neg. ant. inhærentia gratiæ, & ſimilium habituum, & accidentium ſupernaturalium non eſt ſicut inhærentia accidentium naturalium, iſta præſupponunt potentiam materialem in ſuis ſubjectis, per quam hæc influant in eorum fieri, & quidem à priori; non ita eſt de ſupernaturalibus, quæ non dependent à ſubjectis, niſi à poſteriori, quia hæc nihil influunt in illorum fieri.

Inſt. 2. gratia non producitur extra animam, ſed in anima; ergo anima influit in ejus fieri, & illi præſupponitur.

Reſp.diſt.ant. in anima, ut in termino,ſeu ſubjecto, cui advenit ab extrinſeco,con.in anima, ex cujus ſinu, & potentia educatur, neg. ant.& conſ. gratia producitur in anima,ut in termino continente, & ſuſtentante extrinſecè, non ex anima, ut ex materia influente. Nam, ut dicebat Scotus,in juſtificatione duo ſunt motus. 1. eſt productio animæ. 2. eſt receptio ejus in anima. Ille 1.eſt creatio, & à ſolo Deo.2. eſt informatio, & mutatio animæ, & ſanctificatio formalis.

Objic. 2. res eo modo fiunt in ſuo fieri, quo conſervantur in ſuo eſſe; ſed gratia in ſuo eſſe conſervatur in anima, & dependenter ab anima: ergo & fit dependenter ab anima; ergo non creatur, ſed educitur. maj. patet ex Scoto dicente, quod forma terminans actionem non eſt abſolutior à materia, quàm forma principians actum. Prob. min. ex eodem accidens neceſſariò requirit potentiam receptivam in eſſendo; ſed gratia eſt accidens; ergo dependet à ſubjecto in eſſendo, ſeu conſervari.

Reſp. neg. maj. nam anima rationalis de facto habet ſuum fieri independenter à corpore, & tamen conſervatur, & operatur in corpore, aut ſaltem apta eſt ſic conſervari, & operari, licet poſſit conſervari, & operari ſeparata. Similiter gratia poſſet (non quidem operari) ſed conſervari extra animam, & ſi Deus eam crearet, & conſervaret per aliquod inſtans extra ſubjectum, antequam eam in illud infunderet, non negaretur, quin ejus productio eſſet creatio: ergo neque nunc debet hoc negari; quia illa dependentia inhæſiva venit à ratione generica accidentis, non autem à ratione ſpecifica accidentis ſupernaturalis nobiliſſimi, & à ſolo Deo producibilis.

Ad minorem etiam dici poteſt, illam dependentiam à ſubjecto in eſſe, & conſervari eſſe ſpecialem in gratia; nam ſpecialiter etiam conſervatur a Deo, & longè aliter, quam cætera accidentia naturalia: hæc enim conſervat Deus, ut cauſa prima, & univerſalis, ſubjectum verò illa ſuſtentat naturaliter; at gratiam non ita conſervat, ſed ſemper cum dependentia ſpeciali à liberalitate Dei, & ſupernaturali, & per ſupernaturalem influxum, ſicut cum primum eam producit. Si Deus miraculoſe produceret calorem in lapide, aut ligno, adhuc calor ille naturaliter ibi conſervaretur; ſed non ita eſt de gratiæ conſervatione in anima, ad quam anima non concurrit niſi meritoriè, ſeu moraliter, non phyſicè, ſicut nec phyſicè illam expellit, ſed demeritoriè, quando peccat. Phyſicè autem nihil influit, niſi nudam ſuſtentationem paſſivam.

Denique ad Scotum dico, eum non loqui de formæ accidentalis abſolutione à materia quoad fieri, & eſſe, ſed quoad eſſe, & agere, & dicit, quod ſi dependet à materia quoad agere, multò magis dependere debet.

debet quoad eſſe; quia agere eſt nobilius, quàm pati; & ideò ſi in agendo dependet à materia, à fortiori dependet in eſſendo.

Inſt. ideò aliæ formæ accidentales dicuntur pendere in fieri, & dici à ſubjecto, quia pendent ab eo in eſſe, & operari; ſed gratia ſic dependet in eſſe, & operari ab anima; ergo in fieri; ergo ſicut illæ non creantur, ita nec gratia.

Reſp. neg. abſolutè maj. nam vera ratio à priori, cur illæ formæ pendeant in fieri à ſubjectis ſuis, eſt, quia continentur in virtute paſſiva ſui ſubjecti, & activa efficientis creati; hoc autem dici non poteſt de gratia, quæ talis eſt dignitatis ſupernaturalis, ut non contineatur in virtute paſſiva, nec activa creaturæ, ſed à ſolo Deo ſit creabilis.

Objic. 3. anima naturaliter inclinatur ad gratiam recipiendam; ergo habet potentiam paſſivam naturalem, qua concurrat ad ejus productionem.

Reſp. neg. conſ. alioqui anima rationalis diceretur fieri, ſeu educi ex corpore, quia iſtud habet inclinationem paſſivam naturalem ad illam.

Objicies 4. quod poteſt corrumpi naturaliter per cauſam creatam, non producitur per creationem; ſed gratia poteſt ſic corrumpi; ergo non creatur. Prob. min. nam corrumpitur per peccatum hominis; ergo &c.

Reſpondeo 1. diſt. min. & ant. prob. poteſt corrumpi, ſeu perdi moraliter, & demeritoriè, con. per actionem phyſicam, & directam, neg. min. nam peccatum non opponitur gratiæ, niſi moraliter, & demeritoriè, ut dictum eſt.

Reſp. 2. neg. abſolutè maj. nam licet anima creetur in corpore, cauſa creata poteſt eam amovere ab illo, producendo in illo diſpoſitiones contrarias illis, quibus ibi conſervatur anima, & exigentes, ut amoveatur; ita eſſe poſſet de alia quavis forma creata ſive ſubſtantiali, ſive accidentali.

Inſt. gratia exigit diſpoſitiones in anima, ut hæc eam recipiat; ergo gratia producitur dependenter ab anima.

Reſp. diſt. ant. diſpoſitiones morales, & ex ordinatione divina, con. diſpoſitiones phyſicas, & inducentes neceſſitatem aliquam, ut producatur, & in-

dependenter à libera Dei ordinatione, & acceptatione, neg. ant. ut patet ex dictis, & mox dicendis.

QUÆSTIO III.

De diſpoſitionibus ad gratiam habitualem, an, & quales requirantur ex parte hominis adulti.

DIco, *ex parte hominis;* nam ex parte Dei nulla requiritur præter infinitam ejus ſapientiam, miſericordiam, & potentiam. 2. *ex parte hominis adulti.* Nam certum eſt, quod in parvulis, qui eam recipiunt per baptiſmum, non requiritur ulla ex parte ipſorum præter actualem ſacramenti ſuſceptionem; quia non ſunt capaces rationis, nec ullius meriti boni, aut mali: reſtat ergo quæſtio examinanda de adultis, an neceſſariò debeant ſe diſponere per aliquos actus bonos virtutum ad illam recipiendam, & quidem quoad poſteros Adæ; nam de Angelis, & Adamo ipſo, an præceſſerit ex parte ipſorum aliqua diſpoſitio prævia, ſive de facto, ſive de poſſibili diximus in tract. de Angelis, & homine.

CONCLUSIO I.

IN *omnibus adultis requiruntur aliquæ diſpoſitiones morales ad gratiam recipiendam, non autem phyſicæ.* Eſt communiſſima, imo & de fide quoad 1. partem.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente de adulto ſuſcipiente baptiſmum, ex quo utitur ratione, *oportet, quod habeat devotionem aliquam ad ſacramentum, ſi debet ſibi valere; aliter enim videretur contemnere.* Et 4. ſequenti docet, quod *qui recipit fictè ſacramentum, oſtendendo ſe eſſe diſpoſitum ad recipiendum ſacramentum, & tamen non eſt diſpoſitus interius; vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale, de quo nullo modo conteritur, vel atteritur .... dico tunc, quod nolentem Deus non juſtificat .... Item qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum .... quod nullo modo ſibi diſplicet,*

[1] 4. *d.* 3. *q.* 4. 1. 5. *&* *q.* 5. *A.* 2.

ſplicet, nullo modo recipit gratiam. Vides, quod ad gratiam recipiendam, etiam per ſacramenta, requiruntur in adultis diſpoſitiones morales, actus fidei, & pœnitentiæ, ſi adſint peccata.

Prob. 2. ex Script. [1] nam jubemur *præparare corda noſtra Domino*. Et, [2] *hominis eſt animam præparare*. Item exigitur pœnitentia in peccatoribus: *ſi impius egerit pęnitentiam, vita vivet*. Et, [3] *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Et, [4] *ſi non habueritis pœnitentiam, omnes ſimul peribitis*. Et Spiritus S. ad Angelum Eccleſiæ Laodiceæ jubet ſcribi, *ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*, ſc. per gratiam; ergo ex Scriptura requiruntur in adultis præparationes, v. g. converſio, pœnitentia, fides, & conſenſus, ſeu apertio cordis ad gratiam recipiendam, &c.

Prob. 3. ex Concil. Trid. [5] docente neceſſitatem præparationis, & modum, & quod *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem ſequitur juſtificatio ipſa, & per voluntariam gratiæ ſuſceptionem*. Et definit, quòd actus, per quos ſic diſponimur ad hanc gratiam, fiunt ex auxilio *ſupernaturali Spiritus S.* quod apertius videtur in Canone; ergo &c.

Prob. 4. ex Patribus, v. g. ex Cypriano [6] dicente, quòd *quantum illuc fidei capaces afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus*; ſc. datur gratia cum aliqua proportione ad diſpoſitiones. Et Cyrillus, [7] *non dat Deus ſancta canibus, ſed ubi bonum videt propoſitum, illic ſalutare ſigillum* (gratiæ) *& admirandum imprimit*, &c. Et Auguſt. [8] *Eſſe poteſt juſtitia Dei ſine tua voluntate, ſed in te eſſe non poteſt niſi per voluntatem tuam*. Et Scotus citat eum dicentem, *qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te, fecit neſcientem, juſtificat volentem*; ergo operatio aliqua bona voluntatis in adultis eſt diſpoſitio neceſſaria ad recipiendam gratiam.

Prob. denique. Nam congruum eſt, ut ſicut liberè à Deo receſſimus per peccatum, ita & liberè ad eum redeamus, & illi reconciliemur per fidem, & pęnitentiam.

K 5 Prob.

[1] *Reg.* 7. [2] *Prov.* 17. [3] *Ezech.* 18.
[4] *Zachar.* 1. [5] *ſeſſ.* 6. *c.* 5. [6] *l.* 2. *Ep.* 2. *ad Don.*
[7] *Catech.* 1. [8] *ſer.* 15. *ver. Apoſt.*

Prob. 2. p. quòd illa diſpoſitio ſit moralis, & non phyſica: nam diſpoſitio illa dicitur moralis, quæ non exigit neceſſariò, & ex natura ſua formam, ſed tantùm ex aliqua congruentia, & non ſine liberalitate agentis. Phyſica verò è contra illa eſt, quæ ex natura ſua, & neceſſariò exigit introductionem formæ, præciſa omni liberalitate agentis: ſed nihil poteſt eſſe in homine, quod ſic phyſicè, & ex natura ſua exigat gratiam abſque omni liberalitate Dei, alioqui gratia non eſſet gratia; ergo nec ad illam datur, aut requiritur ulla diſpoſitio phyſica.

Confir. nam in pueris recipitur ſine ulla diſpoſitione phyſica ex parte illorum; ergo nec ullam exigit in adultis ex natura ſua, ex voluntate divina, & ideò moraliter.

Prob. 2. ſi gratia exigeret ex natura phyſica diſpoſitionem in anima, & ſecluſa diſpoſitione divina, illa eſſet naturalis, vel ſupernaturalis; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non naturalis, quia illa eſſet improportionata cum forma, ſeu cum gratia, quæ eſt ſupernaturalis; ergo illa diſpoſitio non poteſt eſſe naturalis: nam diſpoſitio ad formam eſt ejuſdem ordinis cum ipſa forma. 2. non ſupernaturalis, tum quia ex adverſariis, gratia eſt primum ens ſupernaturale in anima, & radix cæterorum; ſed ſi præexigeret diſpoſitionem ſupernaturalem, gratia non eſſet radix, nec primum ens ſupernaturale in anima; ergo gratia non exigit diſpoſitionem ſupernaturalem: Tum quia iſta diſpoſitio ſupernaturalis eadem ratione exigeret aliam etiam ſupernaturalem, & ſic in infinitum.

Confir. quia nulla eſt neceſſitas ſupponendi talem diſpoſitionem phyſicam, cùm ſufficiat moralis; ergo illa non eſt aſſerenda.

Objic. 1. con. 1. p. gratia habitualis eſt vera gratia etiam in adultis; ergo non exigit præparationem etiam in adultis; alioqui non eſſet gratia.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus. Nam cum illæ præparationes proveniant etiam à gratia excitante; & adjuvante, ſemper eſt *gratia pro gratia*. Unde gratia eſt vita æterna, licet detur pro meritis, & ut corona juſtitiæ. Nam inquit Gloſſa, *vita æterna, quæ in fine datur à Deo, meritis præcedentibus additur, quæ à nobis ſunt*,

ſed

ſed in nobis ſunt facta per gratiam; ergo rectè & ipſa gratia nuncupantur: *quia gratis datur ... quia data ſunt & ipſa merita*. Idem eſt de his diſpoſitionibus, quas exigit gratia habitualis: nam ipſæ dantur per gratias actuales.

Objic. 2. Actus hominis ante gratiam habitualem ſunt potiùs mala, quàm bona; ergo non præparant ad gratiam recipiendam.

Reſp. neg. ant. non ſunt quidem bona bonitate meriti de condigno; ſed ſunt bona moraliter: loquor de actibus ex motione, & auxilio gratiæ factis, quibus homo movetur ad odium peccati, ad actus fidei, timoris, ſpei, & ad initialem amorem ejus.

Objic. 3. Scotus (1) docet hominem eſſe naturaliter propenſum ad gratiam ſanctificantem recipiendam, ut formam ſibi valde convenientem; & quod ex puris naturalibus eſt immediatum ſubiectum ſuſceptivum gloriæ ſine media diſpoſitione; ergo fruſtra requirimus diſpoſitionem ad gratiam.

Reſp. neg. conſ. Scotus [2] enim ibi loquitur de diſpoſitionibus phyſicis, non de moralibus; nam licet anima non egeat diſpoſitione ulla phyſica ad recipiendum in ſe habitum gratiæ, vel lumen gloriæ; debet tamen ad utrumque ſe diſponere activè ad utramque obtinendam; quia neutra datur adultis niſi volentibus, ut patet ex prob. concluſionis.

Inſt. Concilium Arauſic. II. (3) docet, quòd, *ut à peccato purgemur, Deus non expectat voluntatem noſtram*; & plures Theologi rejiciunt hanc propoſitionem; *homo ſe juſtificat propriis actibus*; nam illas diſpoſitiones Deus expectaret, & ſunt proprii actus hominis juſtificati; ergo &c.

Reſpondeo diſt. 1. p. ant. non expectat voluntatem, ut det gratiam excitantem, con. gratiam habitualem, neg. ant. & conſ. nam loquitur de juſtificatione initiali, quæ eſt per gratiam excitantem. Similiter illa propoſitio eſt vera in ſenſu formali, & diſpoſitivè, quatenùs per actus elicitos per auxilia gratiæ actualis, & ſupernaturalis præparat ſe ad gratiam juſtificationis impetrandam, non autem in ſenſu poſitivo formali, quaſi verò tales actus ſint ipſa forma juſtificans. In priori

K 6 ſenſu

(1) *q. 1. prol.*

(2) *4. d. 49. q. 11. E. 7.* (3) *c. 4.*

ſenſu loquitur Scriptura dicens cum Jeremia: (1) *lava à malitia cor tuum*, & cum Ezechiele, (2) *ipſe animam ſuam vivificabit;* & cum Apoſtolo, [3] *mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.*

Inſt. 2. adulti amentes poſſunt juſtificari per baptiſmum: ſed illi non ſunt capaces ullius boni motus; ergo illi motus, & diſpoſitiones non requiruntur in omnibus adultis.

Reſp. diſt. ant. adulti amentes, qui non habent niſi culpam originalem, con. amentes, qui habent alias culpas lethales præter originalem, neg. ant. ſed de hoc aliàs.

CONCLUSIO II.

Diſpoſitiones ad gratiam habitualem non ſunt actus ex puris naturæ viribus eliciti, ſed ex auxilio gratiæ actualis ſupernaturalis. Eſt de fide, & ſequitur ex dictis de neceſſitate gratiæ actualis contra Pelagianos, & Maſſilienſes.

Prob. 1. ex Scoto [4] jam ſæpius cit. qui docet, quod *ponere aliquem actum meritorium ex puris naturalibus, eſſet error Pelagii*, & alibi dicit, quod *pœnitentia abſolutè poteſt innaſci ex naturalibus hominis, ſed non fructifera.* Ibidem etiam docet, [5] quod *diſpoſitiones ad gratiam habent rationem meriti de congruo.*

Prob. 2. ex Script. ſæpiùs dicente Chriſto, *nemo poteſt venire ad me, niſi pater traxerit eum*, &, *niſi ei datum fuerit à patre meo.* Et, *ſine me nihil poteſtis facere*, & Apoſtolus, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis*, &c. ergo diſpoſitiones ad gratiam non ſunt naturales.

Prob. 3. ex decretis Eccleſiæ, & Conciliorum contra Pelagianos, & Semipelagianos, & noviſſimè ex Concil. Trident. [6] quod declarat ipſius juſtificationis exordium in adultis *à Deo per J. C. præveniente gratia ſumendum eſſe*, hoc eſt ab ejus vocatione, *qua nullis exiſtentibus eorum meritis vocantur, ut per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam .... ad ſuam juſtificationem .... diſponantur.*

Prob.

[1] *Jerem.* 4. [2] *Ezech.* 18.
[3] 2. *cor.* 7. [4] 1. *d.* 17. *q.* 2. *M M.*
[5] 2. *d.* 7. *q.* 2. *T.* [6] *Seſſ.* 6. *c.* 5. 6. & 7.

Prob. 4. ex Patribus ibidem adductis, maximè ex Auguſtino contra eoſdem hæreticos; nec placet repetere.

Prob. denique ratione; nam diſpoſitiones debent eſſe ejuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponunt; ſed gratia habitualis eſt forma ſupernaturalis; ergo &c.

Objic. 1. ſi ad gratiam habitualem obtinendam requirerentur diſpoſitiones ex alia gratia, daretur proceſſus in infinitum; nam ad iſtam deberemus diſponi per aliam, & ſic de aliis præparationibus præparationum; ergo potiùs dicendum aliquam eſſe primam, ad quam præparamur viribus naturæ.

Reſp. neg. ſeq. nam ad gratiam vocationis,ſeu excitantem, quæ eſt prima, non datur præparatio, quia eſt præveniens.

Objic. 2. niſi homo ex naturæ viribus poſſet præparare ſe ad gratiam, non ad id moneret Scriptura; ſed hoc facit dicens, *præparate corda veſtra Domino*: &, *convertimini ad me*: &, *convertimini, agite pœnitentiam*, &c. alioqui juberet, quod non poſſumus ex nobis; ſed conſequens eſt falſum; ergo poteſt homo viribus naturæ præparare ſe ad gratiam.

Reſp.neg.maj. nam Deus monendo nos, ut præparemus corda noſtra,& convertamur, dat, quod jubet, excitat, & movet,ut velimus,& juvat, ut exequamur, quod ipſo inſpirante volumus.

Inſt. ſancti ipſi orant pro gratia illa converſionis obtinenda; ergo illa non prævenit, ſed nos eam prævenimus oratione.

Reſp.diſt. ant. orant ex lumine, & motione divina, con. ex lumine, & motu puræ naturæ, neg. ant. nam [1]*nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu S.* Et, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis* &c. Et ut docet Concil. Arauſic. [2] *gratia Dei facit, ut invocetur, & eſt cauſa, cur homo à Deo petat, & faciat bona.* Et *bene cogitare à Deo procedit*: Et ut docet Auguſtinus, (3)*etiam oratio inter gratiæ munera reperitur, quod enim oremus, ut oportet neſcimus* &c.

Objic. 1. con. 2. p. diſpoſitio illa eſt phyſica,quæ verè, & realiter ſubjectum aptat ad formam recipiendam

ſed

[1] 1. *Cor.* 12. [2] *cap.* 2.
[3] *Ep. ad ſex.*

ſed hoc præſtant actus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ, quibus homo præparat ſe ad gratiam; ergo &c.

Reſp. diſt. min. hoc præſtant moraliter, & ex acceptatione divina, con. ex natura ſua phyſica, & præciſa illa acceptatione, neg. min. nam ex dictis patet illos actus non habere ex ſe connexionem neceſſariam cum infuſione gratiæ; tum quia Deus poſſet eos non acceptare in ordine; tum quia poſſet infundere gratiam ſine illis, ut patet de parvulis; tum quia illi actus tranſierunt, & non exiſtunt ſæpius eo inſtanti, quo infunditur gratia, quod non accidit in diſpoſitionibus phyſicis; nam calor remanet cum forma ignis in ligno, quod ad illam diſponit.

Objic. 2. omnis cauſalitas moralis reducitur ad meritum, vel impetrationem; ſed neutrum dici poteſt de illis actibus; ergo non cauſant moraliter infuſionem gratiæ. Prob. min. 1. non meritum, nam 1. gratia non cadit ſub meritum. 2. non impetratio; nam gratia non ſequitur infallibiliter orationem, ſed gratia ſequitur infallibiliter illas diſpoſitiones; ergo non cauſant eam per impetrationem.

Reſp. neg. min. quoad utramquepartem; nam 1. influunt, & diſponunt per modum aliqualis meriti, non quidem de condigno, ſed de congruo. 2. etiam influunt impetratoriè ex vi orationis Chriſti, ſicut & meritorum ejuſdem; & diſt. maj. prob. non ſequitur infallibiliter preciſa promiſſione ex pacto divino, con. ſuppoſito pacto, & promiſſione, neg. maj. & conſ. nam Deus promiſit dare gratiam poſita tali præparatione.

CONCLUSIO III.

Poſitis diſpoſitionibus debitis, Deus infallibiliter dat gratiam habitualem; non verò ex neceſſitate ulla phyſica.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui docet, quòd *ſolus Deus determinat ſe ad effectum cauſandum ſibi proprium: ſi enim poſſet ab alio determinari ad agendum, jam eſſet cauſa ſecunda reſpectu ejus*; ergo ex nulla neceſſitate phyſica, ſed ex propria determinatione, & voluntate dat gratiam diſpoſitis, etiam in ſacramentis: eſt ergo ſura neceſſitas imputabilitatis, & fidelitatis, quam ſibi

(1) 4. *d.* 2. *e.* 1. *F. F.* 7.

ſibi ipſe impoſuit volens, ut ſtet promiſſis, & pactis. Confirmari hoc poteſt ex dicendis de merito, quod non obligat Deum niſi ex pacto, & acceptatione ſua.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. [1] qua conſtat, Deum eſſe immutabilem, & fidelem in promiſſis; ſed promiſit gratiam præparantibus ſe; ergo infallibiliter dat gratiam ita diſpoſitis. Maj. patet ex plurimis textibus; dicitur enim [2] *Deus fortis, & fidelis*, Et, [3] *fidelis, & abſque ulla iniquitate*. Et, [4] *fidelis in omnibus*. Et, [5] *non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur*, &c. Prob. min. ex eadem Scriptura, in qua legitur hæc promiſſio: ut cum dicit; *ſi fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, &c. Et, [6] *ſi impius egerit pœnitentiam ... vita vivet .... omnium iniquitatum ejus non recordabor*, &c. Et, [7] *qui credit in me ... fluent de ventre ejus aquæ vivæ*. &c. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, & Petrus dicebat; *pœnitentiam agite, baptizetur unuſquiſque veſtrum ... in remiſſionem peccatorum*. Et, [8] *accipietis donum Spiritus S.* Et Chriſtus ipſe, *quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*: ergo Deus promiſit gratiam præparantibusſe.

Prob. 3. ex Concil. Trident. cit. (9) *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem* (quam deſcripſerat in capite præcedenti) *ſequitur ipſa juſtificatio .... per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. Quod iterum docet Seſſ. ſequenti de effectu ſacramentorum, *ſi recipiantur cum debitis diſpoſitionibus*.

Prob. denique quoad 2. p. nam Dei voluntati nulla poteſt imponi neceſſitas, vel determinatio phyſica ab extrinſeco, alioqui non eſſet prima cauſa, ſed ſecunda, & dependens, ut dicebat Doctor; ergo quod facit, & maximè dans gratiam id facit, quia vult, & vult in tempore, quia ſic voluit ab æterno, & acceptavit opera noſtra in ordine ad largiendam nobis ſuam gratiam poſitis conditionibus, quas ipſe præſcripſit: ergo poſitis debitis præparationibus ex parte noſtra dat quidem gratiam ex fidelitate promiſſionis ſuæ, & pacto,

[1] *Deu.* 7. & 32. [2] *Pſ.* 144. [3] *Iſa.* 1.
[4] *Ezech.* 18. [5] *Jo.* 7. [6] *Marc. ult.*
(7) *act.* 2. (8) *Jo.* 20. (9) *ſeſſ.* 6. *c.* 7.

ſto, non autem ex ulla phyſica neceſſitate. Hoc ſenſu diximus intelligendum axioma tritum; *facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.*

Objic. 1. Si Deus ex obligatione ulla daret gratiam, daret maximè ex juſtitia, ſed conſ. eſt falſum, ergo &c. prob. min. non enim admittitur juſtitia inter Deum, & creaturam: & Deus *omnia propter ſemetipſum operatur*, non autem propter nos, nec propter opera noſtra: uno verbo, ſi ex debito daretur, non eſſet gratia.

Reſp. diſt. maj. ex juſtitia aliquali, v. g. fidelitatis, con. ex debito juſtitiæ rigoroſæ, neg. maj. & conſ. Deus ex rigoroſa juſtitia non dat gratiam habitualem, ſed ex miſericordi fidelitate, quia placuit illi eam diſpoſitis concedere. Sic re vera propter ſemetipſum operatur, ſcilicet ad oſtenſionem miſericordiæ, & fidelitatis, & immutabilitatis ſuæ.

Objic. 2. Si gratia daretur ex ullo debito, vel neceſſitate, non eſſet gratia, ſed merces, & præmium; ſed hoc falſum eſt; ergo &c.

Reſp. ſi daretur ex debito, vel neceſſitate propriè, & de rigore, con. maj. & neg. min. impropriè, & ex fidelitate voluntaria, neg. maj. & conſ. nam ſicut non datur ex vera, & propria obligatione, vel neceſſitate, ita nec propriè illa eſt merces, nec præmium, ſaltem prima gratia juſtificans, quæ non cadit ſub meritum.

QUÆSTIO IV.

An ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem ſit ab ipſamet gratia effectivè moraliter.

DIſpoſitiones ad gratiam aliæ ſunt *proximæ*, quibus pro eodem inſtanti temporis annexa eſt gratiæ infuſio, aliæ *remotæ*, quæ pro tempore præcedunt gratiæ infuſionem.

De *remotis* non eſt dubium; nam cauſa, & effectus debent ſibi coexiſtere, diſpoſitiones autem *remotæ* non coexiſtunt infuſioni gratiæ. Reſtat quæſtio de *proximis*, ut ſunt actus dilectionis Dei, & contritionis perfectæ, quibus annexa eſt in eodem temporis inſtanti gratiæ infuſio infallibiliter, ut definitum eſt contra Bajum docentem, quòd *charitas perfecta*, *&*

ſyn-

ſyncera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. Hanc propoſitionem cum aliis damnarunt tres Pontifices, Pius V. Gregor. XIII. & Urbanus VIII. & quæritur, an iſti actus, qui cauſant ſuo modo charitatem, ſint etiam effectivè ab ipſa charitate. Juvabit revidere quæ diximus in Phyſica, *an duæ res poſſint eſſe ſibi invicem cauſæ*.

Non dubitamus de gratia actuali excitante, & adjuvante, ſeu operante: nam diximus non ſemel, quod ſine hac gratia non poteſt haberi ullus actus bonus, qui ſit proxima diſpoſitio ad gratiam juſtificationis ſine gratiæ actualis adjutorio. Quæſtio eſt de habituali, & ſanctificante.

CONCLUSIO.

Ultimæ diſpoſitiones ad gratiam habitualem non ſunt effectivè ab iſta eadem gratia. Ita Scotiſtæ, & alii plures ex omni ſchola contra Thomiſtas plurimos, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quem ut capias, notandum quod in ejus mente, & doctrina actus pœnitentiæ alius eſt *informis*, id eſt non informatus gratia ſanctificante, alius *formatus*, id eſt formatus illa gratia: 2. alius eſt *perfectè circumſtantionatus*, alius eſt *non perfectè circumſtantionatus*, modò non inficiatur ulla mala circumſtantia, alioqui non eſſet diſpoſitio ad juſtificationem, ſed peccatum. Priorem illum dicit eſſe proximam diſpoſitionem ad gratiam in termino, quem Deus præfigit, ut duret, ut illum informet gratia, & iſtam infundat: 3. iſtum actum quantumcumque perfectè circumſtantionatum, & diſponentem proximè ad gratiam juſtificantem ſemper vocat attritionem, donec actualiter informetur illa gratia, & ab ipſo inſtanti, quo eſt informatus gratia, vocat eum contritionem, quod valdè notandum eſt, ut jam monuimus in libro, quem gallicè ſcripſimus *de attritione ſufficienti*: 4. Diſtinguit in hac contritione, & attritione tria ſigna, ſeu inſtantia non tam temporis, quàm naturæ. In primo ſigno naturæ, quo intelligitur per-

[1] 4. d. 14. q. 2. N & O. 14.

Digitized by Google

perfectè circumſtantionatus, & ultima diſpoſitio ad gratiam, dicitur *attritio*, & *informis*, ſeu actus in genere moris, & naturæ. In 2. ſigno, ſeu inſtanti naturæ infunditur gratia; & in 3. ſigno eſt actus formatus, & ſic attritio fit contritio ſine omni mutatione reali ipſius actus; & addit, quòd per hanc contritionem in 3. ſigno non deletur culpa, ſed in ſecundo, in quo intelligitur infundi gratia, & ſic attritio in primo illo ſigno, in quo nondum intelligitur formata, habet rationem meriti de congruo. [1] *Poteſt dici, quod Deus diſponit per attritionem in aliquo tempore, tanquam per aliquod meritum de congruo, in aliquo inſtanti dare gratiam, & pro illa attritione, ut pro merito, juſtificat, ſicut eſt meritum juſtificationis*: Ergo ex Scoto actus dilectionis Dei, & pœnitentiæ, qui eſt proxima diſpoſitio ad gratiam, non cauſatur à gratia in ratione talis diſpoſitionis, ſed eſt prior illa prioritate naturæ, & cauſalitatis. Vides etiam, quod in modo loquendi Scotus vocat attritionem perfectè circumſtantionatam actum illum pœnitentiæ ex charitate actuali elicitũ, vel imperatum, quem jam communiter Theologi, & Concilium Tridentinum (2) vocant abſolutè contritionem, prout eſſentialiter diſtinguitur ab attritione. Nam in mente Scoti illa attritio perfectè circumſtantionata eandem vim habet, ac contritio, quam illud Concilium, & Theologi communiter docent cauſare gratiam extra ſacramentum in re, modò illud adſit in voto.

Prob. 2. concl. ex Scriptura, [3] quæ cauſalitatem gratiæ juſtificantis tribuit actibus pœnitentiæ, & dilectionis: Ut cùm dicitur, *ſi impius egerit pœnitentiam, iniquitatum ejus non recordabor*. Et, [4] *dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; ergo dilectio, & pœnitentia ſunt cauſæ remiſſionis per gratiam, non effectus gratiæ: alioqui diceretur, ſi habuit gratiam, aget pœnitentiam, & dilexit multum; quia dimiſſa ſunt ei peccata, &c.

Prob. 3. ex Concil. Trid. [5] *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa ſequitur, quæ non eſt ſola remiſſio, ſed ſanctificatio*; ergo ſanctificatio non præcedit, ſed ſequitur proximam diſpoſitionem ad gra-

[1] *n.* 15. [2] *ſeſſ.* 24. [3] *Ezech.* 33,
[4] *Luc.* 7. [5] *ſeſſ.* 6. *c.* 7.

gratiam. Et confir. ex eo, quod definit, quod (1) *ſine prævenientis gratiæ auxilio non poteſt homo credere, ſperare, diligere, & pœnitere, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur*; ergo prius eſt, ſaltem natura, hominem elicere tales actus diſpoſitivos ad gratiam, quàm iſtam infundi; ergo infuſio gratiæ non eſt cauſa ultimæ diſpoſitionis ad gratiam; ſed è contra: alioqui Concilium dixiſſet, vel quia gratia confertur, vel ſaltem quando gratia confertur, ut ſignificaret hæc ſaltem eodem inſtanti naturæ adeſſe, ſc. collationem gratiæ, & actus illos proximè diſpoſitivos.

Confir. etiam ex Seſſ. 14. ubi cauſalitatem gratiæ eidem contritioni perfectæ adſcribit dicens, *ipſam reconciliationem* (hominis cum Deo, quæ fit per gratiam) *ipſi contritioni, ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam*.

Prob. 4. ex Patribus, qui ſemper tribuunt actibus charitatis, & pœnitentiæ cauſalitatem, & impetrationem gratiæ, & maximè cùm loquuntur de Magdalena, ut patet apud illos in hunc locum Euangelii.

Prob. 5. cauſa impetratoria, & diſpoſitiva, & quaſi meritoria gratiæ eſt prior gratia; ergo non poteſt cauſari à gratia effectivè: ſed actus charitatis, & pœnitentiæ, qui dicuntur diſponere ad gratiam, ſunt cauſa ejus impetratoria, & quaſi meritoria de cōgruo; ergo non efficiuntur à gratia, ſed potius impetrant, & efficiunt, ut concedatur à Deo. 1. conſ. patet; nam omnis cauſa, in quantum cauſa, eſt prior effectu. Prob. ſubſumptum ex Script. ex Concil. & PP. qui tales actus reponunt inter cauſas meritorias, ſeu impetratorias gratiæ, & non dicunt eam dari homini, ut fiat contritus, ſed quia eſt contritus. Et ſic nequidem gratiam conſiderant, ut cauſam finalem illorum actuum. Dicit quidem Apoſtolus; *gratiam*, ſeu *miſericordiam conſecutus ſum, ut ſim fidelis*, ſed nunquam legimus, ut ſim pœnitens, vel amans, ſed quia pœnitentiam agit, aut diligit.

Prob. 6. Deus, dum infundit gratiam, reſpicit ad diſpoſitiones, ſc. ad contritionem, vel dilectionem præexiſtentem; ergo illæ diſpoſitiones non ſunt ab iſta gratia; ant. patet ex Script. cit. Prob. conſ. niſi enim ea

[1] *can. 3.*

eas reſpiceret, ut præexiſtentes, non eſſent diſpoſitiones, quibus moveretur ad dandam gratiam, ſed finis, ob quem daret illam.

Dices, gratiam habitualem reſpectu illorum actuũ habere rationem moventis, & adjuvantis animam ad illos eliciendos, & ut ſanctificantem habere rationem habitus permanentis.

Contra 1. quia gratis, & ſine fundamento confunditur gratia actualis excitans, & adjuvans cum habituali, & effectus utriuſque contra mentem omnium Theologorum. 2. quia id apertè eſt contra mentem Concilii Tridentini, quod motionem, & auxilium gratiæ docet etiam tempore præcedere in peccatore receptionem gratiæ ſanctificantis; nam ex illa procedunt actus fidei, ſpei, timoris, dilectionis, & pœnitentiæ, quam *diſpoſitionem* ſeu præparationem *juſtificatio ipſa conſequitur*. 3. Quia ſupponit Concilium, quod homo, dũ excitatur, movetur, & adjuvatur ad illos actus, & diſpoſitiones eliciendas, eſt adhuc peccator, *dum peccatores ſe eſſe intelligentes*. Et, *peccatorum remiſſio, & renovatio hominis ſequitur illas diſpoſitiones per ſuſceptionem gratiæ*; ergo ſuſceptio gratiæ non cauſat illas, ſed è contra illę cauſant iſtam, & præcedunt eam, ſaltem natura; ſicut omnis cauſa realis præcedit effectum. 4. Denique definit hominem per auxilium gratiæ *diſponere ſe*, *ut ei juſtificationis gratia conferatur*; ergo pro inſtanti naturæ, quo per auxilium gratiæ homo ſe ita diſponit, non habet gratiam habitualem; ergo illa contritio, vel dilectio Dei pro illo priori inſtanti non poteſt eſſe à gratia habituali.

Omitto rationes philoſophicas, quibus probavimus implicantiam mutuæ cauſalitatis realis duarum rerum, ſicut & objectiones ibi ſolutas.

Objic. 1. ex Scrip. & Conciliis: ipſi actus dilectionis, & pœnitentiæ ſunt dona Dei, & charitatis inhabitantis; ergo ſunt à gratia habituali, quæ per nos eſt ipſa charitas. Prob. ant. ex Concil. Arauſic. (1) *donum Dei eſt diligere Deum, quia ipſe dedit nobis, ut eum diligeremus, qui charitatem diffundit in cordibus noſtris*. Et S. Auguſt. (2) *cum amat nos, infundendo gratiam, nihil aliud intendit Deus, quàm ut illum amemus*. Et S. Gregor. (3) *qui Deum deſiderat, profectò jam habet quem amat*,

[1] *Can. 25.* [2] *Man. 20.* [3] *ho. 26. Euang.*

[illegible] neque enim quiſquam [illegible] Deum [illegible], & [illegible], quem diligit, non habere; [illegible] habere Deum in ſe niſi per charitatem; [illegible] in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; ergo illi [illegible] amoris, & pœnitentiæ ſunt ab ipſa gratia [illegible].

Reſp. neg. ant. & conſ. præc. vel [illegible] actus illi, qui [illegible] primam gratiam juſtificantem, & [illegible] ad ſecundam, ſeu ad augmentum, conc. qui diſponunt ad primam gratiam habitualem, neg. conſ. nec enim Concilia, vel Patres loquuntur de illis, ſed de illis, quibus diſponimur, & meremur augmentum charitatis, ſeu gratiæ.

Inſt. actus, quibus diſponimur ad 2. gratiam, tam ſunt ſupernaturales, quam illi, quibus diſponimur ad 1. gratiam; ergo tam efficiuntur a gratia habituali.

Reſp. neg. conſ. nam illi, quibus diſponimur ad primam gratiam juſtificantem, habent ſupernaturalitatem à gratia actuali movente, & adjuvante, & hoc verum eſt tam de illis, qui diſponunt remotè, ut actus fidei, ſpei, timoris, attritionis, quam qui proximè, & tamen illos non dicent adverſarii eſſe a gratia habituali, licet ſint ſupernaturales; ergo nec alii ſunt dicendi eſſe ab illa.

Inſt. illi actus remotiores non ſunt ſimul cum gratia habituali, ſicut proximi; ergo non eſt par ratio, cur illi ſint à gratia, ſicut iſti.

Reſp. neg. conſ. nam paritas rationis eſt, quia conveniunt in ratione diſpoſitionum ad [illegible], & ut tales ſunt neceſſario priores illa, vel tempore, ut remoti, vel ſaltem natura, ut iſti proximi, & ultimi.

Objic. 2. omnis actus meritorius eſt a gratia habituali; ſed iſti actus ultimo diſponentes ſunt meritorii; ergo ſunt ab ipſa gratia. Maj. patet [illegible] merito. Prob. min. nam actus contritionis, & charitatis ſunt meritorii gloriæ; nam qui ſtatim moreretur poſt adeptam gratiam, per illos actus [illegible] ſalvaretur; ergo ſunt meritorii etiam gloriæ.

Reſp. diſt. min. ſunt meritorii [illegible], & de congruo reſpectu gratiæ, conc. propriè, & [illegible], neg. min. & diſt. [illegible] [illegible] gratiæ ſupervenientis, cum qua illa [illegible] tur, neg. ant. in eodem inſtanti temporis, [illegible] actus contritionis perfectæ, & [illegible]

gratia in fieri, ita ut illa diſpoſitio non præcedat gratiam, niſi prioritate naturæ, ut diximus ex Scoto.

Inſt. contritio perfecta poſſet eſſe informis, & ſine gratia per aliquod inſtans; ſed hoc eſt damnatum in Bajo, ut diximus; ergo &c.

Reſp. diſt. ſubſ. per inſtans naturæ, & præſuppoſitionis, con. per inſtans temporis, neg. ſubſumptum. Illa contritio, cùm ſit diſpoſitio ad gratiam, illi præſupponitur prioritate naturæ, ut omnes cauſæ priores ſunt ſuis effectibus, non prioritate durationis.

Objic. 3. in naturalibus ultima diſpoſitio eſt à forma; ſed hæc forma eſt gratia; ergo iſtæ diſpoſitiones ſunt à gratia.

Reſp. diſt. maj. diſpoſitio ſtans cum forma introducta, aut illam ſequens, con. diſpoſitio præparatoria, & prævia, neg. maj. in generatione, & corruptione ſubſtantiali, in quibus diximus fieri reſolutionem uſque ad materiam primam, accidentia omnia, quæ erant in ſubjecto corrupto pereunt cum ipſo, & quæ adveniunt generato, manant à forma genita; non ita eſt in alterationibus, & mutationibus accidentalibus, in quibus tota diſpoſitio præcedens formam accidentalem non perit, ſicut nec totum ſubjectum, ita eſt in propoſito. Vide quæ diximus in lib. de generatione circa hanc quæſtionem.

Objic. denique: efficientia principii vitalis non poteſt ſuppleri per aliquid extrinſecum; ſed gratia concurrit ad actum charitatis, & contritionis, ut principium vitale, quia illi actus ſunt vitales ſupernaturales in facto eſſe, & non poſſunt eſſe tales niſi à gratia; ergo ſunt ab iſta gratia.

Reſp. neg. min. quoad utramque partem. 1. enim non habent eſſe reale, nec ſupernaturalitatem à gratia habituali, ad quam diſponunt, ſed hoc habent ab anima ut elevata per gratiam actualem, cum qua facit unum principium vitale, & ſupernaturale, uno verbo, habent vitalitatem à voluntate eliciente, & ſupernaturalitatem à gratia actuali, quæ ſupernaturalis eſt.

Inſt. actus dilectionis, & contritionis, qui eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, eſt inclinatio ſupernaturalis voluntatis noſtræ in bonum divinum, quale eſt in ſe; ſed talis inclinatio non poteſt eſſe niſi à gratia habituali tanquam à principio radicali; ergo contritio,

&

& dilectio, ſeu ultimæ diſpoſitiones ad gratiam ſunt ab ipſa gratia. Prob. min. omnis inclinatio in bonum naturæ alicujus eſt ab ipſa natura, & eam ſupponit; ſed gratia eſt participatio naturæ divinæ, & ab ipſa procedit effectivè; ergo & inclinatio in bonum divinum eſſe non poteſt niſi à gratia habituali.

Reſp. diſt. min. inclinatio habitualis, & permanens per modum habitus, con. inclinatio actualis, & tranſiens per modum actus, neg. min. & conſ. nam ad hanc inclinationem ſufficit gratia actualis, quæ illam imprimit voluntati per motionem divinam, dum excitat, movet, & inclinat voluntatem ad actus illos, quibus ſe præparat ad gratiam habitualem, & permanentem.

Conſtat igitur, quod actus contritionis, & charitatis, ſicut & aliarum virtutum, quibus homo ſe diſponit ad gratiam habitualem, veniunt effectivè à voluntate, & gratia Dei actuali excitante, & adjuvante, non autem à prima gratia ſanctificante.

Dico, *à prima*, per quam tranſit de ſtatu peccati ad ſtatum ſanctitatis, nam de illis, quibus augetur hæc gratia, & quibus proficit in ſanctitate, certum eſt, quod hæc ad illos concurrit effectivè.

QUÆSTIO V.

Quinam actus requirantur ad illam præparationem, ſeu diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem.

HÆc quæſtio pertineret, ſicut & duæ præcedentes ad diſputationem de juſtificatione, ſed ſicut diſpoſitiones ad gratiam juſtificantem pertinent ad cauſas ejus, non ineptè etiam hic habet locum.

Concilium Trident. (1) diverſos actus virtutum enumerat, quibus gradatim peccatores diſponuntur ad hanc gratiam, his verbis; *diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum credentes ea, quæ divinitùs ſunt revelata, & promiſſa ſunt.* (Ecce fidem, à cujus actibus incipit converſio) 2. *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timo-*

[1] *ſeſſ.6.c.6.*

timore, quo utiliter concutiuntur (ecce timorem ex peccatorum conſideratione conceptum, qui ſi non eſt actus, eſt ſaltem paſſio, & motus a quo) 3. *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes ſibi Deum propitium fore propter Chriſtum*; (ecce motum, & actum ſpei, & inde) 4. *Deum ipſum diligere incipiunt tanquam omnis juſtitiæ fontem*. (vides initia charitatis, ex cujus motivo) 5. *Propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet*. (loquitur de adultis nondum baptizatis; & vides actus pœnitentiæ virtutis, & iſti) 6. denique *proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata*: Vides propoſita diverſarum virtutum, & maximè religionis circa ſacramentum pœnitentiæ, & converſionis à peccato in Deum, & obedientiæ circa mandata ejus.

Verùm illæ diſpoſitiones hucuſque præſcriptæ non ſunt ultimæ, & immediatæ ad gratiam, licèt ad illas dicat ſequi juſtificationem. Nam ibidem docet, eam inſtrumentaliter donari per Sacramentum; ſed tamen certum eſt ex alio textu, & ex doctrina ejuſdem Concilii, quòd illi actus, maximè charitatis, & pœnitentiæ, quandoque ſunt ita perfecti, ut diſponant immediatè ad eam gratiam extra, & ante effectivam ſacramenti ſuſceptionem, modò adſit in voto.

Nota hæreticos diſtinguere triplicem fidem: 1. *hiſtoricam*, qua credimus vera eſſe, quæ narrantur in Scripturis: 2. *miraculorum*, qua credimus nihil eſſe, quod à Deo fieri non poſſit: 3. *promiſſionum*, qua credimus veras eſſe promiſſiones Dei de gratuita peccatorum remiſſione per merita Chriſti. Et addunt nos per hanc juſtificari; priores verò duas non ſufficere. Et hanc rurſus dividunt 1. in *generalem*, qua generaliter credimus promiſſam eſſe remiſſionem peccatorum, aut ſingularem benevolentiam iis omnibus, qui in Chriſtum credunt: 2. *ſpecialem*, qua quiſque in particulari promiſſionem ſibi applicat, credendo omnia peccata ſibi remiſſa eſſe, vel Deum ſibi ſpecialiter benevolum extitiſſe; & hanc credunt eſſe propriè juſtificantem.

His ſuppoſitis, quærimus hìc præcipuè, qualis ſit

illa

illa fides diſpoſitiva ad gratiam, qualis illa ſpes, & qualis illa dilectio. De pęnitentia dicemus in proprio tractatu, ſicut & plenius de iſtis aliis virtutibus.

CONCLUSIO I.

F*Ides eſt diſpoſitio requiſita ad gratiam habitualem recipiendam, quæ non eſt præciſe fiducia, qua credimus, & confidimus peccata nobis eſſe remiſſa, ſed qua aſſentimur veritatibus revelatis, & nobis propoſitis ad credendum*. Eſt de fide contra hæreticos volentes hominem juſtificari per illam fiduciam.

Prob. 1. ex Scoto docente, (1) quod ille locus Evangelii, *Qui non crediderit, condemnabitur*, *debet intelligi de adultis*, quod patet per illud, quod præcedit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; ergo ex Scoto requiritur fides etiam cum ſacramento ad gratiam, & quidem fides, non qua confiditur, ſed qua creditur. *Fidem dicit eſſe omnium articulorum revelatorum*.

Prob. 1. p. ex Scriptura. (2) *Qui non crediderit, condemnabitur*. Et, *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Et, (3) *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Et, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & remunerator eſt requirentibus ſe*; ergo Scriptura fidem exigit, non vero ſolam fiduciam, quæ eſt actus ſpei potius, quam fidei, ut videbimus ſuo loco: & maxime cum Apoſtolus duo objecta credendi proponit, 1. exiſtentiam Dei, cujus cognitio, & aſſenſus ſpectat præciſe ad fidem, etiam ſpeculativam. 2. juſtitiam remunerativam, quæ excitat ſpem in requirentibus eum.

Confirm. ex Tridentino cit. (4) Dicit enim, quod *fides ex auditu concepta facit credere vera, quæ revelata ſunt*, non dicit *promiſſa*, quæ ſunt objecta ſpei, ſed *quæ revelata ſunt*, quæ ſunt objecta fidei materialia, & formalia. Et expreſſe quoad fiduciam decernit, quod *ſi quis dixerit fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccatum remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam* ſolum

(1) *4. d. 5. q. 1. A. 1.*
(2) *Jo. 1. & 3.* (3) *Hebr. 1.*
(4) *ib. d. c. 16. & c. 12.*

ſolùm eſſe, qua juſtificamur, Anath. ſit.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. [1] *ex fide dicit Apoſtolus ideo juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, per quam impetrentur cætera*, &c. Et definit, quod *ipſum credere nihil eſt aliud, quam cum aſſenſione cogitare*. Et S. Leo, *hoc eſt, quod juſtificat impios, & de peccatoribus facit ſanctos, ſi in uno, eodemque Domino noſtro J. C. & vera deitas, & vera credatur humanitas.* Vides nullum proponi ab his Patribus objectum, vel motivum fiduciæ, ſed puræ fidei.

Confir. nam ex omnibus Patribus, & Theologis objectum formale fidei eſt revelatio; ſed nullibi revelatum eſt huic particulari eſſe remiſſa peccata; ergo hæc fiducia particularis non eſt vera illa fides, quam commendant Scripturæ, & Patres, & Theologi ad juſtificationem.

Prob. 4. Fiducia eſt effectus fidei, & hominis juſtificati; ergo non eſt diſpoſitio ad juſtificationem. Prob. ant. quia prius eſt credere Chriſtum, & in Chriſtum, quam habere fiduciam in ipſum; nam hæc fiducia naſcitur ex illa fide. Prob. ex Apoſt. *in quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus*; ergo fiducia non eſt idem quod fides, ſed effectus fidei.

Confir. ex Auguſt. [2] *poſt hanc fidem fiduciam habere diſcite*. Et S. Hieron. in eum locum Apoſtoli, *cujus fiduciæ; atque acceſſus principium eſt fides in Chriſto: Qui igitur omnia facit ratione, & ordine, iſte credit in Chriſti ſermonem, atque rationem*, &c. ergo fiducia eſt effectus fidei.

Prob. 2. p. Fides, quæ præparat ad juſtificationem ea eſt, quam Chriſtus, & Apoſtoli prædicarunt, & de qua inſtrui debent baptizandi; ſed hæc non eſt fiducia, ſed illa, quæ proponit myſteria, cui debet aſſentiri per intellectus adhæſionem; ergo hæc fides eſt vera præparatio ad gratiam. Prob. min. fides, quam Apoſtolus prædicat, (3) eſt *in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem myſterii Dei, & Patris Jeſu Chriſti*. Ecce fidem intellectivam myſteriorum, non autem promiſſionum, & ad cognitionem po-

[1] *De præd. SS.* 7. [2] *ſer.* 33. *temp.*
[3] *Coloſſ.* 2.

potius, quam ad fiduciam, quæ eſt effectus talis cognitionis, & fidei. Et hoc magis patet ex ſequentibus. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum J. & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitavit eum a mortuis, ſalvus eris.* Vides fidem hiſtoricam, & non promiſſionum, & tamen ſalvat: unde ipſemet dicit: [1] *fide credimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei*. Et, [2] *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: vide quid debeat credere, ut placeat, *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt*. Et cum Philippus baptizavit Eunuchum, quam fidem exigit ab eo? Quis prohibet me baptizari? ait Eunuchus: reſpondet Philippus; *ſi credis ex toto corde:* tum ille, *credo filium Dei eſſe J. Chriſtum;* ergo fides hiſtorica ſufficit; nulla enim ibi mentio de fiducia, nec de objecto fiduciæ generalis, aut particularis.

Objic. 1. Scriptura docet pluries fidem, quam exigit ad juſtificationem, eſſe fiduciam, ſeu confidentiam in bonitate, & miſericordia, ut cum dicitur: [3] *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Vel in promiſſionibus; *ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini*. Et, [4] *ſcribo vobis, ut credatis in filium Dei, ut ſciatis, quia vitam habebitis:* vel in orationis efficacia; [5] *omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis*. [6] Et, *omnia quæcumque orantes petieritis, credite, quia accipietis*, ideſt confidite: vel in meritis Chriſti, [7] *Habentes fiduciam in ſanguine Chriſti accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*: & ideo fides ab eo deſcribitur *ſperandarum rerum ſubſtantia*; ut ſignificetur fidem eſſe certam expectationem miſericordiæ promiſſæ; ergo fides illa, quæ diſponit ad gratiam, eſt fiducia in Deum ut bonum, ut fidelem in promiſſis, & in efficaciam orationis, & meritorum ſanguinis Chriſti, &c.

Reſp. nos non negare, quin ſæpius nomine fidei ſignificetur fiducia in Dei miſericordia, & fidelitate in promiſſis implendis; ſed negamus id ſignificari in ſenſu proprio, & rigoroſo, nec eſſe eam fidem, quæ

[1] *Rom.* 10. [2] *Hebr.* 10. [3] *pſal.* 26.
[4] *Rom.* 4. [5] 1. *Jo.* 3. [6] *Matt.* 21.
[7] *Hebr.* 10.

perfectè circumſtantionatus, & ultima diſpoſitio ad gratiam, dicitur *attritio*, & *informis*, ſeu actus in genere moris, & naturæ. In 2. ſigno, ſeu inſtanti naturæ infunditur gratia; & in 3. ſigno eſt actus formatus, & ſic attritio fit contritio ſine omni mutatione reali ipſius actus; & addit, quòd per hanc contritionem in 3. ſigno non deletur culpa, ſed in ſecundo, in quo intelligitur infundi gratia, & ſic attritio in primo illo ſigno, in quo nondum intelligitur formata, habet rationem meriti de congruo. [1] *Poteſt dici, quod Deus diſponit per attritionem in aliquo tempore, tanquam per aliquod meritum de congruo, in aliquo inſtanti dare gratiam, & pro illa attritione, ut pro merito, juſtificat, ſicut eſt meritum juſtificationis*: Ergo ex Scoto actus dilectionis Dei, & pœnitentiæ, qui eſt proxima diſpoſitio ad gratiam, non cauſatur à gratia in ratione talis diſpoſitionis, ſed eſt prior illa prioritate naturæ, & cauſalitatis. Vides etiam, quod in modo loquendi Scotus vocat attritionem perfectè circumſtantionatam actum illum pœnitentiæ ex charitate actuali elicitũ, vel imperatum, quem jam communiter Theologi, & Concilium Tridentinum (2) vocant abſolutè contritionem, prout eſſentialiter diſtinguitur ab attritione. Nam in mente Scoti illa attritio perfectè circumſtantionata eandem vim habet, ac contritio, quam illud Concilium, & Theologi communiter docent cauſare gratiam extra ſacramentum in re, modò illud adſit in voto.

Prob. 2. concl. ex Scriptura, [3] quæ cauſalitatem gratiæ juſtificantis tribuit actibus pœnitentiæ, & dilectionis: Ut cùm dicitur, *ſi impius egerit pœnitentiam, iniquitatum ejus non recordabor*. Et, [4] *dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; ergo dilectio, & pœnitentia ſunt cauſæ remiſſionis per gratiam, non effectus gratiæ: alioqui diceretur, ſi habuit gratiam, aget pœnitentiam, & dilexit multum; quia dimiſſa ſunt ei peccata, &c.

Prob. 3. ex Concil. Trid. [5] *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa ſequitur, quæ non eſt ſola remiſſio, ſed ſanctificatio*; ergo ſanctificatio non præcedit, ſed ſequitur proximam diſpoſitionem ad gra-

[1] *n.* 15. [2] *ſeſſ.* 24. [3] *Ezech.* 33.
[4] *Luc.* 7. [5] *ſeſſ.* 6. *c.* 7.

gratiam. Et confir. ex eo, quod definit, quod [1] *ſine prævenientis gratiæ auxilio non poteſt homo credere, ſperare, diligere, & pœnitere, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur*; ergo prius eſt, ſaltem natura, hominem elicere tales actus diſpoſitivos ad gratiam, quàm iſtam infundi; ergo infuſio gratiæ non eſt cauſa ultimæ diſpoſitionis ad gratiam; ſed è contra: alioqui Concilium dixiſſet, vel quia gratia confertur, vel ſaltem quando gratia confertur, ut ſignificaret hæc ſaltem eodem inſtanti naturæ adeſſe, ſc. collationem gratiæ, & actus illos proximè diſpoſitivos.

Confir. etiam ex Seſſ. 14. ubi cauſalitatem gratiæ eidem contritioni perfectæ adſcribit dicens, *ipſam reconciliationem* (hominis cum Deo, quæ fit per gratiam) *ipſi contritioni, ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam*.

Prob. 4. ex Patribus, qui ſemper tribuunt actibus charitatis, & pœnitentiæ cauſalitatem, & impetrationem gratiæ, & maximè cùm loquuntur de Magdalena, ut patet apud illos in hunc locum Euangelii.

Prob. 5. cauſa impetratoria, & diſpoſitiva, & quaſi meritoria gratiæ eſt prior gratia; ergo non poteſt cauſari à gratia effectivè: ſed actus charitatis, & pœnitentiæ, qui dicuntur diſponere ad gratiam, ſunt cauſa ejus impetratoria, & quaſi meritoria de cõgruo; ergo non efficiuntur à gratia, ſed potius impetrant, & efficiunt, ut concedatur à Deo. 1. conſ. patet; nam omnis cauſa, in quantum cauſa, eſt prior effectu. Prob. ſubſumptum ex Script. ex Concil. & PP. qui tales actus reponunt inter cauſas meritorias, ſeu impetratorias gratiæ, & non dicunt eam dari homini, ut fiat contritus, ſed quia eſt contritus. Et ſic nequidem gratiam conſiderant, ut cauſam finalem illorum actuum. Dicit quidem Apoſtolus; *gratiam*, ſeu *miſericordiam conſecutus ſum, ut ſim fidelis*, ſed nunquam legimus, ut ſim pœnitens, vel amans, ſed quia pœnitentiam agit, aut diligit.

Prob. 6. Deus, dum infundit gratiam, reſpicit ad diſpoſitiones, ſc. ad contritionem, vel dilectionem præexiſtentem; ergo illæ diſpoſitiones non ſunt ab iſta gratia; ant. patet ex Script. cit. Prob. conſ. niſi enim ea

[1] *can.* 3.

eas reſpiceret, ut præexiſtentes, non eſſent diſpoſitiones, quibus moveretur ad dandam gratiam, ſed finis, ob quem daret illam.

Dices, gratiam habitualem reſpectu illorum actuũ habere rationem moventis, & adjuvantis animam ad illos eliciendos, & ut ſanctificantem habere rationem habitus permanentis.

Contra 1. quia gratis, & ſine fundamento confunditur gratia actualis excitans, & adjuvans cum habituali, & effectus utriuſque contra mentem omnium Theologorum. 2. quia id apertè eſt contra mentem Concilii Tridentini, quod motionem, & auxilium gratiæ docet etiam tempore præcedere in peccatore receptionem gratiæ ſanctificantis; nam ex illa procedunt actus fidei, ſpei, timoris, dilectionis, & pœnitentiæ, quam *diſpoſitionem* ſeu præparationem *juſtificatio ipſa conſequitur*. 3. Quia ſupponit Concilium, quod homo, dũ excitatur, movetur, & adjuvatur ad illos actus, & diſpoſitiones eliciendas, eſt adhuc peccator, *dum peccatores ſe eſſe intelligentes*. Et, *peccatorum remiſſio, & renovatio hominis ſequitur illas diſpoſitiones per ſuſceptionem gratiæ*; ergo ſuſceptio gratiæ non cauſat illas, ſed è contra illæ cauſant iſtam, & præcedunt eam, ſaltem natura; ſicut omnis cauſa realis præcedit effectum. 4. Denique definit hominem per auxilium gratiæ *diſponere ſe, ut ei juſtificationis gratia conferatur*; ergo pro inſtanti naturæ, quo per auxilium gratiæ homo ſe ita diſponit, non habet gratiam habitualem; ergo illa contritio, vel dilectio Dei pro illo priori inſtanti non poteſt eſſe à gratia habituali.

Omitto rationes philoſophicas, quibus probavimus implicantiam mutuæ cauſalitatis realis duarum rerum, ſicut & objectiones ibi ſolutas.

Objic. 1. ex Scrip. & Conciliis: ipſi actus dilectionis, & pœnitentiæ ſunt dona Dei, & charitatis inhabitantis; ergo ſunt à gratia habituali, quæ per nos eſt ipſa charitas. Prob. ant. ex Concil. Arauſic. (1) *donum Dei eſt diligere Deum, quia ipſe dedit nobis, ut eum diligeremus, qui charitatem diffundit in cordibus noſtris*. Et S. Auguſt. (2) *cum amat nos, infundendo gratiam, nihil aliud intendit Deus, quàm ut illum amemus*. Et S. Gregor. (3) *qui Deum deſiderat, profectò jam habet quem amat*,

[1] *Can.25.* [2] *Man.20.* [3] *ho.26.Euang.*

amat, neque enim quiſquam poſſet Deum diligere, ſi eum, quem diligit, non haberet; ſed non poteſt homo habere Deum in ſe niſi per charitatem; *nam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; ergo illi actus amoris, & pœnitētiæ sūt ab ipſa gratia habituali.

Reſp. neg.ant. & conſ.prob. vel ſic diſt.actus illi, qui ſequuntur primam gratiam juſtificationis, & diſponunt ad ſecundam, ſeu ad augmentum, con. qui diſponunt ad primam gratiam habitualem, neg. conſ. nec enim Concilia, vel Patres loquuntur de iſtis, ſed de illis, quibus diſponimur, & meremur augmentum charitatis, ſeu gratiæ.

Inſt. actus, quibus diſponimur ad 1. gratiam, tam ſunt ſupernaturales, quam illi, quibus diſponimur ad 2. gratiam; ergo tam efficiuntur a gratia habituali.

Reſp. neg. conſ. nam illi, quibus diſponimur ad primam gratiam juſtificationis, habent ſupernaturalitatem à gratia actuali movente, & adjuvante, & hoc verum eſt tam de illis, qui diſponunt remotè, ut actus fidei, ſpei, timoris, attritionis, quam qui proximè, & tamen illos non dicent adverſarii eſſe à gratia habituali, licet ſint ſupernaturales; ergo nec alii ſunt dicendi eſſe ab illa.

Inſt, illi actus remotiores non ſunt ſimul cum gratia habituali, ſicut proximi; ergo non eſt par ratio, cur illi ſint à gratia, ſicut iſti.

Reſp.neg.conſ.nam paritas rationis eſt, quia conveniunt in ratione diſpoſitionum ad gratiam iſtam, & ut tales ſunt neceſſariò priores illa, vel tempore, ut primi, vel ſaltem natura, ut iſti proximi, & ultimi.

Objic. 2. omnis actus meritorius eſt à gratia habituali; ſed iſti actus ultimò diſpoſitivi ſunt meritorii; ergo ſunt ab ipſa gratia. Maj.patebit ex dicēdis de merito. Prob. min. nam actus contritionis, & charitatis ſunt meritorii gloriæ; nam qui ſtatim moreretur poſt adeptam gratiam, per illos actus ſine ulteriori merito ſalvaretur; ergo ſunt meritorii etiam gloriæ.

Reſp. diſt.min. ſunt meritorii impropriè, & de congruo reſpectu gratiæ, con. propriè, & de condigno, neg.min.& diſt.ant.prob. meritorii gloriæ ratione gratiæ ſupervenientis, con.præciſa gratia, quæ illos ſequitur, neg. ant. in eodem inſtanti temporis, quo eſt actus contritionis perfectæ, & in facto eſſe, eſt etiam

gra-

gratia in fieri, ita ut illa diſpoſitio non præcedat gratiam, niſi prioritate naturæ, ut diximus ex Scoto.

Inſt. contritio perfecta poſſet eſſe informis, & ſine gratia per aliquod inſtans; ſed hoc eſt damnatum in Bajo, ut diximus; ergo &c.

Reſp. diſt. ſubſ. per inſtans naturæ, & præſuppoſitionis, con. per inſtans temporis, neg. ſubſumptum. Illa contritio, cùm ſit diſpoſitio ad gratiam, illi præſupponitur prioritate naturæ, ut omnes cauſæ priores ſunt ſuis effectibus, non prioritate durationis.

Objic. 3. in naturalibus ultima diſpoſitio eſt à forma; ſed hæc forma eſt gratia; ergo iſtæ diſpoſitiones ſunt à gratia.

Reſp. diſt. maj. diſpoſitio ſtans cum forma introducta, aut illam ſequens, con. diſpoſitio præparatoria, & prævia, neg. maj. in generatione, & corruptione ſubſtantiali, in quibus diximus fieri reſolutionem uſque ad materiam primam, accidentia omnia, quæ erant in ſubjecto corrupto pereunt cum ipſo, & quæ adveniunt generato, manant a forma genita; non ita eſt in alterationibus, & mutationibus accidentalibus, in quibus tota diſpoſitio præcedens formam accidentalem non perit, ſicut nec totum ſubjectum, ita eſt in propoſito. Vide quæ diximus in lib. de generatione circa hanc quæſtionem.

Objic. denique: efficientia principii vitalis non poteſt ſuppleri per aliquid extrinſecum; ſed gratia concurrit ad actum charitatis, & contritionis, ut principium vitale, quia illi actus ſunt vitales ſupernaturales in facto eſſe, & non poſſunt eſſe tales niſi à gratia; ergo ſunt ab iſta gratia.

Reſp. neg. min. quoad utramque partem. 1. enim non habent eſſe reale, nec ſupernaturalitatem à gratia habituali, ad quam diſponunt, ſed hoc habent ab anima ut elevata per gratiam actualem, cum qua facit unum principium vitale, & ſupernaturale, uno verbo, habent vitalitatem a voluntate eliciente, & ſupernaturalitatem à gratia actuali, quæ ſupernaturalis eſt.

Inſt. actus dilectionis, & contritionis, qui eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, eſt inclinatio ſupernaturalis voluntatis noſtræ in bonum divinum, quale eſt in ſe; ſed talis inclinatio non poteſt eſſe niſi à gratia habituali tanquam à principio radicali; ergo contritio,

&

& dilectio, ſeu ultimæ diſpoſitiones ad gratiam ſunt ab ipſa gratia. Prob. min. omnis inclinatio in bonum naturæ alicujus eſt ab ipſa natura, & eam ſupponit; ſed gratia eſt participatio naturæ divinæ, & ab ipſa procedit effectivè; ergo & inclinatio in bonum divinum eſſe non poteſt niſi à gratia habituali.

Reſp. diſt. min. inclinatio habitualis, & permanens per modum habitus, con. inclinatio actualis, & tranſiens per modum actus, neg. min. & conſ. nam ad hanc inclinationem ſufficit gratia actualis, quæ illam imprimit voluntati per motionem divinam, dum excitat, movet, & inclinat voluntatem ad actus illos, quibus ſe præparat ad gratiam habitualem, & permanentem.

Conſtat igitur, quod actus contritionis, & charitatis, ſicut & aliarum virtutum, quibus homo ſe diſponit ad gratiam habitualem, veniunt effectivè à voluntate, & gratia Dei actuali excitante, & adjuvante, non autem à prima gratia ſanctificante.

Dico, *à prima*, per quam tranſit de ſtatu peccati ad ſtatum ſanctitatis, nam de illis, quibus augetur hæc gratia, & quibus proficit in ſanctitate, certum eſt, quod hæc ad illos concurrit effectivè.

QUÆSTIO V.

Quinam actus requirantur ad illam præparationem, ſeu diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem.

HÆc quæſtio pertineret, ſicut & duæ præcedentes ad diſputationem de juſtificatione, ſed ſicut diſpoſitiones ad gratiam juſtificantem pertinent ad cauſas ejus, non ineptè etiam hic habet locum.

Concilium Trident. (1) diverſos actus virtutum enumerat, quibus gradatim peccatores diſponuntur ad hanc gratiam, his verbis; *diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum credentes ea, quæ divinitùs ſunt revelata, & promiſſa ſunt.* (Ecce fidem, à cujus actibus incipit converſio) 2. *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timo-*

[1] *ſeſſ. 6. c. 6.*

timore, quo utiliter concutiuntur (ecce timorem ex peccatorum conſideratione conceptum, qui ſi non eſt actus, eſt ſaltem paſſio, & motus a quo) 3. *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes ſibi Deum propitium fore propter Chriſtum*; (ecce motum, & actum ſpei, & inde) 4. *Deum ipſum diligere incipiunt tanquam omnis juſtitiæ fontem*. (vides initia charitatis, ex cujus motivo) 5. *Propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet*. (loquitur de adultis nondum baptizatis; & vides actus pœnitentiæ virtutis,& iſti) 6. denique *proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata*; Vides propoſita diverſarum virtutum, & maximè religionis circa ſacramentum pœnitentiæ, & converſionis à peccato in Deum, & obedientiæ circa mandata ejus.

Verùm illæ diſpoſitiones hucuſque præſcriptæ non ſunt ultimæ, & immediatæ ad gratiam, licèt ad illas dicat ſequi juſtificationem. Nam ibidem docet, eam inſtrumentaliter donari per Sacramentum; ſed tamen certum eſt ex alio textu, & ex doctrina ejuſdem Concilii, quòd illi actus, maximè charitatis, & pœnitentiæ, quandoque ſunt ita perfecti, ut diſponant immediatè ad eam gratiam extra, & ante effectivam ſacramenti ſuſceptionem, modò adſit in voto.

Nota hæreticos diſtinguere triplicem fidem: 1. *hiſtoricam*, qua credimus vera eſſe, quæ narrantur in Scripturis; 2. *miraculorum*, qua credimus nihil eſſe, quod à Deo fieri non poſſit: 3. *promiſſionum*, qua credimus veras eſſe promiſſiones Dei de gratuita peccatorum remiſſione per merita Chriſti. Et addunt nos per hanc juſtificari; priores verò duas non ſufficere. Et hanc rurſus dividunt 1. in *generalem*, qua generaliter credimus promiſſam eſſe remiſſionem peccatorum, aut ſingularem benevolentiam iis omnibus, qui in Chriſtum credunt: 2. *ſpecialem*, qua quiſque in particulari promiſſionem ſibi applicat, credendo omnia peccata ſibi remiſſa eſſe, vel Deum ſibi ſpecialiter benevolum extitiſſe; & hanc credunt eſſe propriè juſtificantem.

His ſuppoſitis, quærimus hìc præcipuè, qualis ſit illa

illa fides diſpoſitiva ad gratiam, qualis illa ſpes, & qualis illa dilectio. De pęnitentia dicemus in proprio tractatu, ſicut & plenius de iſtis aliis virtutibus.

CONCLUSIO I.

Fides eſt diſpoſitio requiſita ad gratiam habitualem recipiendam, quæ non eſt præciſe fiducia, qua credimus, & confidimus peccata nobis eſſe remiſſa, ſed qua aſſentimur veritatibus revelatis, & nobis propoſitis ad credendum. Eſt de fide contra hæreticos volentes hominem juſtificari per illam fiduciam.

Prob. 1. ex Scoto docente, (1) quod ille locus Evangelii, *Qui non crediderit, condemnabitur, debet intelligi de adultis,* quod patet per illud, quod præcedit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; ergo ex Scoto requiritur fides etiam cum ſacramento ad gratiam, & quidem fides, non qua confiditur, ſed qua creditur. *Fidem dicit eſſe omnium articulorum revelatorum.*

Prob. 1. p. ex Scriptura. (2) *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et, *Qui non credit, jam judicatus eſt.* Et, (3) *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Et, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & remunerator eſt requirentibus ſe*; ergo Scriptura fidem exigit, non vero ſolam fiduciam, quæ eſt actus ſpei potius, quam fidei, ut videbimus ſuo loco: & maxime cum Apoſtolus duo objecta credendi proponit, 1. exiſtentiam Dei, cujus cognitio, & aſſenſus ſpectat præciſe ad fidem, etiam ſpeculativam. 2. juſtitiam remunerativam, quæ excitat ſpem in requirentibus eum.

Confirm. ex Tridentino cit. (4) Dicit enim, quod *fides ex auditu concepta facit credere vera, quæ revelata ſunt,* non dicit *promiſſa,* quæ ſunt objecta ſpei, ſed *quæ revelata ſunt,* quæ ſunt objecta fidei materialia, & formalia. Et expreſſe quoad fiduciam decernit, quod *ſi quis dixerit fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccatum remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolum*

(1) *4.d.5.q.1.A.1.*
(2) *Jo.1. & 3.* (3) *Hebr.1.*
(4) *ib.d.c.16. & c.12.*

ſolùm eſſe, qua juſtificamur, Anath. ſit.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. [1] ex fide dicit Apoſtolus ideo juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, per quam impetrentur cætera, &c. Et definit, quod ipſum credere nihil eſt aliud, quam cum aſſenſione cogitare. Et S. Leo, hoc eſt, quod juſtificat impios, & de peccatoribus facit ſanctos, ſi in uno, eodemque Domino noſtro J. C. & vera deitas, & vera credatur humanitas. Vides nullum proponi ab his Patribus objectum, vel motivum fiduciæ, ſed puræ fidei.

Confir. nam ex omnibus Patribus, & Theologis objectum formale fidei eſt revelatio; ſed nullibi revelatum eſt huic particulari eſſe remiſſa peccata; ergo hæc fiducia particularis non eſt vera illa fides, quam commendant Scripturæ, & Patres, & Theologi ad juſtificationem.

Prob. 4. Fiducia eſt effectus fidei, & hominis juſtificati; ergo non eſt diſpoſitio ad juſtificationem. Prob. ant. quia prius eſt credere Chriſtum, & in Chriſtum, quam habere fiduciam in ipſum; nam hæc fiducia naſcitur ex illa fide. Prob. ex Apoſt. in quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus; ergo fiducia non eſt idem quod fides, ſed effectus fidei.

Confir. ex Auguſt. [2] poſt hanc fidem fiduciam habere diſcite. Et S. Hieron. in eum locum Apoſtoli, cujus fiduciæ; atque acceſſus principium eſt fides in Chriſto: Qui igitur omnia facit ratione, & ordine, iſte credit in Chriſti ſermonem, atque rationem, &c. ergo fiducia eſt effectus fidei.

Prob. 2. p. Fides, quæ preparat ad juſtificationem ea eſt, quam Chriſtus, & Apoſtoli prædicarunt, & de qua inſtrui debent baptizandi; ſed hæc non eſt fiducia, ſed illa, quæ proponit myſteria, cui debet aſſentiri per intellectus adhæſionem; ergo hæc fides eſt vera præparatio ad gratiam. Prob. min. fides, quam Apoſtolus prædicat, (3) eſt in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem myſterii Dei, & Patris Jeſu Chriſti. Ecce fidem intellectivam myſteriorum, non autem promiſſionum, & ad cognitionem po-

[1] De præd. SS. 7. [2] ſer. 33. temp.
[3] Coloſſ. 2.

potius, quam ad fiduciam, quæ eſt effectus talis cognitionis, & fidei. Et hoc magis patet ex ſequentibus. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum J. & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitavit eum a mortuis, ſalvus eris.* Vides fidem hiſtoricam, & non promiſſionum, & tamen ſalvat: unde ipſemet dicit: [1] *fide credimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Et, [2] *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: vide quid debeat credere, ut placeat, *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt.* Et cum Philippus baptizavit Eunuchum, quam fidem exigit ab eo? Quis prohibet me baptizari? ait Eunuchus: reſpondet Philippus; *ſi credis ex toto corde*: tum ille, *credo filium Dei eſſe J. Chriſtum*; ergo fides hiſtorica ſufficit; nulla enim ibi mentio de fiducia, nec de objecto fiduciæ generalis, aut particularis.

Objic. 1. Scriptura docet pluries fidem, quam exigit ad juſtificationem, eſſe fiduciam, ſeu confidentiam in bonitate, & miſericordia, ut cum dicitur: [3] *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Vel in promiſſionibus; *ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini.* Et, [4] *ſcribo vobis, ut credatis in filium Dei, ut ſciatis, quia vitam habebitis*: vel in orationis efficacia; [5] *omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis.* [6] Et, *omnia quæcumque orantes petieritis, credite, quia accipietis*, ideſt confidite: vel in meritis Chriſti, [7] *Habentes fiduciam in ſanguine Chriſti accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*: & ideo fides ab eo deſcribitur *ſperandarum rerum ſubſtantia*; ut ſignificetur fidem eſſe certam expectationem miſericordiæ promiſſæ; ergo fides illa, quæ diſponit ad gratiam, eſt fiducia in Deum ut bonum, ut fidelem in promiſſis, & in efficaciam orationis, & meritorum ſanguinis Chriſti, &c.

Reſp. nos non negare, quin ſæpius nomine fidei ſignificetur fiducia in Dei miſericordia, & fidelitate in promiſſis implendis; ſed negamus id ſignificari in ſenſu proprio, & rigoroſo, nec eſſe eam fidem, quæ

[1] *Rom.* 10. [2] *Hebr.* 10. [3] *pſal.* 26.
[4] *Rom.* 4. [5] 1. *Jo.* 3. [6] *Matt.* 21.
[7] *Hebr.* 10.

quæ eſt primum initium converſionis, & via ad juſtificationem; nec illam fiduciam particularem eſſe ad id neceſſario prærequiſitam, ſed aliqualem fiduciam, quæ pertinet ad ſpem juxta Concilii Tridentini doctrinam: quippe dum fidei lumine peccatores conſiderant Dei miſericordiam, *a timoris humiliatione eriguntur in ſpem, fidentes Deum propitium ſibi fore*.

Reliquas objectiones videbimus in tract. de fide.

CONCLUSIO II.

Ad *gratiam requiritur etiam aliqua ſpes, & dilectio Dei, & timor Dei*. Eſt communis, & de fide.

Prob.1. de ſpe: nam dicitur: (1) *Sperantem in Domino miſericordia circumdabit*. Et id patet ex allatis textibus pro fiducia: nam hæc eſt actus ſpei firmioris. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Item *Eruet eos a peccatoribus, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo*. Item, (2) *Qui ſperat in Domino, ſalvabitur*. Et, (3) *Spe ſalvi facti ſumus*.

Confir. ex Concil. Trid. cit. (4) *In ſpem erigumur fidentes*, &c. Et can. 3. *Credere, ſperare, diligere, & pœnitere, ſicut oportet, ut juſtificationis gratia conferatur*. Et alibi docet, (6) *Contritionem debere eſſe cum fiducia divinæ miſericordiæ*, &c.

Prob.2.p. de dilectione. Ideo dicitur de Magdalena, *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et Joannes, *Qui non diligit, manet in morte, &c.*

Confirm. ex Tridentino cit. *Deumque diligere incipiunt*; ſc. ibi aſſerit intervenire debere initium aliquod dilectionis Dei. Et in can. 3. & ſeſſ. 14. ubi contritionem aſſerit aliquando eſſe ipſa charitate formatam, quæ juſtificat extra ſacramentum. Nos autem loquimur de diſpoſitionibus ad gratiam, abſtrahendo a ſacramentali juſtificatione, vel extraſacramentali: ideo dicimus *aliquam dilectionem*: nam ad juſtificationem extra ſacramentum requiritur perfecta contritio ex perfecta charitate, in ſacramento autem ſufficit

[1] *pſal.*36. [2] *Prov.*28.
[3] *Rom.*8. [4] *ſeſſ.6.c.6.*
(5) *ſeſſ.14.c.4.*

ficit attritio, & per conſequens implicita, vel initialis, & imperfecta charitas.

Prob. 3. p. de timore. 1. ex Script. (1) *Timor Domini expellit peccatum*. Item, (2) *Timor Domini fons vitæ*. Et, *A timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis*. Et Chriſtus, (3) *Oſtendam vobis quem timeatis: timete eum, qui habet poteſtatem mittere in gehennam*. De quo late diximus lib. de attritione ſufficienti.

Prob. 2. ex Concilio. (4) *Homines peccatores ſe intelligentes a timore juſtitiæ divinæ utiliter concutiuntur*. Et hoc intelligitur etiam de timore pœnæ: ideo definit, (5) *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit*.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. *Præmiſſus timor in cor noſtrum pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat charitati locum*, &c. Et ſic de cæteris Patribus, qui commendant illum timorem.

Fateor tamen illum non eſſe neceſſarium, ita ut ſine illo non poſſit haberi gratia; imo perfectior eſſet diſpoſitio, ſi ex puro amore charitatis proficiſceretur penitentia peccatoris; ſed volui tantum hunc motum annumerare aliis diſpoſitionibus, quia ſic docet Concilium.

Objic. 1. Sufficit ſola fides; ergo illi alii motus, ſeu actus non requiruntur. Prob. ant. nam Scriptura ſolam fidem exigit: [6] *Crede tantum, & ſalva eris*. Et alibi ſalutem tribuit ſoli fidei: *Fides tua te ſalvam fecit*, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam in his, & ſimilibus locis non eſt ſermo de ſalute ſpirituali quoad juſtificationem, & ſanitatem a peccato, ſed de corporali, ad quam potuit ſufficere.

Inſt. D. Paulus [7] non loquitur de ſalute corporali, cum dicit: *Si confitearis ex ore tuo Dominum Jeſum Chriſtum, & corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitavit eum a mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam*, &c. ergo ſola fides ſufficit ad gratiam obtinendam.

Reſp. neg. conſ. Non enim excludit alia prærequiſita ad

(1) *Prov.* 14. (2) *Iſa.* 26. (3) *Luc.* 12. (4) *ſeſſ.* 6. *c.* 6.
(5) *can.* 2. (6) *Luc.* 8. (7) *Rom.* 10.

ad gratiam; contentus fuit ibi notare efficaciam, & meritum fidei abſque præjudicio aliarum diſpoſitionum.

Inſt. 2. imo & excludit, aut ſaltem contentus eſt fide ſine aliis; ergo &c. Prob. ant. (1) *arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis*: & infra, *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum*. Item, *gratis ſalvati eſtis per fidem, & non ex operibus, ne quis glorietur*; ergo excludit alia opera, præter fidem, a diſpoſitionibus ad gratiam.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam ibi Apoſtolus ſolum intendit oſtendere inutilitatem operum cæremonialium legis veteris; ut cum ſcribit ad Galatas, quos aliqui cogebant ad obſervantiam eorum, & operum extra fidem factorum, in quibus gloriabantur infideles, quaſi per illa meruiſſent gratiam vocationis; & de hoc ſcribit ad Romanos. Præterea cum aliquis effectus pendet a pluribus cauſis, ſolent Scripturæ, & Patres aſſignare alteram illarum ſine excluſione aliarum; & ideo licet plures virtutes diſponant ad gratiam, ſæpius memorant ſolam fidem velut primam, & radicem, & fundamentum aliarum, quas ſupponunt ſatis notas.

Objic. 2. ex eadem Scriptura, juſtificatio ſoli fidei adſcribitur; ergo aliæ virtutes non ſunt neceſſariæ. Prob. ant. Nam S. Petrus de gentilibus dicit, quod Deus *fide purificavit corda eorum*. Et Paulus, *in hoc* (Chriſto) *omnis, qui credit, juſtificatur, & credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam*, &c. ergo fides ſola ſufficit ad gratiam juſtificantem.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam, ut dicebamus ſupra, dum ita commendat fidem, quæ tunc temporis erat rara, & quam intendebant Apoſtoli propagare, non excludit alias virtutes, quas facile eſt ſuadere, & commendare ſuppoſita fide. Unde idem Apoſtolus dicebat: *In Chriſto J. neque circumciſio, neque præputium aliquid valet, ſed fides, quæ per dilectionem operatur*. Vides requiri fidem operatricem per charitatem, & charitate formatam. Et ita intelligendi ſunt Patres, cum videntur ſolam fidem commendare.

[1] *Rom.6. & 7.*

Objic.

Objic. contra timorem. Timor ſervilis non eſt nequidem bonus moraliter propter ſervilitatem, quæ retinet inclinationem peccati; ergo non eſt diſpoſitio, ſed potius impedimentum ad gratiam.

Reſp. diſt. ant. timor ſervilis ſerviliter, con. ſervilis pure, neg. ant. & rationem ejus: nam timor pure ſervilis abſtinet a peccato propter pœnam; & de facto, ac ſyncere peccatum odit; ſerviliter autem ſervilis ſic abſtinet, ut vellet peccare, niſi pœnam odiret; ſicut lupus abſtinet ab ovibus vorandis propter canes, ſed ſemper hiat poſt prædam; ideo timor iſte non juvat, ſed potius nocet ad gratiam; ſed ille utilis eſt.

De cæteris diſpoſitionibus ad gratiam dicemus ubi de pœnitentia.

Reſtaret hic agere de cauſa finali gratiæ, ſed nihil ſpeciale occurrit diſputandum. Sufficit, quod Concilium Tridentinum dixerit, eam eſſe gloriam Dei, & Chriſti, & vitam æternam. De meritoria etiam dicemus in tract. de Incarnatione, ubi de merito Chriſti.

DISPUTATIO VI.

De principali effectu gratiæ: ſeu de juſtificatione.

EFfectus principalis, & primarius gratiæ habitualis eſt ſanctificatio, ſeu juſtificatio peccatoris; de qua pauca reſtant dicenda, quia plura, quæ huc etiam pertinent, examinata ſunt in præcedentibus diſputationibus. Vidimus quid ſit gratia habitualis, per quam juſtificamur, & quæ eſt ipſa formalis juſtitia, ſeu juſtificatio, item quomodo expellit peccatum, an phyſice, vel moraliter: & quæ eſt eorum oppoſitio, & incompatibilitas. Item vidimus diſpoſitiones ad juſtificationem, cum examinavimus diſpoſitiones ad gratiam.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit juſtificatio, an per eam vere deleantur peccata.

JUſtificationis nomen a juſtitia derivatur, & ſicut iſtud etiam nomen multipliciter ſumitur in ſacris literis, ita & juſtificatio.

Juſtitia 1. ſumitur large pro omni rectitudine cujuſcumque rei, & maxime operum humanorum, quæ ſunt conformia legibus. 2. magis proprie pro rectitudine operum, quæ ſunt ad alterum, & ſic eſt virtus ſpecialis inter morales. 3. propriiſſime pro rectitudine, quæ ordinat hominem ad Deum, & facit ad ſalutem ejus æternam: & de juſtificatione, quæ huic juſtitiæ reſpondet, agimus hic.

Juſtificatio etiam ſumitur 1. pro divina lege, quæ juſtitiam docet, ut cum dicitur: (1) *Juſtificationes tuas requiram*. Et, *Doce me juſtificationes tuas*. 2. Adhuc minus proprie pro declaratione ſive juridica, ſive aliter, qua quis declaratur juſtus, & immunis a culpa, ut cum dicitur: (2) *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, uterque abominabilis eſt*. Et, (3) *Humilem, & pauperem juſtificate*. Et Job: (4) *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me*, &c. 3. Proprie pro acquiſitione juſtitiæ, quam accipimus a Deo, & traducimur ab iniquitate ad juſtitiam, ut cum dicimur [5] *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*. Et, *Neque fornicarii, neque idolis ſervientes regnum Dei poſſidebunt. Hæc feciſtis aliquando; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*. Ecce translationem a peccato ad juſtitiam.

Juſtificatio etiam ſumitur vel *active*, & efficienter pro actione, qua Deus nos interius emundat a peccato per infuſionem juſtitiæ formalis, ſeu gratiæ: vel *paſſive*, ſeu *ſubjective* pro receptione interiori talis gratiæ, ſeu juſtitiæ. Et de hac juſtificatione tam activa, quam paſſiva hic agimus.

Porro ex Conc. Trid. [5] juſtificatio ita deſcribitur, *translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi*

[1] *Pſal.* 118. [2] *Prov.* 17. [3] *Pſal.* 81.
[4] *Job.* 9. [5] *Rom.* 3. [6] *ſeſſ.* 6. *c.* 4.

mi Adæ in ſtatum gratiæ,& adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, &c. Et infra docet, quod hæc juſtificatio *non eſt ſola peccatorum remiſſio* (*ſeu externa condonatio ex parte Dei*) *ſed & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus, ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ*.

Hinc patet quantum aberrent a veritate Calviniſtę, qui putant juſtificationem nihil ponere internum in homine, ſed fieri per puram remiſſionem, ſeu condonationem peccatorum ex parte Dei, qui ea nobis non imputat, ſed imputat nobis Chriſti Domini juſtitiam, qua velut amictu teguntur peccata, & hoc mediante fiducia, de qua loquebamur ſupra, & qua certo apprehendimus illam Chriſti juſtitiam, & certo confidimus eam nobis imputari, quem errorem ut ſolidius impugnemus, ſit

CONCLUSIO I.

Juſtificatio paſſiva hominis peccatoris conſiſtit in interiori receptione juſtitiæ inhærentis. Eſt de fide contra prædictos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Peccator ante pœnitentiam eſt injuſtus, poſt pœnitentiam eſt juſtus, ſicut Scriptura communiter vocat peccatorem injuſtum, & liberatum a peccato juſtum. Ex hoc arguitur: Injuſtitia, cum ſit formaliter privatio, non poteſt auferri ab aliquo, niſi ei detur habitus oppoſitus, quia privare privationem eſt habitum ponere, quia ſunt immediate oppoſita circa aptum natum* (*ex Philoſopho*) *ſed anima eſt apta nata recipere juſtitiam, ergo ille juſtificatus, qui factus eſt de injuſto juſtus, recipit habitum oppoſitum illi privationi: ſi enim nihil ineſſet ſibi formaliter nunc, quam prius, non magis careret privatione nunc, quam prius caruit*, &c. Vide alias rationes, quibus idem ſolide probat, v. g. ex eo, quod qui ante juſtificationem erat indignus vita æterna, eſt dignus illa poſt juſtificationem. Idem eſt de operibus ejus, &c.

Prob. 2. ex Scriptura docente Deum, & Spiritum S. inhabitare animam juſti, in ipſo eſſe ſemen Dei, & ali-

[1] 3.d.17.q.2.DD.v.q.3.18.

aliquid, quo ſit filius Dei, &c. *Si quis diligit me... ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Et, *templum Dei eſtis vos*: &, [1] *ſpiritus Dei habitat in vobis*: non habitat niſi per gratiam. Item, [2] *renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem... in juſtitia, & ſanctitate*. Renovatio ſpiritus non fit ſine forma inhærente. Eodem ſenſu dicitur regeneratio; ergo producitur in nobis aliquid de novo. Et revera *ſemen Dei manet in eo*, qui ſic regeneratur, & naſcitur ex Deo. Et propterea per illud [3] *filii Dei nominamur, & ſumus*, ſc. non tantum reputamur juſti, & filii per imputationem externam filiationis Chriſti, ſed revera ſumus per veram regenerationem, & ſeminis Dei receptionem, & immanentiam. Unde *de plenitudine ejus omnes accepimus*. Et dicimur *renovari ſpiritu mentis noſtræ*, &, *renaſci in filios Dei*, &, *vivificari in Chriſto*; ergo & recipimus ſpiritum vitæ, &c.

Prob. 3. ex Conciliis; nam præter textus allatos ex Tridentino, hanc veritatem definit: [4] *ſi quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, Anath. ſit*. Et antea docuerat, nos fieri juſtos, *non juſtitia, qua ipſe juſtus eſt, ſed quam in nobis recipimus unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram; & qua juſti vere nominamur, & ſumus*. Quod non poteſt dici de juſtitia externa Chriſti nobis imputata.

Hæretici non credunt huic Concilio, ſicut nec Patribus, quos fatentur nobis favere. Dubitant de Auguſtino, ſed immerito. Nam conſtanter docet nos eſſe juſtos juſtitia, non noſtra, ſed Dei. (5) *Non qua Deus juſtus eſt, ſed qua induit hominem, cum juſtificat impium*; & quod *charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris*; charitas, inquam, *non qua nos diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos: Hæc eſt juſtitia Dei, quam non ſolum docet per legis præceptum, verum etiam dat per ſpiritus donum*.

Prob. 4. rationibus allatis ex Scoto; ſc. quia pecca-

ca-

[1] 1. *cor*. 13. [2] *Epheſ*. 4. [3] 1. *Jo*. 1.
[4] *can*. 11. [5] *de ſpir. & litt*. 9.

cator, dum juſtificatur, intrinſece mutatur, & de carente juſtitia fit habens juſtitiam, & dicitur juſtus. 2. Quia ante juſtificationem eſt indignus vita æterna, & per illam fit dignus vita æterna; ergo fit in eo aliqua mutatio interna. 3. Idem eſt de operibus ejus, quæ ante juſtificationem non ſunt acceptabilia, nec grata Deo, ſicut poſt illam. 4. Volitio divina in ſe non mutatur; ergo quod acceptet opus, quod antea non acceptabat, id fieri debet per mutationem intrinſecam operum illorum ex conditione operantis, qui antea erat inimicus, & ingratus Deo, & nunc eſt amicus, & gratus. 5. Dicitur Deus remittere nunc offenſam, quam antea non remittebat; ergo homo nunc aliter ſe habet ad Deum, quam ante; ergo per gratiam ſibi inexiſtentem, quæ antea non inerat. 6. Quod niſi gratia haberet nunc eſſe formam aliquam, per quam ageret meritorie, non eſſet ratio, cur antea non ſic ageret, & niſi eam formam in ſe haberet, actus meritorius non eſſet in ejus poteſtate, &c. Vide has rationes in textu.

Prob. 5. eo modo juſtificamur in Chriſto, quo maculati ſumus in Adam; ſed in Adam maculati ſumus non per nudam imputationem peccati ejus, ſed quia in ipſo vere peccavimus, ut in capite noſtrarum voluntatum depoſitario, & macula peccati originalis vere ineſt; ergo non ſimus juſti per nudam, & externam imputationem juſtitiæ Chriſti, ſed per juſtitiam, & gratiam nobis infuſam. Maj. patet ex Apoſtolo, [1] *ſicut per unius delictum*, &c. Min. etiam patet ex dictis de peccato originali.

Objic. 1. cum hæreticis plures textus Scripturæ, & maxime illum, quem mox adduximus: *ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi*; ſed inobedientia Adæ nobis non inhæret; ergo nec obedientia, nec juſtitia Chriſti, ſed utrumque ineſt per imputationem.

Confir. hoc ex eodem Apoſtolo dicente, [2] quod *credenti in eum, qui juſtificat impium, fides ei reputatur ad juſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei.* Itē de Chriſto quod *factus eſt nobis ſapientia a Deo, &* ju-

L 6

[1] *Rom.* 5.
[2] *Rom.* 4.

juſtitia, & juſtificatio, &c. Ut *qui gloriatur in Domino glorietur*; ſed hæc, & ſimilia loca non poſſent intelligi in bono ſenſu, ſi juſtificatio noſtra fieret per gratiam creatam, & nobis propriam, & inexiſtentem; ergo id fit per ſolam extrinſecam condonationem peccatorum, & imputationem juſtitiæ Chriſti.

Reſp. neg. min. & diſt. conſ. prob. per imputationem juſtitiæ, & obedientiæ Chriſti in ratione cauſæ meritoriæ, conc. in ratione cauſæ formalis, neg. ant. quoad omnes partes: nam illi, & ſimiles textus non probant omnimodam ſimilitudinem traductionis, & participationis juſtitiæ Chriſti, & redemptionis cum traductione peccati Adæ, quaſi eodem prorſus modo fiat utraque participatio, ſed tantum vult, quod ſicut inobedientia Adæ, & unius hominis fuit radix, & origo cæterorum peccatorum, ſic ſanctitas Chriſti eſt una radix, & origo juſtitiæ, utraque ſcilicet ab uno traxerunt originem, peccata ab Adamo, & gratiæ omnes a Chriſto. Denique in ſententia Calvini peccatum originale eſt concupiſcentiæ rebellio, quæ inhæret carni, & ſic non eſt quid extrinſecum; ergo nec gratia.

Objic. 2. Eodem modo efficimur juſtitia Dei, quo Chriſtus factus eſt peccatum, juxta illud: [1] *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*: ſed Chriſtus factus non eſt peccatum, niſi per imputationem peccati noſtri; ergo nec nos juſtitia Dei efficimur, niſi per imputationem juſtitiæ Chriſti.

Reſp. diſt. maj. eodem modo ſecundum quid, conc. ſimpliciter, & quoad omnia, neg. maj. & conſequ. Comparatio enim non quadrat quoad omnia, ſed tantum quatenus ipſe punitur, & immolatur ut hoſtia pro peccatis noſtris, ita & nos juſtificamur per merita juſtitiæ illius; ſed abſit, ut dicatur peccatum noſtrum habere in ſe, ſicut nos juſtitiam ejus participamus.

Inſt. Juſtitia Chriſti nobis ineſt, ſicut veſtimentum, quo tegimur, juxta illud: [2] *Induite novũ hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate*; ſed veſtis non ineſt, niſi extrinſece, ut tegat nuditatem; ergo & juſtitia Chriſti, ut tegat peccata.

Reſp.

[1] 2. *Cor.* 4. [2] *Rom.* 13.

Reſp. neg.maj. nam Apoſtolus per metaphoram indumenti vult ſolum, quod imitemur virtutes Chriſti, & ſanctitatem ejus in anima, ſicut corpora teguntur veſtibus,quo ſenſu dixit, *exuite veterem hominem cum actibus ſuis, & induite novum*; ergo induere Chriſtum idem eſt, ac imitari eum in actibus ſuis, ſicut exuere Adamum idem, ac non imitari eum: quod clare colligitur ex eodem Apoſtolo, [1] cum dicit, *induimini Dominum J. C.* nam inquit Chryſoſtomus: *induere Chriſtum eſt omnem ſimul in univerſum virtutem habere*; & ut alibi docet, idem eſt,ac undique in nobis per ſanctimoniam, & manſuetudinem Chriſtum conſpicuum eſse. Et Hieron. ad ſimilia verba, *induite novum hominem*, ſic explicat: *qui converſationem illius imitari poteſt, & univerſas inſe exprimere virtutes, ut ſit manſuetus,ſicut ille .... iſte indutus eſt novum hominem, & dicere poteſt cum Apoſtolo, vivo ego, jam non ego*, &c.

Objic.3.non ſtat juſtitia noſtra cum juſtitia Chriſti, & noſtra abicienda eſt, ut iſtam habeamus: ergo juſti non ſumus intrinſece per juſtitiam noſtram,quæ ſit in nobis. Prob. ant. *omne detrimentum feci .... ut Chriſtum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam juſtitiam*, &c. ergo &c.

Reſp.neg.ant.& conſ.prob. nam juſtitia, quam contemnit, & abjicit Paulus,eſt ea, quæ ponebatur in obſervantia cæremoniarum legis veteris, & illa, quam vult habere, eſt juſtitia, quam parit obſervantia legis Chriſti, ut patet ex ipſo textu.

Objic.4. ex Patribus:nam aliqui dicunt peccata noſtra tegi, ut loquitur Pſaltes: *quorum tecta ſunt peccata, quatenus ſub veſtibus Chriſti, id eſt primogeniti fratris noſtri pretioſa puritate deliteſcimus, ut teſtimonium juſtitiæ a conſpectu Dei referamus*; ait Ambroſ. [2] per comparationem Jacob, qui ſub veſtibus Eſau furatus eſt benedictionem. & S. Bernardus ait cum Pſalmiſta: [3] *Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius: ipſa enim eſt mea, nempe factus es mihi tu juſtitia a Deo*; ergo juſtitia noſtra non eſt interna, nec inhærens nobis, ſed tota in Chriſto ſubjective, & in nobis extrinſece per imputationem.

Reſp. neg. conſ.nec enim id ſomniarunt illi Patres, nec

[1] *c.4.Epheſ.*[2]*l.2.de Jacob.* [3] *ſer.61. cant.*

nec alii. Comparatio Jacob ſub veſtibus Eſau nobiſcum ſub pallio juſtitię Chriſti claudicat in hoc, quod ille coram patre putatus eſt alter, & patrem decepit, ſicque ſubripuit benedictionem majori debitam; nos coram Deo non poſſumus putari alii eſſe, nec eum decipere. In hoc quadrat comparatio, quod Jacob intuitu veſtium Eſau, & putatus Eſau obtinuit benedictionem; nos intuitu, & ex meritis Chriſti, quæ nobis applicamus per fidem, ſpem, charitatem, & ſacramenta, benedicimur, & gratiam impetramus. Sic etiam Chriſtus fit nobis juſtitia, ſc. meritorie, & quatenus diſpoſitiones, quibus impetramus gratiam, fundantur in meritis Chriſti.

Objic: denique, ut alia omittam. Juſtitia noſtra eſt imperfectiſſima, & totaliter externa eſt, nam interne ſumus fędiſſimi .... [1] *facti ſumus ut immundi omnes, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. eſt imperfecta comparata juſtitiæ Dei, con. abſolute, ita ut nulla ſit gratia, & juſtitia vera, & participata, neg. ant. & conſ. loquitur propheta de operibus noſtris comparative ad Deum.

CONCLUSIO II.

IN *juſtificatione vere remittuntur, ſeu delentur peccata quoad culpam, & reatum mortis æternæ, & maculam*. Eſt etiam de fide contra eoſdem hæreticos, qui volunt peccata non tam deleri, quam tegi.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui ubique hanc veritatem ſupponit, vel docet, ut cum dicit, quod *Deus prius remittit offenſam peccatori, quam det ei gratiam*: & ponit hanc concluſionem: [3] *Infuſio gratiæ, & expulſio culpæ, ſeu magis proprie loquendo, remiſſio culpæ non ſunt ſimpliciter una mutatio*. Et infra dicit, quod *tot ſunt remiſſiones culparum, quot ſunt culpæ, infuſio autem gratiæ eſt una*: & clarius infra, ubi dat rationem, cur peccata ſemel remiſſa non reviviſcant, ſicut bona opera mortificata per peccatum, ait: [4] *Mala totaliter extinguuntur, ita quod nec in ſe, nec in intellectu, vel voluntate divina remanent in ordine ad vin-*

[1] *Iſa.64.* [2] *Ibid.* [3] *4.d.16.q.2.A.2.q.16.*
[4] *d.22.F.7.*

vindictam .... in mortali remiſſo nec jus remanet, nec actio .... ita enim perfecte texit peccatum, & remiſit, ut nec actio ſibi remaneat ad vindicandum, &c. Idem ſæpius alibi docet.

Prob. 2. ex Script. docente, Deum delere, & tollere peccata: (1) *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas.* Et, [2] *quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem?* Et David orat, [3] *Dele iniquitatem meam ... omnes iniquitates meas dele.* Et petit mundari, & lavari: *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*: certe ille, cujus ſordes teguntur, non mundatur, nec dealbatur. Et cum dicit Deus, [4] *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris.* Et Apoſtolus poſt memorata peccata gentilium, ſc. fornicationes, idololatrias, adulteria, &c. addit, [5] *hæc fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*, &c. Et, (6) *ſanguis J. C. Filii ejus emundat nos ab omni peccato*, &c. Item dicit juſtos immaculatos, [7] *beati immaculati in via ....* Et, *elegit nos, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus.* Certe Deus non minus videt peccata tecta, quam aperta; nullum tegumentum, nullæ veſtes occultant oculis ejus ſordes, & ulcera noſtra.

Prob. 3. ex Concil. Trid. cit. (8) *Si quis per J. C. Domini noſtri gratiam ... reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, ſed illud dicit radi, aut non imputari, Anath. ſit.*

Prob. 4. ex Patribus: nam inquit Chryſoſtomus, (9) *Judæorum ſacerdotibus licebat corporis lepram purgatam oſtendere: at vero noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, ſed animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Et, Hieronymus ad baptizatum hominem loquens, (10) *nunc mundus factus es in lavacro, & de te dicitur, quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata* &c. Et Auguſtinus ſcribens ad Bonifacium: [11] *dicimus baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere*, &c.

[1] *Iſa.* 43. [2] *Mich.* 7. [3] *pſ.* 50.
[4] *Ezech.* 36. [5] 1. *cor.* 6. [6] 1. *Jo.* 1.
[7] *pſ.* 118. [8] *Seſſ.* 5. *can.* 5. (9) *de ſacer.* c. 6.
[10] 3. *con. Pelag.* (11) *l.* 13.

&c. ſc. non radere, ſicut capillos, ut iterum creſcant, &c.

Prob. 5. ratione Theologica: nam ſi peccata in juſtificatione ſolummodo tegantur per imputationem juſtitiæ Chriſti, aut per ſimplicem non imputationem, & non omnino tollantur, & deleantur quoad omnem maculam, non poſſunt verificari dicta Spiritus Sancti de hoc myſterio; ergo debet dici, quod omnino deleantur. Sic enim debemus credere hoc fieri, ut vera ſint oracula divina. Prob. ant. nam ille, cujus ulcera corporalia, ſordes, maculæ, infirmitates tantum teguntur, aut non imputantur ad horrorem, vel odium, ſed gratis tolerantur, ille, inquam, æger non dicitur vere ſanus, nec mundus, nec immaculatus, nec ablutus; ſed Scriptura aſſerit peccatores per gratiam, & pœnitentiam, & baptiſmum dealbari, ſanari, ablui, mundari, &c. ergo remittuntur, & delentur omnino peccata eorum. Maj. negari non poteſt, ſed per ſe patet in ſenſu omnium communi. Min. vero probata manet ex allatis, & aliis innumeris Scripturæ locis; ergo &c.

Confir. Nam illa dicuntur communi uſu vocabuli *tegi*, quæ ſic occcultantur, ut non appareant, quamvis exiſtant; ergo ſi quando dicit Scriptura, quod peccata noſtra teguntur, intelligenda eſſet in ſenſu litterali de ſimplici, & pura tectione, nunquam mundaremur, aut ſanaremur a maculis, & ulceribus peccatorum, & non poſſent verificari alia innumera loca, in quibus eadem Scriptura docet, nos ab illis mundari, ſanari, dealbari, &c. Certe ſi volunt hæretici loca, in quibus peccata dicuntur tegi, ſumere litteraliter, quare non licebit, & quidem a fortiori, ſumere litteraliter de vera ablutione, deletione, munditie, ſanitate, & remiſſione illa, in quibus dicimur a peccatis mundari, ablui, remitti? &c.

Duplex igitur diſtingui poteſt *tectio*, & non imputatio. 1. *tectio*, qua quædam realiter, & vere exiſtentia ſic teguntur, ut non appareant, licet inſint; & ſimiliter non imputatio, qua licet exiſtant peccata, non tamen æſtimantur ineſſe; quia judex, aut ſuperior, aut Deus non curat ea intueri in ordine ad vindictam, ſeu pœnam. 2. *tectio* eſt, qua ſic mala, vulnera, aut peccata teguntur, vel non imputantur, ut

pror-

prorſus non exiſtant: Sic medicus tegit vulnera, quæ ſanat, *tegit, & curat, emplaſtro tegit*, ait Auguſtinus, [1] *ſub tegmine medici ſanatur vulnus, ſub tegmine vulnerati celatur vulnus, ſed non curatur*, Scriptura autem loquitur de tegmine ſanativo, & hæretici loquuntur de tegmine celativo, & in hoc errant.

Prob.6. quia ſi hoc modo tantum tegerentur peccata, & remanerent quoad maculas, & ulcera, & ſordes, nunquam pœnitens, & juſtificatus poſſet ſalvari, ſed conſ. eſt falſum, & hæreticum; ergo & ant. prob. maj. *nihil coinquinatum intrabit in regnum Cœlorum:* [2] & ſcriptum eſt, quod *iniqui regnum Dei non poſſidebunt:* &, *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto I.* Et, *iſte divinus medicus purgationem peccatorum facit;* ſed quocumque poſito velo, aut tegmine, aut negatione imputationis, adhuc illi homines eſſent inquinati, immundi, & interius iniqui; ergo &c.

Objic. 1. ex Script. peccata remitti idem eſt, quod tegi, & non imputari, & remitti, ut cum dicit: (3) *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata --- --- Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; ergo tectio, remiſſio, & non imputatio idem ſunt.

Reſp. diſt. ant. idem eſt, ſi capias tegere, & non imputare, ut ſignificent, tollere, & delere, con. ut ſignificent occultare, & nolle videre, quod ineſt, neg. ant. *Si texit peccata Deus, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere --- ne ſic intelligas, quod dixi, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & vivant*, inquit Auguſt. [4] & alibi in eadem verba dicit: *Fit ſignificatio peccatorum in his velis, ut per confeſſionem exprimantur, & per gratiam, quæ data eſt Eccleſiæ, aboleantur, hoc eſt tegantur. Unde dicitur, Beati quorum*, &c. Vides, quo ſenſu tegantur peccata, ſc. pro tegi eſt aboleri.

Reſp. 2. neg. ant. ſc. hæc ſignificare idem; nam remiſſio ſignificat deletionem quoad culpam, & pœnam æternam; tectio vero abolitionem quoad memoriam propter actus contrariarum virtutum, quæ quaſi

[1] *in pſ.*31. [2] *Hebr.*1.
[3] *pſ.*31. [4] *QQ.Exo.*10.3.

quaſi delent recordationem, juxta illud: [1] *ſi impius egerit pœnitentiam, & fecerit judicium, & juſtitiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*. Denique non imputatio ſignificat integram abolitionem totius peccati tam quoad culpam, quam quoad pœnam, quando ſc. pœnitentia eſt perfectiſſima, & indulgentia completa, quod raro accidit.

Inſt. Hæc reſponſio non valet pro aliis textibus, in quibus peccata dicuntur operiri, & quod non ſumus unquam ſine illis, quantumcumque dicantur remiſſa; ergo &c. Prob. ant. *ipſa charitas operit*, non delet *multitudinem peccatorum*: Et, *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, &c. Ideo quantumcumque ſancti docentur orare, & ſemper dicunt, *dimitte nobis debita noſtra*; ergo peccata ſemper remanent tecta, & non imputata, quamvis remiſſa.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. non enim id ſequitur ex illis textibus bene intellectis. S. Petrus ibi loquitur de charitate mutua inter nos, quæ operit, id eſt excuſat, & tegit peccata, & condonat, aut diſſimulat peccata inter proximos, ut patet ex ipſo textu illius verſiculi, ſi legeris integrum; dicit enim, *mutuam in vobis charitatem continuam habentes*. S. Joannes intelligendus eſt de peccatis levioribus, ſine quibus vix ſanctiſſimi vivunt: Idem eſt de particula illa orationis Dominicæ.

Objic. 2. Concupiſcentia non deletur etiam in juſtis; ergo peccatum in juſtificatione non deletur; nam concupiſcentia eſt peccatum.

Reſp. diſt. ant. concupiſcentia habitualis, aut radicalis, con. actualis, ſeu conſenſus in motum inordinatum concupiſcentiæ, neg. ant. iſte conſenſus eſt peccatum formaliter, inclinatio autem radicalis, aut etiam motus involuntarius ejuſdem remanet quidem, ſed non eſt peccatum formaliter, ſed radix peccatorum; & ideo dicitur peccatum, quia rebellio appetitus contra rationem venit ex peccato, quo amiſimus juſtitiam originalem, & inclinat ad peccatum, ut diximus alias.

Igitur juſtificatio importat veram deletionem, & remiſſionem peccati quoad maculam, & culpam, ſeu rea-

[1] *Ezech*. 18.

reatum pœnæ æternæ per gratiæ infuſionem, qua emundamur, & nitorem ſupernaturalem, amicitiamque Dei, & filiationem, & jus ad hæreditatem æternam accipimus in Baptiſmo, vel recuperamus in Pœnitentia poſt amiſſam gratiam baptiſmalem.

QUÆSTIO III.

An juſtificatio fieri poſſit per extrinſecam peccati remiſſionem ex parte Dei abſque infuſione interioris gratiæ.

JAm diximus quæſt. præcedenti, juſtificationem paſſivam fieri per receptionem formæ ſanctificantis, & inhærentis animæ, & hoc de facto, & de potentia Dei ordinaria, & lege poſita: & quod in eadem juſtificatione peccata vere, & intime deleantur, & tollantur, non autem tegantur; nunc quærimus, an ita eſſentiale ſit juſtificationi, ut aliter fieri non poſſit, v.g. per nudam, & externam ex parte Dei condonationem offenſæ ſibi per peccatum factæ, & per acceptationem animæ in amicitiam ſuam.

Hæc quæſtio ſolet etiam hoc modo proponi: An, & quot mutationes fiant in juſtificatione peccatoris: nam duæ inter alias ibi notantur. 1. ab eſſe peccati ad non eſſe peccati, & 2. a non eſſe gratiæ ad eſſe gratiæ. 1. eſt negativa, & moralis, quia termini ejus non ſunt entitates phyſicæ, peccatum habituale non eſt quid poſitivum phyſicum, nec privatio formæ inexiſtentis, ſed quæ deberet ineſſe actui: & per conſequens non eſſe peccati non eſt privatio, vel negatio alicujus formæ poſitivæ realis. 2. vero eſt mutatio phyſica, quia terminus ejus *a quo*, id eſt non eſſe gratiæ eſt negatio formæ realis, & poſitivæ, & terminus *ad quem*, nempe eſſe gratiæ, & ipſa gratia eſt forma realis poſitiva. Sed tamen de via ordinaria, & de facto ambæ mutationes ſunt ſimul in eodem inſtanti reali temporis, non naturæ. Quæritur ergo, an poſſint ſeparari, ita ut homo poſſit tranſire a peccato ad non peccatum ſine tranſitu ad eſſe gratiæ.

Has mutationes ſic explicat Doctor. [1] *In juſtificatione peccatoris eſt una mutatio privativa, qua de inimi-*

[1] 4.d.5.q.6.E.7.

inimico fit non inimicus. Eſt etiam alia poſitiva, quâ de indigno vita æterna fit dignus vita æterna, &c. Et concludit, quod ex prima mutatione non poteſt concludi, quod interveniat forma poſitiva; bene vero poteſt concludi ex ſecunda. Et quidem de facto ita eſt; ſed de poſſibili quæritur an aliter contingere poſſit. Idem docuerat in 1. ſentent. d. 17. ut ibidem ſcribit.

Iterum poteſt aliter proponi, an Deus per puram, & ſimplicem remiſſionem extrinſecam peccati delere poſſet peccatum abſque infuſione ullius formæ naturalis, aut ſupernaturalis oppoſitæ peccato.

CONCLUSIO.

Non repugnat de potentia abſoluta peccatum remitti ſine infuſione formæ ſanctificantis, vel alterius. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto dicente, (1) quod *non eſt neceſſarium ponere habitum gratificantem ſupernaturalem, loquendo de neceſſitate reſpiciente potentiam Dei abſolutam, præcipue cum poſſit dare beatitudinem ſine omni merito præcedente, licet ſit neceſſarium neceſſitate, quæ reſpicit potentiam Dei ordinariam*: & clarius alibi ſub aliis terminis: [2] *Infuſio gratiæ, & expulſio culpæ, ſeu magis proprie loquendo, remiſſio culpæ, non ſunt ſimpliciter una mutatio*, &c.

Prob. 2. Deus per gratiam juſtificat impium; ergo & ſe ſolo abſque gratia juſtificare poteſt; ergo & ſe ſolo abſque infuſione gratiæ, vel alterius formæ creatæ cujuſcumque id poteſt. Ant. ſupponitur, & patet ex dictis de cauſalitate, & effectibus gratiæ: nam hæc non delet peccatum ex virtute ſua propria, & intrinſeca, ſed ex acceptatione, & inſtitutione divina. Prob. conſ. quia Deus poteſt ſe ſolo per potentiam ſuam abſolutam quidquid de lege, & potentia ordinaria efficit per cauſas, aut cum cauſis creatis, non quidem eo modo, quo id præſtat per iſtas cauſas, ſc. per modum cauſæ formalis, ut alias dictum eſt, ſed per modum efficientis; ergo ſicut per gratiam, & cum gratia delet offenſam, quia ſic voluit; ita ſe ſolo poſſet eam remittere, ſi vellet & ſine illa.

Confir. ex dictis. Nam in tantum per gratiam interius

[1] 1. *d.* 17. *q.* 2. *MM.* [2] 4. *d.* 16. *A.* 1.

rius infuſam juſtificat, quia ex ſpeciali inſtitutione, & acceptatione ſua voluit, mediante hac forma, non tantum condonare offenſam ſibi per peccatum illatam, ut probatum eſt, ſed etiam peccatorem elevare ad ſtatum ſupernaturalem amicitiæ, & filiationis ſuæ, & conferre illi jus ad hæreditatem æternam; ergo ſi voluiſſet, aut ſi vellet, poſſet ſe ſolo, & abſque illa, vel alia ulla forma intrinſeca, & per puram benevolentiam, & clementiam ſuam condonare peccatori offenſam, cedendo omni juri ſuo ad vindictam, & punitionem, & acceptando illum hominem ad hæreditatem, amicitiam, & filiationem.

Confir. 2. Nam, ex dictis in Phyſica, Deus poſſet ſe ſolo deſtruere frigus in ſubjecto ſine introductione, & actione caloris per nolitionem conſervationis ejus; ergo & poſſet ſe ſolo tollere peccatum per puram condonationem offenſæ ſibi per peccatum illatæ, ſicut nunc idem condonat ad exigentiam moralem gratiæ, aut per infuſionem ejus.

Dices, diſparitatem eſſe de frigore, & peccato, quod Deus poſitivo concurſu cauſat, & conſervat illud in ſubjecto; & ſic per negationem concurſus conſervativi poteſt illud deſtruere; at ſicut non ita concurrit ad productionem, & conſervationem peccati; ita nec eo modo poteſt illud deſtruere.

Contra. Deus permiſſive concurrit ad peccatum, & conſervationem ejus, & poſitive ſtatuit peccatorem punire, & privare amicitia ſua, & gloria æterna; ergo potuit, & poſſet de potentia abſoluta tollere reatum per condonatiouem, & cedere juri vindictæ, quod ſibi contra peccantem conſervabat.

Prob. 3. Voluntas Dei eſt infinite perfectior, & efficacior omni voluntate creata; ſed hæc poteſt remittere offenſas, & reconciliari peccantibus, nihil ponendo in ipſis; ergo à fortiori ſic poſſet Deus reconciliari peccatoribus, ſi vellet. Min. negant adverſarii dicentes, hominem condonando offenſam non dimittere culpam, ſed debitum ſatisfaciendi: Deus vero remittit utrumque. Sed hoc gratis dicunt; nam qui ſic reconciliatur condonando offenſam, nullum jus retinet ad vindictam; ergo vere culpam remittit.

Dices, diſparitatem eſſe inter voluntatem Dei, & hominis, quod illa eſt efficax, & facit amabile,

bonum id, quod amat; non vero humana, quæ nihil poteſt producere in eo, quem amat; ego Deus non poteſt amare peccatorem, quin in illo producat bonum aliquod.

Contra. Deus eſt liber ad extra, & gratis omnino dicitur eum non poſſe amare creaturam eo modo, quo placet illi; ergo ſi non vult aliud bonum homini præſtare, præter condonationem offenſæ, nihil cogit eum ad aliter amandum, aut aliud bonum poſitivum conferre illi.

Confir. Non eſt difficilius Deo auferre ab homine maculam, & condonare peccatum ſine collatione poſitiva gratiæ, quam auferre ab eo gratiam ſine culpa, vel peccato; ſed iſtud poteſt Deus; ergo & illud. Maj. patet: nam contrariorum eadem eſt ratio. Item poſſet Deus deponere Pontificem, aut Regem, ſicut & creare, nihil ponendo in ipſis; ergo & juſtificare peccatorem nullam qualitatem ponendo in ipſo.

Prob. 4. Nihil eſt in peccato, quod non poſſit tolli per extrinſecam volitionem Dei; ergo ad juſtificationem non eſt neceſſaria infuſio gratiæ, vel alterius qualitatis poſitivæ. Prob. ant. in peccato eſt 1. offenſa Dei. 2. culpa, ſeu dignitas, & reatus pœnę. 3. averſio Dei, & privatio converſionis ad ipſum; ſed hæc omnia tolli poſſunt per externam volitionem, & condonationem Dei; ergo non repugnat peccatum remitti ſine infuſione gratiæ, vel alterius qualitatis. Prob. min. 1. id negari non poteſt de peccato in ratione offenſæ; nam hæc tota tollitur per condonationem. 2. id etiam patet quoad reatum pœnæ; nam hic tollitur per eandem remiſſionem. 3. denique de averſione non ſolùm ex parte Dei, qui ad nos convertitur per voluntariam dilectionem, ſed etiam ex parte hominis. Nam volitio Dei tam poteſt nos inclinare ad Deum, quam ulla gratia, vel qualitas, quæ continetur virtualiter in ejus voluntate. Et certe ipſa non ordinante hominem ad ſe ut ad finem ſupernaturalem, illa inconverſio evaderet pura negatio converſionis, quæ non eſſet peccatum. Denique voluntas Dei poteſt ſupplere per ſe omnem effectum gratiæ, maxime quoad diligibilitatem, quam gratia cauſat; nam ſicut per voluntatem Dei, & ex ejus inſtitutione gratia facit hominem diligibilem, & elevat eum, & inclinat ad diligen-

ligendum Deum, ita per ſeipſam immediate poſſet id facere Dei voluntas.

Prob. denique: nam gratia, & peccatum non opponuntur phyſice, nec immediate; ergo illud non infert neceſſario gratiæ negationem, nec gratia negationem peccati, nec negatio peccati infert neceſſario exiſtentiam gratiæ. Prob. ant. nam ex dictis non repugnat hominem creari a Deo in ſtatu puræ naturæ, qui eſt medius inter gratiam, & peccatum; ergo hæc non opponuntur immediate; ergo tolli poteſt peccatum ſine gratia.

Objic. 1. ex Concil. Trid. *juſtificatio eſt translatio hominis a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ:* & docet, quod *in illa non eſt ſola remiſſio peccati, ſed cum illa infunditur gratia*; ergo juſtificatio eſſentialiter fit per gratiæ infuſionem.

Reſp. diſt. ant. de facto, & de potentia ordinaria, & lege poſita, conc. de potentia abſoluta, neg. ant. Concilium loquitur de juſtificatione, prout eſt de facto, & de lege poſita; & ſic vere importat infuſionem gratiæ præter remiſſionem peccati, ſed non negat, quin poſſet aliter fieri; imo ex modo loquendi Concilii ſatis colligitur diſtinctio, & ſeparabilitas remiſſionis peccati a gratiæ infuſione, cum dicit, *juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & renovatio*, &c. alioqui unum dicendo, aliud non erat neceſſarium dicere, cum eſſent unum & idem remittere peccatum, & infundere gratiam &c.

Inſt. Si gratiæ infuſio, & peccati remiſſio eſſent duo motus diſtincti, iſta remiſſio non eſſet effectus formalis illius gratiæ; ſed conſequens eſt contra mentem Concilii; ergo &c. Min. patet ex ipſo textu. Probat. maj. nam effectus formalis non eſt ſeparabilis a receptione cauſæ formalis ejus.

Reſp. diſt. maj. & min. effectus formalis phyſicus, con. maj. & neg. min. effectus moralis, neg. maj. & conſ. & hoc patet ex dictis de cauſalitate, & effectibus gratiæ, ubi probatum eſt, expulſionem peccati non eſſe effectum phyſicum, ſed moralem, quem cauſat gratia ex ordinatione divina.

Inſt. 2. Saltem iſta remiſſio eſſet favor extrinſecus, ſed hoc etiam eſt contra mentem ejuſdem Concilii; ergo & illud. Prob. maj. nam remiſſio fieret per extrinſe-

ſecam illam condonationem, & acceptationem, ſeu ordinationem, non autem formaliter per illam gratiam; ſed hanc doctrinam anathematizat Concilium; ergo &c.

Reſp. neg. maj. utramque: nam de facto remiſſio hæc fit mediante gratia interius infuſa, & immanente, licet hæc id faciat ex Dei ordinatione, qua gratiæ tribuit hunc effectum. Deinde error, quem ibi damnat Concilium, eſt eorum, qui dicebant juſtificationem eſſe nudam negationem imputationis extrinſecæ, non autem veram, & realem peccati deletionem, nec gratiæ interioris receptionem; a quo longiſſime diſtamus.

Objic. 2. Peccatum eſſentialiter importat privationem gratiæ, & amicitiæ divinæ; ergo juſtificatio importat etiam eſſentialiter infuſionem ejuſdem gratiæ, per quam reſtituitur illa amicitia. Prob. conſ. expulſio tenebrarum eſt eſſentialiter illuminatio, ſeu infuſio lucis; ergo ſicut non poſſunt expelli tenebræ niſi per lucem, ita nec peccatum ſine gratia; nam & illud dicitur tenebra, & iſta lux.

Reſp. neg. ant. ut patet ex dictis de oppoſitione peccati cum gratia: diximus enim hanc eſſe moralem, & mediatam, non autem phyſicam, nec immediatam; quippe admittimus poſſibilitatem naturæ puræ, quæ mediat inter peccatum, & gratiam. Vide quæ diximus ibi: lux opponitur phyſice tenebris, & immediate, quia tenebra eſt formaliter privatio lucis; non ita eſt de peccato, quod non opponitur gratiæ niſi demeritorie, & ex ordinatione divina.

Inſt. Juſtificatio eſt motus phyſicus a ſtatu peccati, quod eſt terminus *a quo*, ad gratiam, quæ eſt terminus *ad quem*; ſed omnis motus realis exigit duos illos terminos; ergo & iſte requirit gratiam.

Reſp. neg. maj. juſtificatio integra importat duos motus, ſc. motum a peccato ad non peccatum, & motum a non gratia ad gratiam: terminus *ad quem* primi motus eſt negatio, ſeu deletio peccati, & terminus *ad quem* ſecundi eſt gratia. In 1. motu tollitur ſufficienter peccatum, licet non eodem modo, nec ita perfecte ſine 2. ſed tamen tollitur, ſi Deus ita velit.

Objic. 4. Voluntas Dei non poteſt mutari de odiente

te in amantem, niſi mutatio aliqua fiat in objecto, circa quod ita mutatur, ſed in Juſtificatione voluntas Dei mutatur terminativè circa hominem, & de odiente, ſeu de non amante fit amans hominem illum; ergo in juſtificatione fit aliqua mutatio in ipſo homine: atqui nulla talis mutatio fieri poteſt in homine, niſi per gratiam, vel aliam qualitatem ipſi infuſam; ergo impoſſibilis eſt juſtificatio ſine infuſione gratiæ, aut alterius qualitatis. Maj. ſupponitur certa ex fide, quia voluntas Dei eſt immutabilis in ſe: min. etiam ab omnibus admittitur. Prob. ſubſumptum: non enim poteſt aſſignari alia cauſa mutationis ex parte hominis, præter gratiam, aut æquivalentem qualitatem, qua fiat dignus amore Dei, cùm antea non eſſet dignus amore, ſed potiùs odio, &c.

Ut reſpondeas, nota ex Doctore, quòd quæcumque poteſt velle creatura diverſis actibus, poteſt Deus unico reſpectivè ad diverſas circumſtantias. Unde ſicut homo poteſt nunc amare Petrum, & poſteà non amare, ſcilicet diverſis actibus, ita Deus poteſt ab æterno hominem peccantem hodie non amare, ſed odiſſe pro tota hac ipſa die, & eundem non odiſſe, ſed ſibi reconciliare condonando illi peccatum pro ſequenti die, vel anno, ſicut poteſt ab æterno velle Petrum eſſe ſimplicem piſcatorem pro toto tempore præcedente Aſcenſionem ſuam, & Vicarium ſuum, ſeu Papam pro tempore ſequenti Aſcenſionem. Sic David vult ab æterno paſtorem pro tempore præcedente mortem Saulis, & Regem pro tempore ſequenti Saulis. Sic poteſt nolle diſpenſare me in votis pro uno tempore, & velle diſpenſare me in alio, & hæc ſine ulla mutatione reali intrinſeca in Petro, vel in Davide, vel in me: ergo ſic poteſt ab æterno velle condonare mihi peccatum pro hodierno die, quod non vult pro die heſterno. Hoc ſuppoſito

Reſp. in forma diſt. maj. & min. mutari &c. pro eadem circumſtantia, v.g. pro eodem inſtanti, & menſura temporis, con. maj. & neg. min. pro diverſis temporibus, neg. maj. & conſ. nam nihil repugnat Deum ab æterno odiſſe peccatum pro aliqua duratione temporis, v.g. pro anno, ſed pro toto illo tempore velle illum punire, & pro tempore ſequenti velle liberaliter

condonare illi peccatum, & ſibi hominem reconciliare, & amare, & quidem una ſimpliciſſima volitione; ſicut ego id poſſum multiplici, & ſucceſſivè.

CONCLUSIO II.

Remiſſio peccati, & infuſio gratiæ ſunt duæ mutationes eſſentialiter diſtinctæ. Eſt Scotiſtarum, & aliorum, & ſequitur ex præcedenti.

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) ibi enim expreſſis verbis docet, quòd *infuſio gratiæ, & remiſſio culpæ non ſunt ſimpliciter una mutatio*.

Prob.2.ex Concilio Trid.etiam cit.[2]niſi enim ſupponeret aliquam diſtinctionem inter hos motus, non diceret, quòd juſtificatio *non eſt ſola remiſſio peccatorum, ſed & renovatio*; nec diceret etiam, quòd *cum remiſſione peccatorum alia dona recipiuntur*; quandoquidem ea recipere, & renovari eſſet idem, ac peccata remitti. Eodem modo loquitur Concilium ultimum Moguntinum: [3] *Juſtificatio*, inquit, *cum peccatorum remiſſione etiam ſanctificationem confert*.

Prob. 3. ratione Scoti. Nam remiſſio peccati multiplicatur, & infuſio gratiæ non multiplicatur; ergo non ſunt idem motus; nam implicat idem multiplicari, & non multiplicari, eſſe unum, & non unum. Prob. ant. nam tot ſunt remiſſiones, quot peccata, & infuſio gratiæ eſt una. Homo dicitur peccator multipliciter ſecundum multitudinem peccatorum numericam, & ſpecificam: non ita eſt de gratia; nam una ſufficit ad juſtificationem peccatoris.

Prob. denique ex Concl. præcedenti, in qua probatum eſt, has mutationes poſſe ſeparari, ſaltem de potentia abſoluta, & habent diverſos terminos. Remiſſio terminatur ab eſſe peccati ad non eſſe ejus, & ſanctificatio à non eſſe gratiæ ad eſſe ejuſdem, &c.

Objic. 1. ex Concilio Trid. *homo fit juſtus ex injuſto per ſuſceptionem gratiæ, & donorum*; ergo infuſio gratiæ eſt unica mutatio, quæ fit in juſtificatione; ergo remiſſio,& infuſio non ſunt duæ mutationes.

Reſp. neg. conſ. Nam Concilium intendit ſolùm, quòd

[1] *Ibid.A.2.* [2] *ſeſſ.4.c.7.*
[3] *c.7.*

quòd juſtificatio includit utrumque motum, ut patet ex textibus allatis, non autem quòd ſit unicus.

Inſt. Si eſſet duplex motus, eſſet duplex forma; ſed forma non eſt duplex; ergo nec motus: maj. prob. nam motus ſpecificantur, & multiplicantur ex terminis.

Reſp. neg. maj. abſolutè, vel diſt. duplex forma poſitiva, aut negativa, con. duplex forma poſitiva, ſeu terminus poſitivus, neg. maj. ad min. dico, quòd duplex eſt terminus, nempe non eſſe peccati, qui terminus eſt negativus, & eſſe gratiæ, qui eſt terminus poſitivus, quod ſufficit ad diſtinctionem, quando ſunt ſeparabiles, ut iſti.

Inſt. 2. Motus realis requirit terminum realem; ſed negatio peccati non eſt terminus realis; ergo nec motus remiſſionis peccati.

Reſp. diſt. maj. motus realis phyſicus, con. motus realis moralis requirit terminum, ſeu formam realem pyſicam, neg. maj. deletio, ſeu non eſſe peccati eſt terminus negativus, realis quidem, ſed moralis, ideò illa mutatio a peccato ad non eſſe peccati præciſè eſt moralis.

QUÆSTIO III.

An juſtificatio cum infuſione gratiæ fieri poſſit abſque ullo actu pœnitentiæ ex parte peccatoris.

DIximus diſp. ſuperiori neceſſariò requiri diſpoſitiones ex parte peccatoris adulti ad gratiam ſanctificantem, & illas enumeravimus ex Concilio Trident. & id reſolvimus quoad leges poſitas, & de facto, & ſecundum potentiam ordinariam. Item mox videbamus eundem peccatorem poſſe juſtificari ſine infuſione poſitiva gratiæ, vel alterius qualitatis inhærentis, nunc quærimus, an neceſſarium ſit, etiam de potentia Dei abſoluta, ut peccator adultus iuſtificari non poſſit per gratiæ ſanctificantis infuſionem ſine aliquo actu pœnitentiæ, quo ipſe retractet, & deteſtetur peccatum ſuum. Dico, *peccator adultus*: nam de pueris in baptiſmo certum eſt, ut jam notavimus ibidem, illos juſtificari ſine pœnitentia.

Hæc quæſtio remitti potuiſſet ad tractatum de pœnitentia, deque ejus neceſſitate ad remiſſionem peccati, ſed hìc eam diſcutiemus ad pleniorem juſtificationis notitiam.

CONCLUSIO.

Quamvis de potentia Dei ordinaria peccatum remitti non poſſit, nec peccator adultus juſtificari ſine actu aliquo pœnitentiæ, quo retractet, & deteſtetur peccatum: id tamen non repugnat de potentia Dei abſoluta. Eſt communior cum Scotiſtis, & aliis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam inquit: *Ad deletionem culpæ mortalis poſt baptiſmum commiſſæ requiritur punitio voluntaria, vel voluntas punitionis; ſed neutrum iſtorum poteſt eſſe ſine pœnitentia*; ergo &c. ecce pro prima parte: addit pro 2. *intelligitur concluſio de requiri non ſimpliciter neceſſario, cujus oppoſitum includat contradictionem, quia poſſet Deus remittere ſine omni actu illius, cui remittitur*, &c.

Prob. 1. p. ex Scriptura, qua jubentur adulti pœnitere, ut juſtificentur per ipſa ſacramenta, [2] *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.... in remiſſionem peccatorum*. Item in veteri teſtamento non promittitur remiſſio ſine pœnitentia ex parte noſtra: [3] *Si pœnitentiam egerit gens illa... agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi facere ei*. Item, *cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, ipſe animam ſuam vivificabit*. Item, *ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimul peribitis*: nec de hoc dubitat quiſquam, ſed de 2. p.

Prob. 2. ex eodem Scoto. Voluntas Dei eſt infinitè efficacior, & clementior, quàm creata: ſed hæc poteſt remittere offenſam abſque pœnitentia offendentis; ergo à fortiori Deus; ſed remiſſa offenſa remittitur peccatum; ergo &c. Min. prob. nam Deus ipſe, ſeu Chriſtus D. præcipiens nobis diligere inimicos non patitur, ut expectemus iſtorum pœnitentiam, imò monet contrarium, ut in hoc imitemur Patrem noſtrum cœleſtem, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*: & non vult, ut attendamus ad odium, &

[1] 4. *d*. 14. *q*. 1. *V*. 17. [2] *act*. 2.
[3] *Jerem*. 18.

& inimicitiam, qua nos proſequuntur; nam ſi expectaremus eorum pœnitentiam, non odirent nos, nec eſſent ampliùs inimici.

Dices, diſparitatem eſſe de Deo, & homine: nam iſte remittens offenſam ſibi illatam non remittit culpam, quæ conſiſtit in tranſgreſſione legis; Deus verò remittit utrumque, quia eſt ſupra legem.

Contra. Si homo eſſet ſupra legem, remittere poſſet utrumque, ſc. culpam, & offenſam; ſed Deus eſt ſupra omnem legem; ergo poteſt remittere utrumque.

Contra 2. Tranſgreſſio legis eſt actus præteritus cum peccato actuali, & non manet in peccato habituali, niſi quoad reatum pœnæ, & ſatisfactionis; ſed iſte reatus poteſt remitti à creditore, & offenſo independenter à voluntate debitoris; ergo &c.

Prob. 2. Si quid repugnaret illi remiſſioni ex parte Dei, maximè voluntas peccantis; ſed hæc actu non repugnat poſt tranſactum peccatum; nam illa diù præteriit; ergo nihil obſtat illi remiſſioni. Maj. continet præcipuum fundamentum adverſariorum, & hanc ſuſtinent; nam Deus non videtur poſſe peccatum remittere homini, quandiu homo renitet, & vult illum offendere. Prob. min. 1. quia remiſſio offenſæ eſt actus liber ſolius Dei; & in eo non dependet ullo modo ab homine; ergo ſi Deus nollet expectare hominis retractationem, & ſi nullam legem ſtatuiſſet, qua vult ita expectare converſionem aliquam peccatoris, adhuc poſſet iſti offenſam remittere. *An non licet mihi quod volo bonum facere?* ait Chriſtus. 2. peccatum habituale non eſt ampliùs voluntarium actu nequidem virtualiter, quia continentia virtualis ſupponit actum, in cujus virtute contineatur peccatum, ſed poteſt homo non habere ullum actum, in quo peccatum præteritum ſic contineatur; ergo &c. Imò nequidem adeſt peccatum interpretativè, nam aliquid dicitur voluntarium interpretativè, quando qui tenetur illud facere, non facit; ergo peccatum non perſeverat, ceſſante actu, niſi moraliter, & quoad reatum pœnæ, & obligationem ſatisfactionis, ſicut votum, aut alii contractus, qui durant quoad obligationem, donec retractentur.

Prob. 3. ad hominem contra Thomiſtas, non quidem omnes, quia plures nobiſcum ſentiunt. Gratia,

& peccatum opponuntur phyſicè, & à parte rei, ut volunt; ergo infuſa gratia tollitur peccatum, ſicut tollitur nigredo, poſita albedine; ſed non repugnat infundi gratiam independenter ab omni penitentia peccatoris; ergo & expelli peccatum.

Prob. 4. Actus prærequiſiti ad juſtificationem ſe habent tantùm, ut diſpoſitiones congruæ ex ordinatione divina, alioquí non poſſent infantes juſtificari per baptiſmum; quia ſunt incapaces omnis actus liberi; ſed quod requiritur ex lege divina, poteſt non requiri de potentia abſoluta; ergo &c.

Prob. 5. ex Concilio Trid. juſtificatio includit tantum remiſſionem peccati, & infuſionem gratiæ, qua homo renovatur interiùs; ſed neutra includit actum ex parte peccatoris; ergo ſine ullo actu penitentiæ ex parte peccatoris habetur tota eſſentialis ratio juſtificationis. Alias rationes vide apud noſtros Scotiſtas; iſtæ ſufficiant nobis.

Objic. 1. con. 2. p. ex Concilio Trident. ad juſtificationem infuſio gratiæ debet eſſe voluntaria, ſeu liberè accepta; ſed non poteſt acceptari voluntariè ſine actu libero peccatoris, quo peccatum retractet; ergo &c.

Reſp. 1. diſt. maj. de facto, & de lege ordinaria, con. de poſſibili, & de potentia abſoluta, neg. maj. & conſ. nam loquimur non de facto, ſed de poſſibili.

Reſp. 2. neg. min. ſaltem de retractatione formali: quid enim implicat peccatorem acceptare gratiam Dei, nihil cogitando de pœnitentia peccati?

Objic. 2. Ab veram juſtificationem debet tolli averſio à Deo, & converſio ad creaturam, quia in hoc conſiſtit ratio peccati etiam habitualis: ſed hæc averſio, vel converſio tolli non poteſt ſine actu peccatoris; ergo nec fieri juſtificatio.

Reſp. neg. min. nam averſio à Deo, quæ reſtat poſt actum peccati præteriti, ſufficienter tollitur per gratiam: quia ſicut illa averſio eſt habitualis; ita per gratiam non tantum habitualiter, ſed etiam aliquo modo actualiter homo convertitur ad Deum, ad quem gratia illa inclinat.

Inſt. peccatum habituale conſiſtit in ipſo actu præterito, & non retractato; ergo tamdiù manet illud peccatum,

catum, quamdiù non retractatur, etiam poſita quacumque retractatione, & gratia inclinante.

Reſp. diſt. ant. partialiter cum negatione remiſſionis, ſeu cum duratione culpæ, ac reatus, con. integrè, & eſſentialiter, neg. ant. imò poteſt eſſe retractatum, & non remiſſum; & ſic remiſſio eſt principalior cauſa ceſſationis peccati habitualis, & quoad hoc pendet à ſolo Deo. Hoc longè verius eſt in ſententia eorum, qui rationem peccati actualis, & habitualis ponunt in privatione gratiæ: nam iſti coguntur fateri peccatum tolli poſitivè per infuſionem gratiæ.

Inſt.2. Si deletio peccati penderet à ſolo Deo, Deus eſſet cauſa peccati; nam iſtud à ſolo Deo conſervaretur; ſed conſeq. eſt falſum, & impium; ergo &c. Prob. maj. nam ideò duraret, quia Deus nollet illud remittere; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. nam ſic Deus conſervaret peccatum non poſitivè, nec quoad deordinationem, ſed negativè, & quoad reatum culpæ, & pęnæ, quatenùs non remitteret illud, ad quod non tenetur, niſi velit; & hoc ſuppoſito, neg. min. quid enim juſtius Deo, quàm nolle remittere culpam, & pęnam peccato præterito debitam, ſi nollet?

Objic.3. Peccati exiſtentia eſt totaliter ab homine; ergo non poteſt tolli ſine homine ipſum retractante: prob. conſ. effectus debet conſervari à ſua cauſa, nec poteſt deſtrui ſine illa; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam, ut dictum eſt, ceſſante actu peccati, nihil remanet præter reatum, cujus duratio pendet à Dei remiſſione.

Reſp.2. diſt. ant. peccatum quoad deordinationem actualem, con. quoad pęnæ obligationem, & reatum, neg. ant. nam obligatio ad pęnam pendet ab ordinatione Dei, quæ durat, donec remittatur.

Inſt. Homo juſtificari non poteſt cum affectu ad peccatum; ſed homo perſeverat moraliter cum affectu ad peccatum, donec illud retractet; ergo ſine retractatione non poteſt juſtificari.

Reſp. 1. diſt. maj. & min. cum affectu actuali, aut ſaltem virtuali, con. maj. & neg. min. cum affectu purè habituali, neg. maj. & conſ. nam per gratiam ſufficiẽter mutatur affectus purè habitualis; quia, ut dicebamus, gratia inclinat eum ad Deum, & ad oppoſitũ peccati.

Reſp.2.neg. min.nam perſeverantia moralis peccati attenditur principaliter ad reatum,qui tollitur per remiſſionem, & per gratiam. Unde ſi interrogaretur peccator poſt menſem, vel annum, an perſeveraret in affectu blaſphemandi, reſponderet negativè; quamvis nullum adhuc actum retractationis elicuiſſet. Ideò peccatum non remanet propriè, niſi quoad reatum, qui remittitur à Deo maximè per gratiam.

Objic.4. Deus non poteſt juſtificare hominem, niſi eum ſibi reconciliando, & diligendo; ſed non poteſt eum ſibi reconciliare, niſi eum ad ſe convertendo,nec ita convertere ſine aliquo ejus actu; ergo nec juſtificare ſine aliquo actu,quo retractet peccatum ſuum. Probatur maj. nam in juſtificatione Deus ad peccatorem convertitur, & iſte ad Deum: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; ergo &c.

Reſp.1.ex dictis neg. maj. nam ſicut poſſum, & debeo diligere inimicum, & illi remittere offenſam, licèt eum non poſſim mihi reconciliare;à fortiori Deus poteſt remittere peccatum, & dare gratiam non expectando ejus converſionem, & pœnitentiam. Probatio majoris vera eſt de facto, & de via ordinaria.

Reſp.2.neg.min. nam ut homo non peccet actu, nec avertatur actualiter à Deo, ſed tantùm habitualiter, ſufficienter convertetur per infuſionem gratiæ, qua inclinatur ad Deum.

Inſt. Per nos Deus non poteſt juſtificare hominem, dum eſt in actu peccati; ergo nec quamdiù eſt peccans habitualiter. Prob. conſ. ideò poſſet Deus remittere peccatum habituale ſine actu retractationis ex parte peccatoris, quia per infuſionem gratiæ tollit habitualem averſionem ejus à Deo, & affectum ad peccatum, & converſionem ad creaturam; ſed ſi hoc ſufficeret, tam poſſet eandem gratiam infundere peccanti actualiter, & illi actu condonare offenſam pariter actualem æquè, ac habitualem; ergo ſi unum poteſt Deus, poterit & aliud.

Reſp. neg. conſ. & min.prob. nam implicat contradictionem peccatum eſſe, & remitti, ſeu non eſſe pro eodem inſtanti: nam pro inſtanti, quo committitur actu,exiſtit actu; & pro eodem inſtanti,quo remittitur, & juſtificatur,peccatum non exiſtit.Item pro inſtanti, quo actualiter peccat, ponit obicem gratiæ; & ſic non

poteſt

poteſt eam recipere: non ita eſt de habituali peccato; quia per receptionem gratiæ virtualiter, & interpretativè renuntiat peccato.

Inſt. Tam peccatum habituale opponitur gratiæ, quàm actuale; ergo gratia deſtrueret tam actuale, quàm habituale, vel neutrum poteſt tollere ſine actu peccatoris, quo deteſtetur illud.

Reſpondeo neg. conſ. propter implicantiam allatam, quia implicat peccatum eſſe, & non eſſe pro eodem inſtanti.

Inſt. 2. Tam poteſt Deus remittere offenſam, dum committitur actualiter, quàm poſtquam commiſſa eſt, & de illa commiſſa non dolet peccator; ſed iſtud poteſt per nos; ergo & illud.

Reſpondeo diſt. maj. tam poteſt remittere quoad nolle punire, con. quoad tollere dignitatem ad pœnam, neg. maj. nam hoc ipſo, quod peccatur, incurritur obligatio, & dignitas paſſiva ad pœnam, licèt Deus non acceptet, vel imputet ex parte ſua illam obligationem.

Igitur de potentia extraordinaria, & abſoluta poſſet Deus juſtificare hominem, poſtquam peccavit, quamvis iſte non doleret per ullum actum explicitum, & poſitivum de peccato commiſſo, modò non retineret affectum poſitivum, & actualem ad peccatum.

CONCLUSIO II.

INfuſio gratiæ, & remiſſio culpæ hunc inter ſe ordinem habent, quòd intentione divina, ſeu in ordine intentionis præcedit infuſio gratiæ, ſicut & in ordine cauſalitatis moralis, ſaltem probabiliùs in cauſalitate autem reali ſunt ſimul.

Prob. 1. quoad 1. & 3. p. ex Scoto, [1] qui ſic proponit, & reſolvit hoc quæſitum. *Si quæras quem ordinem habent iſta, ſc. gratia, & non culpa, ut ſunt objecta ſecundaria divinæ voluntatis?* & reſpondet, quòd in ordine intentionis prior eſt gratia, *quia priùs vult propinquius fini, et ita ſimpliciter priùs vult iſti, poſtquam peccavit, gratiam, quam non vindicare, loquendo de prioritate intentionis, ſed exequendo vult* è converſo, ſc.

M 5 vult

[1] 4. d. 16. q. 2. S. 19.

vult priùs in ordine executionis iſti non ineſſe culpam, quàm gratiam. Deinde addit, *vel ſi dicatur, quod per ineſſe, vel non ineſſe* (culpam) *nihil ponitur in iſto extra, ſed tantum ut eſt objectum voluntatis divinæ, poteſt dici conſequenter, quòd hæc objecta ſecundum perfectionem habent ordinem quendam, ut in ea tendit voluntas divina, ſed ſecundum cauſalitatem, vel generationem nullum habent ordinem.* Vides, quo ſenſu hæc duo habeant inter ſe ordinem prioris, & poſterioris. Dicit 1. quòd in intentione prior eſt gratiæ infuſio, quia eſt medium propinquius fini, quem ſibi proponit Deus in juſtificatione peccatoris, ſc. glorificationem ejus, quam remiſſio peccati. Sed in ordine executionis videtur prioritatem dare expulſioni peccati; quia quæ ſunt priora intentione, ſunt poſteriora in executione, & per conſequens infuſio gratiæ eſt poſterior in executione remiſſione peccati, & ſic habes primam partem.

Sed contrarietas inter peccatum, & gratiam non eſt phyſica, ſed moralis; & ideò non habent ad invicem cauſalitatem ullam phyſicam, nequidem in genere cauſæ formalis: non enim ſe expellunt phyſicè, ut calor, & frigus, ſed tota iſta cauſalitas phyſica, ſeu expulſio, & infuſio ſe tenent ex parte Dei dantis gratiam, & remittentis peccatum: addit Scotus, quòd quoad cauſalitatem, vel generationem nullum habent ordinem; & ſic habes 3. p. noſtræ reſolutionis.

Pro 2. autem parte inclinamur in ſententiam Magiſtrii, non obſtante contradictione aliorum Scotiſtarum, qui putant priùs natura expelli peccatum.

Prob. 1. ex Scoto, qui videtur contrarius. Nam inquit: [1] *peccatum non poteſt effectivè corrumpere gratiam, ſed tantùm demeritorie, ita quod priùs naturaliter voluntas avertit ſe,* (à Deo per peccatum) *quam Deus ceſſet naturaliter conſervare gratiam.* Et idem docebat in 4. [2] ſc. quòd *nulla virtus infuſa poteſt corrumpi in nobis per aliquem actum noſtrum, quaſi per naturam repugnantiæ* (phyſicæ) *ſed ſolùm per cauſam demeritoriam: anima enim peccans demeretur, quòd gratia non conſervetur in ea; & ſic in 2. inſtanti naturæ propter iſtud demeritum quaſi præcedens, Deus non conſer-*

[1] 1. d. 37. E. [2] 4. d. 1. q. 1. B B. 33.

conſervat gratiam , & ſic annihilatur . Hoc poſito , ſic argumentor : Sicut ſe habet peccatum in expulſione gratiæ , ita ſe habet gratia in expulſione peccati; ſed in expulſione gratiæ peccatum habet prioritatem naturæ , & prius eſt ineſſe peccatum , quàm abeſſe gratiam ; ergo in juſtificatione peccatoris prior natura eſt infuſio gratiæ , quàm expulſio peccati . Prob. maj. nam contrariorum eadem eſt ratio .

Prob. 2. quia hæc videtur conformior menti Concilii Tridentini , quatenùs tribuit aliquam cauſalitatem gratiæ reſpectu deletionis peccati ; ut cùm dicit , per gratiam tolli totum id , quod *veram , & propriam rationem peccati habet* , & per illam nos *exuere veterem hominem, & induere novum* . Et alibi docet , quod *unica formalis cauſa juſtificationis eſt juſtitia Dei , non qua ipſe juſtus eſt , ſed qua nos juſtos facit* , ſc. gratia ; ergo ex Concilii mente gratiæ infuſio habet aliquam veram , ſaltem moralem , cauſalitatem in genere cauſæ formalis circa expulſionem peccati ; ergo hæc infuſio gratiæ eſt prior natura expulſione peccati. Prob. conſ. nam omnis cauſa ut cauſa , & in eo genere , in quo eſt cauſa , eſt prior natura ſuo effectu ; ergo ſi de mente Concilii gratiæ infuſio eſt unica formalis cauſa juſtificationis , ſub hoc reſpectu eſt prior expulſione peccati .

Objicies 1. hoc eſſe contra expreſſam mentem Scoti adductam pro 1. & 2. p. reſol. ibi enim docet , remiſſionem peccati eſſe natura priorem infuſione gratiæ , quia eſt poſterior in ordine intentionis ; ergo concluſio non eſt vera ex Scoto .

Reſp. neg. ant. 1. quia Doctor id non dicit aſſertivè , ſed dubitanter, *an gratiam ſequatur expulſio culpæ, dubium eſt , cùm non ſint formaliter oppoſita .... addit ſaltem quocumque modo ſint opppoſita , magis videtur formalis conſequentia ad ineſſe gratiam non ineſſe culpam , quam è converſo* , quia in ſecundo antecedens nullo modo ponit conſequens; ergo ex Scoto rectè arguitur , ineſt gratia ; ergo non ineſt culpa: ſi autem dicas , non ineſt peccatum, non ſequitur, nec benè inferes; ergo ineſt gratia. Item docet, non eſſe ibi ordinem cauſalitatis phyſicæ , quia neutrum cauſat aliud , ſc. phyſicè , ſed tantùm moraliter , ſc. meritoriè quoad gratiam , & demeritoriè quoad peccatum: & ſic quia

Scotus reducit totum ad ordinem, quem habent in voluntate Dei, quæ prius vult infuſionem gratiæ, quam remiſſionem peccati, ſequitur, quòd ad mentem Doctoris melius ſentiamus.

Objic. 2. Sequeretur peccatum, & gratiam eſſe ſimul pro aliquo inſtanti, & quidem de via ordinaria; ſed conſeq. eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. prius eſt formam novam, & corrumpentem ineſſe ſubiecto, quàm veterem corrumpi, & ſic priùs ineſſet gratia, quàm expelleretur peccatum, nam actio ſequitur eſſe; ergo pro inſtanti, quo poneretur, & adeſſet gratia, peccatum adhuc ineſſet, & ſic eſſent ambo ſimul in eadem anima.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. vel diſt. in his, quæ ſe expellunt per actionem veram, & propriam, con. in his, quæ ſibi ſuccedunt per actionem externam, & alienam, neg. ant. & conſ. nam ſicut gratia non expellit peccatum per propriam ſuam actionem, ſed per voluntatem divinam, qua Deus illud remittit; ideò non eſt neceſſe, ut pro ullo inſtanti reali exiſtat in anima, antequam peccatum expellatur, ſed ſufficit, quod Deus remittere velit peccatum eo ipſo inſtanti reali, quo infundit gratiam, ita ut primum ineſſe gratiæ immediatè conjungatur cum primo non eſſe peccati.

QUÆSTIO IV.

An peccator adultus poſſit formaliter juſtificari ſine gratia habituali, ſed per actum aliquem perfectæ contritionis, vel dilectionis Dei.

Vidimus adultos peccatores diſponi ad juſtificationem per aliquos actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, ac pœnitentiæ, & ſup. diſp. probatum eſt, gratiam ſanctificantem eſſe habitum interiùs inhærentem, contra hæreticos, qui volunt homines juſtificari per externam acceptationem divinam, qua imputat nobis juſtitiam Chriſti. In hac quæſtione diſputatur, an gratia, ſeu forma illa interior, qua juſtificamur, ſit permanens habitualiter, an verò actus aliquis, interior quidem, ſed tranſiens, v. g. actus dilectionis Dei perfectæ, vel pœnitentiæ pariter

ter perfectæ, quæ dicitur contritio: hic ſiquidem actus, & à fortiori actus dilectionis Dei eſt ultima diſpoſitio, ad quam ſequitur juſtificatio, etiam extra receptionem ſacramenti, ex Concilio Tridentino, nec de hoc dubitatur, ſed an illi actus ſint formæ ipſæ juſtificantes, an verò tantùm diſpoſitiones ad gratiam, ſeu charitatem habitualem, & inhærentem, quæ ſit unica forma juſtificans.

CONCLUSIO.

Sola gratia, ſeu charitas habitualis eſt forma juſtificans, non verò actus ullus dilectionis Dei, vel contritionis quantumvis perfecta. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui probat dari habitum ſanctificantem contra opinionem, quæ tribuitur magiſtro. 1. *Peccator ante pœnitentiam eſt injuſtus, poſt pœnitentiam eſt juſtus .... ex hoc arguitur, quòd injuſtitia cum ſit formaliter privatio, non poteſt auferri ab aliquo, niſi ei detur habitus oppoſitus, quia privare privationem eſt habitum ponere*, &c. ergo ex Scoto juſtificatio fit per formam, ſeu habitum inhærentem, & non per ullum actum formaliter. Nam injuſtitia, quæ remanet poſt actum peccati, eſt privatio habitualis juſtitiæ, & non tantùm actualis. Et alibi docet, quòd *ex ſolius gratiæ, & charitatis inhærentia, & inclinatione ad actum dicitur actus formatus*. Et ſic ſine gratia inhærente contritio non eſt niſi diſpoſitio ad juſtificationem.

Prob. 2. ex Scriptura conſtat homini contrito pœnitenti promitti remiſſionem peccatorum; ergo ipſe actus contritionis non eſt ipſa formalis remiſſio peccati, ſeu juſtificatio, ſed diſpoſitio ad illam: conſ. eſt evidens: nam ſi per contritionem ipſam peccator eſſet formaliter juſtificatus, non promitteretur ei juſtificatio. Non dicitur juſtificato, & gratiam habenti, *juſtificaberis*, aut *gratiam recipies*. Prob. ant. nam dicitur, [2] *ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis ... vita vivet*, &c. ergo per penitentiam non eſt adhuc formaliter vivificatus. Similiter, [3] *convertimini ad me in toto corde veſtro, in*

[1] 1.*d*.17.*q*.2. 1.*DD*.
[2] *Ezech*.18. [3] *Joel*.2.

in jejunio, in fletu ... convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt, &c. ſc. miſerebitur: &, [1] *qui confeſſus fuerit, & reliquerit ea*, (peccata) *miſericordiam conſequetur*, &c.

Prob. 3. ex Conciliis, maximè ex Trident. ſæpius citato, docet enim pluribi peccatores juſtificari poſt diſpoſitiones per actus fidei, ſpei, dilectionis, & pænitentiæ, quos deſcribit, & addit: [2] *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa ſequitur, quæ eſt renovatio hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. 3. quòd *juſtificationis hujus unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei .... qua nos juſtos facit ....* non dicit, *quâ nos juſtos facimus*; quod dici poſſet, ſi per actus noſtros proprios dilectionis, aut pœnitentiæ juſtificaremur formaliter. 4. quòd per eam juſtitiam à Deo donatam *renovamur ſpiritu, & verè juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*. Hæc diſpoſitio, & cooperatio complectitur actus illos dilectionis, & pęnitentiæ. 5. addit explicatiùs, quòd hoc fit, *dum paſſionis Chriſti merito per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret*. 6. quòd *in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem*, &c. Quid clarius dici poteſt, ut doceamur juſtificationem formaliter non conſiſtere in actibus noſtris, ſed in habitualis gratiæ, ſeu charitatis receptione? 7. Hæc decernit, & definit in Canonibus; [3] in quibus docet, formam juſtificantem nobis infundi, & inhærere. 8. loquens de contritione perfecta, quæ paratur per diſcuſſionem, & deteſtationem peccatorum,&c. ait: [4] *Si quis dixerit, eam non præparare ad gratiam, Anath. ſit*.

Prob. 4. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus, [5] *juſtitiam homo non operatur niſi juſtificatus*. Operatur autem dilectionem Dei, & contritionem. Item hac inductione explicat juſtificationem, & effectus ejus: *Per legem cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam ſanatio animæ abolitio-*

[1] *Pro.28.* [2] *ſeſſ.6.c.6.* [3] *can.3.4.11.* [4] *ſeſſ.14.can.5.* [5] *de ſpir. & litt.26.*

lutione peccati ; per animæ ſanitatem libertas arbitrii ; per liberum arbitrium juſtitiæ dilectio ; per juſtitiæ dilectionem legis operatio . Vides ſanitatem animæ non eſſe formalem dilectionem, ſed gratiam, & ex iſta illam oriri. Alii Patres docent, contritionem eſſe diſpoſitionem ad gratiam juſtificantem. Ideò Deus, inquit Ambroſ. [1] *expectat gemitus noſtros, ſed temporales, ut remittat perpetuos; expectat lacrymas noſtras, ut profundat pietatem; expectat converſionem noſtram, ut revertatur & ipſe ad gratiam*. Ita eſt de aliis.

Prob. 5. ratione Scoti: nam ſtatus firmus, & permanens debet venire à forma firma, & permanente; ſed ſtatus juſtitiæ, & ſanctitatis eſt firmus, & permanens; ergo eſt à forma firma, & permanente, ſed actus dilectionis Dei, & contritionis non ſunt formæ firmæ, & permanentes, ſed tranſeunt; ergo illi actus non ſunt formalis juſtificatio. Prob. min. homo dicitur, & eſt juſtus, amicus, & filius Dei, & hæres vitæ æternæ etiam dormiens, & nihil agens, & id patet maximè de parvulis, qui ſunt incapaces talium actuum; ergo ſtatus ſanctitatis, & juſtitiæ eſt permanens. Aliæ rationes adductæ ſunt ſuprà de natura gratiæ.

Objic. 1. Script. tribuit contritioni, & actibus charitatis vim juſtificandi, & quidem formaliter; ergo ita eſt. Prob. ant. [2] *charitas operit multitudinem peccatorum*. Et de Magdalena, [3] *dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: & ſic de aliis; ergo ex Scriptura illi actus juſtificant formaliter.

Reſp. neg. ant. nunquam enim Scriptura talem effectum tribuit illis actibus in genere cauſæ formalis, ſed tantùm in genere cauſæ diſpoſitivæ, aut impetratoriæ, & aliqualis meriti de congruo. Ad probat. neg. conſ. nam in illis locis Scriptura loquitur de charitate habituali, quæ *diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum S.* & eodem ſenſu loquitur de illa Apoſtolus dicens, *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Nam inquit Auguſt. [4] *charitas hæc dicta eſt virtus, quæ animi noſtri rectiſſima eſt affectio*. Aliquando etiam loquitur de illis actibus elicitis in ſtatu gratiæ: quia tunc ſunt meritorii gratiæ amplioris, & gloriæ. Eodem ſenſu tribuit actibus fidei eandem

[1] 1. *de pænit*. 4. [2] 1. *Pe*. 1.
[3] *Luc*. 7. [4] *de mor. Eccle*. 4.

dem virtutem, quod non poteſt intelligi in ſenſu formali, ſed tantùm diſpoſitivè, & impetratoriè: ut cùm dicitur, [1] *Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Jeſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.*

Inſt. Concil. Trid. docet, [2] hanc charitatem eſſe formam intrinſecam, & inhærentem noſtræ juſtificationis; ſed hoc non intelligitur de habituali; ergo eſt ipſa actualis, quæ nos juſtificat formaliter. Prob. maj. nam ex Concilio ipſa charitas eſt forma informans contritionem, quæ juſtificat extra ſacramentum; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. nam loquitur Concilium de contritione, & diſpoſitione proxima ad gratiam, quando elicitur ex motivo perfectæ charitatis cum voto ſacramenti: nam ſi charitas illa, ex qua elicitur illa contritio, eſſet ipſa forma juſtificans per ſe, Concilium non exigeret votum ſacramenti, quod eſt cauſa inſtrumentalis gratiæ juſtificantis.

Objic. 2. ex Patribus, qui non poſſunt intelligi, niſi in ſenſu formali, ut cùm Auguſtinus dicit: [3] *Charitas veriſſima, & pleniſſima eſt juſtitia ... charitas inchoata inchoata juſtitia eſt, charitas perfecta perfecta juſtitia eſt*. Et Sanctus Bernard. in illud Epheſ. 5. *ambulate in dilectione*, ait, *talis conformitas unit animam verbo .... ergo ſi diligit, nupſit*. Et de timore dicit, (4) quòd *ſanctus eſt, quia introducit perfectam charitatem, quæ eſt perfecta ſanctitas*; ergo actus dilectionis eſt formalis juſtitia, & ſanctitas.

Reſp. neg. conſ. nam hæc, & ſimilia verè poſſunt intelligi in ſenſu cauſali diſpoſitivo, aut impetrativo; ſicut cùm dicitur de Chriſto, quòd *factus eſt nobis juſtitia, & ſanctificatio*, &c. Bernardus autem loquitur de ſanctitate actuali, quatenùs actus timoris diſponit ad actum charitatis, qui eſt ſanctus, id eſt bonus, & diſponens ad ſanctitatem habitualem, vel eam auget, ſi fiat in gratia.

Objic. 3. Viſio beata, & charitas illi annexa vim habent formaliter juſtificandi; ergo & charitas viæ: nam utrobique eſt eadem ex Apoſtolo, *charitas nunquam excidit*. Prob. ant. nam peccatum magis eſt incom-

[1] 1.*cor.*6. [2] *ſeſſ.*14.*c.*4.
[3] *de uni. & gra.*42.
[4] *ſer.*83.*cant.*

compatibile cum actibus viſionis, & charitatis beatę, & poſſet Deus hominem ante remiſſionem peccati elevare ad viſionem intuitivam, per quam determinaretur ad amorem proportionatum: ergo &c.

Reſp. neg. ant. ſc. quòd illi actus juſtificarent formaliter, ſed tantum exigitivè, quatenùs Deus moveretur intuitu prioris favoris, ſc. elevationis ad viſionem ſuæ eſſentiæ, & fruitionem remittere peccatum, ſive per puram condonationem, ut diximus poſſibile de potentia abſoluta, ſive per infuſionem actus charitatis.

Reſp. 2. neg. conſ. & rationem ejus: nam licèt Apoſtolus dicat, quòd *charitas non excidit*, non ſequitur, quòd ſit ejuſdem ſpeciei in via, & in patria: tum quia lumen non eſt idem, nec eadem ratio fruitionis, & charitatis viæ: tum quia charitas patriæ longè perfectior eſt annexa privilegiis magis incompatibilibus cum peccato, & eo ipſo, quod eſt beatifica, excludit omne malum, & includit omnium bonorum cumulatam poſſeſſionem.

Inſt. Qui diligit Deum per ipſum actum dilectionis, etiam ſine habitu, *fit unus ſpiritus*, ſed non poteſt eſſe unus ſpiritus cum Deo, & cum peccato; ergo actus charitatis formaliter juſtificat. Prob. maj. *qui adhæret Deo, unus eſt ſpiritus cum eo: quippe Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; ergo qui amat Deum, fit unus cum illo in affectu, & voluntate; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. fit unus ſpiritus diſpoſitivè, & unitate affectiva non reciproca, ſaltem præciſè per illum actum, tranſ. mai. formaliter, & unitate reciproca, & amicitiæ, & præciſè per illum actum, neg. maj. & conſ. certè qui per actum amoris ſynceri adhæret Deo activè, & perfectè diſponitur ad gratiam recipiendam, quæ eſt vinculum perfectionis, quo unitur eidem, & in eo manet per amorem reciprocum, & ſic deletur peccatum, & homo ille juſtificatur formaliter, ſed hoc non fit per amorem activum ex parte hominis, niſi cauſaliter, & diſpoſitivè, ut dictum eſt.

Inſt. 2. Amor illius hominis eſt amicitiæ, & reſpicit Deum ut amicum, ſed amicitia eſt eſſentialiter reciproca; ergo ille amor faceret eum formaliter amatum, ſicut & amantem. Prob. maj. *qui diligit me,*

dili-

diligitur à Patre meo. Et Deus non communicat nobis amorem ſui, niſi & ipſe prior nos amet, *ipſe prior dilexit nos*; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. amor hominis activus, & purus in Deum reſpicit Deum, ut amicum amicitia activa, & incompleta, con. amicitia completa, ſeu reciproca, & tam paſſiva, quàm activa, neg. maj. & ſic diſt. min. amicitia completa, con. incompleta, neg. min. nam licèt Deus non permittat ſe amari ab homine, quin & illum amet, nec ſe permittat præveniri, nec ſuperari in amore; tamen eum, quem amat, facit, vel invenit amabilem delendo peccatum, quo fiebat odibilis, & hoc per infuſionem gratiæ, qua fit amabilis formaliter, dum per illam fit conſors divinæ naturæ, & evehitur ad quandam cum eo ſimilitudinem, ut poſſit fundare talem amorem; per actum verò ſui amoris fit amabilis diſpoſitivè, & meritoriè de congruo, non verò formaliter.

Objicies 4. Qui juſtificantur per actus proprios amoris, & contritionis, & ſimul per infuſionem gratiæ, ut adulti, aliter juſtificantur, quàm pueri, qui juſtificantur per ſolam gratiæ infuſionem ſine actibus propriis; ſed pueri juſtificantur formaliter per ſolam gratiam; ergo adulti juſtificantur etiam formaliter per proprios actus. Prob. maj. nam adultus poſt baptiſmum ita eſt ſanctus, ut ſi auferretur ab eo gratia purè, & ſola, remaneret adhuc juſtus ex actibus præteritis. Et non ita eſt de puero, qui nullos haberet actus juſtitiæ.

Reſpondeo diſt. maj. 1. & 2. argum. aliter quoad modum, & diſpoſitiones, con. aliter quoad formam juſtificantem, neg. maj. & min. & ant. 3. in eodem ſenſu. Nam adultus non aliter juſtificatur formaliter, quàm per gratiam juſtificantem, ita & puer; ſed ille ad hanc ſe diſponit per proprios actus, & ſi auferretur ab eo hæc forma juſtificans, non maneret formaliter, & intrinſecè juſtus magis, quàm puer, ſi pariter ab eo auferretur gratia; ſed adultus in eo caſu maneret diſpoſitus habitualiter ad gratiam ratione priorum actuum, non autem puer.

Inſt. Ille adultus ratione actuum meruiſſet gloriam; ſed meritum illud non eſſet extinctum per ablationem gratiæ ſine novo demerito, ſeu ſine pec-

cato;

cato ; ergo adhuc deberetur ei gloria ; ergo eſſet adhuc formaliter juſtus.

Reſp. diſt. maj. meruiſſet gloriam ratione gratiæ, & ſanctitatis formalis, con. per actus præcisè à gratia, neg. maj. & min. nam ſublata gratia caderet meritum, ſicut & juſtitia formalis.

Inſt. 2. Per actum contritionis, vel charitatis tollitur totum, quod reſtat de peccato ex parte adulti ; ergo per illum juſtificatur formaliter : nam ad juſtificationem formalem requiritur tantùm, ut tollatur totum, quod eſt in peccato. Prob. ant. per peccatum mortale relinquitur in anima ſola averſio à Deo, & converſio ad creaturam habitualis, donec retractetur; ſed utraque tollitur per actum charitatis, aut contritionis; nam per illum convertitur homo ad Deum, & avertitur à creatura ; ergo &c.

Reſpondeo neg. ant. & maj. prob. nam præter averſionem, & converſionem illam materialiter ſumptam, ſeu quæ eſt quaſi materiale peccati, remanet ratio offenſæ Dei, quæ eſt velut formale peccati Theologici : & hæc non tollitur ſufficienter per actus illos, niſi ex miſericordia Deus velit injuriam ſibi illatam condonare, & actus illos acceptare in aliqualem ſatisfactionem, quod præſtat mediante gratia, quam interiùs infundit hominem ſibi reconciliando. Certè hoc argumento in terminis, ut ſonant, probaretur peccatum tolli etiam per amorem Dei, & contritionem naturalem ; nam per illos actus naturales tollitur averſio à Deo, & converſio ad creaturam.

Inſt. 3. Peccatum actuale non eſt efficacius ad maculandam animam, quàm charitas actualis ad eam mundandam, & juſtificandam ; ſed per peccatum actuale fædatur anima formaliter; ergo per charitatem debet formaliter juſtificari.

Reſpondeo neg. maj. nam ex Dei lege peccatum opponitur gratiæ, & eam demeritoriè tollit, & Deum offendit, & facit dignum morte æterna ; charitas verò, vel pœnitentia non tollit rationem illam offenſæ, ſed tantùm diſponit ad obtinendam veniam per gratiæ infuſionem. Et certè ſi valeret hæc ratio, id probaret etiam de charitate, & pœnitentia naturali, ut dicebamus.

Mitto alias objectiones, quas longius eſſet afferre: quia

quia facilè reducuntur, & ſolvuntur ex dictis. Sufficit igitur, quòd illi actus juſtificent diſpoſitivè, & per modum alicujus, & aliqualis meriti, ſc. de congruo.

CONCLUSIO II.

Actus charitatis ſynceræ, & contritionis de potentia Dei abſoluta poſſent formaliter juſtificare. Eſt communior inter aſſertores præcedentis.

Probatur 1. ex Scoto: (1) Quia *non eſt neceſſarium ponere habitum ſupernaturalem gratificantem, loquendo de neceſſitate reſpiciente potentiam Dei abſolutam*, &c. ergo Deus poſſet acceptare actum charitatis, & maximè ſupernaturalis, ad formalem juſtificationem.

Probatur 2. quia nulla apparet in hoc repugnantia; ergo &c.

Confir. ex dictis ſuprà: Poteſt de potentia abſoluta fieri juſtificatio per ſolam extrinſecam condonationem abſque infuſione gratiæ habitualis; ergo à fortiori poterit hoc fieri per eãdem potentiam acceptando actus charitatis, aut contritionis. Id etiam patet ex dictis de poſſibilitate infuſionis gratiæ ſine ullo actu retractationis, & pœnitentiæ ex parte ejuſdem peccatoris; nam à fortiori hoc poterit in caſu, & ſuppoſitione concluſionis.

Probatur 3. Si quid repugnaret, maximè ex fundamentis 1. concluſionis: ſed illa non probant eam impoſſibilitatem, niſi de facto, & de potentia ordinaria ſecundum legem poſitam; ergo de potentia abſoluta id non repugnat.

Prob. denique: quià rationes, quibus adverſarii impugnant illam concluſionem, & ſuſtinent de facto peccatorem juſtificari formaliter per actus illos, non carent apparentia, & probabilitate; ergo à fortiori, probant quoad non repugnantiam de poſſibili.

Objic. 1. Implicat, quòd diſpoſitio ſit forma ſui ipſius, ſeu effectus, cujus eſt diſpoſitio; ſed actus charitatis, & contritionis ſunt diſpoſitiones ad formalem juſtificationem; ergo implicat eos eſſe formalem juſtificationem.

Reſp.

(1) *4.d.17.q.2.MM.29.*

Reſp. diſt. min.ſunt diſpoſitiones morales, & ex lege poſita, & de facto, con. diſpoſitiones phyſicæ, & ex ſua natura tales, etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam, neg. min. nam ſicut Deus ſtatuit non juſtificare adultos peccatores, niſi diſpoſitos per tales actus, & niſi per infuſionem gratiæ inhærentis; ita potuit aliter ſtatuere, & velle, ut per tales actus formaliter moraliter expellatur peccatum, & reconcilietur peccator, fiatque Dei amicus &c.

Objic. 2. ex Concil. Trident. cit. juſtitia inhærens *eſt unica formalis cauſa juſtificationis*; ſed hoc competere non poteſt illis actibus, quia non ſunt inhærentes, nec permanentes; ergo & gratia non eſſet unica cauſa, ſed eſſent plures aliæ, & maximè iſti actus; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. unica de facto, & de lege poſita, con. de poſſibili, neg. maj. & min. nam Concilium loquitur de cauſa formali ſecundum preſentem Dei ordinationem, & legem.

Inſt. Unius effectus eſt unica cauſa formalis; ſed juſtificatio eſt una; ergo & unica ejus forma, ſc. gratia habitualis.

Reſp. diſt. maj. unica forma phyſica, con. unica forma moralis, & arbitraria, neg. maj. & conſ. nam gratia non cauſat juſtificationem phyſicè, & ex natura ſua, ſed ex Dei arbitrio, & voluntate, ut probatum eſt.

QUÆSTIO V.

De æqualitate, & intenſione, & remiſſione, ſeu augmento, & diminutione gratiæ juſtificantis.

Æqualitas gratiæ attenditur 1. ad ejus *eſſentiam* ſpecificam, & hoc ſenſu patet ex dictis, quod cùm in omnibus ſit ejuſdem ſpeciei, ita eſt æqualis. 2. ad *intenſionem* ejus gradualem, & hoc ſenſu hic eam æqualitatem, vel inæqualitatem examinamus. 3. in *ordine ad Deum* ut cauſam ejus efficientem, & cum dividat eam ſingulis prout vult, queri poteſt, an, quantum eſt de ſe, det illam omnibus æqualem. 4. ex *parte cauſæ meritoriæ*, ſc. Chriſti; & quoad hunc reſpectum quæri poteſt, an omnibus æquali-

liter applicaverit merita ſua, ut æqualem omnibus obtineret: & de hoc dicemus in tractatu de Incarnatione. 5. ex *parte cauſæ inſtrumentalis*, ſc. ſacramentorum præciſè à conditionibus, & diſpoſitionibus ſuſcipientis, & hæc diſcutietur quæſtio in tr. de ſacramentis. 6. ex *parte ſuſcipientis*, & quærimus hìc, an Deus gratiam det intenſiorem, vel remiſſiorem uni, quàm alteri ſecundum menſuram diſpoſitionum, quas videt in ſingulis, & quidem in adultis; nàm cùm parvuli recipientes baptiſmalem gratiam ſint æqualiter non diſpoſiti, videbimus ſuo loco, quòd ex vi ſacramenti detur omnibus æqualis.

Rurſus gratia, quæ in prima ſui infuſione potuit eſſe æqualis, poteſt in uno intendi per merita bonorum operum, vel remitti per demerita.

CONCLUSIO I.

Gratia juſtificans non eſt æqualis in omnibus quoad intenſionem gradualem, benè verò quoad perfectionem eſſentialem. Eſt communis, & de fide quoad 1. p. contra Hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas, qui cùm teneant omnes juſtificari per eandem juſtitiam Chriſti, & per non imputationem peccati, putant etiam illam juſtitiam extrinſecam imputatam eſſe in omnibus æqualem; quod docuerat olim Jovinianus.

Prob. 1. ex Scotò, [1] qui inter varia capita, ex quibus oriri poteſt inæqualitas, ait: *Si baptizati ſunt adulti, cùm illi per motum proprium poſſint eſſe inæqualiter diſpoſiti, & in ſacramento conferatur gratia ſecundum proportionem diſpoſitionis in ſuſcipiente, ſequitur inæqualis effectus*, &c. Ex eodem principio infert, adultum ampliorem gratiam recipere in baptiſmo, quàm puerum; quia ille præter negationem obicis habet proprias diſpoſitiones poſitivas, quas non habet puer. Aſſignat etiam aliam cauſam, ſaltem poſſibilem ex parte Dei, qui non ſolùm dat gratiam juſtificantem intuitu ſacramenti, (tunc eſt æqualis) ſed etiam ex propria benevolentia cum proportione ad majorem, aut minorem gloriam, ad quam ſingulos prædeſtinavit; & inde poteſt dare gratiam inæqualem; an de facto

[1] 4. *d*.4.*q*.7.*D*.6.

facto id faciat, ſaltem ordinariè, non decernit: ſed clariùs de inæqualitate id docet, ſeu potiùs ſupponit, cùm dicit, (1) quòd *aliqua charitas eſt melior altera, quia ei correſpondet majus præmium eſſentiale*; ergo aliqua charitas eſt major altera.

Prob. 1. p. ex Scriptura. Dicit enim Apoſtolus,(2) *unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Et, (3) *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*. Et, *augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ*. Item de Job dicit Deus, (4) quòd *non ſit ſimilis ei in terra*. Et de Joanne, quòd *non ſurrexit major Joanne Baptiſta inter natos mulierum*. Item, (5) *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Et Paulus, (6) *alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellæ. Differt ſtella à ſtella in claritate*. Talis differentia inter animas ſanctas. Et Sapiens, (7) *juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem*; ergo &c. ergo Gratia ſanctificans poteſt eſſe major, aut minor; ergo inæqualis.

Prob. 3. ex Concil. & noviſſimè ex Trident. quod duplicem dat cauſam inæqualitatis. 1. voluntatem Dei, & 2. propriam diſpoſitionem noſtram. *Juſtitiam recipientes unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*. Et infrà (8) docet, quòd juſtificati *euntes de virtute in virtutem .... bonis operibus in ipſa juſtitia creſcunt, atque magis juſtificantur*. Item docet, quòd duo ſacramenta, ſc. Baptiſmus, & Pœnitentia conferunt 1. gratiam juſtificantem; alia verò conferunt 2. ſeu augmentum; ergo gratia non eſt ſemper æqualis.

Prob. 4. ex Patribus. Nam inquit Cyprianus, (9) & refertur in Decreto: (10) *Eadem gratia ſpiritualis, quæ æqualiter in baptiſmo à credentibus ſumitur, in converſatione, atque actu noſtro poſtmodum minuitur, vel augetur, ut in Euangelio ſemen æqualiter ſeminatur; ſed pro varietate terræ aliud abſumitur, aliud in multiformem copiam ... cumulatur*. Et Auguſtinus, (11) *ipſi ſpiri-*

[1] *1.d.17.q.3.n.1* [2] *Epheſ.4.* [3] *Apoc.ul.*
[4] *Job.1.* [5] *Matth. 11.* [6] *1.cor. 15.*
[7] *pro.4.* [8] *ſeſſ.6.c.7.* [9] *l.4. Ep.7.*
[10] *d.4.de conſecr.c. nequaquam.* [11] *tr.6.Jo.*

ſpirituales ſancti in Eccleſia ſunt alii aliis ſanctiores, alii aliis meliores; *unde hoc niſi abundantiùs habendo habitatorem Deum?* Et Eccleſia orat; *da nobis Domine fidei, ſpei, & charitatis augmentum.*

Prob. 5. nam 1. ut mox dicebam, de fide eſt dari primam gratiam juſtificantem per baptiſmum, & pœnitentiam, & augmentum ejus per alia ſacramenta; & aliqua poſſunt ſæpiùs iterari, & toties cauſant gratiam, ſi dignè ſuſcipiantur, & non omnes ea ſuſcipiunt nec æqualibus vicibus, nec æqualiter diſpoſiti; ergo nec æqualem ſuſcipiunt gratiam, 2. de fide etiam eſt, gloriam dari inæqualem ſecundum inæqualia merita, & pro menſura gratiæ; ergo & hæc inæqualis eſt.

Prob. 2. p. 1. ex Cypriano cit. (1) *planè eadem gratia ſpiritualis æqualiter in baptiſmo à credentibus ſumitur*, eadem, inquam, non numericè, ſed ſpecificè, &c.

Probatur 2. nam gratia ſanctificans in omnibus habet eaſdem cauſas efficientes, finalem, objectivam, & formalem; nec aliunde venire poteſt, vel argui ſpecifica ejus diverſitas; ergo ubique eſt æqualis eſſentialiter.

Confir. 1. quia charitas habitualis eſt ejuſdem ſpeciei, & dignitatis eſſentialis in omnibus; ergo & gratia: nam eſt idem realiter cum charitate.

Confir. 2. nam habitus fidei, ſpei, & charitatis, & aliarum virtutum ſunt ejuſdem ſpeciei in omnibus; ergo & gratia; non enim eſt major ratio diverſificandi gratiam, quàm alias virtutes Theologicas, quæ cum illa infunduntur, vel morales, quæ ad eam diſponunt.

Objic. 1. con. 1. p. ex Script. (2) *non ad menſuram Deus dat ſpiritum*; ergo non dat majorem uni, quàm alteri.

Reſp. neg. conſ. non enim loquitur Joannes de hominibus, ſed de Chriſto D. quem *diligit Pater, & omnia dedit ei in manus*.... Igitur, inquit Gloſſa, *hominibus datur ad menſuram; ſed ſicut totum ex ſeipſo toto genuit filium ſuum, ita incarnato filio ſuo totum ſpiritum ſuum dedit.*

Objic. 2. Gratia habitualis eſt natura, ſeu ſubſtantia in

[1] *Ibid.* [2] 1. *Jo.* 3.

in ordine ſupernaturali; ſed natura, ſeu ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus; ergo non eſt capax inæqualitatis, niſi ſit differentia ſpecifica. Prob. maj. nam gratia eſt quædam filiatio adoptiva; ſed filiatio non ſuſcipit inæqualitatem; ergo nec gratia.

Reſp.neg.maj. eſt enim accidens entitativè, non autem ſubſtantia, niſi per quandam analogiam. Ad prob.neg. pariter min. nam filiatio naturalis, quia terminatur ad naturam, ſeu ſubſtantiam, non ſuſcipit magis, & minus, benè verò adoptiva, quæ fit per gratiam; & ſic terminatur ad qualitatem.

CONCLUSIO II.

Gratia juſtificans augetur intenſivè, ſed moraliter per bona opera, non tamen remittitur gradualiter. Eſt communis, imò & de fide quoad 1.p.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſupponit ex Auguſtino quòd *charitas meretur augeri, & aucta meretur perfici.... & in rebus corporeis idem eſt melius eſſe, quod majus eſſe. Aliqua autem charitas melior eſt altera; quia ei correſpondet majus præmium eſſentiale*; ergo aliqua charitas eſt major alia. Et in ea quæſtione refutat opinionem Goffredi docentis, illud augmentum non fieri per additionem gradus ad gradum, ſed per adventum novæ charitatis deſtructa priore: ſeu quòd *nihil charitatis præexiſtentis manet idem numero in charitate aucta, ſed totum, quod præfuit, corrumpitur, & aliud individuum perfectius illo generatur*; ergo cenſet, eam augeri intenſivè.

Prob.1.p. ex Concil. Trid. cit. in præcedenti. [2] *Sic ergo juſtificati, & amici Dei facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur de die in diem... Et in ipſa juſtitia creſcunt, atque magis juſtificantur* &c. Quod probat ex allatis textibus Scripturæ, & oratione Eccleſiæ. Et Can. 32. definit, *ipſum juſtificatum bonis operibus... verè mereri augmentum gratiæ, & gloriæ* &c.

Prob.3.ex PP.citatis,& maximè ex Auguſtino dicente, quòd [3] *charitas aliqua eſt inchoata, aliqua perfecta*. Et quòd *charitas in nobis nata non ſtatim* *eſt*

[1] 1.*d*.17.*q*.3.*n*.1. [2] *Seſſ*.6.*c*.7.
[3] 1.*de nat.& gra*.70.

eſt perfecta &c. Certè in hoc 2. loco loquitur de eadem gratia quoad entitatem, quæ gradatim creſcit per intenſionem, & additionem gradus ad gradum.

Prob. 4. quia ex Scoto eadem eſt ratio de hac qualitate, & habitu, ac de aliis habitibus, & qualitatibus; ſed alii habitus, & qualitates creſcunt intenſivè, & per gradus; ergo & iſta. Maj. patet; nec enim ratio ulla poteſt afferri quoad hoc inter illas qualitates, & iſtam; conveniunt enim in ratione generica qualitatum, cui annexa eſt proprietas intenſibilitatis. Prob. min. ex Philoſophia, ubi probatum eſt, intenſionem qualitatis fieri per acquiſitionem novæ entitatis, ſeu gradus.

Confir. Nam major radicatio, per quam explicant aliqui hanc intenſionem, & augmentum qualitatum, vel fit per acquiſitionem alicujus novæ entitatis charitatis, ſeu gratiæ, vel ſine tali acquiſitione: Si primum, habemus intentum quoad rem, & nolumus diſputare de nomine: Si 2. ergo ſacramenta, quæ ex fide ſupponunt primam gratiam juſtificantem in ſuſcipientibus ea, nihil producunt de novo in illis, quod eſt erroneum.

Prob. 2. p. ſcilicet quòd intendatur moraliter: nam ex dictis productio phyſica gratiæ ſoli Deo propria eſt; ergo ab ulla creatura augeri non poteſt, niſi moraliter, & meritoriè a Chriſto Domino, & diſpoſitivè a ſuſcipiente, & exigitivè ex pacto, & inſtitutione divina per ſacramenta, ut dicemus ſuo loco, & formaliter per novum gradum charitatis. Conſ. patet ex doctrina Concilii Tridentini; nam iſtud augmentum gratiæ eſt ab iiſdem cauſis, ex quibus eſt prima gratia; ſed 1. gratia juſtificans eſt ab illis cauſis, ex Concil. Trid. ergo & iſtud augmentum.

Prob. 3. p. 1. ex Scoto, qui ſic diſcurrit: (1) *Deus ſtatuit pro lege hoc, pro minori malo nunquam auferre majus bonum; quia ſicut ex liberalitate bonitatis ſuæ dat majus bonum pro minori bono, quia præmiat ultra condignum; ita etiam pro majori malo punit minori malo, quia punit citra demeritum. Nunc autem omne demeritum veniale eſt minus malum, quàm gratia, ſeu charitas ſit bona. Ideò de potentia ordinata non corrumpit, nec diminuit charitatem, propter demeritum* *pec-*

[1] *Repor. d. 17. q. 7. n. 7.*

peccati mortalis totaliter corrumpitur. Nihil clarius, nec ſolidius dici poteſt pro hac veritate.

Prob. 2. p. quòd non remittatur gradualiter per deperditionem alicujus entitatis intrinſecæ: quia ſi ſic minueretur gratia juſtificans, id fieret per peccatum mortale, aut veniale; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Maj. patet: non enim habet aliud contrarium, quàm peccatum, quod illi opponitur moraliter, ut dictum eſt. Prob. min. 1. non per mortale; quia per iſtud aufertur totaliter: 2. non per venialia; nam ſi per ſingula venialia auferretur gratia juſtificans, tandem per aliquod veniale auferretur ultimus gradus gratiæ; & iſtud peccatum eſſet mortale, quia auferret vitam iſtam ſupernaturalem; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Augeri ſpectat ad quantitatem; ſed gratia non eſt quantitas; ergo nec capax augmenti.

Reſp. diſt. maj. augmentum extenſivum, con. intenſivum, neg. maj. & conſ. loquimur hic de augmento intenſivo per additionem gradus ad gradum, non partis ad partem extenſivè. Et ita ſolet Scriptura loqui de qualitatibus, quaſi eſſent quantæ, ſeu majores, aut minores; ut cùm dicit de aliquibus, quòd ſint modicæ fidei, aut quòd fides ſit magna, aut tanta, vel comparatur parvitati grani ſinapis.

Objic. 2. Unus gradus poſitivus, & entitativus gratiæ ſufficit, & facit totum, quod maxima; ergo fruſtra intenditur per additionem. Prob. ant. nam gratia in uno ſolo gradu juſtificat, delet peccatum, facit amicum Dei, dat jus ad gloriam &c.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. juſtificat quoad eſſentiam juſtificationis, & illarum proprietatum, & effectuum primariorum, con. quoad perfectionem intenſivam, & alios effectus ſecundarios, neg. ant. nam intenſior gratia, & charitas producit perfectiores, & intenſiores actus; magis roborat animam contra tentationes; evehit ad ampliorem gloriam; auget merita &c.

Objic. 3. Gratia eſt maximum donorum Dei; ergo non poteſt fieri major: ant. patet ex Scriptura: *major horum eſt charitas*.

Reſp. diſt. conſ. non poteſt fieri major quoad eſſentiam, con. accidentaliter, & intenſivè, neg. conſ. alioqui gratia unius hominis juſti eſſet æqualis gratiæ Chriſti.

Objic.1.cō.2.p. Si gratia creſceret gradatim, additio fieret per numerum graduum; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. min. nam ſi additio fieret per numerum, deberet etiam fieri additio ſubjecti ad ſubjectum, gradus animæ ad animam; non enim poteſt eſſe novum accidens ſine novo ſubjecto; ſed illa additio animæ eſt fictitia; ergo &c.

Reſp. neg. min. & maj. prob. Nam cùm intenditur calor in ligno, vel aqua per additionem novi gradus, non generatur nova pars ſubſtantialis aquæ: nam in eadem parte ſubjecti poſſunt eſſe plures, aut pauciores gradus qualitatis, ut ſuppono ex Philoſophia.

Inſt. Accidentis eſt ineſſe; ergo novi gradus gratiæ debent habere novum ſubjectum, cui inhæreant.

Reſp. neg. conſ. nam novi gradus inſunt, & inhærent eidem animæ, cui priores inſunt, & cum illis penetrantur, & faciunt unam gratiam totalem, licèt gradualiter majorem.

Objic.2. Gratia eſt forma ſimplex, & indiviſibilis, eſt enim ſpiritualis; ergo non poteſt augeri per alias partes: nam ſimplex, & indiviſibile additum ſimplici, & indiviſibili non facit majus.

Reſp. diſt. ant. eſt ſimplex ſimplicitate compoſitionis, & indiviſibilis extenſivè, con. ſimplicitate oppoſita pluralitati graduum, & indiviſibilitati intenſivæ, neg. conſ. & prob. ejus: nam illud axioma verificatur tantùm de majoritate extenſiva; alioqui non daretur majoritas in gloria, quod eſt contra Scripturam, & fidem.

Alia argumenta patent ex dictis in Philoſophia de intenſione qualitatum per additionem gradus ad gradum inexiſtentem.

Objic.1.con.3.p. Habitus acquiſiti poſſunt minui; ergo & gratia: non enim eſt major ratio de iſta qualitate, & habitu, quàm de aliis.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus: nam habitus illi acquiruntur per actus, & phyſicè, illis deficientibus actibus deficit cauſa conſervativa: non ita eſt de gratia, quæ à ſolo Deo phyſicè, & efficienter augetur, & ſic poſſet ab eo minui, ſi vellet non conſervare aliquos gradus; ſed non legitur, quòd id faciat quoad entitatem graduum.

Inſt.

Inſt. Imò legimus, quòd *multorum refrigeſcet charitas*, ſcilicet *in multis aliis, licèt non cadant totaliter*, ait Lyranus, ſcilicet in fine mundi multi veniente Antichriſto cadent totaliter, & pervertentur; alii verò licèt non cadant totaliter, tamen tepeſcent; ergo ex Scriptura remittitur gratia, ſive id fiat Deo non conſervante, ſive aliter.

Reſp. diſt. ant. refrigeſcet quoad effectus aliquos, con. quoad entitatem, neg. ant. & conſ. minuitur quidem ardor in effectibus, qui cum pendeant à cooperatione libera voluntatis noſtræ, non ſemper eodem modo ſe habent in agendo; quod in ſanctioribus viris experimur, qui ſæpe ariditates, & tepiditates patiuntur; quamvis gratia eorum non ſit imminuta.

Objic. 2. Per bona omnia opera homo fit gratior Deo, & augetur gratia; ergo per mala opera omnia fit ingratior, & minuitur gratia. Ant. ſupponitur ex dicendis. Prob. conſ. contrariorum eſt eadem ratio.

Reſp. neg. conſ. nam certum eſt, quòd Deus ex liberalitate nihil boni relinquit immuneratum; & ſic auget gratiam cum proportione meritorum; ſed ita ſtatuit, ut non per quæcumque demerita minuat entitatem gratiæ, ſed aliunde punit, v. g. retrahendo, ſeu minuendo alios favores. Et ratio generalis eſt, quia de ratione peccati venialis eſt, ut non tollat gratiam, alioqui non diceretur veniale, quippe tam facile deberet tollere gratiam quoad ultimum gradum, quàm quoad primum; quia omnes ſunt ejuſdem rationis.

CONCLUSIO III.

Gratia ſanctificans, ſeu charitas habitualis infuſa remittitur quoad aliquos effectus per peccatum veniale, per mortale autem totaliter deperditur. Eſt de fide quoad 2. p. contra hæreticos, qui putant, ſemel juſtificatum numquam amittere gratiam, quia putant peccata ei non imputari.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] fervorem charitatis poſſe diminui dupliciter, ſc. *poſitivè per actionem poſitivam, & privativè, ſeu negativè per omiſſionem:* 1. modo per actus contrarios, aut alienos, per quos generantur ha-

[1] *Repor. 1. d. 17. q. 7. n. 8.*

habitus contrarii, vel alieni, per quos avertitur voluntas, & retardatur ab actibus, ad quos habitus gratiæ, & charitatis inclinat. 2. per negligentiam, & omiſſionem actuum charitatis: nam per illas omiſſiones, & negligentias deperduntur habitus acquiſiti per exercitium & frequentationem actuum ejus. Nam inquit Doctor; *Ex actibus charitatis elicitis nata eſt generari in voluntate quædam Charitas acquiſita .... & ideò omittendo elicere actus charitatis, non generatur talis habitus charitatis, quo voluntas eſſet magis habilitata, & inclinata ad actus charitatis, & magis ferventer operaretur; ideo diminuitur fervor charitatis per omiſſionem actuum charitatis.* Idem eſt de gratia.

Quoad 2.p.dicit, quòd Deus *de potentia ordinata non corrumpit, nec diminuit charitatem propter peccatum veniale; ſed propter demeritum peccati mortalis totaliter corrumpit.*

Prob.2. ex Script.cit. *refrigeſcet charitas multorum*, ſcilicet propter tribulationem; *charitas, quæ ante tribulationem videbatur calere, vel calebat utcumque in pace refrigeſcet*, ait Gloſſa interlinearis. Quod ſaltem intelligitur de aliquot effectibus ejus, quatenùs timidiores fient, nec ferventer adeò reſiſtent, aut pugnabunt.

Prob. 3. nam, ut dicebamus, ipſimet juſti ſæpiùs experiuntur in ſuis orationibus, & exercitiis pietatis tepiditates, & ariditates. Unde Epiſcopo Laodiciæ dicitur: [1] *ſcio opera tua, quia nec calidus, nec frigidus es ... ſed quia tepidus es, incipiam te emovere* &c. *non frigidus*, ait Lyra: *devitans transgreſſionem timore pœnæ ... tepidus, id eſt tardus ad bonum, & otioſus.*

Prob.2.p.1. ex Script.ex parabolis prodigi, *qui ſubſtantiam ſuam diſſipavit vivendo luxarioſè*: & de drachma perdita, & recuperata: & de ove errante, & reportata in ovile. Item ex eadem Scriptura conſtat de Lucifero, de Adamo, de Davide, & de Galatis, quibus ſcribit Apoſtolus: [2] *Miror, quòd tam citò transfermini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium*. Et, *ſic ſtulti eſtis, ut cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini*: Iſti juſtificati

[1] *Apoc.* 3. [2] *Gal.* 1. & 3.

cati fuerant per baptiſmum. 3. promittit Deus gratiam pœnitentibus, qui exciderunt à gratia per peccatum, & contra minatur mortem æternam iis, qui à juſtitia declinantes non convertuntur. [1] *Cùm averterit ſe juſtus à juſtitia, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnes juſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur* &c. Ipſe Paulus timet cadere à gratia ſua, *ne fortè cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Certè loquebatur fidelibus, & baptizatis, cum ſcribebat Corinthiis: [2] *Agnoſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt: nolite errare, neque fornicarii... regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Certè hæc fruſtra minaretur, ſi ab accepta ſanctitate illos cadere non poſſe crediſſet. Idem docet ad Epheſios: [3] *Scitote, quòd omnis fornicator, aut immundus.... non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Erant autem juſti, cùm ſic monebat. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Loquitur ad juſtos, cùm dicit: *vide bonitatem Dei in te, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & ſi excideris* &c. Et, *cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini* &c. Fruſtra hæc diceret, ſi non poterant excidere: ergo ex Scriptura certum eſt, gratiam acceptam poſſe amitti.

Prob. 3. ex Concil. nam in Trident. ſic ſtatuitur: [4] *Si quis dixerit, hominem ſemel juſtificatum ampliùs peccare non poſſe, nec gratiam amittere, atque adeò eum, qui labitur, & peccat, nunquam verè juſtificatum fuiſſe, Anath. ſit.* Et antea docuerat, (5) *quocumque alio mortali peccato quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amittit.*

Prob. 4. ex Patribus. Ex Hieronymo, qui arguit Jovinianum, qui inter alios errores docebat, (6) *gratiam ſanctificantem pro juſtis eſſe inamiſſibilem.* Et ex Auguſtino dicente, (7) *ipſos quoque regeneratos alios perſeverantes uſque in finem hinc ire, alios quouſque decidant hic teneri, qui utique non decidiſſent, ſi antequam laberentur, hinc exiſſent.... quoſdam verò lapſos, quouſque redeant, non exire de hac vita, qui*

[1] *Ezech.* 13. [2] 1. *Cor* 6.
[3] *Epheſ.* 5. [4] *Seſs.* 6. *can.* 23.
[5[*cap.* 15. [6] 1. *con. Jovin.*
[7] *de bo. perſev.* 13.

utique perirent, ſi antequam redirent, exirent. Idem docent communiter alii Patres.

Prob. denique. Nam quicunque juſti, & cum quantacumque gratia remanent liberi; ergo tam ad minus poſſunt malè agere, & peccare, & juſtitiam amittere, quàm alii. Certè ſi Paulus credidiſſet ſe non poſſe amittere gratiam ſuam, non tam graviter conqueſtus eſſet de Angelo Sathanæ, qui eum colaphizabat: *Propter quod ter Dominum rogavi*, inquit, *ut diſcederet à me* &c. ergo abſque ullo ſolido fundamento aſſeritur illa inamiſſibilitas gratiæ. Quod magis patebit ex ſolutione objectionum, quibus nituntur hæretici ex abuſu textuum aliquot Scripturæ.

Objic. 1. contra 1. p. Gratia eſt qualitas naturaliter influens in actus, ad quos inclinat, non autem liberè; ſed per nos ſemper manet in eadem intenſione; ergo ſemper agit eodem modo; ergo ſi non minuitur in entitate, ita nec tepeſcit in actione.

Reſp. diſt. ſubſumptum, non tepeſcit in actione, quantum eſt de ſe, con. quoad ea, quæ cum illa concurrunt, neg. ſubſ. cum gratia habituali concurrit voluntas, quæ per habitus vitioſos contractos ex actibus peccati inclinatur in contrarium; concurrit & Deus per gratias actuales operantes, & cooperantes, quique peccatis offenſus non adeò liberaliter influit; Imò & ſæpè ex providentia ſpeciali, & amantiori retrahit auxilia, & permittit ariditates, ut inde humilientur ſancti, & cautiores, & ferventiores evadant, cum redierit auxilium, vel ut puniantur de aliquot levioribus negligentiis ſuis.

Objic. 1. con. 2. p. ex Script. quæ docet, juſtos nō peccare: (1) 1. *omnis, qui in eo manet, non peccat, omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, nec peccare poteſt, quia ex Deo natus eſt*. 2. idem Apoſtolus de quibuſdam Apoſtatis à fide, quos vocat Antichriſtos, *Antichriſti multi facti ſunt; & illi*, inquit, *exierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis*, ſcilicet non erant verè fideles, nec juſti, licèt ut tales viderentur apud nos. 3. quòd vera *charitas nunquam excidit*. Et de ſe, & de veris Chriſtianis dicit, (2) *quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti?... Certus ſum, quia neque mors... neque creatura alia poterit*

(1) 1. *Jo.* 3. (2) 1. *Cor.* 15.

terit nos ſeparare à charitate Dei; ergo ex Scriptura gratia, ſeu charitas, qua ſemel quis eſt juſtus, nunquam amittitur.

Reſp. neg.conſ. nec enim is eſt ſenſus, nec rectè colligitur ex illis, & ſimilibus textibus. 1. quidem loquitur de habente gratiam, & ſemen Dei in ſenſu compoſito gratiæ; & docet peccati incompoſſibilitatem cum illa, ſeu cum illo ſemine, & filiatione Dei. Nam hoc ipſo, quod quis peccat, degenerat ab ea nativitate, & filiatione: quippe charitas, ſecundum quam ex Deo natus eſt, *non agit perperam, nec cogitat malum*: cùm ergo peccat homo, *non ſecundum charitatem, ſed ſecundum cupiditatem peccat*, inquit Auguſtinus.

2. Qui ſic abierunt in errorem facti Antichriſti, non erant ex veris Apoſtolis, & diſcipulis Chriſti, ſcilicet fideles conſtantes, & perſeverantes,ſed inconſtantes, & debiles, & proditores, ut Judas, qui verè fuit Apoſtolus, *qui connumeratus erat in nobis*, ait Divus Petrus, (2) *& ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus*. Et deliberant de alio eligendo, *ut accipiat locum miniſterii hujus, & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Judas*. Sicut ergo Judas fuit verè Apoſtolus, & à Chriſto verè electus (*nonne vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?*) ſic multi eliguntur, & juſtificantur, & ex juſtorum numero exeuntes fiunt Antichriſti. Ita eſt de Apoſtatis à fide, ut ſunt hæretici.

3. Docet, quòd charitas perſeverat etiam in patria, quando alii habitus, fidei ſcilicet, ſpei, & alia dona, v. gr. linguarum, prophetiæ &c. ceſſabunt: & quòd fervens, & conſtans charitas, qualis fuit in Apoſtolis, & Martyribus, non extinguitur, ſicut in aliis, *qui ad tempus credunt, & in die tentationis recedunt*. Quod exprobratur Epiſcopo Epheſino: (3) *habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti*, &c.

Objic. 2. ex Patribus: nam inquit Auguſt. (4) *charitas, quæ deleri poteſt, nunquam vera fuit*. Et idem dicit Hieron. *amicitia, quæ deſinere poteſt, nunquam vera fuit:* ergo vera gratia juſtificãs eſt inamiſſibilis; nam per

N 5 nos

[1] *de gra. chr.* 21. [2] *Act.* 1.
[3] *Apoc.* 2. [4] *Ep. ad Jul.*

nos illa charitas vera eſt vera gratia juſtificans.

Reſp. neg. conſ. nec enim id ſequitur ex illis locis, nec id intendunt Patres: per charitatem veram intelligit Auguſtinus *perſeverantem*, & *finalem*, *vel facientem ad vitam æternam*, ut notat Gloſſa. Item per ly, *deſeri*, ſeu *amitti poteſt*, intelligit de illa, quæ leviter, & facilè deſeritur; & hæc non eſt vera, ſeu ſolida.

Adde, quòd Gratianus minùs benè hunc locum tribuit Auguſtino in Epiſtola ad Julianum; ibi enim non legitur, ſed in lib. de ſalutaribus documentis, qui non eſt Auguſtini, licèt inter alios inſeratur.

Objic. 3. S. Petrus trina ſua negatione peccavit mortaliter, & tamen gratiam juſtificantem non amiſit; ergo vera gratia eſt inamiſſibilis. Prob. ant. quoad 1. p. ex multis Patribus, maximè ex Auguſtino pluribì docente, quòd Deus eum permiſit cadere, ne juſtus ullus de ſe præſumat. Et prob. 2. p. ejuſdem ant. nam, inquit S. Leo: *Vidit te Dominus, non fidem fictam, non dilectionem averſam, ſed conſtantiam eſſe turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus* &c. ergo S. Petrus non amiſit gratiam in illo peccato.

Reſp. neg. 2. p. ant. nam deſtruit 1. ſi enim Petrus non fuit averſus à fide, vel affectu, non peccavit, peccatum enim eſt averſio à Deo. S. autem Leo ſic loquitur, non ut excuſet peccatum abſolutè loquendo, ſed ut minuat, imò & tollat per fletum ſubſequentem, quo egregiè lavit atrocem maculam. Vult etiam dicere, quòd Petrus non peccavit directè contra fidem, & charitatem in Chriſtum, ſed indirectè ex nimio timore hominum, & pœnarum, quas videbat in Magiſtro.

QUÆSTIO VI.

Quomodo quis ſcire, aut conſiderare poſſit ſe eſſe in gratia?

HÆretici Calviniſtæ, & Lutherani docent, hominem non tantùm ſcire poſſe, ſed & teneri certo credere ſe eſſe in gratia cum Deo, alioqui non ſunt juſti, nec fideles, quia per fidem hanc putant

ho-

hominem juſtificari; & hanc fidem vocant aliquando fiduciam, ſed cum certitudine fidei.

Porrò certitudo 1. alia eſt *fidei*, qua ſine hæſitatione, vel formidine de oppoſito aſſentimur veritatibus revelatis a Deo: 2. alia *ſcientiæ*, qua firmiter aſſentimur alicui propoſitioni deductæ ex præmiſſis evidentibus, immediatis, & cauſis concluſionis, denique notæ per veram demonſtrationem, aut etiam propoſitioni alicui per ſe notæ, qualis eſt iſta, *omne totum eſt majus ſua parte*; & hæc dicitur naturalis; 3. alia *moralis*, qua aſſentimur alicui veritati ex conjecturis, ſeu motivis valdè probabilibus, quæ non auferunt quidem omnem formidinem de oppoſito, ſed tamen ſatis quietant intellectum, ut non multum propendeat in partem oppoſitam. 4. alia *conjecturalis*, quæ non differt à præcedenti, niſi ſecundum magis, & minus apparentiæ, & probabilitatis, aut formidinis de oppoſito; nam hæc non adeò firmiter adhæret propoſitioni, quæ ſic dicitur certa.

CONCLUSIO I.

NEmo tenetur, nec poteſt certò credere ſe eſſe in gratia certitudine fidei ſine revelatione divina ſpeciali. Ita omnes Catholici, & eſt de fide contra Sectarios prædictos, & alios antiquiores, ut Catharos, Beguardos, & Beguinas, &c.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Poteſt dici, quòd ex nullo actu, quem experimur, nec ex ſubſtantia actus, nec ex intenſione actus, nec ex delectatione, ſeu facilitatione in operando, nec ex bonitate, ſive rectitudine morali actus poſſumus concludere, aliquem talem habitum ſupernaturalem ineſſe; quia quocumque iſtorum dato, poſſet aliquis habens charitatem cognoſcere certitudinaliter ſe eſſe in charitate* &c. ergo ex Scoto nulla poteſt haberi certitudo ſcientifica de ſua juſtificatione, niſi ex ſpeciali revelatione.

Prob. 2. ex Scrip. [2] *ſunt juſti, & ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo, an odio, vel amore dignus ſit*. Et David orabat: [3] *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*. Et, [4] *quis poteſt*

N 6 dice-

[1] 1.*d.* 17.*q.*3. FF. 21. [2] *Eccle.* 9.
[3] *Pſal.* 18. [4] *Prov.* 20.

dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Item, [1] *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu* &c. Et D. Paulus, [2] *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me, Dominus eſt.* Et ratio colligi poteſt ex illo Job. [3] *Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus, & in Angelis ſuis reperit pravitatem:* quanto minùs homo ſe non poteſt certò credere eſſe mundum?

Prob. 3. ex Concil. Trid. [4] *Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque ſacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & diſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.*

Prob. 4. ex Patribus. Nam S. Hieron. explicans illud Pſalmi, [5] *Aufer opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum*, ait, *eum ita loqui, vel quia cogitaverat in corde, & non fecerat, & pœnitentia licèt abolitum, ſuſpectus tamen erat, ne forte adhuc maneret ejus opprobrium: & ideò Deum precatur, ut illud auferat, qui ſolus novit, quod neſcire poteſt etiam qui fecit.* Vide motiva timendi de propria juſtificatione. Ideò, inquit Auguſtinus, *quantalibet juſtitia ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inveniatur ineſſe culpandum* &c. Et S. Gregorius piæ, ac nobili fœminæ ab ipſo quærenti ſcire, an ſibi remiſſa eſſent peccata, reſpondet: *Rem mihi difficilem, & tibi inutilem poſtulaſti: difficilem, quia indignus ſum, cui revelatio immittatur à Deo; tibi inutilem, quia ſecuritas negligentiam parit:* ergo ex Patribus nemo eſt certus de ſua juſtificatione, niſi ex ſpeciali revelatione divina.

Prob. 5. ratione. In tantum homo poteſt, aut debet eſſe certus de ſua juſtificatione, in quantum id ſibi revelatur immediatè à Deo per Eccleſiam, vel in quantum id cognoſcit ex aliquot effectibus gratiæ illius adeò certis, & evidentibus, ut nullo modo de illis poſſit dubitare, num aliunde proveniant: ſed neutrum dici poteſt, ſaltem de via ordinaria: ergo &c. Maj. patet: nam revelatio divina eſt unicum objectum formale fidei divinæ, & ſcientia ex effecti-

[1] *Eccl.* 5. [2] 1. *Cor.* 4. [3] *Job.* 4. [4] *Seſſ.* 6. *c.* 9. [5] *Pſ.* 118.

ctibus eſt certa à poſteriori. Prob. min. quoad 1. par. quia nullibi extat illa revelatio: & certè ſi eſt generalis, recipit omnes, & omnes juſti debent æqualiter eſſe ita certi, de ſua iuſtitia. De ſpeciali etiam id minùs patet in eadem Scriptura, quæ reſpicit omnes æqualiter, quantum eſt ex ſe. Probatur eadem min. quoad 2. p. quia ex Scoto (1) nullus actus haberi poteſt ex tali gratia, qui haberi non poſſit cum aliquo Dei concurſu, ſaltem ſpeciali, & ſupernaturali; ergo ex nullo effectu poteſt haberi certitudo inexiſtentiæ gratiæ juſtificantis.

Objic. 1. pro hæreticis. Rationis lumine naturali poſſum cognoſcere me non peccaſſe mortaliter; ergo & poſſum ſcire certò, me eſſe in gratia, quia naturaliter non datur medium inter non eſſe peccati, & eſſe gratiæ, non enim poſſum hanc perdere ſine peccato mortali. Prob. ant. non poſſum peccare mortaliter ſine advertentia, & plena deliberatione; ergo ſi attentè reflectens non adverto me peccaſſe mortaliter, ſum certus me non amiſiſſe gratiam baptiſmi, ſed hanc me habere.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. certitudine, ac evidentia morali, con. certitudine naturali, & phyſica, neg. 2. ant. & 2. conſ. nam, ut dicebamus cum Apoſtolo, *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*, &c. & Joannes, *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, &c. Quacumque ergo adhibita advertentia, & examine, quod non peccavimus mortaliter, illa tota certitudo eſt moralis, non phyſica.

Inſt. Omnis homo utens lumine naturali poteſt ſic argumentari, & quidem demonſtrativè: Omnis ritè baptizatus habet gratiam juſtificantem, donec peccaverit mortaliter; ſed ego ſum certus phyſicè, me eſſe ritè baptizatum, & ex eo tempore non peccaſſe: ergo & certus ſum phyſicè, me habere gratiam baptiſmalem.

Reſp. neg. min. nec enim poſſum evidentia, & certitudine phyſica ſcire me eſſe ritè baptizatum; tum quia certus non poſſum eſſe phyſicè, quòd cum debitis diſpoſitionibus receperim baptiſmum: tum quia nulla certitudine phyſica ſcire poſſum, baptizantem adhi-

(1) *Ibid.*

adhibuiſſe omnia neceſſaria, & maximè rectam intentionem, cujus defectu plura baptiſmata ſunt invalida.

Inſt. 2. Poſſum eſſe certus de gratia aliorum; ergo & de mea. Prob. ant. poſſum certò ſcire, me baptizaſſe puerum ritè, & cum debita intentione; ſed in hoc caſu ſum certus de illius juſtificatione; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam plura requiruntur ex parte adulti baptizati ſive per baptiſmum, ſive per pœnitentiam, quæ non adeò certam reddunt juſtificationem adulti, ſicut pueri, & quia illæ diſpoſitiones poſſunt non eſſe tales, quales requiruntur, quamvis putentur legitimæ, & ſufficientes, inde oritur cauſa alicujus timoris de oppoſito.

Inſt. 3. Fieri poteſt, ut miniſter ſit vir ſanctus; ergo tunc nulla erit ſuſpicio defectus intentionis, aut alterius ex parte miniſtri; ergo in tali caſu erit omnimoda certitudo.

Reſp. diſt. ant. ut ſit ſanctus, & de hoc ſim certus moraliter, con. certitudine phyſica, neg. ant. & conſ. Sanctitas interna hominis non videtur certa certitudine phyſica, ſed morali ad ſummum.

Inſt. 4. Poſſum certo ſcire, me habere perfectam contritionem; ſed hæc contritio certiſſimè juſtificat; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. certò moraliter, con. phyſica certitudine, neg. maj. neſcit enim homo certitudine phyſica, vel fidei divinæ, & abſque ſpeciali revelatione, *an odio, vel amore dignus ſit*. Eſſe gratum Deo importat acceptationem divinam contritionis, aut ſimilium actuum, & hæc acceptatio, ut purè eſt libera Deo, nulla certitudine phyſica ſciri poteſt.

Inſt. 5. Si hoc ita eſſet, ut nemo poſſet eſſe certus phyſicè de bonitate ſuorum actuum, neſciret, quomodo, & quando debeat rectè agere, ver. gr. diligere Deum ex toto corde; ſed conſ. eſt abſurdum, & falſum, alioqui omnes eſſent perplexi, & anxii de ſua ſalute, & non poſſent unquam ſic rectè agere; ergo & falſum eſt, quòd non poſſit homo certò ſcire ſe habere actum perfectum charitatis, aut contritionis juſtificantis.

Reſp.

Reſp. neg. maj. nam id ſufficienter ſcimus ex primis principiis moralibus, ſed an de facto ſic agamus neſcimus phyſicè, neque hoc neceſſarium eſt, ut bene agamus.

Reſp. 2. neg. min. nec enim eſt neceſſe, hæc ſciri certitudine phyſica.

Objic. 2. ex Script. nam inquit Apoſtolus, (1) *qui ſtat, videat, ne cadat*, &c., [2] *tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*: ergo iſte poteſt certò ſcire ſe ſtare, & habere gratiam.

Reſp. diſt. conſ. certitudine conjecturali, & morali, con. certitudine phyſica, neg. conſ. non dicit Paulus affirmativè, *qui ſtat*, ſed, *qui exiſtimat ſtare, videat, ne cadat*. Idem dico ad alium locum Apocalypſis; non enim loquitur ad eum, qui certò credit tenere gratiam, ſed qui putat ſe illam tenere.

Objic. 3. Unuſquiſque poteſt naturaliter cognoſcere in ſeipſo, quòd diligit fratrem, ſeu proximum ſuum; & Chriſtus promittit diſcipulis, quòd cognoſcent Spiritum S. & circuminſeſſionem ejus in Patre, & immanentiam utriuſque in nobis; ergo à fortiori poteſt quiſque cognoſcere ſe habere gratiam. Prob. ant. nam inquit Chriſtus, [3] *in hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Et de Spiritu S. [4] *vos cognoſcetis eum, quia apud nos manebit*. Et, *in illa die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*. Et eodem ſenſu dicit; *nos ſcimus, quia tranſlati ſumus de morte, quoniam diligimus fratres*; ergo quiſque ſcire poteſt, ſe habere gratiam.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. 1. quia non poſſumus certò ſcire, nos habere propriam dilectionem fraternam, qualis requiritur ad gratiam promerendam, ſed tantùm probabiliter, & conjecturaliter. Idem eſt de cognitione inhabitationis Spiritus S. Denique in 3. loco loquitur de cognitione intuitiva, & comprehenſiva vitæ æternæ, non autem cognitione hujus vitæ.

Inſt. Ipſe Spiritus ſanctus ſe oſtendit habentibus eum, & gratiam, juxta illud, [5] *Ipſe ſpiritus teſtimo-*

[1] 1. *cor.* 10. [2] *Apoc.* 1.
[3] *Jo.* 13. & 14. [4] 1. *Jo.* 3.
[5] *Rom.* 8.

monium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei: ergo tunc certi ſumus de noſtra juſtificatione. Prob. conſ. nam, inquit Chryſoſt. (1) *cùm Spiritus S. teſtatur, quæ reſtat ambiguitas?*

Reſp. 1. quòd ſi Spiritus S. alicui ſe revelat inexiſtentem per gratiam adoptionis, hoc non facit contra concluſionem, quæ non negat gratiam illam ſic poſſe cognoſci; ſed tantùm volumus, quòd illa revelatio non fiat omnibus juſtis ſine diſtinctione.

Reſp. 2. neg. conſ. nam Apoſtolus ibi loquitur in perſona totius Eccleſiæ, quæ verè ſcit ſe habere ſpiritum adoptionis, & filiationis, ad differentiam Synagogæ, quæ non acceperat, niſi ſpiritum timoris, quod facilè patebit legenti textum. Denique hæc præmiſſio eſt conditionalis, non abſoluta; *ſed tamen compatimur*, &c.

Inſt. Hæc ſcientia venit à ſpiritu ipſo gratiæ, qui ſeipſum manifeſtat, & ideò datur: nam dicit idem Apoſtolus, *nos ſpiritum Chriſti accepimus, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis*; ergo niſi gratia per ſeipſam cognoſceretur ineſſe, fruſtraretur ſuo fine, ſc. *ut ſciamus*, &c.

Confir. nam idem Apoſtolus id exprobrat Corinthiis: (2) *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus J. in vobis eſt, niſi forte reprobi eſtis?* ſc. hæc ſcientia eſt ſignum prædeſtinationis.

Reſpond. neg. ant. & conſeq. prob. nam in primo illo loco D. Paulus loquitur de ſeipſo, & de aliis Apoſtolis, & de myſteriis fidei, quæ a Deo revelantur per Eccleſiam. Apoſtoli erant confirmati in gratia: & fidelibus omnibus revelantur myſteria omnia, & maximè redemptionis per Chriſtum. In 2. autem loquitur de fide in Chriſtum, in qua unuſquiſque debet probare ſeipſum, an fideliter credat.

Inſt. 3. non eſt major ratio, cur quis poſſit eſſe certus de ſua fide, quàm de ſua charitate, & gratia; ſed fatemur, nos eſſe certos de noſtra fide; ergo idem fateri debemus de gratia. Min. patet ex Script. cit.

[1] *Ibid.*
[2] 1. *Cor.* 2.

cit, nam fruſtra diceret Paulus: *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide*, ſi hoc eſſet impoſſibile, & ut docet Auguſtin. [1] *ſuam quiſque fidem in ſeipſo videt*. Prob. maj. nam habitus fidei, & actus ejus tam ſunt ſupernaturales, quàm actus charitatis, & habitus gratiæ; ergo &c.

Reſpon. neg. min. & conſ. prob. nam Apoſtolus non prætendit, quòd ex illa probatione habeatur phyſica certitudo, quod habeamus fidem, ſed tantum moralis; ſicut cùm hortatur eum, qui accedit ad ſacramentum Euchariſtiæ, *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*; ſcil. ut ſciat ſe non accedere indignè, non exigit certitudinem phyſicam de ſua dignitate; ſed ſufficit moralis. Auguſtinus autem loquitur indifferenter de omni actu fidei in quacumque materia; nos verò loquimur de fide chriſtiana.

Objic. 4. Eccleſia ſcit certò aliquos habere gratiam martyrii; ergo & ipſi martyres ſciunt certò ſe habere talem gratiam, quæ eſt maxima charitas. Antec. patet: nam illos canonizat. Prob. conſ. nam martyres tam ſeipſos agnoſcunt, quàm poſſint cognoſci ab aliis; ergo &c.

Reſpon. neg. conſ. & ant. prob. nam cùm Eccleſia canonizat martyres, certò quidem ſcit eos habere talem gratiam, ſed id cognoſcit ex ſpeciali revelatione, & aſſiſtentia Spiritus S. & id facit, poſtquam conſummarunt martyrium: nam ante conſummationem non ſic eſt certa, nec eos ita canonizat; quia poſſunt adhuc deficere, ut pluribus contigit.

Conſtat igitur, nos quidem aliqua morali certitudine ſcire poſſe, quòd non habemus peccatum mortale, ſed gratiam; ſed non certitudine phyſica, niſi adſit revelatio ſpecialis divina, & ideò nimia confidentia non eſſet ſine temeritate.

(1) 13. *tr.* 1.

QUÆSTIO VII.

Quantum beneficium ſit gratia juſtificans, an ſit ſummum omnium donorum Dei. An ſit miraculoſum.

DIvinum juſtificationis opus, & beneficium comparari poteſt 1. cum opere, & beneficio creationis, in quo Deus ex nihilo fecit nos *ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, donans nos immortalitate, & deſtinans nos ad vitam æternam. 2. cum opere, ac beneficio redemptionis, quo *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut ſalvaretur mundus per ipſum*. Et certè *quomodo cum ipſo non etiam omnia nobis donavit?* 3. cum ipſa formali unione hypoſtatica Verb. divini cum humanitate Chriſti, in quo naturæ illi ſe dedit in perfectiſſimam unitatem, ſc. in unitatem ſuppoſiti per ſummam, & reciprocam communicationem, ita ut Deus verè ſit homo, & homo Deus. 4. cum lumine gloriæ, & viſione beata, ubi Deus ſuam nobis gloriam, & beatitudinem communicat per æternitatem. 5. cum Sacramento Euchariſtiæ, in quo Chriſtus ſeipſum, carnem ſc. & ſanguinem donat in cibum, & potum ſub ſpeciebus panis.

Juſtificatio ſpectari poteſt vel prout de facto, & ordinariè contingit ſucceſſivè, & prout deſcribitur à Concilio Tridentino ſecundum diſpoſitiones ibi notatas; vel prout de poſſibili contingere poteſt, ut ſc. inſignis peccator ſubita, & inſtantanea mutatione ſanctificetur, ut contigit in latrone, Paulo, in Magdalena. Et ſub his reſpectibus quæri poteſt, an abſolutè juſtificatio ſit opus miraculoſum: nam ad miraculum propriè requiritur 1. ut opus ſit arduum, & ſuperans vires cujuſvis agentis creati. Hoc ſenſu certum eſt, juſtificationem impii, & gratiæ productionem, & infuſionem excedere vires omnium agentium naturalium. 2. Ut ſit inſolitum, & ſupra ſpem, quatenùs id non ſit expectandum à Deo agente ſecundum leges communes, quas ſervat in providentia ſua communi, & ordinaria in ordine tam naturæ, quàm gratiæ: ut ſi Deus hominem ſine prævia ulla diſpoſitione ex parte ſua ſubitò juſtificaret,

aut mortuo in ſtatu peccati ſuſpenderet ſententiam damnationis reſuſcitando illum, donec juſtificaretur. His poſitis quærimus, an gratia in ſua entitate, vel effectibus ſit perfectiſſimum inter omnia opera Dei. 2. An, & quo ſenſu dici poſſit miraculoſum.

CONCLUSIO I.

Juſtificatio peccatoris eſt ſine dubio maximum Dei beneficium, & miſericordiæ opus eximium, non tamen abſolutè, & ſimpliciter miraculoſum.

Probat. 1. ex Scoto, qui docet, quod nullum finitum poteſt includere unitivè perfectionem charitatis: *Quantum creſceret creatura rationalis in entitate, & nobilitate ſubſtantiali, tantum creſceret in potentia, & capacitate, & non aliter. Quantumcumque etiam concrearetur gratia alicui creaturæ, ſemper tamen gratia eſſet gratia, nec eſſet naturalis*, &c. Vides, quanta ſit gratiæ excellentia, & dignitas, quæ ſemper ſupernaturalis erit excellentiſſimæ ſubſtantiæ rationali.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Scriptura, & Patribus. Nam in hoc beneficio de inimicis *transfert Deus in adoptionem filiorum. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.* Et Eccleſia canit, *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Unde dicit Auguſt. *majus eſſe opus juſtificationis impii, quàm Cœlum, & terram, & quæcumque in Cœlo, & in terra continentur*: quippe in illis, quæ Cœlum, & terra continent, elucent tantùm opera Dei: in his (ſc. juſtificatis) reperitur etiam imago Dei. Et quærens, quodnam opus ſit majus, an creatio juſti, an juſtificatio impii? ſic reſpondet: *Intelligat qui poteſt; judicet qui poteſt; certè niſi æqualis eſt utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ.* Quod deciderat Nazianzenus dicens: *quemadmodum cùm non eſſet, illam* (creaturam) *creavit, ita & creatam reformavit reformatione diviniori, & prima longe excelſiori.*

Prob. 3. ex principiis Scoti: nam illud opus eſt majus, & excellentius, in quo plura Dei attributa elucent; ſed in juſtificatione impii maximè elucent inſigniora Dei attributa, ſc. potentia, & miſeri-

ricordia; ergo &c. Probat. min. de omnipotentia ex modo loquendi Eccleſiæ laudantis Deum, quòd eam maximè *miſerando manifeſtat*. Et ex illo Apoſtoli: (1) *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*: Sc. potentia Dei in juſtificatione impii continet iram, ne ferveat in peccatorem, ut det tempus miſericordiæ illum juſtificandi, in converſione voluntatis peccatricis per ſuavitatem gratiæ: De miſericordia non eſt dubium; nam nulla eſt major miſeria, quàm peccatum, & damnatio æterna, cui addicitur peccator; nec incomprehenſibilius bonum, quàm gloriæ æternæ; ergo nec majus beneficium, nec majus opus miſericordiæ poteſt concipi, quàm opus juſtificationis, quo peccator ex illis miſeriis eripitur, & ad illam felicitatem deſtinatur.

Confir. ex effectibus gratiæ juſtificantis, quos ſupra enumeravimus, inter quos ſunt remiſſio peccati, participatio Dei naturæ, filiatio Dei, &c.

Prob. 2. p. ex Scoto cit. de conditionibus miraculi propriè dicti. Exigit non tantùm, ut ſit de re ſuperante vires omnis agentis naturalis, & contra ſpem; ſed etiam ut ſit de re inſolita, & contra, vel præter leges poſitas in ordine naturæ, & gratiæ; ſed juſtificatio impii non eſt contra, nec præter leges iſtas, nec de re inſolita; ergo non eſt propriè miraculum. Prob. min. loquimur de juſtificatione in ſe, & prout contingit communiter. Nam hoc modo contingit ſecundum vias ordinarias notatas in doctrina Concilii Tridentini, ſc. ut peccatores per gratiam excitati, & adjuti fidem ex auditu concipiant; credant revelatis à Deo; peccatores ſe intelligant, & inde timeant; tum in ſpem erigantur; incipiant diligere, moveantur adverſus peccata per odium; inchoent novam vitam; & tandem ſuſcipiant Sacramentum baptiſmi, aut pœnitentiæ; & ita quotidie contingit juſtificatio impii; ergo quoad hoc non eſt miraculoſa.

Confir. nam juſtificatio eſt miraculoſa, ſi fiat in inſtanti, & in aliis circumſtantiis, quæ potiùs viderentur illi obeſſe: ut juſtificatio Pauli, dum ardentiùs perſequitur Eccleſiam; Matthæi, dum ſedet in telonio, &

[1] *Rom.* 9.

& incumbit uſuris; latronis in cruce, dum Chriſto morienti inſultat: & ſic de cæteris, ut ſi Judam ſuſcitaſſet ad eum juſtificandum &c. Nam hoc feciſſet contra edictum, & legem ſuam, qua dixerat, *ubi ceciderit lignum, ibi erit*. Sed quod purè peccatorem revocet à peccato, & illi benefaciat, & juſtificet, conforme eſt legibus bonitatis Patris ſui, qui *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; apud quem non eſt diſtinctio Judæi, & Græci: qui eſt idem Dominus omnium, & dives in omnes, qui invocant illum;* & qui eſt *ſapientia clamitans in plateis in capite turbarum*, &c. Nil ergo novum, nec inſolitum in juſtificatione ordinaria, & hoc ſenſu non eſt propriè miraculum: in quo tamen lis eſſe poteſt de nomine miraculi.

Confir. 2. quia, ut notat Cardin. de Laurea, SS. PP. Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, Teodoretus &c. licèt agnoſcant Deum eſſe mundi factorem, gubernatorem, animarum creatorem, & earum juſtificatorem: non tamen vocant hæc miracula in rigore; iſtud nomen reſervant iis, quæ raro, & cum admiratione accidunt, & exemplificant de diluvio, de rubo Moyſi, de prodigiis ab ipſo Moyſe, & Aarone per virgam in Ægypto factis &c. Et addit, quòd juxta Canones, in examine miraculorum, quæ conſiderantur in canonizatione SS. exigitur, ut illa ſint effectus rari, ardui, & inſoliti, naturæ vires excedentes vel in re, & ſubſtantia, vel in modo, & apti cauſare admirationem.

Objic. 1. Illud cenſetur miraculum, quod à ſolo Deo fieri poteſt ſupra naturæ ordinem, & vires, & exigentiam; ſed talis eſt juſtificatio; ergo &c.

Reſp. neg. maj. nam licèt hæ conditiones reperiantur in miraculis, tamen illæ ſolæ non ſufficiunt, ſed Eccleſia ipſa in examine miraculorum conſiderat, quòd ſint opera inuſitata, & contra, vel præter ordinem tam gratiæ, quàm naturæ: & talis non eſt juſtificatio, de qua hic loquimur, alioqui ipſa gubernatio univerſi, motus cœlorum, creatio animarum, germinatio ſegetum, &c. eſſent miracula. Quis eſt enim, qui conſiderat opera Dei, quibus regitur, & adminiſtratur totus hic mundus, & non obſtupeſcit, obruiturque miraculis? ait Auguſtinus....

Deus miracula quotidiana facit, quæ hominibus non facilitate, ſed aſſiduitate viluerunt.

CONCLUSIO II.

JUſtificationis opus, & beneficium præcellit cætera aliquo modo, non ſimpliciter, & abſolutè omnia. De hoc nihil reperio apud Scotum.

Prob. 1.p.1. ex Patribus, qui magnificentiſſimè loquuntur de hoc opere, & gratia. Nam inquit Auguſtinus, [1] *gratia non ſolùm omnia ſydera, omneſque cælos, verum etiam omnes Angelos ſupergreditur*. Et ſi non audet juſtificationem impii præferre creationi Angelorum in ſanctitate, ſaltem dicit, juſtificationem eſſe majoris miſericordiæ. Et S. Tho. docet, [2] quòd *bonum gratiæ unius majus eſt, quàm bonum totum univerſi*: imò & quòd *donum gratiæ impium juſtificantis eſt majus, quàm donum gloriæ beatificantis non quidem abſolutè, ſed quatenùs donum gratiæ plus excedit dignitatē impii, qui erat dignus pœna, quàm donum gloriæ dignitatem juſti, qui ex hoc ipſo, quod juſtificatus eſt, dignus eſt gloria*.

Igitur magnitudo beneficii hujus creſcit 1. ex indignitate recipientis, qui potiùs demeretur odium, quàm amorem, & pœnas, quàm gratias. 2. Ratione ordinis, & finis: nam elevat hominem ad ordinem, & ſtatum ſupernaturalem; dona verò creationis ad ordinem, & finem tantùm naturalem. 3. Comparativè ad gloriam, quia, ut dicebat Doctor Angelicus, gloria datur ex aliquali juſtitia, datur ex merito alicujus condignitatis; gratia verò non ſolùm non datur digno, & merenti, ſed indigno, & demerenti, ſaltem negativè. & 4. quoad hoc etiam creſcit in ratione gratiæ ſupra beneficium unionis hypoſtaticæ; quia humanitas Chriſti non erat indigna, ſaltem poſitivè, ſicut anima peccatrix eſt poſitivè indigna gratia; ergo aliquo ſenſu eſt ſummum opus, & ſummum beneficium.

Prob. 2.p. Nam 1. creatio mundi, & maximè creatio animæ rationalis præcellit juſtificationem, quia creatio eſt ad eſſe ſimpliciter, & ad eſſe ſubſtantiale, juſtificatio ad eſſe ſecundum quid, & accidentale. 2. Ju-

[1] 2.*ad bonit.* [2] 1.2.*q.*113.*a.*9.

Juſtificatio Angelorum excellit tum ex nobilitate, & dignitate illorum præ hominibus impiis, tum ex concomitantia plurium donorum, quæ non ita comitantur gratiam juſtificantem. 3. Donum gloriæ eſt gratia conſummata, & plena, & inalterabilis Dei poſſeſſio: Alia verò eſt quoddam jus, & diſpoſitio, & via ad gloriam. 4. denique unio hypoſtatica facit Deum, & hominem in unitate reali, & phyſica ſuppoſiti, & dat jus humanitati ad omnem gratiam, & gloriam, & dat filiationem non adoptivam, ſed naturalem; ſed hæc non facit gratia; ergo in his gratia juſtificationis non præcellit alia beneficia.

Quæres 1. *An juſtificatio fiat in inſtanti, an ſucceſſivè.*

Reſp. infuſionem gratiæ, remiſſionem peccati, & ſanctificationem animæ peccatricis fieri in eodem inſtanti reali temporis, licèt cum aliqua ſucceſſione ordinis naturæ, ut dictum eſt ſupra, quamvis diſpoſitiones de via communi, & ordinaria fiant cum ſucceſſione temporanea.

Ratio eſt, quia ſuppoſitis diſpoſitionibus ex parte ſubjecti, Deus, qui eſt cauſa efficiens talis formæ, & effectus, non eget temporis ſucceſſione, vel auxilio ad hæc præſtanda, neque id exigit natura formæ, vel ſubjecti: imò, ut patet ex dictis, præcipuæ diſpoſitiones ex parte hominis poſſent de via extraordinaria haberi in inſtanti, & pro eodem contingere poſſet tota juſtificatio. Nam cùm illæ ſint actus intellectuales, quibus homo agnoſcit Deum offenſum per actum intellectûs illuſtrati lumine fidei, & deteſtatur offenſam per voluntatem ſimiliter excitatam, & adjutam ex parte Dei per gratias actuales, poſſunt haberi in eodem inſtanti temporis, & Deus pro eodem inſtanti poteſt infundere gratiam. Denique poſſet Deus ſe ſolo totum beneficium præſtare, & opus efficere de potentia abſoluta, ut probatum eſt ſupra; non tamen ita contingit, nec fieri poteſt de via ordinaria.

Quæres 2. *an gratia ſanctificans ſanet naturam peccatoris.*

Reſp. cum Scoto, [1] quòd ſanat, & perficit animam immediatè quoad voluntatem; quia perficit, & ſa-

[1] *Repor.2.d.26.n.1.& 4.& d.49.q.1.*

ſanat in ordine ad operationes voluntatis, quibus avertitur à creatura, & convertitur ad Deum, & inclinatur ad eum, à quo avertebatur per peccatum, ut dictum eſt ſupra de ſubjecto hujus gratiæ. Hoc ſenſu non ſanat perfectè totam animam, niſi mediatè.

Reſp. 2. eam ſanare animam quoad maculas, & vulnera lethalia, & quoad multas infirmitates, & debilitates, quæ ex peccato inferuntur, non tamen omnes.

Ratio 1. p. patet ex Script. nam alioqui fruſtra oraremus cum Propheta: [1] *Sana me Domine, & ſanabor*. Et, *ſana animam meam, quia peccavi tibi*. 2. quia, ut dicebam, ſumma infirmitas animæ eſt inclinatio, quam peccatum relinquit in anima, incurvans illam ad bonum delectabile, & per gratiam relevatur ab illa curvitate, & inclinatur in bonum honeſtum, & in Deum; quia eſt habitus realiter idem cum charitate. Denique tollit peccatum mortale, & maculam ejus abſtergit.

Ratio 2. p. eſt, quia non delet, nec tollit peccata venialia, nec penitùs ſanat infirmitates, & fragilitates, quibus fit, ut ſingulis ferè momentis in ea cadat, nec prorſus reparat omnes defectus ortos ex privatione juſtitiæ originalis, qua continebantur motus appetitus, ne inſurgerent. Ideò Paulus quantumvis ſanctiſſimus, & confirmatus in gratia patiebatur nolens tales motus, & ſtimulos carnis, de quibus conquerebatur, & rogabat, ut auferrentur.

Quæres 3. *an gratia poſſit creſcere in infinitum in creatura*.

Reſp. poſſe creſcere in infinitum ſyncategorematicè, ideſt ordinariè loquendo non eſſe tantam in homine, quin ſemper poſſit eſſe major.

Ratio eſt, quia in nulla pura creatura poteſt eſſe ſumma, nec tanta, quanta fuit in Chriſto; ergo nunquam in homine ullo eſt adeò intenſa, nec tanta, quin poſſit adhuc intendi, & creſcere. Creſcere igitur poteſt in homine, dum vivit, ſicut & meritum ejus.

Confir. ex Script. [2] *ne verearis uſque ad mortem juſtificari*. Et *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & ſan-*

[1] *Pſ.* 40 [2] *Eccl.* 18.

ſanctus ſanctificetur adhuc. Et Apoſtolus dicit; *veritatem facientes in charitate creſcamus*; ergo ſemper creſcere poteſt ſanctitas, ſeu gratia ſanctificans.

Quæres 4. *an ita poſſit creſcere gratia in homine, ut in eo fomitem peccati extinguat.*

Reſp. ſimiliter nullum hominem de potentia ordinaria poſſe ad tantam gratiam pervenire, ut peccati fomitem penitus extinguat.

Ratio eſt, quia, ſi Chriſtum Dominum, & Deiparam excipias, qui peccatum originale non contraxerunt, & in quibus fuit omnis plenitudo gratiæ, omnes alii homines illud peccatum contraxerunt, & carent juſtitia originali, qua ille fomes continebatur, ne ſurgeret contra rationem; ergo quantumcumque creſcat hominum gratia, ſemper ſubjacebunt fomiti concupiſcentiæ, ſaltem de lege ordinaria.

Confir. Non enim de via ordinaria creſcere poteſt gratia in puro homine, ut ſit major, quam in Apoſtolis; ſed in iſtis non fuit extinctus ille fomes; ergo &c. Prob. min. nam inquit Paulus, [1] *video aliam legem repugnantem legi mentis meæ*. Et, [2] *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ*, &c. Et de omnibus dicit, [3] quod *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, &c. Unde S. Hieron. *Ecce Apoſtolus, omneſque credentes, quod volunt implere non poſſunt*, ſc. reluctatur ſemper caro, ſeu concupiſcentia carnis, quæ inclinat in partem contrariam. Inde colligunt SS. Patres, quod ſi D. Paulus, in quo fuit tanta gratia, & maxima ſanctitas, queritur de rebellione concupiſcentiæ, quid erit de cæteris?

DISPUTATIO VII.

De meritis operum.

Alius principalis, & nobiliſſimus effectus gratiæ habitualis, & juſtificantis eſt meritum, quatenus reddit actus noſtros gratos Deo, & meritorios præmii ſupernaturalis, ſcil. ulterioris gratiæ, & tandem vitæ æternæ; propterea hic agimus de meritis operum noſtrorum pro complemento hujus tractatus de gratia Chriſti.

[1] *Rom.* 7. [2] 2. *Cor.* 12. [3] *Gal.* 5.

QUÆSTIO I.

An, quid, & quotuplex ſit meritum.

NOmine meriti 1. generaliter ſolet intelligi omne opus exigens mercedem, aut pœnam; ſc. ſumitur modo in bonam, modo in malam partem. 2. magis ordinarie ſumitur in bonam partem pro opere humano exigente mercedem qualitercunique, ſive ex dignitate operis, ſive ex liberalitate retribuentis: ut cum retribuitur beatitudo æterna pueris decedentibus poſt baptiſmum. 3. adhuc magis ſtricte pro opere exigente retributionem ex propria ſua bonitate, non autem ex pura liberalitate retribuentis, adeo ut iſte teneatur retribuere aliquam mercedem vel ex aliquali juſtitia, vel aliqua convenientia, & congruitate, & æquitate, & iſtud dicitur *meritum congruum*, ſicut illud dicitur *condignum*. 4. propriiſſime, ſimpliciter, & abſolute nomine *meriti* ſignificatur opus, cui ex rigore juſtitiæ debetur præmium; & tale eſt meritum *de condigno*, de quo præcipue procedit præſens diſputatio, in qua habemus adverſarios Lutherum, & Calvinum, & ſuos, qui non putant hominem poſſe opus ullum bonum, nec vere meritorium efficere coram Deo.

CONCLUSIO I.

D*Atur in homine juſto aliquod verum opus bonum, & meritorium coram Deo.* Eſt de fide contra prædictos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſemper, & ubique hanc veritatem docet, aut ſupponit, ut cum definit, (1) meritum eſſe *actum Deo ſpecialiter acceptum, tanquam dignum præmio reddendo pro illo actu .... dixi ſpecialiter, quia Deus omnia acceptat acceptatione generali, diligendo ea ſecundum bonitatem ſuam, & ordinando ea ad ſeipſum ut finem, ſed actum meritorium ſpecialiter acceptat in ordine ad aliquod bonum juſte reddendum*. Idem docet ſæpius alibi.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, Deum homini plu-

ra

(1) *Quodl. 27. B. 3.*

ta promittere titulo mercedis, quæ eſt correlativum meriti: Ut cum dicit Abrahæ, (1) *ego ero merces tua.* Et de juſtis, (2) *Apud Dominum eſt merces eorum*. Et, [3] *Apud Dominum eſt merces bonorum operum*. Et, [4] *merces veſtra copioſa eſt in Cœlis*. 2. promittit vitam æternam intuitu operum bonorum: *Venite benedicti .... percipite regnum .... eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. 3. ſervis fidelibus, *Euge ſerve bone, & fidelis .... intra in gaudium Domini*.4.certantibus coronam pollicetur, [5] *bonum certamen certavi, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus judex*. Et, *juſtum eſt apud Deum retribuere vobis, qui tribulamini, requiem vobiſcum*; ſed retributio ex juſtitia, & corona juſtitiæ arguunt verum, & proprium meritum; ergo ex Scriptura docemur dari verum, & proprium meritum.

Prob.3. ex Conciliis. Nam in Arauſic.II.docemur, quod *debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant*. Et in Lateran. ſub Innoc. III. *conſtat animas purgatas per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo ad æternam beatitudinem pervenire*. Et in Florent. docetur, *animas item purgatas videre Deum perfectius pro meritorum diverſitate*. Et in Tridentin. definitur: [6] *Si quis dixerit, juſtificati hominis opera ita eſſe dona Dei, ut ſint etiam bona ipſius juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & J. C. meritum .... fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam; & ejus conſecutionem, ſi tamen in gratia deceſſerit, Anath. ſit*. Et ut ſcribit Cœleſtinus I. *tanta eſt bonitas Dei erga homines, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, atque pro his, quæ largitus eſt, æterna præmia ſit largiturus*.

Prob. 4. ex SS. PP. nam inquit S.Ignatius,[7] *præſens labor modicus, multa autem, quæ hinc expectatur, merces*. Et Dionyſ.[8] *qui ſancte ſe in vita habuit, paria & ſuis meritis præmia referet*. Et Clem. Alexan. [9] *Deus omnibus omnia diſtribuit pro meritis, cum juſta*

O 2

[1] *Gen.*15. [2[*Sap.*5. [3] *Eccl.*13.*&* 16.
[4] *Matt.*5.*&* 25. [5] *Theſſal.* 1.
[6] *ſeſſ.*6.*can.*16. *& can.*32. [7] *ad mar. Eccleſ.*
[8] *Hier.*7. [9] 4.*ſtro.* 32.

ſta ſit diſpenſatio, & œconomica. Et Origenes, [1] *qui profitentur quidem fidem Jeſu, non autem præparant ſe bonis operibus ad ſalutem, aſſimilantur virginibus fatuis*. Et Baſilius, [2] *Cuſtodientibus mandata ejus retributio multa; merces nimirum illa copioſa eſt, & corona juſtitiæ*, &c. Et Cyril. Jeroſolym. (3) *ſi parum laboraveris, parum recipies, ſi multum operatus fueris, multa te merces manet*. Et Chryſoſtomus, *labor quidem eſt parvi temporis, merces autem laborum finem non habet*. Idem docent communiter alii SS. PP.

Prob. denique ratione: nam ratio naturalis dictat Deum eſſe juſtum, & remuneratorem; ergo ſicut illæ virtutes nullum peccatum impunitum ſinunt, ita nec ullum bonum opus irremuneratum relinquunt. Ideo credimus cum Symbolo Nicæno, & omnibus Chriſtianis, quod Chriſtus venturus eſt judicare vivos, & mortuos, *ad cujus adventum omnes reſurgent reddituri de factis propriis rationem*, &c. *alioqui ſi non ſunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum?* ait Auguſt. [4]

Objic. 1. pro hæreticis. Scriptura nulla bona opera agnoſcit in homine juſto, ſed omnia inquinata; ergo nec bona merita. Prob. ant. nam inquit Sapiens, [5] *non eſt homo juſtus in terra, & qui faciat bonum, & non peccet:* & Iſaias, [6] *facti ſumus ut immundi omnes, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*: & David orat; [7] *non intres in judicium cum ſervo tuo D. quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens:* & denique ſancti omnes orant, *dimitte nobis debita noſtra:* ergo omnes ſunt peccatores, & non habent niſi peccata.

Reſ. neg. ant. & conſ. prob. nam id non ſequitur ex illis locis bene intellectis. 1. Sapiens vult, quod nullus ſit homo in terra ſic juſtus, ut careat omni peccato; quippe *ſepties in die cadit juſtus*, [8] ideſt ſæpiſſime. 2. Iſaias loquitur in perſona Judæorum, qui fictam oſtentabant juſtitiam. 3. Daniel loquitur in ſenſu primi, ſc. neminem quantumvis juſtum inveniri coram Deo ſine peccatis, & maxime ſi velit compa-

[1] *Matt.7.* [2] *ſer. aſcenſ.* [3] *Catech.*
[4] *Ep.46.* [5] *Eccl.7.* [6] *Iſa. 64.*
[7] *Pſal.42.* [8] *Prov.16.*

parare ſuam juſtitiam divinæ, quæ ſola eſt perfecta, & ſi aliqua eſt in homine, hanc habet a Deo. 4. cum non ſimus ſine peccatis, merito oramus pro illorum remiſſione, & maxime petimus, *ut qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cœpimus, perſeveremus*, ait Cyprianus. [1]

Inſt. 1. Si daretur meritum, maxime ad vitam æternam; ſed hæc non cadit ſub meritum; ergo nullum datur. Prob. min. nam gratia non cadit ſub meritum; alioqui *gratia non eſſet gratia*, inquit Apoſtol. ſed vita æterna eſt *gratia in Chriſto J.* ex eodem Apoſtolo; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. gratia pura, & ut gratia, con. gratia non pura, ſed mixta cum ratione mercedis, neg. maj. & talis eſt vita æterna: nam dicitur gratia, quatenus eam non habemus, niſi per media, quæ Deus ipſe dat per auxilia ſupernaturalia, & mediante ipſa gratia ſanctificante, in qua fundantur omnia merita noſtra; Deus quippe *dat velle, & perficere*, ſed aliunde habet rationem mercedis, præmii, coronæ, retributionis, quia datur etiam intuitu laboris, & cooperationis noſtræ.

Inſt. 2. Servus non poteſt mereri apud Dominum ſuum; ergo multo minus homo apud Deum, qui dominium infinite abſolutum in nos habet. Ideo dicit Chriſtus, *numquid Dominus gratiam habet ſervo illi, qui fecit quod ei imperaverat? Non puto: ſic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus*; ergo & ſine meritis.

Reſp. diſt. ant. præciſo pacto, & acceptatione ipſius Domini, con. poſito illo pacto, neg. ant. & conſ. prob. nam ille textus verus eſt de operibus noſtris ſecundum ſe, & præciſo pacto, quo Deus ipſe ex ſua bonitate acceptavit opera noſtra, quaſi eſſemus liberi, & vult eis mercedem tribuere, & nos conſiderare non ut mancipia, & ſervos, ſed ut amicos, & filios.

Objic. 2. Merita illa noſtra derogarent gloriæ, ac meritis Chriſti; ergo non ſunt admittenda. Probat. antec. nam ſi merita noſtra eſſent neceſſaria, vel utilia, merita Chriſti eſſent inſufficientia, vel inutilia; ſed hoc eſt injurioſum Chriſto; ergo & merita noſtra.

[1] *de ora. Dom.*

Reſp. neg. ant. & maj. prob. non enim Deus exigit, vel acceptat merita noſtra ob inſufficientiam meritorum Chriſti, quæ ſunt ſuperabundantia, ſed ex ſua bonitate, & juſtitia, quibus vult, ut propriæ ſaluti noſtræ cooperemur, & hoc fecit ad majorem gloriam meritorum Chriſti, quæ in nobis ita fructificant, ut arbor in ramis, & vitis in palmitibus.

Objic. 3. Nuſquam in Scriptura fit mentio meritorum; ergo gratis finguntur.

Reſp. 1. neg. ant. nam 1. in Eccleſiaſt. legitur, [1] quod *miſericordia faciet unicuique locum ſecundum meritum ſuorum operum*. Et Paulus monet, [2] *beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hoſtis promeretur Deus.*

Reſp. 2. diſt. ant. formaliter, & ſub nomine expreſſo meritorum, tranſ. virtualiter, & ſub verbis æquivalentibus, neg. ant. nam textus adducti pro concluſione hoc aperte convincunt.

Reſp. 3. neg. conſ. non enim eſt neceſſe, ut omnia, quæ credimus etiam de Deo, ſint expreſſis, & formalibus verbis revelata in Scriptura. Sufficit, quod virtualiter in ea revelentur, & quod Eccleſia, cui Spiritus S. infallibiliter aſſiſtit, ſic explicet loca, in quibus illa continentur implicite: ut patet de Myſterio Trinitatis, quod ſub hoc nomine non reperitur in Scripturis formaliter, & explicite.

Objic. 4. Ad rationem meriti requiritur proportio operis cum præmio; ſed nullum opus humanum habet proportionem cum præmio gratiæ, vel gloriæ; ergo nec rationem veri meriti. Prob. min. [3] *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*, &c. ergo &c.

Reſp. diſt. min. nullum opus phyſice, & præciſa acceptatione divina, con. moraliter, & poſita acceptatione divina, ſeu pacto, neg. min. & conſ. nam 1. per pactum, & acceptationem divinam opera noſtra elevantur moraliter, & 2. dignificantur ex meritis Chriſti, quibus uniuntur, & a quibus derivantur, & 3. ex influxu gratiæ, qua elevamur in conſortium Dei naturæ, & in ejus adoptionem.

CON.

[1] *Eccl. 16.* [2] *Hebr. 13.* [3] *Rom. 8.*

CONCLUSIO II.

M*Eritum ut ſic deſcribi poteſt opus liberum, & honeſtum exigens retributionem doni alicuius ſupernaturalis ex congruitate, vel juſtitia*. Eſt communis quoad rem.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Meritum eſt aliquid acceptatum, vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptante eſt aliquid retribuendum illi, in quo eſt, quaſi debitum illi pro illo merito, vel alteri, pro quo meruit*. Loquitur de merito tam inter homines, quam apud Deum. Vides autem, quod hæc deſcriptio in re convenit cum noſtra.

Prob. 2. Nam ſic explicatur ratio meriti ſecundum genus, & differentiam ejus maxime propriam, prout de illo hic agimus cum Theologis; ergo &c. Probat. ant. dicitur *opus liberum*, quod ponitur loco generis, Nam per id convenit etiam cum demerito: additur *honeſtum*, per quod jam determinatur materia meriti. 2. *exigens retributionem*, & per id incipit differre ab illis operibus etiam honeſtis, quæ fiunt ſine illa relatione ad retributionem. 3. *ex aliqua congruitate vel juſtitia*, quod ponitur ad majorem explicationem, & ut comprehendat rationem meriti de condigno, quod exigit retributionem ex aliqua juſtitia, & meriti de congruo, quod non exigit illam, niſi ex congruitate, ſeu decentia. Nec in his video aliam difficultatem.

CONCLUSIO III.

P*Ræcipua diviſio meriti eſt in meritum condignum, & congruum*. Eſt etiam communis.

Prob. ex Scoto diſtinguente [2] *meritum ſecundum quid, ſeu de congruo, in quo non includitur acceptatio paſſiva actus ad præmium juſte reddendum, & meritum condignum, quod includit illam acceptationem, ex qua fit, ut exigat retributionem ex aliqua juſtitia, & fidelitate ex parte Dei promittentis illam per talem acceptationem*.

Prob. 2. Nam omne meritum vel tale eſt, ut Deus te-

[1] 3. *d*. 18. *A*. 4. [2] 1. *d*. 17. *q*. 2. *l*. 1. 26.

teneatur ex juſtitia quadam illud remunerare, vel ad id non teneatur de rigore, ſed ex aliqua congruitate, nec enim apparet, quod opus ullum exigat præmium, niſi alterutra ratione; ſed ſi Deus teneatur ex aliquo rigore, habetur meritum ſimpliciter, ſeu *condignum*, ſeu rigoroſum; ſi vero non teneatur ex rigore, ſed ex aliqua tantum decentia, erit meritum *ſecundum quid*, ſeu *de congruo*: ergo non dantur niſi duo illa meritorum genera; ergo meritum ut ſic recte ita dividitur.

Objic. 1. Dantur merita dignitatis, & impetrationis; ſed hæc non continentur in illa diviſione; ergo non eſt ſufficiens. Prob. maj. quando juſtus meretur a Deo aliquid diſtinctum a gloria, vel augmento gratiæ, habet meritum dignitatis, ſc. opus honeſtum, & quando peccator per bona opera meretur gratiam converſionis, non dicitur habere meritum rigoroſum, nec congruum; quia non eſt in ſtatu gratiæ; ergo non habet niſi meritum impetrationis, quod non continetur in illis duobus membris.

Reſp. neg. min. nam utrumque erit meritum condignum, ſi eſt in homine juſto, vel congruum, ſi eſt ab homine nondum juſtificato.

Objic. 2. Verum meritum illud eſt, cui correſpondet præmium proportionatum; ſed ita non eſt de merito congruo; ergo non eſt verum meritum. Prob. min. nulli debetur præmium niſi juſto; ſed meritum congruum non eſt hominis juſti; ergo &c.

Reſp. diſt. utramque maj. præmium ex juſtitia, vel congruitate, con. ex juſtitia tantum, neg. maj. merito congruo reſpondet præmium ex decentia, non ex juſtitia rigoroſa. Unde Deus non dedignatur pœnitentiam Ninivitarum, quamvis eſſent peccatores enormiſſimi, nec eleemoſynas Cornelii, licet Ethnici, & ſe repræſentat in pio patre, qui occurrit filio prodigo, & pœnitenti, & concedit ei ſtolam primam, non ex juſtitia, ſed intuitu pœnitentiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

In quo conſiſtat propria, & formalis ratio conſtitutiva meriti de condigno, prout diſtinguitur a congruo.

LIcet conveniant fere omnes Theologi de ſupradicta diviſione meriti in condignum, & congruum; non tamen conveniunt de formali, & præciſa illorum differentia, quod tamen neceſſarium eſt, ut melius capiatur neceſſitas talis diviſionis, & natura utriuſque meriti. Quod ut breviter, & clare expediam, præter morem minus aptas differentias ſequentibus concluſionibus rejiciemus, & quid verius videatur ſtatuemus.

CONCLUSIO I.

Formalis differentia, & ratio meriti de condigno, & congruo non venit ex gratia habituali, vel defectu ejus, neque ex æqualitate, vel inæqualitate præmii cum opere, neque ex acceptatione univerſali, aut negatione ejus. De mente Scoti patebit infra.

Prob. 1. par. quia, ex omnium ſententia, juſtus poteſt mereri bonum aliquod alteri: ſed tale meritum non erit de condigno; ergo differentia præciſa meriti condigni, & congrui non petitur ex ſtatu gratiæ, aut filiationis in merente. Maj. patet ex praxi, & religione fidelium, & Eccleſiæ, qui recurrunt ad homines ſanctos, ut per illorum merita impetrent multa bona. Min. etiam patebit ex dicendis.

Prob. 2. p. 1. quia, ut videbimus, in ipſo merito condigno non eſt æqualitas a parte rei, & præciſa Dei acceptatione cum præmio gloriæ; ergo æqualitas, vel inæqualitas præmii cum meritis non facit eorum differentiam eſſentialem. 2. quia multi docent, ſanctos beatos nobis mereri multa dona, non quidem de condigno, ſed de congruo, v.g. dona ſanctitatis, aut converſionis &c. quæ dona non ſunt æqualia meritis eorum; ergo &c.

Prob. 3. p. quia acceptatio ſpecialis non minus ſuffi-

ceret ad meritum condignum, quam univerſalis; ergo non recte per iſtam diſcernitur meritum condignum a congruo. Prob.ant.nam ſi Deus hic, & nunc vellet acceptare actum charitatis Petri ut meritum vitæ æternæ, non acceptando actus aliorum hominum, non minus ille actus Petri eſſet meritorius de condigno, ſaltem ex hoc capite.

Dices, non ſolum requiri acceptationem, & pactum ex parte Dei, ſed adhuc cognitionem pacti, & de præmio infallibiliter recipiendo.

Contra 1. Nam qui meretur aliis, tam poſſet eſſe certus de præmio obtinendo, quam cum ſibi meretur, & tamen illud meritum pro aliis non eſt condignum, ſed congruum.

Confir. hoc de beatis, qui cum aliquid merentur viatoribus, ſunt ſine dubio certi de obtentione, & tamen illud meritum non eſt de condigno. 2. quia per idem certi ſumus de obtinendis gratiis, & donis pro aliis, & pro nobis: cum eadem fide oramus pro aliis, & pro nobis, & Chriſtus eadem certitudine promiſit ſe id conceſſurum. *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis*. Et, *petite, & accipietis* &c. Denique in Parabola Euangelii non requiritur, ut operarii vineæ ſint certi, quod accipient mercedem ſeu denarium diurnum; & tamen merentur, & accipiunt illum, & quidem de condigno; ergo illa cognitio, ſeu certitudo non facit ad rem.

CONCLUSIO II.

Ratio formalis conſtitutiva meriti condigni non eſt exigentia connaturalis præmii, nec in obligatione ex juſtitia, ſaltem præciſe.

Prob. 1. p. quia meritum congruum tam connaturaliter exigit præmium, quam condignum; hoc enim eſt de ratione omnis præmii, ut patet ex definitione allata meriti ut ſic; ergo per illam exigentiam non diſtinguitur.

Dices, meritum condignum hoc exigere ex juſtitia, non vero congruum,

Contra 1. nam hoc impugnatur per 2. p.

Contra 2. quia debet eſſe aliquid in merito condigno fundans illam exigentiam juſtitiæ, quod non ſit

in

in merito congruo; ergo potius, & prius conſtituentur formaliter per illud fundamentum, quam per illam formalem exigentiam.

Contra 3. quia multi non admittunt in Deo ullam obligationem juſtitiæ: ergo iſti poſſunt negare illam exigentiam in merito. Hinc

Prob. 2. pars. Nam, ut mox dicebamus, vel non admittitur illa obligatio juſtitiæ in Deo reſpectu creaturæ, ut volunt multi, vel debet dici, quid reperiatur in uno opere, ut fundet illam exigentiam, quod non ſit in alio, quod non ſic fundat; & tunc dicetur, illud fundamentum eſſe primam rationem conſtitutivam meriti condigni.

Confir. Nam præciſo pacto divino de retribuenda vita æterna pro tali, vel tali opere juſtorum, non videtur poſſibilis ulla obligatio juſtitiȩ in Deo ad ſic retribuendum pro ullo opere; ergo illa obligatio juſtitiæ non eſt præciſa ratio conſtitutiva meriti condigni, prout differt a congruo. Sit igitur

CONCLUSIO III.

Meritum de condigno donorum Dei in hoc conſiſtit formaliter, quod opus meritorium ex ſe, & ſimul ex pacto, & acceptatione divina inducit obligationem aliqualis juſtitiæ ad retributionem ipſo pacto promiſſam. Meritum vero congruum dicitur illud, quod non eſt tale.

Prob. 1. ex Scoto; ex quo ſatis aperte id videtur colligi, ut cum dicit, [1] quod *in actu meritorio duo conſiderare oportet; 1. id, quod præcedit rationem meritorii, & in hoc gradu includitur & intenſio actus, & ſubſtantia actus, & rectitudo moralis. 2. Conſiderat ultra hoc rationem meritorii, quod eſt ſic acceptum a divina voluntate in ordine ad præmium, vel eſſe acceptabile, ſive dignum acceptari.* Ecce pro merito condigno: jam pro congruo ſic loquitur, *In hoc eſt ratio meriti ſecundum quid, quia non eſt ordinatio actus ad beatitudinem ut ad præmium juſto reddendum pro tali actu, & conceditur, quod acceptatio iſta paſſiva non includitur in ratione meriti ſecundum quid, ſicut*

O 6 non

[1] 1. *d.*17.*q.*3.*HH.vel q.*2.*n.*25.*LL.*26.

non requiritur in ratione meriti de congruo, quomodo attritus meretur juſtificari. Igitur Scotus diſtinguit in merito ſubſtantiam actus, intenſionem gradua-„lem, & rectitudinem moralem ejus, & hæc tria ſe „habent velut materiale. Pro formali autem, ſeu „pro ratione completiva meriti dicit, eam peti ex di-„vina ordinatione, quâ Deus ab æterno voluit, i-„pſum actum ut prævisum ordinatum eſſe ad præ-„mium, & in actu voluntatis ſuæ ordinando illum „ad præmium voluit ipſum eſse meritum, qui actus „ſecundum ſe conſideratus abſque tali acceptatione „divina, ſecundum ſtrictam juſtitiam non fuiſset „dignus tali præmio ex intrinſeca bonitate, quam „haberet, & ex ſuis principiis: ſemper enim præ-„mium eſt majus bonum merito, & juſtitia ſtri-„cta non reddit melius pro minus bono; ideo be-„ne dicitur, quod Deus ſemper præmiat ultra me-„ritum condignum, ideſt ultra naturam, & boni-„tatem intrinſecam actus, qui eſt meritum, ex me-ra, & gratuita acceptatione divina. Ecce de mente Scoti, in quo conſiſtat natura meriti de condigno, & per quid conſtituatur ultimate.

Prob. 2. quoad 1. p. non enim poteſt melius aſſignari, nec explicari propria ratio talis meriti; & per hoc ſatis diſtinguitur ab omni bono opere, quod non eſt ita meritorium, ita ut nullum poſſit aſſignari, cui hæc explicatio non conveniat, nec ullum poſſit dici tale meritum, niſi hæc ei conveniant; ergo ita bene explicatur. Prob. ant. ex dictis in præcedentibus concluſionibus.

Confir. Nam, ut dicebamus ex Scoto, nullum eſt opus humanum quantumcumque honeſtum ex objecto, & circumſtantiis, quod præciſo pacto, & acceptatione talium operum pro mercede vitæ æternæ, poſſit huic æquiparari, nec obligare Deum ex juſtitia vera ad hanc retributionem concedendam; ergo præciſo tali pacto, & acceptatione, qua inducitur talis obligatio, nullum habetur meritum condignum in ſenſu, quo hic de illo loquimur.

Prob. 2. p. Nam hoc ipſo quod unum opus humanum habet aliquam rationem boni, & meriti, quod non ita obliget Deum, reſtat, ut illud ſit tantum meritum de congruo; ſed omne opus huma-

num

num honeſtum, Præciſo pacto, & promiſſione, tale eſt, ut non obliget Deum ex juſtitia ad dandum id, quod per illud opus prætendimus; ergo defectu pacti, & acceptationis remanet meritum de congruo, quatenus Deus ſine obligatione juſtitiæ concedit mercedem, ſed ex convenientia, ſeu congruitate.

Objectiones, & difficultates, quæ objici poſſunt, ſolventur ex dicendis in particulari de conditionibus meriti condigni.

QUÆSTIO III.

De requiſitis conditionibus ad meritum de condigno ex parte operis.

QUæ diximus hucuſque de natura, & formali ratione meriti rigoroſi, magis patebunt exponendo in particulari conditiones ejus, & partes, v. g. an debeat æquare præmium, an requiratur ſtatus gratiæ ſanctificantis, & viæ, &c.

Porro aliæ conditiones requiruntur ex parte operis, aliæ ex parte operantis, & aliæ ex parte Dei remunerantis. Hic loquemur de requiſitis ex parte operis, in ſequentibus dicemus de aliis.

CONCLUSIO I.

AD rationem meriti non requiritur æquivalentia intrinſeca, ſeu phyſica, vel rigoroſa cum præmio, ſufficit æqualitas proportionis, ſuppoſito pacto acceptationis ex parte Dei.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Ad rationem meriti requiritur, ut actus ſit acceptabilis ex acceptatione ſpeciali, quæ eſt in voluntate divina ordinatio hujus actus ad vitam æternam, tanquam meriti condigni ad præmium.* Et, *conſecutio finis non eſt naturalis, ſed ſecundum acceptationem divinæ voluntatis compenſantis iſta merita, tanquam digna tali fine.* Et tandem docet, [2] quod *juſtitia commutativa, quæ reſpicit præmiationem, & punitionem.. non poteſt ſimpliciter eſſe in Deo reſpectu creaturæ; quia non poteſt eſſe ſimpliciter æqualitas, ſed poteſt*

[1] *Ibid.* FF. *q.* 1. *prol.* F. [2] 4. *d.* 46. *q.* 1. *c.* 4.

eſt eſſe aliqualiter ſecundum proportionem, ſicut inter Dominum, & ſervum: Dominum enim liberalem decet retribuere majus bonum, quam ſervus poſſit mereri.

Prob.2.ex Script. de operibus enim juſtorum loquitur D. Paulus dicens: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*. Et quod *momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Quę autem æqualitas inter momentaneum, & æternum, inter leve, & pondus ſupra modum ?&c. Item, [1] *ego ero merces tua magna nimis*, id eſt, omni merito major.

Prob.3.ex Conciliis,& Patribus. Nam inquit Concilium Senonenſe: *Deus faciet miſericordiæ locum unicuique juxta menſuram operum ſuorum, non abſoluta condignitate, ſed gratuita magis, & liberali repromiſſione, qua conventione facta ex denario diurno conduxit operarios in vineam ſuam*. Vides mercedem ex conventione, non vero ex dignitate operis. Idem docent SS. Patres. *Vita æterna non injuſte gratia dicitur, quia non ſolum donis ſuis Deus ſua dona reddit, ſed quia etiam tantum ibi gratiæ divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter, & ineffabiliter omne meritum quantumvis bonæ, & ex Deo datæ humanæ voluntatis, atque operationis excedat*, inquit S. Fulgent.[2] Et Emiſſen.ait:[3] *totis licet animæ,& corporis laboribus deſudemus.... nihil tamen condignum merito pro bonis cœleſtibus compenſare, & offerre valemus*. Idem docent communiter alii SS. Patres.

Prob. 4. Nam certum eſt, in bonis operibus juſtorum eſſe rationem veri meriti, ita ut Deus aliquali juſtitia teneatur ea præmiare præmio vitæ æternæ, ut probatum eſt ſupra; ſed omnia opera noſtra non poſſunt ex ſe, & præciſo pacto æquivalere tali præmio; ergo de ratione meriti non eſt æquivalentia phyſica operis cum præmio. Prob.min.tum ex Scriptura, & Patribus citatis; tum quia finiti ad infinitum non eſt æqualitas; ſed omnia opera noſtra ſunt de ſe, & phyſice finita: vita autem æterna, ſeu præmium illud eſt de ſe infinitum; ergo & de ſe, ac phyſice opera non æquivalent præmio.

Hinc

[1[*Gen.* 5. [2] 1. *ad mon.* 19.
[3] *hom.2. ad me. nac.*

Hinc probata manet 2. p. nam tota æqualitas, quam exigere poteſt meritum ex parte operis, eſt proportio illa, quam habet ex pacto, & acceptatione divina, qua talia opera ordinavit ad præmium illud, & ad illud acceptavit ex pacto æterno, quo ſe obligavit ad talem retributionem.

Confirmari poteſt hoc totum ex dictis de efficacia gratiæ habitualis: nam tota dignitas operum noſtrorum venit principaliter ab illa gratia, qua ſimus filii Dei, hæredes regni, & conſortes Dei naturæ &c. ſed hos effectus non habet illa gratia, niſi ex Dei ordinatione; ergo nec dignitatem illam dat operibus noſtris, niſi ex pacto, & ordinatione divina.

Confir. quia ſicut pendet a principe elevatio monetæ ad majorem, aut minorem valorem, ita ut in commercio civili debeant ſubditi eam recipere pro tali pretio illi impoſito; ita & Deus poteſt præfigere valorem operibus humanis ad æquivalentiam donorum ſuorum; ergo hæc æquivalentia eſt moralis.

Objic. 1. Niſi in merito eſſet æqualitas operis cum mercede, meritum condignum non differret a congruo; ſed conſequens eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. nam meritum condignum tale dicitur, quia habet æqualitatem, ſeu condignitatem cum præmio, ita ut illud exigat ex juſtitia; quod non habet meritum congruum.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam cum nullus actus humanus habeat de ſe æquivalentiam cum gratia, vel gloria, non poteſt æquivalentia iſta phyſica eſſe conditio meriti condigni, quod aliunde differt a congruo, ut diximus; & ſufficit, quod opera condignitatem habeant ex Dei ordinatione, ſuppoſitis aliis conditionibus, quas non habent actus congrui.

Inſt. Si opera totam condignitatem haberent ex pacto, poſſet poni etiam in operibus naturalibus: ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Reſp. 1. negari poſſe min. non enim implicat Deum ſic velle præmiare bona opera naturalia.

Reſp. 2. neg. maj. non enim dicimus, ſolam promiſſionem Dei facere hanc condignitatem; ſed alias conditiones requirimus, ut patebit.

CONCLUSIO II.

A*D meritum de condigno requiritur, ut opus ſit libe-rum libertate contingentiæ, ſeu a neceſſitate, & quod ſit honeſtum.* Eſt communis, & de fide quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto; [1] *Meritorium exigit in actu duplicem habitudinem ejus, quaſi ad duplex principium. Una eſt ad voluntatem libere elicientem, vel imperantem actum; nihil enim acceptatur ut meritorium, niſi ſit libere in poteſtate operantis, imo & illud eſt commune ad meritum, & ad demeritum;* & nos id probavimus de actibus humanis, qui neceſſario debent eſſe liberi utraque libertate, ſc. a coactione, & a neceſſitate, & iterum de peccatis. Pro 2. p. dicit, [2] quod *meritum formaliter dicit ordinem alicujus actus laudabilis in merente ad acceptantem .., loquendo de merito, prout dicit bonum velle voluntatis,* &c.

Prob. 2. ex Script. [3] nam ille tantum dicitur beatus, & beatificandus, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus,* &c. Et Apoſtolus de ſeipſo dicit, [4] *ſi volens hoc ago, mercedem habeo.* Quippe *unuſquiſque* (faciat eleemoſynam) *prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate,* &c. (5)

Confir. 1. ex damnatione hujus propoſitionis Janſenii, qua dicebat, *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturę lapſę non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Nam ex ea damnatione ſequitur, quod ad meritum, & demeritum requiritur libertas a neceſſitate, quæ dicitur libertas contingentiæ.

Confir. 2. ex SS. Patribus. Nam inquit S. Juſtin. Mar. [6] *nec quidquam horum laude dignum eſſet, niſi homines in utramque partem vertere, & quaſi flectere ſe poſſent.* Et Irenæus; [7] *qui operantur bonum, gloriam, & honorem percipient; quia operati ſunt bonum, cum poſſent non operari illud.* Et Hieronymus: [8] *Ubi neceſſitas, nec corona, nec damnatio eſt;* ergo nec meritum. Et Auguſt. [9] *non peccatum eſſet, aut recte factum, quod non fieret voluntate; ac per hoc & pœna injuſta eſſet,*

[1] *Quodlib.* 17. *c.* 4. [2] 3. *d.* 18. *A.* 4. [3] *Eccl.* 31.
[4] 1. *cor.* 9. [5] 2. *cor.* 9. [6] *Apol. con. gen.*
[7] *l.* 4. *c.* 71. (8) 2. *con. Jovin.* (9) 2. *lib. arb.* 1.

ſet, et præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam: & ſic de aliis.

Prob.3.ratione.1. quia ad demeritum requiritur libertas a neceſſitate; injuſte enim quis argueretur, aut puniretur de actu, quem vitare non potuit; ergo & ad meritum. 2. quia ad meritum neceſſe eſt, quod id, quo meremur, ſit noſtrum, & in noſtra poteſtate; *nam de noſtro eſt beata æternitas promerenda*, inquit S. Hilarius, *præſtandumque eſt aliquid ex proprio*; ſed ut actus ſit in noſtra poteſtate, debet nobis eſſe liberum facere, aut non facere: *Hoc enim quiſque habere in poteſtate dicitur, quod, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit*, ait Auguſt. ergo &c.

Prob.2.p.1. ex Concilio Trident.docente, quod *bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia, & tamquam merces ex Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, et meritis fideliter reddenda*: ergo in ſolis operibus bonis eſt meritum.

Prob.3. quia Deus non poteſt approbare, nec laudare, nec præmiare malum, imo nec actus indifferentes. Unde legimus, quod qui faciunt bona, v.g. eleemoſynam in malum finem, v.g. ob vanam gloriam, carent mercede apud Deum. *Receperunt mercedem ſuam*. [1] Nec de hoc dubitat ullus; *quæ mala ſunt, non coronat Deus*: ait Auguſt. [2]

Objic.1. con.1.p.non minus poteſt Deus acceptare actus neceſſarios beatorum v.g. ſed in hoc caſu actus illi neceſſarii eſſent vere meritorii; ergo non eſt de eſſentia actus meritorii, ut ſit liber.

Reſp. 1. quod non loquimur de poſſibili, ſed de facto; & certum eſt, quod de facto Deus non acceptat tales actus. Non puto tamen poſſibile eſſe verum meritum de opere non libero: nam SS. Patres loquuntur abſolute ex parte Dei.

Reſp. 2. neg. min. Nam licet acceptatio faciat rationem completivam meriti; tamen non facit totum meritum; ſed requiritur ex parte materiæ, ut actus ſit liber, quales non ſunt actus neceſſarii beatorum.

Objic.2. Amor, quo Chriſtus D. amavit Patrem in ſtatu viæ, ſicut alii actus ejus boni fuerunt neceſſarii; non enim poterat peccare, nec ceſſare ab amore Patris,

[1] *Matth.6.* [2] *de gra.et lib.arb.6.*

Patris; & tamen fuerunt meritorii; ergo libertas contingentiæ non eſt de eſſentia meriti.

Reſp. neg. maj. actus enim humani Chriſti in ſtatu viæ fuerunt vere liberi, ut videbimus ſuo loco, ſaltem libertate contradictionis.

CONCLUSIO III.

Ut actus ſit meritorius de condigno debet procedere ex gratiæ auxilio, & aliqua virtute ſupernaturali, ita ut ipſe ſit ſupernaturalis.

Prob. 1. ex Scoto, (1) *Poteſt dici, quod ad hoc ut actus ſit meritorius, non ſufficit, quod habeat ſecum charitatem inexiſtentem perſonæ; ſed ultra hoc requiritur, quod ſecundum inclinationem charitatis inexiſtentis actus eliciatur*. Et alibi dicit, [2] quod *meritum eſt actus potentiæ liberæ, & ſecundum inclinationem gratiæ elicitus, acceptus Deo, & præmiabilis beatitudine* &c.

Prob.2.ex Script.& Conciliis citatis ſupra de neceſſitate gratiæ actualis ad actus bonos diſpoſitivos ad gratiam; ergo & a fortiori ad meritorios: hæc non placet repetere.

Confir. Nam ut docet Concilium Arauſic. II. [3] *debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant*, juxta illud Chriſti, [4] *Ego ſum vitis, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere*. Idem docet Concil. Trident. [5] *Cum enim Chriſtus J. tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent* &c.& docet infra, [6] quod *nequidem ſatisfacere poſſumus pro pœna temporali debita, & remanente poſt remiſſionem culpæ ſine influxu gratiæ*: ergo multo minus mereri poſſumus ſine eodem influxu; nam plus requiritur ad merendum, quam ad ſolvendum, quod debetur.

Confir. ex Epiſtola Cœleſtini: [7] *Non dubitemus*, in-

[1] *Quodlib.17.n.5.* [2] *1.d.17.q.3.25.vel q.3.KK.*
[3] *can.18.* [4] *Jo.15.* [5] *Seſs.6.c.6.*
[6] *Seſs.14.c.8.* [7] *Ep.5.c.12.*

inquit, *a Dei gratia omnia hominis merita præveniri, per quam fit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere* &c.

Prob. 3. Nam meritum eſt proxima diſpoſitio ad augmentum gratiæ, & ad ipſam gloriam mediante gratia; ergo debet eſſe ſupernaturale, ſicut & ipſa forma: nam ultimæ diſpoſitiones debent eſſe ejuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponunt.

Confir. Nam ad merendum oportet referre opus ad eum, a quo expectamus præmium, & apud quem mereri volumus; ſed hoc non poteſt fieri, niſi per aliquam virtutem ſupernaturalem; ergo &c.

Confir. 2. quia actus pure naturales non habent ullam proportionẽ cum præmio ſupernaturali; ergo &c.

Objic. 1. Scriptura promittit præmium vitæ æternæ omnibus operibus moralibus, v. g. miſericordiæ; ſed hæc non eſt virtus ſupernaturalis; ergo non requiritur ad meritum influxus virtutis ſupernaturalis. Prob. maj. nam dicit judex: *Venite benedicti ... eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* &c. ergo.

Reſp. diſt. maj. operibus etiam moralibus chriſtianis, id eſt factis ex fide in Chriſtum, con. operibus quibuſcumque bonis, ſeu non malis, neg. maj. opera moralium virtutum in chriſtianis ſunt ſupernaturalia, quia procedunt ex influxu gratiæ ſupernaturalis, & fidei, ac ſpei, aut charitatis, quibus illa referunt in Deum, & Chriſtum, a quo expectant mercedem. Ideo dicit Chriſtus, *eſurivi* &c. ſcilicet ſibi facta reputat illa opera.

CONCLUSIO IV.

UT actus ſit meritorius, debet eſſe relatus ad Deum, ſaltem virtualiter. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Meritum videtur ex relatione ad finem debitum; quæ relatio eſt ex charitate inexiſtente. Poteſt autem actus referri ex charitate in finem ultimum tripliciter: 1. actualiter, ſicut actualiter cogitans de fine diligit illum, & vult aliquid propter illum: 2. virtualiter, ſicut ex cognitione, & dilectione finis deventum eſt ad volitionem hujus entis, v. g. pœnitentiæ ad finem, & poſtea ipſum exequitur volendo,* non

[1] 2. d. 41. A. 2.

non tamen tunc referendo in finem, quia finis nec tunc actualiter cognoſcitur, nec diligitur: 3. *habitualiter, ut ſi omnis actus referibilis ad finem manens cum charitate, quæ eſt principium referendi, dicatur referri habitualiter* &c.: *certum eſt, quod actus eſt meritorius, & ſatis probabile eſt de* 2. *actu, qui tantum refertur habitualiter,& negative*,ideſt,qui non refertur nec actualiter,nec virtualiter, *dubium eſt,utrum talis actus ſit meritorius.. neque in hoc videtur eſſe ſufficiens ratio bonitatis, ut ſit meritorius; quia non videtur minor relatio ſufficere ad meritum, quam virtualis, qualis non eſt hic*, ſcilicet in relatione habituali.

Prob.2.ex Scriptura.Nam merces non eſt promiſſa, niſi operibus factis pro Deo,ſeu Chriſto: ut cum dicitur: (1) *quiſquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis, non perdet mercedem ſuam.* Item ex loco cit.Chriſtus retribuens dicit, (2) *eſurivi, & dediſtis mihi manducare.*Et, *quod uni ex minimis meis feciſtis,mihi feciſtis.* Et Paulus monet, *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive quidquam aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite*: ergo ut opus ſit meritorium, debet referri in Deum aliquo modo.

Prob. 3. ratione: quia ut opus aliquod jure exigat mercedem, debet eſſe in obſequium illius, a quo exigitur merces, & ab ipſo debet acceptari cum promiſſione mercedis; ſed opus humanum eſſe non poteſt in obſequium Dei, nec ab eo ſic acceptari cum promiſſione mercedis,niſi ad ipſum dirigatur ab operante; ergo ut opus ſit meritorium apud Deum, debet ad ipſum aliquo modo dirigi.

Dixi, *ſaltem virtualiter*, tum quia non ſemper exigitur relatio actualis; Deus enim id non exigit, & id redderet merita rariora, & difficiliora; cum enim animus pluribus intentus eſſe nequeat, nec ad plura ſimul attendere, ſaltem perfecte, vix poſſet per aliquam moram temporis, quo durat opus, ſimul attendere ad ipſum opus recte agendum, & ad Deum, cui operatur: ſufficit ergo, ut operaturus dirigat intentionem ſuam in Deum, cujus directionis, & intentionis virtute perficiatur opus, quamvis in progreſſu ejus non amplius cogitet de Deo; quod ut melius accipiatur

Sup-

[1] *Mar.*6. [2] *Matth.*25.

Suppono ex Scoto cit. triplicem diſtingui intentionem, ſeu directionem, ſeu relationem operis: 1. eſt *actualis*, quando ſimul cum operatione cogitas de Deo, & illi actu offers opus tuum: 2. *virtualis*, quando illa intentio, directio, ſeu oblatio non durat niſi in effectu, videlicet in continuatione operationis, quam ex vi actualis directionis incepiſti: 3. *habitualis*, quando non aliter directio actualis influit in opus, niſi vel quia habitus virtutis, aut gratiæ comitatur actionem, & inclinat, & concurrit ad eam; ſicut habitus canendi concurreret in dormiente ad cantum; aut ſicut gravitas inclinat ad motum deorſum; aut ſiccitas in ligno ad formam ignis: vel quatenus prima illa directio intentionis in Deum, quam ſemel habuiſti, cenſeatur moraliter durare, donec eam retractaveris, vel interruperis per actum contrarium.

Porro conveniunt omnes, duas priores ſufficere, ſcilicet *actualem*, aut *virtualem*; ſed de *habituali* plures dubitant: ſed de hoc infra, ubi de influxu, & directione charitatis; nam quod de hac dicetur, facile reſolutioni de aliis lucem dabit.

CONCLUSIO V.

PRobabilius eſt, *opera omnia virtutum, ut ſint meritoria de condigno, debere aliquo modo imperari, aut dirigi a charitate*. Hæc videtur communior, ſaltem inter Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto cit. in præcedenti: [1] ibi enim hanc doctrinam aperte, & formalibus verbis tradit, ut patet; & fatetur Maſtrius, qui problematicus hæret; & notat, Doctores noſtros Seraphicum, & Subtilem in utramque partem propendere; in 1. quidem tanquam magis tutam, ac de noſtra ſalute magis ſollicitam: in 2. vero tanquam magis piam, ac divinæ miſericordiæ magis conſentaneam.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, Deum vitam eternam præparaſſe, & promiſiſſe *diligentibus ſe*, & alias virtutes morales, imo nec alia dona ſupernaturalia non prodeſſe ſine charitate: *Si linguis hominum loquar* &c. [2] & nequidem ipſum martyrium, *Et ſi tradidero* cor-

[1] *Ibid.* [2] 1. Cor. 15.

corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt: & omnes virtutes illas tribuit charitati, *Charitas patiens eſt* &c. Item quoties promittitur merces vitæ æternę operibus noſtris, Deus ſe prætendit finem, & objectum illorum: ut cum Chriſtus dicit, [1] *venite benedicti Patris mei*.. propter opera miſericordiæ notat, quod illa facimus ipſi, & pauperibus propter ipſum. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare ... quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Ita etiam cum dicit, *ſi quis reliquerit patrem, aut matrem* &c. addit, *propter me*, aut *propter nomen meum* &c. Item dixit Chriſtus, (2) *ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ*: Et, *ſi quis in me non manſerit, mittetur foras* &c. ſed non manemus in Deo, vel Chriſto, nec ipſe in nobis, niſi per charitatem; ergo ex Scriptura non datur meritum ſine charitate dirigente, aut imperante opera noſtra aliquo modo.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Gregor. (3) *non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, niſi maneat in radice charitatis*. Manere autem in radice charitatis eſt ab ea, & per ipſam influxum ſucci, & vigoris accipere. Item, *ſunt, qui diligunt proximos, ſed per affectum cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione ſacra eloquia non contradicunt. Sed aliud eſt, quod ſponte impenditur naturæ, aliud, quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ: hi nimirum et proximum diligunt, et tamen illa ſublimia dilectionis præmia non aſſequuntur*, ſcilicet defectu charitatis. Et Auguſtinus; *ſine charitate in nobis eſſe non poteſt vera pœnitentia*. Et alibi, *cum ſit opus Dei fructifera pœnitentia, inſpirare eam poteſt, quandocumque vult ſua miſericordia, ſed ... ſine amore Dei non conſequitur quis veniam*.

Prob. denique ratione; quia non conſtat, Deum acceptare, neque promittere mercedem niſi operibus, quæ fiunt propter ipſum, ut patet ex dictis; & ſine illa acceptatione, & pacto non eſt meritum, ex Scoto: ſed non fiunt opera propter Deum, niſi ex directione charitatis; ergo nec ſunt meritoria ſine hac directione.

Confir. quia niſi opera noſtra eleventur, & dignificen-

[1] *Matt*. 25. [2] *Jo*. 15. [3] *ho*. 27. *Evan*.

ficentur per charitatem, non habent proportionem cum vita æterna; ergo &c.

Objic. 1. ex Script. in qua ſepius legimus promiſſiones mercedis pro operibus legis, aut miſericordiæ in proximum ſine mentione illius directionis in Deum per charitatem; ut cum dicitur, (1) *diliges proximum tuum, ſicut te ipſum -- hoc fac, & vives*: & cum quæritur a Chriſto, quis ſit proximus, exemplificat de Samaritano, qui curam habuit viatoris in Jericho; Samaritanus non dicitur id feciſſe propter Deum, ſed ex pura miſericordia; & Chriſtus non aliud requirit a legiſperito, qui hæc quærebat. (2) *Vade, & tu fac ſimiliter*. Idem colligitur ex loco cit. Matthæi, *ubi opera miſericordiæ præmiantur*, &c. Et clariſſime alibi, cum legitur, *qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet --- & quicumque potum dederit uni ex his minimis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam*. Hic non fit mentio nominis Dei, ſed diſcipuli, ſeu hominis; ergo Scriptura non requirit hanc charitatis directionem circa opera virtutum, v. g. miſericordiæ, & dilectionis.

Reſp. neg. conſ. nam licet Scriptura non ubique, nec toties repetat illam conditionem relationis operum in Deum, non minus eam exigit ex regulis generalibus. Nam ut notat Chryſoſt. quod hoc loco de Prophetis, diſcipulis, & juſtis dicit, id alibi de recipientibus abjectos, ac minimos homines dicit: *In quantum enim uni minimorum meorum feciſtis, mihi feciſtis*, & contra rurſus *ſi nulli horum, nec mihi*. Vides, quod omnis, qui facit miſericordiam, & per illam meretur, reſpicit in diſcipulo magiſtrum, in Propheta, & juſto Deum ipſum, cujus amore hæc facit.

Objic. 2. Concil. Trident. (3) non requirit ad meritum mercedis, niſi ipſa opera patientiæ, *ſi compatimur, & conglorificabimur*, vel *mortificationis, & obſervantiæ mandatorum Dei, & Eccleſiæ, quibus juſti creſcunt in juſtitia, atque magis juſtificantur*. Et ad hoc tantum præcipitur ex Apoſtolo, *abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino*. Unde Concilium colligit, docendum eſſe popu-

[1] *Luc.* 10. [2] *Matt.* 10.
[3] *Seſs.* 6. *c.* 10. & 16. *Seſs.* 14. *c.* 8.

populum, quod Chriſtus non permittet poculum aquæ eſſe ſua mercede fraudandum; ergo Concilium non exigit illam relationem charitatis pro ratione meriti in operibus virtutum etiam moralium.

Reſp.neg.conſ. nam Concilium loquitur ibi de operibus *factis in Deo*, quibus verbis innuit eam relationem: & præterea intentum Concilii non eſt decidere ibi hanc quæſtionem de conditionibus meriti condigni, ſed tantum aſtruere utilitatem, imo & neceſſitatem bonorum operum.

Inſt. Illa relatio operis per charitatem facit totum meritum, ita ut nihil habeat a virtute elicitiva, vel aliquid accreſcit ex ipſa virtute; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illa relatio dici poteſt neceſſaria. Prob. min. 1. non totum meritum: nam Scriptura promittit mercedem non ſoli charitati, ſed etiam ipſi virtuti; & nimis deprimerentur aliæ virtutes: non 2. nam ſic talis relatio charitatis ſe habet tantum ut mera conditio, ſine qua virtutes non acceptarentur a Deo, nec præmiarentur; quod dici non poteſt.

Reſp. neg. min. nam nihil prohibet dicere, quod opus habeat meritum, & valorem tum a charitate imperante, & dirigente, tum a virtute operante; & quod illa directio operis in Deum per charitatem ſit conditio neceſſaria, ut per alias virtutes mereamur. Nam hoc docent Scripturæ, & Patres citati.

Objic. 3. Ad meritum requiritur, & ſufficit, quod opus ſit ex ſe, & ex circumſtantiis bonum, & ab homine juſto, ſeu in gratia; ſed ad hæc non requiritur directio charitatis, quia reliquæ virtutes eliciunt actus ita bonos, & ſtant cum gratia; ergo & mereri poſſunt independenter a charitate. Prob. maj. nam ipſa infuſio gratiæ eſt acceptatio juſti in vitam æternam; nam *fit in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; & reddit opera ejus acceptabilia propter dignitatem illam operantis, juxta illud, *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*; nec requiritur alia ordinatio in Deum, quam quæ eſt ab eadem gratia. Hæc enim per ſe reſpicit Deum.

Reſp.neg.maj. & ant.prob. ejus. Nam illa ordinatio gratiæ habitualis hominis in Deum non eſt ſufficienter libera, nec in actu ſecundo, ſed velut naturalis, & ab habitu gratiæ naturaliter inclinante; &

Deus

Deus non ad ſolam perſonam agentem reſpicit, ſed etiam ad opera ejus, ut patet ex loco cit. de Abel, & muneribus ejus.

Inſt. Hoc ipſo quòd opus alicujus virtútis elicitur cum gratia, ſufficienter elevatur, & proportionatur cum præmio, ut acceptetur à Deo in ordine ad illud; ſed hoc habet opus, & operans independenter à directione charitatis; ergo & rationem meriti.

Reſp. neg. maj. nam ut acceptetur à Deo, debet ad ipſum dirigi, quod non fit per virtutem moralem elicitivam operis præcisè ſine directione charitatis. Virtutes morales ex ſe, & ut tales ſiſtunt in bonitate, & honeſtate ſui objecti, quæ eſt naturalis, & ſic improportionata præmio gloriæ.

Inſt. Eo modo gratia dignificat opera juſti, quo ſuppoſitum Verbi dignificabat opera etiam naturalia humanitatis Chriſti; quia gratia elevat juſtum ad dignitatem filii adoptivi Dei: ſed opera virtutum moralium Chriſti ſatis dignificabantur per unionem hypoſtaticam ad perſonam Verbi, ut eſſent abſolutè meritoria; ergo ita eſt de gratia, quæ non minùs informat animam, & reddit eam conſortem Dei naturæ, & filiam Dei.

Reſp. neg. maj. & paritatem: nam humanitas Chriſti ſubſiſtit realiter, & phyſicè in perſona Verbi, & Chriſtus eſt perſonaliter Deus; & actiones ejus ſunt à ſuppoſito divino, ſaltem ut ſuſtentante: non ita eſt de gratia, quæ cùm ſit accidens, potiùs ſubſiſtit, & ſuſtentatur in anima: & filiatio Dei adoptiva, & participatio Dei naturæ ſunt effectus morales, non phyſici, aut naturales gratiæ, ut diximus. Denique ſuppoſitum Verbi, ſeu Verbum concurrit vitaliter ad opera Chriſti, quæ ideò dicuntur Theandrica; non ita eſt de concurſu gratiæ ad opera juſti.

Objic. 4. Si meritum deberet ſic dirigi à charitate, plures actus boni juſtorum eſſent ſine merito; ſed hoc eſt inconveniens, & falſum; &c. Maj. patet: nam juſti plura faciunt ex ſola honeſtate naturali actuum; plures etiam non cogitant de illa relatione, & putant ſibi ſufficere ſic operari, ſc. reſpicientes ad honeſtatem naturalem eleemoſynæ, jejunii, juſtitiæ, patientiæ &c. Prob. min. quia de communi fidelium æſtimatione, & bona fide putant, ju-

ſtos ſic operantes mereri augmentum gratiæ, & mercedem gloriæ; ergo &c.

Reſp.neg. maj. nam ſicut nullus eſt juſtus, qui aliquando non ſe tradat Deo, & ſua omnia opera, & per conſequens qui non ſic dirigat in Deum ſuos actus; ita nec ullus eſt, aut ſaltem pauci admodùm, qui non mereantur per opera virtutum, quæ in ſtatu gratiæ faciunt, & ſi qui ſint, qui aliter operantur, ſibi imputent, quòd careant merito, & præmio.

Inſt. Saltem ex hac opinione redditur ſalus, & meritum vitæ æternæ difficilius, & lex Euangelica gravior, & jugum Chriſti inſuavius; ſed hæc ſunt inconvenientia; ergo &c.

Reſp.neg.maj. nam difficultas, nec raritas meriti, nec gravitas, vel inſuavitas legis Chriſti non debet peti ex regulis juſtis,& rationabilibus,quibus peragenda ſunt, quæ præcipit: ſuavitas potiùs inde arguenda eſt, & maximè ex bonis inde provenientibus.Hæc autem ſunt multò majora ex eo, quòd exigantur opera meliora, & ſanctiora, ut hinc abundantiora, & majora præmia conſequamur.

CONCLUSIO V.

Ut opera virtutum aliarum in homine juſto ſint meritoria, non requiritur actualis relatio, ſeu directio illorum in Deum per charitatem, ſed ſufficit virtualis, quatenus illa opera fiant ex vi alicujus intentionis, ſeu dilectionis aliquando elicitæ, & nondum retractatæ per voluntatis actum contrariũ. Eſt cõmunior.

Prob. 1. ex Scoto cit.[1] & quidem quoad referre actualiter, *non tenetur homo nec tentione neceſſitatis, contra quam ſit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam ſit peccatum veniale, referre ſemper actum ſuum in Deum actualiter, vel virtualiter, quia Deus non obligavit nos ad hoc, neque videtur eſſe in iſtis actibus ſufficiens ratio bonitatis, ut ſint meritorii*, &c. Inde colligit actus virtutum, qui non referuntur ad Deũ actualiter, aut virtualiter, eſſe indifferentes in ratione meriti, id eſt non mereri, nec demereri. Igitur ex Scoto ad meritũ nõ requiritur relatio actualis operis ad Deum, ſed ſufficit virtualis, qualẽ deſcripſimus in cõcluſione.

Prob. 2. quoad 1. p. quia ſi requireretur actualis relatio,

[1] 2. *d*. 4. *c*. 4.

latio, vix ullus actus virtutum moralium eſſet meritorius: pauciſſimi enim poſſunt ad plura ſimul attendere: nec ſufficienter colligitur talis obligatio ſemper attendendi actualiter ad Deum, & ad motiva illa charitatis divinæ: ſed non eſt dicendum, eam relationem actualem requiri.

Prob.2.p.quia ſufficit, ut aliquo modo charitas influat in actus virtutum, ut juxta doctrinam Scripturæ, & Patrum dicantur manare ex radice ejus; ergo virtualis illa directio, prout explicatur, ſufficit ad meritum in operibus aliarum virtutum.

Confir. ex probabilitate opinionis multorum graviſſimorum Theologorum, qui, ut refert Cacheranus, [1] putant opera virtutum omnium in homine juſto ex ſe eſſe meritoria, ſeu acceptabilia in ordine ad præmium, modò ſint ſupernaturalia. Idem cenſet Maſtrius noſter. [2] Et abſque ulla gravi ratione alia directio, vel relatio requireretur, ut patebit ſolutione objectionum.

Objic.1. Ut charitas, & relatio ejus in Deum dicatur verè, & virtualiter influere in aliquem actum poſteriorem, debet iſte poſterior aliquo nexu ſequi ex illa priori directione; ſed in caſu concluſionis negatio illa retractationis non facit, ut opera ſequentia v.g. poſt dies aliquot, imò & menſes, & annos ullam connexionem habeant cum iſta directione præterita; ergo illa relatio non ſufficit, nec dici poteſt verè virtualis, ſed potiùs, & ad ſummum nudè habitualis. Maj. patet: nam ſi prima illa directio intentionis ad Deum ſit prorsùs phyſicè interrupta, ita ut nullam habeat connexionem cum noviſſimis actibus; iſti non poſſunt verè dici ab ejus directione quidquam boni influxus accipere. Prob. etiam minor: nam iſti actus, qui poſt menſes, & annos fiunt à te nihil actu cogitante de illa directione intentionis, eodem modo fiunt, ac ſi numquam fuiſſet illa directio; ergo ſi aliqua directio charitatis in Deum requiritur in actibus virtutum moralium, virtualis iſta, prout explicatur in concluſione, non ſufficit.

Reſp. neg. min. & ant. prob. nam 1. mihi videtur, quod prima illa directio, ſeu intentio offerendi Deo omnia opera ſua per totum vitæ ſpatium habet vim

P 2 quan-

[1] *hic c.6.§.6.* [2] *diſp.7.q.9.n.289. & 301.*

quandam donationis, quæ durat, donec retractetur. 2. Sufficit, quòd per quandam ſequelam ille, qui ſemel propoſuit omnia opera ſua facere ad Dei gloriam, & pro Deo, perſeveret moraliter in tali propoſito, ex vi cujus cœpit agere, licèt deinceps non cogitet de illo: ſic ille, qui ab anno, vel pluribus propoſuiſſet perpetuam pro Deo peregrinationem, & ex vi talis propoſiti cepiſſet peregrinari, ſemper haberet meritum primi illius propoſiti, quamvis poſt primam diem, vel horam nihil ampliùs actu cogitaret de illo. Hoc exemplo utitur Scotus pluries.

Inſt. ex Scoto ſi hæc voluntas, & intentio ſufficeret, ſequeretur juſtum numquam peccare venialiter, nec poſſe habere actum ullum otioſum, vel indifferentem; ſed conſequens eſt falſum, & contra nos; ergo & ant. prob. maj. quia omnes actus non mali ex objecto poſſunt fieri boni ex relatione in bonum finem; ergo quandiù non retractaretur illa relatio generalis ſemel habita, illi omnes actus non mali ex objecto eſſent meritorii etiam in dormientibus: nam inquit Scotus, multos tales actus elicit continuè homo exiſtens in gratia, vel peccabit; ergo non poterit habere actus indifferentes.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam ſicut actu homo non refert ad Deum, niſi actus bonos, & de ſe ordinabiles; ita nec virtualiter homo juſtus non refert ad Deum verba de ſe otioſa, nec actus de ſe indifferentes, niſi ex aliqua circumſtantia fieri poſſint boni moraliter; & ad hoc requiritur intentio expreſſa, & explicita, & particularis circa tales actus.

Quæres, *an iſta relatio operis in Deum per charitatem ſit neceſſaria ad meritum, etiam in actibus ſupernaturalibus fidei, & ſpei.*

Reſp. probabile etiam eſſe, quòd ſic requiratur. 1. quia videtur requiri fides, *quæ per charitatem operatur:* tum quia licèt iſtæ duæ virtutes ſint Theologicę, & reſpiciant Deum immediatè, & in ſe, tamen non reſpiciunt illum ut finem. 2. Quia ſi abſque omni relatione charitatis poſſet homo per fidem, & ſpem mereri, ſequeretur eum poſſe ſalvari, & conſequi gloriam æternam ſine actu charitatis, & ſine dilectione Dei ſuper omnia, & propter ſe; quod eſt falſum, & abſurdum.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De requiſitis ad meritum ex parte hominis.

JAm dicebamus in definitione meriti, quòd ſit actus hominis viatoris, & in gratia conſtituti: unde colliguntur duę conditiones, ſeu ſtatus ex parte merentis, nempe ſtatus viæ, & gratiæ: ſed id paulò ſolidiùs ſtabiliendum eſt, maximè contra Bajum, qui docuit, [1] quòd *Pelagii ſententia eſt, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſſe regni cœleſtis meritorium, & opera bona à filiis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant conformia legi.* Idem docuit propoſitionibus 15. 17. & 18. inter damnatas ab Eccleſia.

CONCLUSIO I.

AD *rationem meriti neceſſarius eſt in merente ſtatus viæ, & gratiæ ſanctificantis.* Eſt communis.

Prob. 1. p. ex Scoto, qui docet, [2] *Chriſtum Dominum mereri non potuiſſe, niſi ſecundum quod fuit viator, non autem ſecundum quod fuit in termino*: & quòd *ideò beati mereri non poſſunt, quia ſecundum totam voluntatem conjuncti ſunt ultimo fini perfectiſſimè: ſed Chriſtus ſecundum aliquid fuit viator*, &c. *Item quia beati in termino non ſunt liberi circa bonum honeſtum*, &c. Ecce mentem Scoti circa 1. p. quoad 2. verò dicit, [3] quòd ut actus ſit meritorius, non ſufficit, quòd habeat ſecum charitatem inexiſtentem perſonæ; ſed requiritur ultra hoc, quòd ſecundum *inclinationem charitatis inexiſtentis eliciatur actus*. Vides utrumque requiri, ſc. inexiſtentiam gratiæ, & influxum ejus in actum.

Prob. 2. 1. p. ex Script. quæ toties nos monet de temporis ad mercedem opportunitate, & brevitate, ut cùm dicit, [4] *in quocumque loco ceciderit lignum, ibi erit*, ſc. in quo ſtatu moriemur, permanebimus in æternum. *Ante obitum operare juſtitiam, quoniam apud inferos non eſt invenire cibum.* Et, *quodcumque poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus,*

[1] *prop.* 13. & 14. [2] 3. *d.* 18. *q.* 2. *B.* 4. & 5.
[3] 1. *d.* 17. *q.* 2. *GG. vel q.* 3. 32.
[4] *Eccl.* 11. & 14. & 6.

nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia eſt apud inferos, quò tu properas. Et Chriſtus monet, (1) quòd *veniet nox, in qua nemo poteſt operari*. Et Paulus, (2) *cum tempus habemus, operemur bonum*. Et, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori; poſt hoc autem judicium, quo pronuntiato, nihil reſtat agendum, quo mutetur*, &c.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Hieronymus, (3) *tempus ſementis eſt præſens vita, quam currimus; cùm iſta vita tranſierit, operandi tempus aufertur*. Et Auguſt. (4) *nemo ſperet, quod hic neglexit, cùm obierit, poſſe apud Deum promereri*. Idem docet S. Proſper: (5) & ſic de aliis communiter, qui docent, poſt mortem non fore tempus merendi, ſicut nec demerendi.

Prob. 4. quia de lege ordinaria Deus dedit hominibus, & ipſis Angelis tempus aliquod ad merendam vitam æternam, aut ad demerendam damnationem, donec ſint in termino alterutrius vitæ, in quo quieſcendum. Certè opera Angelorum, & hominum in ſtatu beatitudinis ſunt quidem perfectiora, ſed Deus noluit illa acceptare pro præmio ullo retribuendo, quamvis eos exaudiat pro aliis, quibus propterea mereri poſſunt aliqua, non quidem de condigno, ſed de congruo.

Prob. 2. p. 1. ex Script. qua conſtat, Deum multò libentiùs acceptare munera & opera juſtorum, & non reſpicere ad opera peccatorum, quos reſpicit ut inimicos. Sic dicitur, (6) quòd *reſpexit ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain verò non reſpexit*; ſc. priùs reſpicit ad perſonam, quàm ad munera, licèt utraque reſpiciat: ſic dicit per Prophetam, (7) *ſi averterit ſe juſtus à juſt tia ſua ... omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Certè ſi contemnit bona facta in gratia, multò magis ea, quæ fiunt in ſtatu peccati: illa dicuntur *mortificata*, hæc autem *mortua*. Item, *ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, ſic nec vos, niſi in me manſeritis*, ſc. per charitatem, ſeu gratiam: *ſed ſi quis in me non manſerit, ſed ſeparaverit ſe per peccatum, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & in ignem mittent*. Et ſola gratia dat veram fœcunditatem; aqua,

[1] *Jo*. 9. [2] *Hebr*. 9.
[3] *in Ep. Gal*. 6. [4] *Enchir*. 11.
[5] *ſent*. 172. [6] *Gen*. 4.
[7] *Ezech*. 18.

aqua, quam dabo ei (ſc. gratia) *fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, ſc. principium meriti vitæ æternæ.

Prob. 2. ex Concil. Trid. quod exigit ad meritum, ut merentes hæreant Chriſto capiti, ut palmites vitibus, cùm Chriſtus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & ſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent, &c.

Confir. ex Bullis Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. quibus damnantur ſupradictæ propoſitiones Baji, quibus volebat, *opera citra gratiam facta eſſe meritoria vitæ æternæ*, ſequitur, contrarias propoſitiones eſſe veras in doctrina Eccleſiæ, ſc. opera facta citra gratiam non eſſe meritoria.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus, [1] *bona opera* (meritoria) *ſequuntur hominem juſtificatum, non præcedunt juſtificandum*. Et S. Proſper, [2] *juſtificatus homo, id eſt ex impio pius factus nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat & meritum*, &c.

Prob. 3. Nam homo extra gratiam eſt in peccato mortali, & inimicus Dei; ſed in peccato mortali, & inimicus Dei non poteſt mereri vitam æternam; ergo ad meritum requiritur ſtatus gratiæ. Maj. patet: non enim datur ſtatus medius de via ordinaria. Prob. min. nam homo in peccato mortali eſt dignus morte æterna; ergo &c.

Confir. ex Trid. [3] *nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur*, ſaltem de condigno; ergo multò minùs merebitur vitam æternam.

Confir. 2. quia citra gratiam ſanctificantem nullum opus humanum habet proportionem ullam cum præmio illo; ergo nec poteſt habere rationem meriti condigni. Maj. patet; quia, ut dicemus, tota condignitas operum venit à dignitate merentis, qui eſt filius Dei, & conſors Dei naturæ, & cohæres Chriſti per gratiam. Prob. conſ. nam ad meritum condignum

P 4

[1] *de fi. & oper.* 14.
[2] *ad cap. Gal.* 6.
[3] *ſeſſ.* 6. *c.* 8.

dignum requiritur aliqua æqualitas proportionis in opere cum præmio.

Objic. 1. contra 1. p. Angeli, & Sancti etiam in Cœlo pro nobis orant, & impetrant nobis gratias, & ipſi Martyres, & Chriſtus meruit ſibi non ſolùm per patientiam in ſuppliciis, & pœnis, ſed etiam per ipſam mortem; ergo ad meritum non requiritur ſtatus viæ in merentibus; nam beati, & morientes ſunt in termino, & extra viam.

℟ Reſp. diſt. ant. quoad 1. p. Angeli, & Beati merentur de congruo, & per viam impetrationis, con. de condigno ex vi meriti actualis, neg. ant. quoad eam partem: nam falſum eſt, quòd nobis mereantur quidquam actualiter, & de condigno; habent hoc per impetrationem intuitu meritorum viæ. De Chriſto, & Martyribus nego, quòd mereantur per ipſam mortem in facto eſſe, ſed propriè per acceptationem mortis, & præcipuè martyres, qui in ipſo inſtanti mortis non ſunt liberi, nec compotes ſui, ut rectè notat Doctor.

Objic. contra 2. p. Scriptura promittit mercedem operibus bonis, v. g. eleemoſynis, & operibus miſericordiæ, & obſervantiæ mandatorum abſque conditione ulla gratiæ ſanctificantis; ergo hæc ad meritum non requiritur. Prob. ant. *eſurivi, & dediſtis mihi manducare*, &c. *Beati miſericordes*, &c. Et, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; ſed hæc omnia poſſunt fieri citra gratiam ſanctificantem, & ſaltem cum gratia actuali; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & min. prob. nam ex Scriptura non promittitur merces vitæ æternæ, niſi filiis regni, & juſtis; & ab ea excluduntur peccatores, ut diximus; nec præcepta poſſunt perfectè ſervari citra charitatem, *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me*. Et, *oves meæ vocem meam audiunt*, &c.

Inſt. ex Auguſtino: (1) *Si natura humana poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, perficiendamque juſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura*; ergo Auguſtinus agnoſcit meritum in operibus citra gratiam factis.

Reſp. neg. conſ. tum quia Auguſtinus non dicit poſitivè

[1] *de nat. & gra.* 1.

tivè naturam ad hæc ſibi ſufficere, ſed loquitur conditionatè: tum quia potiùs docet, ſe ita loqui quoad juſtos: *Non enim*, inquit, *Deus eſt injuſtus, qui juſtos fraudet mercede juſtitiæ*; ergo loquitur de juſtis, ſeu habentibus gratiam juſtificantem; ſupponit ergo legem non poſſe perfectè ſervari ſine gratia, & à non juſtis.

Inſt. 2. Auguſt. ibi loquitur contra Pelagianos, qui nequidem gratiæ actualis neceſſitatem admittebant ad obſervantiam legis; ergo multò minùs ibi loquitur de gratia habituali, de qua non diſputabant illi hæretici, nec Auguſtinus. Imò (1) arguebat illos, quòd vellent baptiſmum eſſe neceſſarium. *Non propter remittendum peccatum percipere baptiſmum, ſed ut ſpiritualem procreationem non habentes, creentur in Chriſto, & ipſius regni cœlorum participes fiant*: quod pluries notat; ergo non putat gratiam habitualem neceſſariam ad meritum gloriæ.

Reſp. neg. conſ. nam Auguſtinus improbat, & arguit quidem hæreticos, quòd putarent naturam humanam ſibi ſufficere ad perficiendam legem, ſed non quòd requirerent gratiam ad meritum Regni. Item arguebat eos, quòd negarent neceſſitatem baptiſmi ad remiſſionem peccati originalis, quod non agnoſcebant, non verò quòd agnoſcerent neceſſitatem ſpiritualis procreationis per gratiam habitualem ad participandum Regnum Cœlorum.

Objicies 2. Inimicitia non impedit meritum apud homines; ergo nec peccatum impedit meritum hominis apud Deum.

Reſpondeo neg. conſ. nam inter homines viget juſtitia civilis, & commutativa rigoroſa ex legibus communibus Reipublicæ, aut Principis: non ita eſt de Deo, & creatura; ille nullis ſubjacet legibus, niſi prout vult.

Ultra gratiam habitualem requiritur etiam auxilium gratiæ actualis, ſine qua non poſſumus operari bonum, ſicut oportet ad meritum, ut diximus ſuprà.

[1] *de pec. mer.* 18.

CONCLUSIO II.

Hic ſtatus gratiæ non eſt ita neceſſarius ad meritum de potentia Dei abſoluta, ſed tantùm de lege ordinaria.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd Deus de potentia abſoluta bene potuiſſet acceptare naturam beatificabilem acceptatione ſpeciali prædicta exiſtentem in puris naturalibus, & ſimiliter actum ejus, ad quem eſſet inclinatio ejus merè naturalis. potuiſſet acceptare ut meritorium, ſed non creditur ita diſpoſuiſſe .... quia actum ex puris naturalibus eſſe meritorium appropinquat errori Pelagii.*

Prob. 2. Nam in hoc nulla apparet implicantia: certè poſſet Deus inire pactum cum homine in ſtatu puræ naturæ cum auxiliis gratiæ, ut pro talibus actibus, v. g. fidei, aut ſpei, daret illi talia dona, & vitam æternam. Sic elevaret moraliter actus illos ad talem valorem, & tunc illi actus haberent conditiones meriti de condigno, ita ut Deus ex fidelitate, & aliquali juſtitia teneretur retribuere.

Objic. 1. Si poſſet dari meritum ſine gratia habituali, poſſet peccator mereri de condigno aliqua dona gratiæ; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. min. nam peccator eſt inimicus Deo.

Reſp. 1. neg. maj. nam homo in puris naturalibus caret peccato æquè, ac gratia habituali, & ſupernaturali.

Reſp. 2. neg. min. nec enim repugnat tale meritum ex pacto, & acceptatione Dei; ſicut de facto datur in peccatore meritum de congruo ad primam gratiam.

Inſt. Homo non poteſt eſſe ſimul dignus vita æterna, & morte æterna; ſed ſi homo poſſet mereri de condigno dona Dei, poſſet eſſe dignus vita, & morte æterna ſimul; ergo tale meritum repugnat in homine ſine gratia.

Reſp. neg. min. nam hoc ipſo inſtanti, quo in facto eſſe haberet meritum, ceſſaret peccatum, & dignitas mor-

[1] 1. d. 17. q. 3. 29.

mortis æternæ. Igitur pro eodem inſtanti, & in ſenſu compoſito non eſſet dignus vita, & morte, ſed ſucceſſivè.

Objic. 2. Gratia requiritur in merente, ut tribuat operi condignitatem, ſeu æquivalentiam cum præmio; ſed æquivalentia eſt eſſentialis merito condigno; ergo & ſtatus gratiæ.

Reſp. diſt. maj. requiritur de facto, & ex lege poſita, & ordinaria, con. de potentia abſoluta, & lege extraordinaria, neg. maj. & conſ. nam patet ex dictis diſp. ſuperiori, quòd gratia habitualis non dat illam dignitatem ex natura ſua phyſica, ſed ex voluntate Dei: poſſet etiam negari eadem min. ex dictis de æquivalentia meriti.

Inſt. Etiam de potentia abſoluta ſtatus, & dignitas hominis ſine gratia erit inferior,& indignior,quàm ſtatus ejuſdem in gratia; ergo etiam de potentia abſoluta actus hominis non poſſunt habere ſufficientem valorem ad meritum condignum ſine gratia.

Reſp. neg. abſolutè ant. nam, ut dicebamus, gratia non tribuit eam dignitatem homini, niſi ex lege,& acceptatione Dei, qua de facto ſic voluit, & de lege poſita; ſed de lege alia poſſibili non ita eſſet.

QUÆSTIO V.

De requiſitis ad meritum ex parte Dei.

JAm diximus non ſemel, quòd opera noſtra quantumcumque bona ex objecto, & circumſtantiis non habent ex ſe dignitatem, nec æquivalentiam cum præmio gratiæ, aut gloriæ, ſed hanc principaliter habent ex libera Dei acceptatione, & pacto, ſeu promiſſione, & hæc eſt conditio, quæ ſe tenet ex parte Dei, & quærimus, an illa promiſſio, & pactum ſint abſolutè neceſſaria ad meritum condignum.

CONCLUSIO I.

AD meritum condignum neceſſaria eſt ex parte Dei promiſſio, ſeu pactum de dando tali præmio. Eſt communior. Conveniunt quidem omnes adeſſe promiſſionem præmii pro bonis operibus; ſed non omnes conveniunt, eam eſſe abſolute neceſſariam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Ultra omnes conditiones, quas ibi enumerat, ultra, inquam, has omnes, *Creditur eſſe una conditio in actu, ſc. quod eſt acceptabilis Deo --- acceptatione ſpeciali, quæ eſt in voluntate divina ordinatio ejus actus ad vitam æternam, tanquam meriti condigni ad præmium* &c. ergo ex Scoto præter conditiones requiſitas ad meritum condignum ex parte operis, & perſonæ merentis, requiritur Dei promiſſio, ſeu pactum de dando præmio pro tali actu.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, in omnibus meritis intervenire promiſſionem divinam, ut in parabola de operariis vineæ, *Conventione facta cum mercenariis ex denario diurno*... Et, (2) *nonne ex denario diurno conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt*. Et ipſa præmia gloriæ, & gratiæ dicuntur promiſſiones: [3] *Fide, & patientia hæreditabunt promiſſiones*. Et, [4] *ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem*. Item, *accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus*, &c. Item, *pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ*.

Prob. 3. ex Conciliis. Id enim expreſſe traditur in Senonenſi ſupra cit. [5] in quo fit mentio de conventione ex denario diurno; & quod loca gloriæ commenſurabuntur gratuita, & liberali promiſſione divina. Item in Moguntino: *Bene operantibus, & in ipſo ſperantibus mercedem miſericorditer promiſit*. Et in libro illo edito in Comitiis Auguſtæ an. 1548. ubi agit de operibus, quæ ex charitate profluunt, & ſunt effectus gratiæ Dei, extat, *quia Deus ſecundum ſuam voluntatem operantibus mercedem liberaliſſime promiſit*, &c. Et Trident. [6] *Bene operantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filii Dei per J. C. miſericorditer pro-*

[1] 1. *d.17.q.3.n.22. vel q.3. GG.*
[2] *Matth.20.* [3] *Heb.6. & 10.*
[4] *Jac.1.* [5] *c.16.*
[6] *Seſſ.6.c.ult.*

promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione meritis eorum fideliter reddenda; ergo ubi agitur de meritis, & præmiis, ſemper intervenit ex parte Dei promiſſio, ſeu pactum.

Confir. ex hac propoſitione Baii damnata: [1]*Sicut opus malum ex ſua natura eſt mortis æternæ meritorium, ſic opus bonum ex ſua natura eſt vitæ æternæ meritorium*; ergo in ſenſu Eccleſiæ contradictoria eſt vera, ſc. *opus bonum non ex ſua natura, ſed ex Dei ordinatione ſeu pacto eſt meritorium*.

Confir. 2. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus: [2] *Non dicimus Domino redde, quia accepiſti, ſed redde quia promiſiſti*. Et, *debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed ei placuit promittendo*. Et S. Bernardus: *Non enim talia ſunt hominum merita, ut pro his vita æterna debeatur ex jure*.

Prob. 4 Nam ad meritum requiritur, præter condignitatem, ſeu valorem intrinſecum operis, aliqua vis obligandi Deum ad retributionem præmii, & ut fiat debitor noſter, juxta illud, *ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiã, ſed ſecundum debitum*: ſed ſine pacto, & promiſſione Dei nullum opus hominis habet talem vim; ergo nec plenam rationem meriti. Prob. min. nam principalis valor operis eſt ex gratia; ſed hæc eſt donum Dei; ergo ut talis non habet vim obligandi; nam a parte rei Deus non obligatur ad retribuendum id, quod purè ſuum eſt, ut eſt gratia.

Confirmatur. Nam ſi quis laboret in agro alieno inconſulto Domino, & abſque conventione, ſeu pacto, iſte non tenebitur quidquam illi ſolvere, ſaltem ex juſtitia, ſed ad ſummum ex liberalitate congrua.

Confir. 2. Nam opera juſtorum non habent rationem meriti condigni apud Deum, niſi ipſe obligetur ad retributionem; ſed non poteſt obligari ex vi operum ipſorum, & niſi ſeipſum obliget pacto, & promiſſione; ergo ad meritum requiritur pactum ex parte Dei; nec ſufficit dignitas ſola operum, qualiſcumque illa ſit. Dico (*juſtorum hominum*) ut præſcindam à dignitate operum Chriſti ex dignitate perſonali,

quam

[1] *prop.* 2.
[2] *ſer.* 16. *de ver. Apoſt.*

quam habent ex unione hypoſtatica, de quo ſuo loco dicemus. Maj. patet · nam de ratione meriti eſt Jus ad retributionem. Prob. min. nam ſine fundamento diceretur, Deum à parte rei, & ex parte creaturæ poſſe obligari, niſi velit, & ſi hoc eſſet, fruſtra tot promiſſiones repeteret in Scripturis.

Objic. 1. Si pactum faceret meritum, deberet agnoſci ab operante, alioqui non mereretur præmium; ſed multi neſciunt hoc pactum; ergo vel carent merito, vel pactum nihil facit ad meritum. Prob. mai. nam ut poſſit operans exigere præmium, debet ſcire ſe meruiſſe.

Reſp. 1. neg. min. nam promiſſiones Dei ſufficienter publicantur in Scripturis, ita ut nullus fidelis eas poſſit, aut debeat ignorare, & implicitè continentur in actibus fidei, & ſpei.

Reſp. 2. neg. maj. nam pactum, & promiſſiones Dei non ſunt reciproca; ſufficit, quòd juſti ſciant ſe benè operari, & intendant placere Deo, & quòd ipſe remunerator eſt: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt.*

Objic. 2. Si ad meritum requireretur promiſſio, non mereremur augmentum gratiæ, nec merita mortificata reviviſcerent; ſed utrumque eſt falſum; ergo & quod requiratur pactum. Prob. maj. nam nullibi extant tales promiſſiones; nec de fide eſt, gratiam eſſe qualitatem, ſeu habitum, qui ſic intendatur, nec merita ſic reviviſcere.

Reſp. neg. maj. tum quia, ut dicebam, promiſſiones illæ non debent neceſſariò cognoſci explicitè; tum quia hæ promiſſiones continentur in aliis; tum denique quia dicitur; *qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*: de reviviſcentia dicemus infrà.

Objic. 3. Pactum, ſeu promiſſio non requiritur ad meritum apud homines; ergo nec apud Deum, & ſic ruit præcipuum fundamentum noſtrum. Prob. ant. qui colit agrum alterius ipſo volente, & vidente, meretur mercedem ex juſtitia, præciſo omni pacto; ergo &c.

Reſp. 1. neg. conſ. nam inter homines vigent rigoroſę juſtitiæ leges, quæ ſufficiunt ad obligandum dominum agri, quem ipſo jubentę alter colit: non ita eſt de Deo, qui nullis juſtitię ſtrictę legibus ligatur apud homines.

Reſp.

Reſp. 2. neg.ant. & conſ. prob. nam ipſa iuſſio, vel conſenſus Domini eſt virtuale, & implicitum pactum de retribuendo labore.

Objic.4.Homo per gratiam fit filius Dei; ſed filius Dei eſt ipſo jure hæres, præciſo pacto, & promiſſione; ergo ex vi ſolius gratiæ debetur gloria, independenter ab omni promiſſione. Min. patet ex Apoſtolo: *ſi filii, & hæredes*.

Reſp.1. neg. maj. Nam, ut diximus diſp. præcedenti, gratia hunc effectum non habet, ſicut nec alios ex natura ſua phyſica, ſed ex Dei ordinatione.

Reſp. 2. diſt. min. debetur hæreditas gloriæ ſub hoc titulo ſolo pro parvulis, con. pro adultis ſub hoc ſolo titulo, neg. min. nam adultis datur etiam ſub titulo mercedis: *non enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*.

Objic. 5. Peccatum ipſo facto, & à parte rei ſine pacto meretur pœnam etiam apud Deum; ergo & opus bonum ſine pacto meretur præmium: nam contrariorum eadem eſt ratio.

Reſp. neg. conſeq. & diſparitas eſt, quia plus requiritur ad bonum meritum, quod eſt ex integra cauſa, quàm ad demeritum, quod eſt ex quovis defectu morali. Homo per peccatum dat jus Deo ad vindictam; qui verò meretur, facit Deum ſibi debitorem, quod non eſt ita facile: qui verò peccat, debitorem ſe facit Deo, quod nobis liberum eſt.

Reſp. 2. neg. ant. nam leges prohibitivæ peccati involvunt minas, & pœnas, ſaltem implicitè. Diximus alias, nullum eſſe peccatum formaliter, quod non prohibeatur aliqua lege.

Pater Durandus diſtinguit promiſſionem *intrinſecam*, quam dicit includi in volitione dandi gratiam, & *extrinſecam*, quæ conſiſtit in aliquo actu explicito, & formali, quo promittit gloriam pro talibus actibus elicitis ex gratia ſanctitatis. Illam dicit intrinſecè neceſſariam ad meritum, iſtam verò minimè, ſed tantùm extrinſecè; nec per iſtam differre putat meritum condignum à congruo, ſed eſſe tantùm conditionem extrinſecè completivam meriti: ſubtiliter quidem, ſed hanc diſtinctionem non puto neceſſariam, nec rationem ejus ſolidam. Nam licèt hæc

duo

duo merita non diſtinguerentur penes promiſſionem, tamen aliunde diſtinguuntur, v. g. ex ſtatu gratiæ ſanctificantis in merente de condigno, & ex aliis circumſtantiis; ſed tamen puto etiam diſtingui per pactum verum, quo inducitur quædam obligatio in Deo ad retribuendum, quæ obligatio non eſt talis ex merito congruo. Certè diximus ſuprà, eorum differentiam non peti etiam ex ſtatu gratiæ, alioqui juſti mererentur non ſolum ſibi, ſed etiam aliis dona gratiæ de condigno, quod non concedunt plurimi.

CONCLUSIO II.

D*Eus meritis condignis retribuit præmia non ex gratitudine, ſed ex fidelitate, & ex aliqua juſtitia.*

Prob. 1. ex Scoto dicente, (1) quòd *nullum bonum recompenſat Deus ſecundum juſtitiam retributivam, niſi propter aliquod meritum, cui reſpondeat illud bonum*; ergo ſupponit, Deum recompenſare meritum ex juſtitia retributiva, non autem ex mera gratitudine.

Prob. 2. prima pars. Nam gratitudo habet pro objecto beneficium; ſed Deus non poteſt accipere beneficium ab homine; ergo nec teneri poteſt debere illi quidquam ex gratitudine. Prob. min. tum quia beneficii acceptio, ut beneficium eſt, arguit indigentiam, & dependentiam, ſeu inferioritatem in beneficiato, & benefactor, in quantum hujuſmodi, eſt cauſa beneficiati, ex S. Tho.[2] ſed hæc repugnant Deo; ergo &c.

Prob.2.p. quia fidelitas oritur ex promiſſionis adimpletione; ſed quando Deus remunerat aliquod meritum, adimplet promiſſionem; nam merita omnia fundantur in aliqua Dei promiſſione; ergo Deus merita compenſat ex fidelitate, non quidem ex ſola fidelitate, & promiſſione ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Quod autem omne meritum noſtrum coram Deo fundetur in promiſſione, patet ex concluſione præcedenti.

Prob.3.p. 1. ex Script. quæ docet, præmium gloriæ dari ex juſtitia, & habere titulum coronæ, quam non

[1] 4.*d*.13. *q*.2.*n*.19.
[2] 2.2.*q*.106.*a*.3.

non habebit, *niſi qui legitime certaverit*; & dicitur *corona juſtitiæ, quam reddet Dominus juſtus judex*: [1] ergo ſupponit, Deū ex juſtitia retribuere nobis bona, [2[*non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*, &c. Unde Auguſt. [3] explicans priorem locum, *Reddet mihi Dominus coronam juſtus judex*, ait, *debet ergo. Quid reddet? Reddet ergo juſtus judex. Non enim opere inſpecto poteſt negare mercedem qui opus inſpicit* &c. Et alibi: [4] *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors; ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium* (redditur) *vita æterna*. Rationes patent ex dictis de exiſtentia meriti de condigno, & de juſtitia Dei, & de beatitudine, & viſione beata, & ex dicendis de Incarnatione.

Objicies 1. cont. 1. p. ex Script. Chriſtus vocat ad regnum electos; quia, inquit, *eſurivi, & dediſtis mihi manducare* &c. & ſic memorat plura beneficia ab eis accepta; ergo ex gratitudine compenſat, & retribuit.

Reſp. neg. conſ. nam in pauperibus quidem poſſent eſſe beneficia; ſed in Deo, & Chriſto ſunt opera ex pacto meritoria; quia Deus non eget bonorum noſtrorum.

Objic. con. 3. p. Si Deus non retribueret mercedē, non eſſet injuſtus; ergo non debet, nec retribuit ex juſtitia.

Reſp. neg. conſ. nam ideò non eſſet injuſtus, quia retineret, quod aliunde ſuum eſt, ideò non eſſet poſitivè injuſtus, ſed retribuendo quod promiſit propter illa opera, exercet opus juſtitiæ, ſicut & fidelitatis: nam ſuppoſita conventione mercedis pro tali opere, & præſtatione operis conventi, habeo jus ad retributionem promiſſam; & quod ab initio fuit facultatis, & liberum, & gratia, factum eſt debitum, & aliqualis neceſſitatis, ſuppoſitis aliis conditionibus meriti.

Dixi autem (*aliqualis juſtitiæ*) quia, ut jam monui non ſemel, ſicut non agnoſcimus ſtrictam juſtitiam in Deo ad creaturas, ita nec in ratione meriti, & præmii. Eſt ergo ſermo de juſtitia minùs rigoroſa.

QUÆ-

[1] 1. *Tim*. 4. [2] *Heb*. 6.
[3] *ſer*. 14. *ex* 50. [4] *Ep*. 105.

de attritione, aut contritione; & hi actus non merentur, nec diſponunt ad 1. gratiam, niſi de congruo.

Inſt. Sed hoc dici non poteſt de Raab, quæ erat peccatrix, & meretrix; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam ideo per actum charitatis exhibitum erga exploratores Joſue meruit tantùm de congruo gratiam Dei, non de condigno.

Inſt. 2. Concedimus 1. gratiam cadere ſub meritum de congruo; ergo & cadere poteſt ſub meritum condignum.

Reſp. neg. conſ. nam meritum congruum non exigit ſtatum gratiæ ſanctificantis; nec importat debitum ullum retributionis ex parte Dei, bene verò cõdignũ.

Objic. con. 2. Secunda gratia eſt ejuſdem naturæ, ac dignitatis, ac prima gratia; ergo ſi hæc 1. non cadit ſub meritum condignum, ita nec 2.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia per 1. gratiam elevantur actiones, & dignificantur ad aliquam æqualitatem cum 2. quod non eſt verum de actibus, qui præcedunt primam.

CONCLUSIO II.

JUſti poſſunt mereri de condigno non tantùm augmentum gloriæ, ſed & ipſam gloriam. Hæc etiam eſt de fide contra Calviniſtas, & alios hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto id ubique ſupponente; & maximè quia inæqualitatem gloriæ corporis, & animæ refundit in meritorum inæqualitatem, [1] *differunt dotes gloriæ, ſeu beatitudines ſecundum merita, quia merita ſunt inæqualia* &c. Et clarius alibi docet, [2] quòd *in actu meritorio eſt quædam acceptabilitas ſpecialis, quæ eſt in voluntate divina ordinatio hujus actus ad vitam æternam, tamquam meriti condigni ad præmium. Hoc modo credimus naturam noſtram beatificabilem juſtam eſſe habitualiter acceptam.*

Prob. 2. ex Script. in qua ſervantibus mandata promittitur vita æterna: [3] *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et, *vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Veni, & ſequere me, & habebis theſaurum in Cœlo.* Item, *venite benedicti... percipite regnum, quod vobis paratum eſt*: ecce mercedem, audi

[1] 4. *d.* 50. *q.* 6. *M.* 11. [2] 1. *d.* 17. *ſ.* 2. *GG.* [3] *Matt.* 19.

di meritum: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* &c. Et Paulus ſæpe citatus, [1] *bonum certamen certavi... repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*. Item patientibus injurias,& pœnas propter Chriſtum dicitur, *gaudete, ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo*. Item, *beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*. Item, *juſti in perpetuum vivent* &c.Et,*Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, dare unicuique juxta opera ſua*. Et ut alia innumera omittam, quæ paſſim occurrunt, dicit Deus ipſe; *Ego ero merces tua magna nimis*.

Prob.3.ex Concil.Trid.ſic definiente: [2] *ſi quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita,aut ipſum juſtificatum bonis operibus,quæ ab eo per Dei gratiam... fiunt, non verè mereri gratiæ augmentum, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ... conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, Anath. ſit*. Ecce totam concluſionem definitam.

Prob.4. ex SS.Patribus cit.q. 1.pro exiſtentia meriti. Addo ex Auguſtino. [3] *ſine dubio vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur,Dei gratia eſt.. hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus eſt, gratia eſt pro gratia, tamquam merces pro juſtitia*: ſcilicet vita æterna eſt gratia, quatenùs per gratiam obtinetur, quæ eſt principium meriti, ſeu datur pro gratia, qualia ſunt opera per gratiam facta; ſed eſt merces,& præmium, quia ipſa opera illam merentur. Quod idem S. Doctor ſic explicat: *ſine dubitatione confitendum eſt, ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippe intelligitur, quæ in Euangelio legitur, gratia pro gratia*, id eſt pro his, quæ contulit gratia. Quòd autem hoc verum ſit tam de 1. gloria, quàm de 2. id eſt de augmento ejus, patet. Nam primus gradus gloriæ, & 2. & 3. ſunt ejuſdem ſpeciei, & reliqui omnes gradus, ſecundum quos major eſt, aut minor. Suppono enim, eam eſſe inæqualem juxta illud, [4] *ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic erit reſur-*

[1] 1.*Tim*.4. [2] *Seſſ.6.cit.*
[3] *de gra. & lib.ar*.8.
[4] 1.*Cor*.5.

CONCLUSIO I.

AD meritum condignum neceſſaria eſt ex parte Dei promiſſio, ſeu pactum de dando tali præmio. Eſt communior. Conveniunt quidem omnes adeſſe promiſſionem præmii pro bonis operibus; ſed non omnes conveniunt, eam eſſe abſolute neceſſariam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Ultra omnes conditiones, quas ibi enumerat, ultra, inquam, has omnes, *Creditur eſſe una conditio in actu, ſc. quod eſt acceptabilis Deo — acceptatione ſpeciali, quæ eſt in voluntate divina ordinatio ejus actus ad vitam æternam, tanquam meriti condigni ad præmium* &c. ergo ex Scoto præter conditiones requiſitas ad meritum condignum ex parte operis, & perſonæ merentis, requiritur Dei promiſſio, ſeu pactum de dando præmio pro tali actu.

Prob: 2. ex Script. qua conſtat, in omnibus meritis intervenire promiſſionem divinam, ut in parabola de operariis vineæ, *Conventione facta cum mercenariis ex denario diurno...* Et, (2) *nonne ex denario diurno conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt.* Et ipſa præmia gloriæ, & gratiæ dicuntur promiſſiones: [3] *Fide, & patientia hæreditabunt promiſſiones.* Et, [4] *ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.* Item, *accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus,* &c. Item, *pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ.*

Prob. 3. ex Conciliis. Id enim expreſſe traditur in Senonenſi ſupra cit. [5] in quo fit mentio de conventione ex denario diurno; & quod loca gloriæ commenſurabuntur gratuita, & liberali promiſſione divina. Item in Moguntino: *Bene operantibus, & in ipſo ſperantibus mercedem miſericorditer promiſit.* Et in libro illo edito in Comitiis Auguſtæ an. 1548. ubi agit de operibus, quæ ex charitate profluunt, & ſunt effectus gratiæ Dei, extat, *quia Deus ſecundum ſuam voluntatem operantibus mercedem liberaliſſime promiſit,* &c. Et Trident. [6] *Bene operantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filii Dei per J. C. miſericorditer pro-*

[1] 1. *d.* 17. *q.* 3. *n.* 22. *vel q.* 3. *GG.*
[2] *Matth.* 20. [3] *Heb.* 6. & 10.
[4] *Jac.* 1. [5] *c.* 16.
[6] *Seſſ.* 6. *c. ult.*

promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione meritis eorum fideliter reddenda; ergo ubi agitur de meritis, & præmiis, ſemper intervenit ex parte Dei promiſſio, ſeu pactum.

Confir. ex hac propoſitione Baii damnata: [1]*Sicut opus malum ex ſua natura eſt mortis æternæ meritorium, ſic opus bonum ex ſua natura eſt vitæ æternæ meritorium*; ergo in ſenſu Eccleſiæ contradictoria eſt vera, ſc. *opus bonum non ex ſua natura, ſed ex Dei ordinatione ſeu pacto eſt meritorium*.

Confir. 2. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus: [2] *Non dicimus Domino redde, quia accepiſti, ſed redde quia promiſiſti*. Et, *debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed ei placuit promittendo*. Et S. Bernardus: *Non enim talia ſunt hominum merita, ut pro his vita æterna debeatur ex jure*.

Prob. 4 Nam ad meritum requiritur, præter condignitatem, ſeu valorem intrinſecum operis, aliqua vis obligandi Deum ad retributionem præmii, & ut fiat debitor noſter, juxta illud, *ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiā, ſed ſecundum debitum*: ſed ſine pacto, & promiſſione Dei nullum opus hominis habet talem vim; ergo nec plenam rationem meriti. Prob. min. nam principalis valor operis eſt ex gratia; ſed hæc eſt donum Dei; ergo ut talis non habet vim obligandi; nam a parte rei Deus non obligatur ad retribuendum id, quod purè ſuum eſt, ut eſt gratia.

Confirmatur. Nam ſi quis laboret in agro alieno inconſulto Domino, & abſque conventione, ſeu pacto, iſte non tenebitur quidquam illi ſolvere, ſaltem ex juſtitia, ſed ad ſummum ex liberalitate congrua.

Confir. 2. Nam opera juſtorum non habent rationem meriti condigni apud Deum, niſi ipſe obligetur ad retributionem; ſed non poteſt obligari ex vi operum ipſorum, & niſi ſeipſum obliget pacto, & promiſſione; ergo ad meritum requiritur pactum ex parte Dei; nec ſufficit dignitas ſola operum, qualiſcumque illa ſit. Dico (*juſtorum hominum*) ut præſcindam à dignitate operum Chriſti ex dignitate perſonali, quam

[1] *prop.* 2.
[2] *ſer.* 16. *de ver. Apoſt.*

quam habent ex unione hypoſtatica, de quo ſuo loco dicemus. Maj. patet · nam de ratione meriti eſt jus ad retributionem. Prob. min. nam ſine fundamento diceretur, Deum à parte rei, & ex parte creaturæ poſſe obligari, niſi velit, & ſi hoc eſſet, fruſtra tot promiſſiones repeteret in Scripturis.

Objic. 1. Si pactum faceret meritum, deberet agnoſci ab operante, alioqui non mereretur præmium; ſed multi neſciunt hoc pactum; ergo vel carent merito, vel pactum nihil facit ad meritum. Prob. mai. nam ut poſſit operans exigere præmium, debet ſcire ſe meruiſſe.

Reſp. 1. neg. min. nam promiſſiones Dei ſufficienter publicantur in Scripturis, ita ut nullus fidelis eas poſſit, aut debeat ignorare, & implicitè continentur in actibus fidei, & ſpei.

Reſp. 2. neg. maj. nam pactum, & promiſſiones Dei non ſunt reciproca; ſufficit, quòd juſti ſciant ſe benè operari, & intendant placere Deo, & quòd ipſe remunerator eſt: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt.*

Objic. 2. Si ad meritum requireretur promiſſio, non mereremur augmentum gratiæ, nec merita mortificata reviviſcerent; ſed utrumque eſt falſum; ergo & quod requiratur pactum. Prob. maj. nam nullibi extant tales promiſſiones; nec de fide eſt, gratiam eſſe qualitatem, ſeu habitum, qui ſic intendatur, nec merita ſic reviviſcere.

Reſp. neg. maj. tum quia, ut dicebam, promiſſiones illæ non debent neceſſariò cognoſci explicitè; tum quia hæ promiſſiones continentur in aliis; tum denique quia dicitur; *qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*: de reviviſcentia dicemus infrà.

Objic. 3. Pactum, ſeu promiſſio non requiritur ad meritum apud homines; ergo nec apud Deum, & ſic ruit præcipuum fundamentum noſtrum. Prob. ant. qui colit agrum alterius ipſo volente, & vidente, meretur mercedem ex juſtitia, præciſo omni pacto; ergo &c.

Reſp. 1. neg. conſ. nam inter homines vigent rigoroſę juſtitiæ leges, quæ ſufficiunt ad obligandum dominum agri, quem ipſo jubente alter colit: non ita eſt de Deo, qui nullis juſtitię ſtrictę legibus ligatur apud homines.

Reſp.

Reſp. 2. neg. ant. & conſ. prob. nam ipſa iuſſio, vel conſenſus Domini eſt virtuale, & implicitum pactum de retribuendo labore.

Objic. 4. Homo per gratiam fit filius Dei; ſed filius Dei eſt ipſo jure hæres, præciſo pacto, & promiſſione; ergo ex vi ſolius gratiæ debetur gloria, independenter ab omni promiſſione. Min. patet ex Apoſtolo: *ſi filii, & hæredes.*

Reſp. 1. neg. maj. Nam, ut diximus diſp. præcedenti, gratia hunc effectum non habet, ſicut nec alios ex natura ſua phyſica, ſed ex Dei ordinatione.

Reſp. 2. diſt. min. debetur hæreditas gloriæ ſub hoc titulo ſolo pro parvulis, con. pro adultis ſub hoc ſolo titulo, neg. min. nam adultis datur etiam ſub titulo mercedis: *non enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.*

Objic. 5. Peccatum ipſo facto, & à parte rei ſine pacto meretur pœnam etiam apud Deum; ergo & opus bonum ſine pacto meretur præmium: nam contrariorum eadem eſt ratio.

Reſp. neg. conſeq. & diſparitas eſt, quia plus requiritur ad bonum meritum, quod eſt ex integra cauſa, quàm ad demeritum, quod eſt ex quovis defectu morali. Homo per peccatum dat jus Deo ad vindictam; qui verò meretur, facit Deum ſibi debitorem, quod non eſt ita facile: qui verò peccat, debitorem ſe facit Deo, quod nobis liberum eſt.

Reſp. 2. neg. ant. nam leges prohibitivæ peccati involvunt minas, & pœnas, ſaltem implicitè. Diximus alias, nullum eſſe peccatum formaliter, quod non prohibeatur aliqua lege.

Pater Durandus diſtinguit promiſſionem *intrinſecam*, quam dicit includi in volitione dandi gratiam, & *extrinſecam*, quæ conſiſtit in aliquo actu explicito, & formali, quo promittit gloriam pro talibus actibus elicitis ex gratia ſanctitatis. Illam dicit intrinſecè neceſſariam ad meritum, iſtam verò minimè, ſed tantùm extrinſecè; nec per iſtam differre putat meritum condignum à congruo, ſed eſſe tantùm conditionem extrinſecè completivam meriti: ſubtiliter quidem, ſed hanc diſtinctionem non puto neceſſariam, nec rationem ejus ſolidam. Nam licèt hæc

dno

duo merita non diſtinguerentur penes promiſſionem, tamen aliunde diſtinguuntur, v. g. ex ſtatu gratiæ ſanctificantis in merente de condigno, & ex aliis circumſtantiis; ſed tamen puto etiam diſtingui per pactum verum, quo inducitur quædam obligatio in Deo ad retribuendum, quæ obligatio non eſt talis ex merito congruo. Certè diximus ſuprà, eorum differentiam non peti etiam ex ſtatu gratiæ, alioqui juſti mererentur non ſolum ſibi, ſed etiam aliis dona gratiæ de condigno, quod non concedunt plurimi.

CONCLUSIO II.

Deus meritis condignis retribuit præmia non ex gratitudine, ſed ex fidelitate, & ex aliqua juſtitia.

Prob. 1. ex Scoto dicente, (1) quòd *nullum bonum recompenſat Deus ſecundum juſtitiam retributivam, niſi propter aliquod meritum, cui reſpondeat illud bonum*; ergo ſupponit, Deum recompenſare meritum ex juſtitia retributiva, non autem ex mera gratitudine.

Prob. 2. prima pars. Nam gratitudo habet pro objecto beneficium; ſed Deus non poteſt accipere beneficium ab homine; ergo nec teneri poteſt debere illi quidquam ex gratitudine. Prob. min. tum quia beneficii acceptio, ut beneficium eſt, arguit indigentiam, & dependentiam, ſeu inferioritatem in beneficiato, & benefactor, in quantum hujuſmodi, eſt cauſa beneficiati, ex S. Tho.[2] ſed hæc repugnant Deo; ergo &c.

Prob. 2. p. quia fidelitas oritur ex promiſſionis adimpletione; ſed quando Deus remunerat aliquod meritum, adimplet promiſſionem; nam merita omnia fundantur in aliqua Dei promiſſione; ergo Deus merita compenſat ex fidelitate, non quidem ex ſola fidelitate, & promiſſione ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Quod autem omne meritum noſtrum coram Deo fundetur in promiſſione, patet ex concluſione præcedenti.

Prob. 3. p. 1. ex Script. quæ docet, præmium gloriæ dari ex juſtitia, & habere titulum coronæ, quam non

[1] 4. *d.* 13. *q.* 2. *n.* 19.
[2] 2. 2. *q.* 106. *a.* 3.

non habebit, *niſi qui legitime certaverit*; & dicitur *corona juſtitiæ*, *quam reddet Dominus juſtus judex*: [1] ergo ſupponit, Deũ ex juſtitia retribuere nobis bona, [2[*non eſt injuſtus Deus*, *ut obliviſcatur operis veſtri*, &c. Unde A uguſt. [3] explicans priorem locum, *Reddet mihi Dominus coronam juſtus judex*, ait, *debet ergo*. *Quid reddet? Reddet ergo juſtus judex*. *Non enim opere inſpecto poteſt negare mercedem qui opus inſpicit* &c. Et alibi: [4] *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors*; *ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium* (redditur) *vita æterna*. Rationes patent ex dictis de exiſtentia meriti de condigno, & de juſtitia Dei, & de beatitudine, & viſione beata, & ex dicendis de Incarnatione.

Objicies 1. cont. 1. p. ex Script. Chriſtus vocat ad regnum electos; quia, inquit, *eſurivi*, *& dediſti mihi manducare* &c. & ſic memorat plura beneficia ab eis accepta; ergo ex gratitudine compenſat, & retribuit.

Reſp. neg. conſ. nam in pauperibus quidem poſſent eſſe beneficia; ſed in Deo, & Chriſto ſunt opera ex pacto meritoria; quia Deus non eget bonorum noſtrorum.

Objic. con. 3. p. Si Deus non retribueret mercedẽ, non eſſet injuſtus; ergo non debet, nec retribuit ex juſtitia.

Reſp. neg. conſ. nam ideò non eſſet injuſtus, quia retineret, quod aliunde ſuum eſt, ideò non eſſet poſitivè injuſtus, ſed retribuendo quod promiſit propter illa opera, exercet opus juſtitiæ, ſicut & fidelitatis: nam ſuppoſita conventione mercedis pro tali opere, & præſtatione operis conventi, habeo jus ad retributionem promiſſam; & quod ab initio fuit facultatis, & liberum, & gratia, factum eſt debitum, & aliqualis neceſſitatis, ſuppoſitis aliis conditionibus meriti.

Dixi autem (*aliqualis juſtitiæ*) quia, ut jam monui non ſemel, ſicut non agnoſcimus ſtrictam juſtitiam in Deo ad creaturas, ita nec in ratione meriti, & præmii. Eſt ergo ſermo de juſtitia minùs rigoroſa.

QUÆ-

[1] 1. *Tim*. 4. [2] *Heb*. 6.
[3] *ſer*. 14. *ex* 50. [4] *Ep*. 105.

QUÆSTIO VI.

De objecto, & materia meriti condigni; an gloria, & vita æterna cadant ſub meritum de condigno.

GRatia, & gloria conſiderari poſſunt quoad primum gradum, vel quoad poſteriores, & augmentum utriuſque: & quæritur, an utraque cadat ſub meritum de condigno, & quoad 1. gradum, ſeu abſolutè, & quoad augmentum.

CONCLUSIO.

PRima gratia actualis, vel ſanctificans non cadit ſub meritum de condigno, benè verò ſecunda, ſeu augmentum ejus. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quòd *diſpoſitio prævia ad peccati deletionem, & per conſequens ad 1. gratiam, eſt ſemper ſine gratia, & charitate, à cujus ſolius inhærentia, & inclinatione dicitur actus formatus*; ſed actus meritorius eſt neceſſariò formatus, ſc. in gratia ſanctificante elicitus; ergo nullus actus poteſt mereri, ſeu diſponere proximè ad primam gratiam.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. & Conciliis: [2] *gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis (Dei enim donum eſt) non ex operibus, ne quis glorietur.* Unde Concil. Trident. [3] *gratis autem ideò diximus, quia nil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia, jam non ex operibus, alioquin ut idem Apoſtolus ait, gratia jam non eſt gratia*: ergo prima gratia ſive actualis, ſive habitualis, & ſanctificans non cadit ſub meritum.

Prob. 2. eadem pars ex illo communi axiomate, *principium meriti non cadit ſub meritum*, alioqui idem eſſet cauſa ſui ipſius quoad eſſe in eodem genere; ſed de lege ordinaria, ut diximus, gratia actualis, ſeu excitans, & adjuvans, & ipſa gratia ſanctificans eſt principium meriti, ut probatum eſt ſuprà; ſine auxilio

[1] *d. 14. q. 2. M.* [2] *Epheſ. 2.*
[3] *Seſſ. 6. c. 8.*

xilio gratiæ prævenientis, & cooperantis non poſſumus quidquam boni agere, ſicut oportet, ad juſtificationis gratiam diſponens; & ſine ſanctificante non poteſt haberi meritum condignum: ergo neutra prima gratia cadit ſub meritum.

Prob.2.p. de augmento gratiæ 1. ex Script. & Concil. [1] *iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem*. Et, [2] *juſtus ut palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur*. Et, *ibunt de virtute in virtutem*. Item, *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*. Item, *augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ*. Item ex parabolis de talentis, &c. Et ut docet Trid. [3] *juſtificati, & amici Dei facti euntes de virtute in virtutem renovantur*.. Et, *in ipſa juſtitia per gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, creſcunt, atque magis juſtificantur* &c. Hoc verò juſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cum orat; *da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum*: ergo non ſolùm gratiæ, ſed etiam aliarum virtutum, & donorum augmentum cadit ſub meritum.

Prob.denique. Nam in natura viventes creſcunt ſubſtantialiter, donec attingant ad perfectionem ſibi convenientem; ergo à fortiori juſti debent creſcere in juſtitia, & ſanctitate, donec attingant perfectam juſtitiam, & ſanctitatem.

Objic.1.con.1.p.ex Script.[4] *Abraham pater noſter nonne operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuper altare .., credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt*. Similiter & Raab meretrix. &c. Item, *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata*; ergo gratia juſtificans cadit ſub meritum bonorum operum.

Reſp. neg. conſ. nam intentio Jacobi Apoſtoli eſt oſtendere neceſſitatem bonorum operum ad juſtificationem, & quidem ad 2. ſeu ad augmentum juſtificationis: nam Abraham erat juſtus, quando iuſſus eſt immolare filium. Et quod dicit Joannes de Confeſſione, vel intelligitur de ſacramentali, quæ operatur quidem 1. gratiam, ſed ex vi ſacramenti, & meritorum Chriſti, non per modum meriti humani, vel

de

[1] *Prov.4.* [2] *Pſal.91. & 83.*
[3] *Seſſ.6.c.10.* [4] *2. Jac. 2.*

de attritione, aut contritione; & hi actus non merentur, nec diſponunt ad 1. gratiam, niſi de congruo.

Inſt. Sed hoc dici non poteſt de Raab, quæ erat peccatrix, & meretrix; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam ideo per actum charitatis exhibitum erga exploratores Joſue meruit tantùm de congruo gratiam Dei, non de condigno.

Inſt. 2. Concedimus 1. gratiam cadere ſub meritum de congruo; ergo & cadere poteſt ſub meritum condignum.

Reſp. neg. conſ. nam meritum congruum non exigit ſtatum gratiæ ſanctificantis; nec importat debitum ullum retributionis ex parte Dei, bene verò cōdignū.

Objic. con. 2. Secunda gratia eſt ejuſdem naturæ, ac dignitatis, ac prima gratia; ergo ſi hæc 1. non cadit ſub meritum condignum, ita nec 2.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia per 1. gratiam elevantur actiones, & dignificantur ad aliquam æqualitatem cum 2. quod non eſt verum de actibus, qui præcedunt primam.

CONCLUSIO II.

Juſti poſſunt mereri de condigno non tantùm augmentum gloriæ, ſed & ipſam gloriam. Hæc etiam eſt de fide contra Calviniſtas, & alios hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto id ubique ſupponente; & maximè quia inæqualitatem gloriæ corporis, & animæ refundit in meritorum inæqualitatem, [1] *differunt dotes gloriæ, ſeu beatitudines ſecundum merita, quia merita ſunt inæqualia* &c. Et clarius alibi docet, [2] quòd *in actu meritorio eſt quædam acceptabilitas ſpecialis, quæ eſt in voluntate divina ordinatio hujus actus ad vitam æternam, tamquam meriti condigni ad præmium. Hoc modo credimus naturam noſtram beatificabilem juſtam eſſe habitualiter acceptam.*

Prob. 2. ex Script. in qua ſervantibus mandata promittitur vita æterna: [3] *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et, *vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Veni, & ſequere me, & habebis theſaurum in Cœlo.* Item, *venite benedicti... percipite regnum, quod vobis paratum eſt*: ecce mercedem, audi

[1] *4.d.50.q.6.M.*11. [2] 1.*d.*17.*q.*2.*GG.* [3] *Matt.* 19.

di meritum: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* &c. Et Paulus ſæpe citatus, [1] *bonum certamen certavi... repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*. Item patientibus injurias, & pœnas propter Chriſtum dicitur, *gaudete, ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo*. Item, *beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*. Item, *juſti in perpetuum vivent* &c. Et, *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, dare unicuique juxta opera ſua*. Et ut alia innumera omittam, quæ paſſim occurrunt, dicit Deus ipſe; *Ego ero merces tua magna nimis*.

Prob. 3. ex Concil. Trid. ſic definiente: [2] *ſi quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam... fiunt, non verè mereri gratiæ augmentum, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ... conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, Anath. ſit*. Ecce totam concluſionem definitam.

Prob. 4. ex SS. Patribus cit. q. 1. pro exiſtentia meriti. Addo ex Auguſtino. [3] *ſine dubio vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia eſt.. hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus eſt, gratia eſt pro gratia, tamquam merces pro juſtitia*: ſcilicet vita æterna eſt gratia, quatenùs per gratiam obtinetur, quæ eſt principium meriti, ſeu datur pro gratia, qualia ſunt opera per gratiam facta; ſed eſt merces, & præmium, quia ipſa opera illam merentur. Quod idem S. Doctor ſic explicat: *ſine dubitatione confitendum eſt, ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Recte quippe intelligitur, quæ in Euangelio legitur, gratia pro gratia*, id eſt pro his, quæ contulit gratia. Quòd autem hoc verum ſit tam de 1. gloria, quàm de 2. id eſt de augmento ejus, patet. Nam primus gradus gloriæ, & 2. & 3. ſunt ejuſdem ſpeciei, & reliqui omnes gradus, ſecundum quos major eſt, aut minor. Suppono enim, eam eſſe inæqualem juxta illud, [4] *ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic erit reſur-*

[1] 1. *Tim*. 4. [2] *Seſſ*. 6. *cit*.
[3] *de gra. & lib. ar*. 8.
[4] 1. *Cor*. 5.

reſurrectio mortuorum. Item, [1] *qui parcè ſeminat, parcè & metet* &c.

Objic.1.ex Script. vita æterna datur tantùm ex miſericordia; ergo non ex merito. Prob. ant. [2] *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*. Et Apoſtolus dicit,(3) quòd *gratia Dei eſt vita æterna*. Item, *non ex operibus juſtitiæ,quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit*: ergo gloria non cadit ſub meritum de condigno.

Reſp. neg.ant.& conſ.prob.nam, ut diximus,gloria datur ut gratia, & ſimul ſub titulo mercedis; nec repugnat eandem rem dari ſub duplici titulo, & diverſo reſpectu. Merita ipſa noſtra ſunt dona Dei, & fundantur in gratia.

Objic.2. Ad meritum condignum requiritur aliqua ſaltem æquivalentia cum præmio; ſed nulla eſt æquivalentia operum noſtrorum cum gloria æterna; finiti enim, ut ſunt opera noſtra, ad infinitum, ut eſt gloria æterna, nulla eſt proportio: & ex Apoſtolo, *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*: ergo &c.

Reſp. ex dictis, diſt. maj. aliqua æquivalentia geometrica, & proportionis, con. maj.& neg.min. arithmetica, & quantitatis, neg. maj. & conſ. certum eſt, talem eſſe æquivalentiam, quæ ſufficiat,ut *momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtræ.. æternum gloriæ pondus operetur in nobis*. Opera noſtra fundantur in gratia, qua ſimus filii Dei, & conſortes naturæ Dei; & hinc elevantur, & dignificantur, ſicut & per acceptationem, & per merita Chriſti capitis noſtri.

Aliæ objectiones hæreticorum ſolutæ ſunt quæſt.1. & 2.

CONCLUSIO III.

Homo poſt amiſſam gratiam per peccatum non poteſt mereri ejus recuperationem de condigno. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto docente, [1] quòd omnes actus pœnitentiæ, quantumcumque perfectè circumſtantionati, qui præcedunt, dicuntur ſemper attritio, & eſt

[1] *Pſal.* 102. [2] *Rom.6.&* 11.
[3] 4.*d*.14.*q*.2.*N*.

eſt tantùm de congruo meritoria, ſeu diſpoſitio proxima ad deletionem peccati, & ad gratiam juſtificationis. *Iſte autem motus*, inquit, *dicitur attritio, & eſt diſpoſitio, ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, & per conſequens ad recuperationem gratiæ*. Et alibi docet:[1] *non mirum, quòd inimico, dum eſt inimicus, quæcumque bona præterita non ſufficiunt ad præmium conſequendum... & illa merita, quibus reſpondet magnus gloriæ gradus, dum ſunt mortificata, non poſſunt mereri minimam gratiam.*

Ut hoc capias, nota, Scotum loqui in 1. loco de actibus pœnitentiæ, quibus homo poſt peccatum, & in ſtatu peccati habitualis diſponitur ad gratiam reconciliantem; & hos actus vocat attritiones, & meritorios tantùm de congruo, donec infundatur gratia deletiva peccati, per quam gratiæ infuſionem illa attritio fit contritio, ut ipſe loquitur. In 2. loco loquitur de meritis præcedentibus lapſum, ſeu peccatum, & factis in gratia, quæ per peccatum mortificata fuerunt; & de his eſt major difficultas: nam licèt quoad nos illa opera ſint mortificata, vivunt tamen in Dei ſcientia; & ideò videtur, quòd poſſunt movere illum ad danda peccatori citiùs, & abundantiora auxilia ad pœnitendum, & reſurgendum, imò & ipſam gratiam reconciliatricem, ſeu ſanctificantem, quam amiſerat: *Excellens miſericordia Dei propter præcedentia merita, licet mortificata citius dat gratiam ad reſurgendum*, inquit, *unde ſicut credo, quod perfectior gravius cadit propter majorem ingratitudinem, ita credo, quòd cæteris paribus, citius reſurgit propter Dei benignitatem merita prædicta ad hoc aliqualiter acceptantem*. Sed non putat hujuſmodi merita unquam mereri de condigno gratiam ullam nec actualem, nec habitualem, ſed tantùm de congruo.

Prob. 2. ex Script. ubi dicitur, [2] quòd *ſi averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, ſcilicet in ordine ad meritum condignum gloriæ, nec ad gratiæ amiſſæ recuperationem.

Prob. 3. ex Concil. Trid. ſæpiùs cit. [3] nam inquit, *nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur*.

Lo-

[1] *d.22.q.1.I.* [2] *Ezech.18.* [3] *Seſſ.6.c.8.*

Loquitur autem de juſtificatione adultorum abſolutè, & ſimpliciter, quomodocumque amiſerint gratiam, ſive poſt merita, ſive ante: nam utrobique vocatur juſtificatio, & reconciliatio, & utrobique remittitur peccatum.

Prob.3. ex iis auctoritatibus Patrum, & rationibus, quibus probavimus neceſſitatem ſtatus gratiæ ad meritum condignum; nam ille ſtatus tam deeſt in reconciliatione poſt lapſum, quàm ante primam juſtificationem; ergo ſi hæc 1. non cadit ſub meritum, ita nec illa.

Confir. Nam ſi homo poſt relapſum poſſet mereri ſuam reconciliationem de condigno, ſemel juſtificatus habens aliquando meritum aliquod non poſſet damnari, quia ſemper reviviſcerent merita, & ſemper poſſet mereri ſuam reconciliationem, quoties peccaret; ſed hoc eſt abſurdum, & falſum; ergo &c.

Objic.1.ex Script. nam inquit Rex Joſaphat, *impio auxilium præbes, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco iram Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te* &c. ergo mortificata diſponunt ad gratiam reconciliationis ex condigno.

Reſp.neg.conſ. tum quia ibi non agitur de gratia reconciliatrice ſupernaturali, ſed remiſſione pœnarum temporalium, quas Deus minatus fuerat; tum quia tunc Joſaphat jam fuerat juſtificatus per ſeriam pœnitentiam, totum ſe tranſtulerat ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium univerſo Iſraeli, & obtinuerat victoriam à Deo contra Ammonitas, & Moabitas &c.

Objic. 2. Si bona opera facta in gratia non mererentur homini auxilia efficacia ad reſurgendum à peccato, fruſtra oraret David, *cùm defecerit virtus mea, Deus ne derelinquas me*, quandoquidem omnes peccatores ſic derelinquerentur; ſed hoc non poteſt dici; ergo nec illud.

Reſp. diſt. maj. ſi non mererentur de congruo, vel condigno, con. ſi non mererentur de condigno, neg. maj. & min. nam ſufficit, quod opera illa mortificata moveant de congruo Deum ad tales gratias largiendas. Præterea dici poteſt, eum locum intelligi de derelictione in tempore tribulationis, & infirmitatis, non autem de gratia contra peccatum.

Objic.3. ex Apoſtolo. Deus eſſet injuſtus, ſi obliviſceretur operum noſtrorum; ſed videretur eorum obliviſci, niſi eorum intuitu daret gratias ad reſurgendum, aut ipſas gratias reconciliatrices; ergo dat illas. Prob. maj. nam inquit, [1] *non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtratis ſanctis* &c. ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. non enim loquitur ibi Apoſtolus de operibus per peccatum mortificatis, ſed de operibus vivis, quæ faciebant in gratia ad ſolatium fidelium in perſecutione, vel de operibus alias quidem mortificatis, ſed jam vivificatis mediante pœnitentia ſufficienti ad remiſſionem peccatorum, & ad reparationem gratiæ ſanctificantis.

CONCLUSIO IV.

H*Omo non poteſt mereri alteri primam gratiam, nec gloriam de condigno, ſed tantum de congruo*. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto docente, [2] quod *oratio noſtra nunc duplicem habet effectum, unum, quia meritoria eſt oranti, imo opus valde meritorium. 2. quia ex hoc quod ſpecialiter dirigitur pro alio, meritoria eſt illi, pro quo offertur*. Et loquens de beatis, dum pro nobis orant, ait: *ſicut impetrat beatus non ſibi, ſed aliis; ita cauſat meritum aliis, & non ſibi*: vide rationem, *Oratio enim ſua eſt diſpoſitio de congruo, ut propter eam Deus concedat illud, quod impetrat illi, cui petit*, &c. ergo ex Scoto juſti, ac beati non merentur aliis de condigno, ſed de congruo, & impetrative.

Prob. 2. ex Script. [3] qua docemur, Deum redditurum unicuique *mercedem ſecundum propria opera*, non autem ſecundum aliena. Et de facto in judicio reddet unicuique meritas pœnas, vel gratias; ſingulis enim ſervis duplicat talenta, & ſervum inutilem ejici jubet in tenebras.

Confir. ex Patribus. Nam docet Chryſoſtomus, [4] neminem alteri mereri, ſed ſibi: *Utinam poſſibile eſſet, me pro vobis laborantem omnibus recte agere, ſed non licet*

[1] *Hebr.6.* [2] *4.d.45.q.4. K.8.*
[3] *Matth.16.* [4] *ho.13. PP fin.*

licet hoc, ſed quemque neceſſe eſt a ſe commiſſorum rationem reddere, neque videre eſt alium pro alio puniri.. ex propriis operibus punimur, & ſalvamur, &c. Et S. Hiern. notat, quod cum prudentes virgines dicunt fatuis, *ite ad vendentes, & emite vobis*, non ex avaritia dicunt, ſed ex timore; unuſquiſque enim r operibus ſuis mercedem recipit, neque in die Pudicii aliorum virtutes poterunt aliorum vitia ſublevare, &c.

Prob. 3. quia ſic Deus de lege ordinaria ſtatuit mercedem ex condigno concedere gratiam, & gloriam juxta proprium meritum, non vero juxta alienum.

Confir. Nam hæc gloria, & privilegium reſervata ſunt Chriſto D. ut poſſit aliis de condigno promereri gratiam, & gloriam; ergo id aliis non conceſſit.

Prob. 2.p. Nam certum eſt ex fide, & hiſtoriis ſacris, quod ſancti etiam in Cœlo orant pro viatoribus, & multas nobis impetrant gratias; &, ut docet Scotus, in humana politia videmus Reges multa concedere populis ad interceſſionem, & intuitu meritorum familiarium, & Magnatum, quæ non concederent ipſis populis, ſi peterent per ſeipſos immediate: & ita legimus, Jobum veniam amicis impetraſſe, *ſervus meus Job orabit pro vobis, & faciem ejus ſuſcipiam, ut non imputetur vobis ſtultitia*. Sic Deus declarat, ſe multa Judæis indulſiſſe propter Abraham, & Iſaac. Sic diſtulit ſcindere regnum Salomonis propter David patrem ejus. Unde Ambroſ. docet, Deum propter aliquos ignoſcere aliis, & dum alios probat, aliis relaxat errata: & de S. Stephano dicit Auguſt. *veniam meruit inimicis: gaudere meruit in Cœlis de amicitiis B. Pauli ſubſequentis*: & ita legimus, Apoſtolos aliqua impetraſſe a Chriſto, & B. Virginem impetraſſe converſionem aquæ in vinum in nuptiis: hæc autem contingunt impetratorie, ſeu de congruo, quia ſic placet Deo.

Confir. Nam omnes fideles ſunt membra ejuſdem corporis myſtici, *ſinguli alter alterius membra*, inquit Apoſt. ergo poſſunt ſe invicem juvare, & ad invicem bona propria communicare, & prodeſſe per ſua merita. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, inquit Pſaltes. [1]

[1] *Pſal* 116.

Objic.

Objic. 1. Homo poteſt ex juſtitia ſatisfacere pro alio; ergo & mereri de juſtitia, ſeu de condigno.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia præmium taxatur ſecundum diſpoſitionem recipientis. Nam præmium gloriæ taxatur pro menſura gratiæ in eo, qui debet illud recipere: non ita eſt de ſatisfactione quæ ex rigore taxatur pro menſura debiti, & culpæ.

Objic. 2. Adam ut caput totius generis humani demeruit privationem juſtitiæ originalis omnibus poſteris; ergo & potuiſſet mereri eiſdem gratiæ reſtitutionem.

Reſp. neg. conſ. nam non placuit Deo quoad hoc conſtituere Adam caput morale totius generis humani, ut poſſet ei mereri gratiæ reparationem, ſicut potuit demereri amiſſionem. Id potuiſſet quidem de alia lege, ſed de facto id non fecit, ſed hoc reſervavit Chriſto redemptori.

QUÆSTIO VII.

De aliis donis, & maxime de dono perſeverantiæ, an cadant ſub meritum.

Alia multa bona impetrantur a Deo, ut ſunt gratiæ actuales, bona temporalia, perſeverantia finalis, & remiſſio venialium.

Porro perſeverantiæ donum ſic explicari poteſt: 1. ut conſiſtat in auxiliis, quibus homo reſurrecturus ſit ex peccato, quoties ceciderit, ita ut tandem moriturus ſit in ſtatu gratiæ: Vel 2. ut conſiſtat in illis auxiliis gratiæ, & ſpeciali protectione providentiæ divinæ, ut ſemel acceptam gratiam nunquam amittat; & in utroque ſenſu agitari poteſt quæſtio, an cadat ſub meritum de condigno.

CONCLUSIO I.

G*Ratiæ actuales, & maxime excitantes, ſeu prævenientes non cadunt ſub meritum de condigno; auxiliantes autem poſſunt cadere ſub meritum, ſaltem de congruo.*

Prob. 1. p. 1. quia gratiæ excitantes ſunt prima principia meriti; ergo non cadunt ſub merito. 2. Quia non eſſent primæ, neque excitantes, aut prævenientes; quia nulla habentur merita, niſi ex talibus gratiis; ergo omne meritum præſupponit tales gratias, & ab illis dependet; ergo non poteſt eas cauſare, &c.

Prob. 2. p. Nam juſtiſſimi ſæpe non conſequuntur tales gratias, ſaltem efficaces; ergo eas non merentur de condigno, alioqui nunquam eis deeſſent; ergo ſi eas mereantur, hoc erit de congruo, & impetratorie. Ideo monentur illa auxilia petere per orationes, eleemoſynas, & alia pia opera, ut contigit Cornelio, qui per eleemoſynas, & alia bona opera meruit ad ſe mitti Petrum, a quo inſtructus eſt, & baptizatus.

Quod autem illud meritum ſit de congruo, patet ex eo, quod ſæpius præcedant juſtificationem, & quod ne quidem juſtificatis ſemper promittuntur, aut conceduntur, ut dictum eſt.

CONCLUSIO II.

D*Onum perſeverantiæ non cadit ſub meritum condignum, bene vero ſub congruum.*

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] nam homo juſtus cum gratia habituali, & ſine ſpeciali providentiæ protectione per actuales gratias non poteſt ſervare totam legem, & vincere omnes tentationes vitæ; & ſi gratiæ illæ actuales non cadunt ſub meritum condignum; ergo nec perſeverantia finalis, quæ importat obſervantiam, & victoriam illam. Item ex dictis ejuſdem, homo non poteſt mereri de condigno primam gratiam juſtificantem ſive poſt lapſum, ſive in 1. juſtificatione: nam omnia opera facta extra gratiæ habitualis ſtatum non poſſunt mereri gratiam juſtificantem, ſeu reconciliantem, niſi de congruo; ſed ad perſeverantiam

[1] 3. d. 3. q. 7.

tiam in 1. ſenſu requireretur meritum condignum gratiæ reconciliantis, quoties homo caderet, & amitteret gratiam; ergo nec poteſt mereri perſeverantiam finalem in illo ſenſu, & caſu.

Prob. 2. ex Patribus. Nam ſi perſeverantiæ donum caderet ſub meritum, non diceret Auguſtinus, [1] ſe neſcire, cur detur uni, & non alteri. Nam recte poſſet dicere, id evenire, quia ille meretur, non iſte. *Si a me quæratur, cur eis Deus perſeverantiam non dederit, quibus etiam qua Chriſtiane viverent, dilectionem dederit, me ignorare reſpondeo.* Et magis miratur, quod pluribus diu juſtis, & ad multum gratiæ augmentum provectis non det illam gratiam, bene vero multis, qui diu in peccatis vixerunt, & noviſſimi veniunt ad Chriſtum, & convertuntur, & recurrit ad inſcrutabilia judicia Dei, & concludit contra Pelagianos, cur aliis detur, aliis non detur (ſc. in bono perſeverantia) *ſine murmure adverſus Deum dignentur ignorare nobiſcum*; ergo non putat Auguſtinus, illud donum cadere ſub meritum; alio jure velle, & determinate reſponderet, id eſſe, quia illi merentur, non iſti.

Prob. 3. ex Concil. Trid. quoad utramque partem. Nam inquit de perſeverantiæ munere, quod quidem *aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere.* Ecce quoad meritum condignum. Sed pergit: *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet,* &c. Ecce pro merito congruo; nempe cooperando gratiæ homo ad illud donum ſe diſponit, ſed ſemper eſt donum.

Prob. ſpecialiter 2. p. ex Auguſtino. (2) *Poterat nobis etiam non orantibus dari, ſed oratione noſtra nos voluit admoneri, a quo accipiamus hæc beneficia,* quæ autem orantibus dantur, non ex merito condigno, ſed congruo dantur.

Objic. ex Concil. damnatur qui dixerit, *juſtificatum cum auxilio Dei ſpeciali non poſſe perſeverare in accepta juſtitia*; ſed hoc eſſet falſum, niſi juſtificatus

 poſſet

[1] *de bon. perſ. & de corr. & gra.* 8.
[2] *de bon. perſ.*

poſſet donum perſeverantiæ mereri de condigno ; ergo Concilium ſupponit, hoc donum cadere ſub meritum condignum. Prob. min. nam ſi non poſſet illud promereri de condigno, illud non eſſet in ejus poteſtate etiam cum auxilio qualicumque : ergo &c.

Reſp.neg. min.& ant. prob. nam ſufficit, quod poſſet illud mereri de congruo, ut poteſt Fatemur ergo juſtum per concurſum gratiæ habitualis, & actualis adjuvantis poſſe creſcere in gratia, & merito, & novas ſemper vires contra peccatum acquirere,& Deum movere per ſuam fidelem cooperationem ad novas ſemper gratias, & auxilia ei largenda, & ſpeciali protectione fovere, ne ab accepta juſtitia decidat, vel ſi ceciderit, ut reſurgat citius, & tandem perſeveret finaliter, & in gratia moriatur, & ſalvetur: ſed hæc protectio eſt ſpecialis Dei favor, qui non cadit ſub meritum de condigno, ita ut Deus ex juſtitia teneatur hunc illi præſtare, ſed tantum ex pietate ſua, & congruitate.

Quæres, *quomodo perſeverantiæ donum diſtinguatur, aut conveniat cum dono confirmationis in gratia.*

Reſp. utrumque ſæpius pro eodem ſumi, ut patet ex Scriptura, ut cum dicitur, *confirmat juſtos Dominus.* Item, *fidelis Dominus eſt, qui confirmat* (in bono) *& cuſtodit a malo*. Et ex Auguſtino, [1] dum Apoſtolos dicit habuiſſe *donum perſeverantiæ*, *ſeu confirmatos fuiſſe in gratia, quod ſignificatur illis Chriſti verbis, ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*, ſc. ut perſeveres in fide, *& ſic in ea confirmeris,ut ab ea cadere non poſſis*. Denique *utrumque donum id habet, ut juſtum perducat ad portum vitæ æternæ*.

Differunt tamen accidentaliter ea dona: nam 1. perſeverantiæ donum eſt commune omnibus prædeſtinatis, non vero donum confirmationis in gratia; ſed ſpecialis eſt favor aliquibus eximiis animabus, ut B. Virgini Deiparæ, & Apoſtolis, & aliis paucis. 2. donum confirmationis addit perſeverantiæ ſingularem quandam in confirmatis præſtantiam, & copiam gratiarum, quibus fit, ut ſi graviores ſint pugnæ, ſuaviores ſint, & certiores victoriæ. Addunt aliqui revelationem, & certitudinem perſeverantiæ in confirmatis, quam non habent communiter perſeverantes, qui ſem-

[1] *de corr.& gra.* 11. *&* 12.

ſemper cum timore, & tremore ſalutem ſuam operantur.

CONCLUSIO I.

B*Ona temporalia non in ſe abſolute, ſed prout conducunt ad ſalutem, cadunt ſub meritum condignum.* Eſt communis.

Probatur 1. ex Scoto [1] docente, quod *Deus vult hunc mundum ſenſibilem, ut ſerviat eis*, ſc. electis, &c. & quidem ad conſecutionem ſalutis; ergo bona temporalia, ſeu ſenſibilia cadunt ſub meritum ea ratione, qua ſunt volibilia Deo; ſed ſunt volibilia, prout ſerviunt electis ad conſecutionem ſalutis; ergo &c.

Prob. 2. quia vita æterna cadit ſub meritum condignum; ergo & media ad ipſam; ſed bona temporalia ſub hoc reſpectu, nempe ut conducentia ad ſalutem, ſunt media ad illum finem; ergo ſub hoc reſpectu cadunt ſub meritum, & non ſecundum ſe. Unde juxta illud Apoſtoli, [2] *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, bona temporalia juſtis ſerviunt ad plura opera pietatis exercenda, & maxime charitatis in Deum, & proximum. Sic bona illa poſſunt appetere, & petere, & mereri per orationes, & alia bona opera, velut media.

Confir. ex veteri teſtamento, in quo bonis operibus proponuntur præmia temporalia; ſed hæc figurabant ſpiritualia, quæ nunc habemus per Chriſtum D. nempe *omnia in figura contingebant illis*. Hæc promittebantur, ut excitarentur ad fidelitatem in Deum per bona illa, & diſponerentur ad ſperanda ſpiritualia, quæ figurabantur per illa.

Dixi autem, *non in ſe abſolute*; nam hæc bona ſic conſiderata non dantur juſtioribus, non ſanctioribus, imo ſæpius videmus ſanctiores minus proviſos bonis fortunæ; pauperiores ſunt, humiliores, & abjectiores *in domo Dei magis, quam habitantes in tabernaculis peccatorum*, & a delectabilibus magis alieni; ergo bona fortunæ, ſeu divitiæ, nec honores mundani, nec deliciæ terrenæ hujus vitæ non cadunt ſub meritum, ſaltem per ſe, & abſolute conſiderata

[1] 3.*d*.32.G.6. [2] Rom.8.

derata independenter ab utilitate, quam habent ad finem ultimum vitæ æternæ; alioqui deberent magis abundare cum proportione meritorum. *Ecce ipſi peccatores abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias:* quod ægre videbatur ferre David; addit enim ex hac conſideratione. (1) *& dixi; ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum* &c. *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns*, &c. *In labore hominum non ſunt*, &c. Et alibi item de eiſdem peccatoribus dicit, *promptuaria eorum plena, oves eorum fœtoſæ*, &c. Hinc

Prob. 2. quia quæ cadunt ſub meritum condignum, non ſunt communia bonis, & malis; ſed bona temporalia ſecundum ſe ſpectata ſunt communia bonis, & malis; ergo ſub hoc reſpectu non cadunt ſub meritum.

Objic. etiam peccatoribus hæc bona dantur in præmium ob aliqua opera moraliter bona, in ordine tamen naturæ; ergo hæc etiam abſolute cadunt ſub meritum, & a fortiori hoc verum eſt de juſtis. Prob. ant. nam dicitur de Romanis, quod Deus dedit eis tantam proſperitatem, quia præmiare voluit aliqua bona eorum opera, licet alioqui idololatræ eſſent.

Reſp. neg. conſ. nam peccatoribus ſic compenſat illa bona, ſi quæ ſint, non ut merita de condigno, ſed de congruo: loquimur autem de merito condigno. Igitur in mente, & providentia omnia ordinantur ad finem ultimum cum aliqua Dei ſubordinatione, ut ſcilicet bona temporalia ſint propter hominem, homo propter Chriſtum, & Chriſtus propter Deum, ex Apoſtolo (2) *omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Sic bona terrena non debemus appetere, niſi quatenus utilia ſunt ad eum finem; nec aliter dantur a Deo, ſaltem electis; ergo nec aliter cadunt ſub meritum.

[1] *pſ.* 72. [2] 1. *cor.* 3.

CON.

CONCLUSIO IV.

PRobabile eſt, hominem juſtum poſſe meriti de condigno remiſſionem venialium.

Prob. quia ad hoc concurrere poſſunt omnes conditiones meriti; ergo &c. Prob. ant. nam adhuc homo eſt viator, eſt in gratia, & liber, actus ſunt honeſti, v.g. actus contritionis, & amoris Dei, eleemoſynæ, de quibus dicitur, *ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum*: & ſic extat promiſſio, & pactum ex parte Dei; ergo nihil repugnat, remiſſionem venialium cadere ſub meritum.

Confir. 1. quia per hæc, & ſimilia opera, & per alias pœnalitates poteſt ſatisfacere pro illis peccatis; ergo & eorum deletionem mereri.

Confir. 2. Poteſt homo juſtus mereri de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ; ergo & remiſſionem venialium; non eſt enim major ratio de uno merito, quam de alio; imo videtur unum ſequi ad aliud. Nam videtur ſequi diminutio venialium ad augmentum gratiæ, & gloriæ.

Objic. 1. eidem actui, & eidem bonitati non reſpondet duplex præmium; ſed ſi per eundem actum, quo quis meretur augmentum gratiæ, & gloriæ, mereri poſſet remiſſionem peccati, duplex præmium reſponderet eidem actui, & bonitati ejuſdem virtutis; ergo remiſſio peccati venialis non cadit ſub idem meritum cum augmento gratiæ, & gloriæ.

Reſp. diſt. maj. duplex præmium non ſubordinatum, con. duplex ſubordinatum, neg. maj. Ad min. autem dico, augmentum gratiæ, & gloriæ, & remiſſionem venialium eſſe præmia ſubordinata; ſicut remiſſio culpæ mortalis, & infuſio primæ gratiæ ſunt præmia congrua ejuſdem pœnitentiæ: nec repugnat, Deum poſſe acceptare eumdem actum virtutis in ſatisfactionem pœnæ peccato debitæ, & in deletionem peccati, & in augmentum gratiæ, & gloriæ. Eadem igitur opera poſſunt habere vim ſatisfactoriam, meritoriam, & impetratoriam.

Objic. 2. Quando princeps condonat crimen, & ſimul compenſat meritum, tantum diminuit de præmio, quantum concedit de gratia; ergo hæc duo

non ſimul reſpondent eidem actui apud Deum, ſed ſi pro uno actu amoris v.g. remitteret peccata, non augeret gratiam.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia principis juſtitia, & clementia ſunt limitatæ virtutes, & quod uni tribuit, alteri minuit: non ita eſt de Deo, apud quem iſta connectuntur ut conſectaria, ſc. remiſſio culpæ, & infuſio gratiæ.

Reſp. 2. quod quamvis ant. concederetur, non minus eſſet vera concluſio: nam ſive remiſſio culpæ venialis, & augmentum gratiæ correſpondeant eidem actui meritorio, ſive diverſis, ſemper verum erit utrumque cadere ſub meritum condignum.

CONCLUSIO V.

PRæmium ſemper excedit meritum condignum. Eſt communis contra Baium, cujus hæc erat propoſitio inter quatuordecim damnatas: *Opera bona juſtorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio mereantur*. Vaſquez legit, *mererentur accipere*, ſc. ex ſua natura per conformitatem ſuam ad legem naturalem, non autem ex dignitate, quam habent ex gratia adoptionis, neque ex acceptatione divina.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quod *actus meritorius ſecundum ſe conſideratus abſque acceptatione divina ſecundum ſtrictam juſtitiam non fuiſſet dignus tali præmio* (vitæ æternæ) *extrinſeca bonitate, quam habet ex ſuis principiis .... nam præmium ſemper eſt maius bonum merito, & juſtitia ſtricta non reddit melius pro minus bono; ideo bene dicitur, quod Deus præmiat ſemper ultra meritum condignum, univerſaliter quidem ultra dignitatem actus, qui eſt meritum*, &c. Rem clare explicatam, & aſſertam vides ex Scoto; ſc. meritum habet quidem aliquam dignitatem, ſeu bonitatem ex ſuis principiis, ſed non æqualem præmio, niſi ex acceptatione divina, ut diximns, per quam elevatur, & acceptatur ad majus præmium, quam actus ille de ſe phyſice mereretur; & ſic mens ejus directe opponitur errori Baii.

Prob. 2. ex Script. qua non ſolum emphatice expri-

[1] *1. d. 17. q. 2. L. L. vel q. 3. n. 26.*

primitur magnitudo immenſa præmii, & vitæ æternæ, quod videtur dici comparative ad præmium, ut cum dicit Deus: *ego ero merces tua magna nimis:* & *merces veſtra multa eſt*, vel *copioſa eſt*, &c. ſed etiam exceſſus, & ſuperabundantia ejus, ut cum dicitur,[1] *menſuram confertam, & bonam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus veſtros*, ſc. excedentem menſuram omnem. Ideo dicit Apoſtolus, [2] *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam* &c. Et, *Momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum .. æternum gloriæ pondus operatur* &c:

Prob. 3. ex Patribus: nam inquit Chryſoſt. *Deus non ſolum non inducit pœnas peccatis graviores, ſed & valde minores* · & communiter docent cum ipſo, quod in omnibus Dei operibus elucet miſericordia, & juſtitia. Quod etiam probant ex parabola ſervorum, & talentorum, cum dicit; [3] *euge ſerve bone, intra in gaudium Domini tui, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam:* & licet plures id explicent de gratiæ donis, tamen plures alii hoc docent de judicio finali.

Ratio autem id reddit indubitatum. Quis enim auderet æquiparare modicam eleemoſynam regno cælorum? momentum patientiæ in tormentis pro fide Chriſti voluptatibus inenarrabilibus vitæ æternæ? potum aquæ frigidæ ubertatibus domus Dei, quibus inebriat electos, &c. Vide quæ diximus ſupra de æquivalentia meriti cum præmio ad condignitatem.

Objic.ex Script.dicitur,quod *Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua*; ergo ad menſuram, & pondus meriti erit præmium.

Reſp.diſt. ant. & conſ.ſecundum opera, quatenus in iis ſervabit aliquam menſuram proportionis, con. menſuram, & pondus ad omnimodam æqualitatem, neg. ant.& conſ. ſervabit menſuram proportionis. 1. quia præmium non ſuperabitur merito, & 2. quia habebit reſpectum ad majus, & minus meritum; & ampliorem,aut minorem mercedem, cæteris paribus,dabit ſecundum majus, aut minus meritum, ut videmus in parabola de ſervis, quorum unus conſtit itur

[1] *Luc.*6. [2] *Ro.*8. [3] *Matth.*23.

ſupra decem civitates, quia totidem mnas habet, & alter ſupra 4. tantum, quia non lucratus eſt plures mnas &c.

QUÆSTIO VIII.

Quibus actibus habeatur, & creſcat meritum condignum.

Actus meritorii conſiderari, & eorum valor menſurari, & ponderari poteſt 1. comparative ad gratiam, quæ ineſt operanti; quatenus ſunt in ſua entitate vel remiſſiores, vel intenſiores. 2. comparative ad objectum, quod eſt in ſe præſtantius, vel ignobilius. 3. ad finem extrinſecum, qui eſt etiam nobilior, & eminentior, vel inferior vel pluribus, aut paucioribus motivis virtutum. 4. ad libertatem, ſi operans ſit magis, aut minus indeterminatus, ſeu neceſſitatus ad agendum; v. g. ſi opus eſt de præcepto, vel de conſilio, vel alicujus obligationis, vel puræ ſupererogationis, ſeu meræ facultatis. 5. ad extenſionem, v.g. ad majorem, vel minorem durationem. 6. ad modum tendendi, v.g. ſi fit cum majori, vel minori conatu, & affectu voluntatis, quod refertur etiam ad intenſionem, & fervorem actus. 7. ex quantitate rei oblatæ. 8. ad difficultatem, vel facilitatem operis. 9. ad dignitatem operantis. Et quæritur, an ex his omnibus creſcat meritum; & maxime, an creſcat in ordine ad augmentum gratiæ per actus remiſſiores ipſa gratia jam obtenta, & præexiſtente: v.g. an per actum charitatis intenſum ut duo poſſit augeri gratia ut quatuor, & an cum proportione acquiratur major gloria. Quid probabilius videatur, breviter de ſingulis aperiemus. Ut ab hoc ultimo incipiamus.

Suppono, nullam determinatam intenſionem requiri in actibus juſtorum ad rationem meriti, ſuppoſitis aliis conditionibus. Unde abſolute loquendo, & præciſe ab omni intenſione gratiæ præexiſtentis omne meritum quantumvis remiſſum poteſt mereri premium gloriæ, & gratiæ ad eam diſponentis. Nam ex nulla Scripturæ, vel Conciliorum, vel Eccleſiæ, aut Patrum, & rationum determinatione apparet neceſſitas limitandi talem intenſionem.

Cum

Cum inteſio actus abſolute poſſit eſſe major, & major quaſi in infinitum verſus maximum, & minor quaſi in infinitum verſus minimum, non debet ſine gravi fundamento aſſeri nova ulla conditio meriti apud Deum, qualis eſſet iſta limitatio intenſionis, aut remiſſionis. Reſtat ergo difficultas de intenſione, aut remiſſione actus meritorii reſpective, ſeu comparative ad gratiam, & habitum præexiſtentem: & quæritur, an ut illi debeatur præmium apud Deum, debeat ſuperare, vel ſaltem æquare gratiam præexiſtentem ſimul cum augmento, quod ſupponitur acquirendum per hos actus.

CONCLUSIO I.

Meritum, & gratia, & gloria ipſa augetur per omnes actus etiam remiſſiores, cæteris paribus, & poſitis aliis conditionibus meriti condigni. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia *cum quodcumque meritum mereatur (ut credo) augmentum gratiæ, quia aliquem determinatum gradum gloriæ* &c. Et id probat ratione infra, [2] quia, inquit, *ſi iſte ſic remiſſe agens non habeat majorem gratiam per opus ſuum, quam ille dormiens, in quo ſalvatur gratia ſine tali opere; non tamen fruſtra iſte agit, nec in nullo excedit illum, qui dormivit, imo per illud, quod egit, dignus eſt æterno aliquo bono, quo non eſt dignus ille, qui dormivit;* ergo cuique bono operi meritorio quantumcumque remiſſo reſpondet aliquod augmentum præmii gratiæ, & gloriæ ex Scoto.

Prob. 2. ex Script. nam 1. parabola Mnarum, & Talentorum non ſolum præmiatur ſervus, qui facit 10. Mnas augmenti, & uſuræ, ſeu qui ſuperavit, aut æquavit gratiam, quam habebat; ſed etiam qui æquavit, aut remiſſius operatus eſt; & qui ex 5. lucratus eſt alia quinque. 2. Scriptura nuſquam exigit intenſiorem actum, quam ſit habitus; ut cum legimus de converſis, & juſtificatis, [3] *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*,

[1] 4.*d.*21.*q.*7.*F.*7.
[2] *d.*22.*H.*7. [3] *Ro.*6.

nem, non primam, quam jam habebant, ſed ſecundam, ſeu in augmentem ſanctitatis acquiſitæ, ut explicat Trident. [1] *id eſt per obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa juſtitia per Chriſti gratiam accepta cooperante fide bonis operibus creſcunt, atque magis juſtificantur* &c. Vides, non exigi nec a D. Paulo, nec a Patribus Concilii niſi bona opera ad augmentum gratiæ, quod magis patet ex his ejuſdem verbis: [2] *Qui parce ſeminat, parce & metet*. Et, *qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, id eſt, bona temporalia, ut fiant eleemoſynæ, mutiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locupletati omnibus abundetis*; ergo quantuncumque exigua ſint opera, pro menſura eorum retribuitur merces, & augmentum gratiæ. Si parca ſit eleemoſyna, exiguam habebis mercedem. *Erogando pecuniam auge juſtitiam*, ait Auguſt. *vide quid minuatur, quidve augeatur, minuitur pecunia, juſtitia augetur*, &c. ſc. augetur iſta gratia pro menſura diminutionis pecuniæ. 3. hoc clarius patet, cum dicit; *unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*; ergo pro exiguo labore, & bono opere accipiemus augmentum mercedis, ſeu gratiæ, & gloriæ proportionatum. Certe quid minus dari poteſt Deo, quam potus aquæ frigidæ? & tamen non erit ſine mercede.

Prob. 3. ex Concil. Trid. cit. nam, ut dicebamus, docet fideles juſtificatos creſcere, & magis juſtificari in præmium bonorum operum indefinite, non autem id limitat ad ſola opera intenſiora. 2. id patet etiam ex doctrina, quam tradit de contritione dicens, quod ſi charitate formata ſit, hominem juſtificat: Certe ſi de illius intenſionis menſura nihil determinat pro 1. gratia, multo minus id limitari debet de intenſione ejus, vel aliorum operum pro 2. gratia. 3. idem notatur ad eum locum, [3] in quo Concilium jubet, *juſtificatis proponenda eſſe Apoſtoli verba, abundate in omnino opere bono ſcientes, quod labor veſter non inanis in Domino* &c. ergo de omni opere bono nullum eſt inane, id eſt ſine mercede, & quidem vitæ æternæ. *Proponenda eſt vita æterna tamquam merces ..... & nihil ipſis juſtificatis deeſſe credendum, ut illis operibus*

[1] *ſeſs.6.c.*10 [2] 2.*cor*.6. [3] *Ibid.*

ribus, quæ in Deo facta ſunt pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam vere promeruiſſe cenſeantur. Vides Concilium loqui de omnibus operibus bonis in Deo factis; imo id probat ex Scriptura citata, quatenus promittit Deus potum aquæ frigidæ datum minimo ex ſuis mercede non cariturum, & quod *momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur*. Denique cum definit, (1) *juſtitiam confirmari, & augeri coram Deo per bona opera, & juſtos debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem, ſi bene agendo -- - uſque in finem perſeveraverint*. Nam nihil limitat ad opera vel ferventiora, vel remiſſiora, quam ſit gratia habitualis, quam habent.

Prob. 4. ex SS. Patribus. Nam inquit Cyprianus, (2) *tot ſunt veſtræ laudes, quot dies, quot menſium vincula, tot incrementa meritorum*. Et Chryſoſt. (3) *ſi certa eſt merces gemituum, & lacrymarum, conſidera, quanta ſit retributio conferenda*. Et Aug. (4) *multa ſunt dona, & alia aliis clariora, & aliquando alter eſt fructuoſus donis paucioribus, ſed potioribus, alter inferioribus, ſed pluribus, & quemadmodum inter ſe vel conſequentur, vel diſtinguentur in accipiendis æternis honoribus, quis hominum audeat judicare?* &c. Et S. Proſper: (5) *per laborem operis, per inſtantiam ſupplicationis, per exercitia virtutum fiunt incrementa meritorum*; ergo & præmiorum. Et S. Bernar. *qui multa patiuntur, gaudeant ... quia quo plura ſuſtinent pro Chriſto, eo copioſior merces manet apud ipſum.*

Prob. 5. ratione: quia ſi pro actu, qui de ſe eſſet meritorius duorum graduum gratiæ, habens gratiam ut ſex nihil acciperet propter intenſiorem gratiam præexiſtentem, ſequeretur 1. quod habens plura merita non haberet majus præmium; nam qui poſt acceptos illos ſex gradus per actum charitatis intenſum ut ſex repeteret eoſdem actus, ſed remiſſiores, v. g. ut duo, vel tria per 10. annos, non haberet majus præmium gratiæ, nec gloriæ, quam qui eodem tem-

[1] *Can.* 24. & 16. [2] *Ep.* 26.
(3) *Ho.* 10. *Matth.* (4) *de S. Virgin.* 46.
(5) *de vocat.*

tempore ſtatim moreretur. 2. pejoris conditionis eſſet, qui haberet majorem gratiam, quam qui minorem quoad facultatem merendi, & prior gratia intenſa eſſet impedimentum merito intenſioris; ſed utrumque conſ. eſt abſurdum, & falſum; ergo & abſurdum eſt, gratiam intenſam ut ſex non augeri per actum charitatis remiſſum, v. g. ut duo. Prob. maj. nam habens gratiam ut unum, vel duo, poſſet facilius habere actum charitatis remiſſum ut duo, vel tria, quam intenſum ut ſex, vel ſeptem; ſed habens gratiam ut ſex nihil obtineret prǽmii per actus mille remiſſos ut duo, vel tria; ſed iſte haberet plura merita, & non majorem gratiam, & præcedens gratia impediret augmentum ſuum; ergo &c.

Confir. Nam puer, qui ex opere operato in baptiſmo, & confirmatione accepiſſet gratiam valde intenſam, æquaret, aut ſuperaret in præmio gratiæ, aut gloriæ adultum, qui toto vitæ decurſu conſervaſſet gratiam baptiſmalem per actus remiſſiores virtutum; & ille ipſe puer per totum vitæ decurſum, qui non eliceret actus virtutum intenſiores gratia illa in ſacramentis accepta, nullum ex iis præmium acciperet: Et S. Magdalena v. g. quæ ab initio converſionis multum dilexit, & ideo remiſſionem multorum peccatorum, & multam gratiam obtinuit, forte per reliquum vitæ decurſum nihil amplius accepit; quia forte non elicuit actus intenſiores, quam primos, & quam primam illam gratiam: & denique perfectio primorum actuum eſſet cauſa, cur poſteriores paulo minus perfecti carerent præmio; ſed hæc omnia ſunt abſurdiſſima; ergo &c.

Prob. 6. Peccator, qui per actum enormiſſimum, & ut octo committit alium remiſſum, v. g. ut quatuor, majorem pœnam demeretur, & accipiet. Item qui moritur cum 20. peccatis mortalibus ut 4. gravius punietur, & magis ardebit in inferno, quam qui moritur cum uno atroci ut 8. ergo ita eſt de actibus virtutum in ordine ad præmium.

Hæc adeo clara ſunt, ut contraria opinio videatur aliquibus erronea, ſed ego abſtineo a cenſura.

Objic. 1. ex Scriptura. Reprehenduntur tepidi, & qui non faciunt lucrum duplicando talenta, & commune

mune eſt axioma apud SS.PP. quod *in via Dei non progredi regredi eſt*: ſed qui remiſſiores actus eliciunt, quam ſit gratia, tepeſcunt, & non duplicant talenta, nec progrediuntur; ergo nihil merentur per actus remiſſiores.

Reſpondeo neg. min. nam tepiditas illa non conſiſtit in actibus remiſſioribus, ſed in ceſſatione ab exercitio virtutis, & in defectu circumſtantiarum requiſitarum ad opera ſancta. Ideo dicitur de illo Epiſcopo Epheſino, qui arguitur tepiditatis, quod *charitatem primam reliquit*. Et de Sardienſi, quod *opera ejus non erant plena coram Deo*, ſc. non plene circumſtantionata. Et ideo invitatur ad pœnitentiam.

Reſpondeo 2. argumentum nimis probare: nam probat eos, qui remiſsius agunt, quam ſit gratia, non ſolum nihil mereri, nec bene operari, ſed potius peccare, & demereri. Nam Scriptura minatur tepidum evomere, & ſervum non fœnerantem ejici jubet Dominus velut inutilem, & infidelem in tenebras exteriores: & Epiſcopos Epheſi, & Sardis hortatur ad pœnitentiam; ergo ſupponit eos peccare, quod eſt extra hypotheſin quæſtionis hujus. Idem patet de axiomate Patrum. Qui enim operatur remiſſius, non conſervaret priorem gratiam, ſed amitteret paulatim, & ideo peccaret potius, quam bene ageret.

Inſtabis. Actus remiſſiores habitibus iſtos corrumpunt; ergo qui operantur remiſſiores actus, quam ſit gratia, iſtam potius minuunt, quam augeant; & in via Dei non progrediuntur, ſed regrediuntur.

Reſp. neg. ant. nam intelligitur vel de corruptione habituum infuſorum, vel acquiſitorum: ſi de infuſis, iſti non deperduntur niſi demeritorie; ſi de acquiſitis, non corrumpuntur niſi per actus contrarios, quales non ſunt actus remiſſiores virtutum, de quibus loquimur.

Inſt. 2. Actus remiſſiores opponuntur privative intenſioribus; ſed hæc oppoſitio ſufficit, ut habitus minuantur vel demeritorie, vel phyſice: ergo nulla ſolutio.

Reſpond. neg. min. nam ſi omiſſio talium actuum non eſt peccatum præciſe, & ſecundum ſe, ita nec productio eorum; ſed potius favet tum meritorie, tum

tres, ut Cyprianus: *tot ſunt veſtræ laudes, quot dies, quot menſium curricula, tot incrementa meritorum*. Igitur quod homo iuſtus creſcere poſſit in gratia in immenſum, non pro inconvenienti habemus, ſed pro conſolatione.

Objic.2. Sequeretur, quod remiſſe agens per continuationem, ſeu durationem longiorem æquaret, aut etiam ſuperaret in gratia agentem ferventiorem, qui breviori tempore viveret; ſed hoc abſurdum eſt; ergo & quod ſtatim ſingulis operibus remiſſis retribuatur gratiæ augmentum.

Reſp.neg.min.quid enim in hoc abſurdi, quod diutius perſeverans, & laborans æquale, vel majus, ceteris paribus, præmium conſequatur? & certe ſi hoc eſſet inconveniens, dicendum eſſet, quod nequidem in fine vitæ daretur illis æquale, aut majus præmium gratiæ, & gloriæ; vel quod illa merita carerent præmio: nam, quantum ad hoc, idem ſequeretur ex dilatione præmii.

Inſt.Saltem ſequeretur, & meritum, & præmium creſcere in infinitum; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob.maj.nam durare poſſet per aliquod tempus, & pro quolibet inſtanti durationis augeretur meritum, & præmium; ſed inſtantia illa durationis eſſent infinita; ergo & meritum, & augmentum.

Reſp. 1. eandem eſſe difficultatem in ſententia adverſariorum, & ſic retorqueri poſſe argumentum: nam ſive præmium detur ſtatim, ut dicimus, ſive differatur ad inſtans mortis, aut glorificationis, ut illi volunt, ſive augeatur præmium accidentale, vel eſſentiale, ſive non præmientur niſi actus intenſiores, duratio idem operabitur, ut patet.

Reſp.2.neg.maj. & min. prob. nam ſuppoſito quod duratio componatur ex infinitis inſtantibus ſemper diviſibilibus phyſice ſpectata, non ita eſt in moralibus, ubi menſurantur tempora ſecundum partes aliquotas; & ſicut illæ partes temporis etiam proportionales non faciunt niſi unam durationem categorematice finitam, ita nec meritum niſi finitum; ſicut calefactio unius horæ non producit niſi calorem finitum categorematice.

Objic. 3. Sequeretur, quod ſicut merita mortificata reviviſcunt per pœnitentiam, ita peccator reſurgeret

geret ſemper cum majori gratia, quam haberet ante lapſum; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Maj. patet: nam reſurgeret cum tota gratia amiſſa per peccatum, & cum illa, quam mereretur per contritionem, aut ſacramentum. Prob. min. nam ſic conditio peccatoris eſſet melior, quam innocentis, qui nunquam peccavit.

Reſp. 1.neg.maj. nam licet per pœnitentiam juſtificantem reviviſcant merita mortificata, non ſequitur, quod debeat ſtatim reddi gratia; id enim pendet a Dei voluntate, quod eam reddat aut ſtatim, aut aliquanto poſt, vel in fine vitæ, aut nunquam; & ſic conditio peccatoris ſemper erit pejor, quam innocentis.

Reſp.2.data maj. neg.min. & ant. prob. nam ſuppoſito, quod ſtatim reddatur gratia amiſſa, & quod ſic reddatur amplior, quam quæ fuerat ante lapſum, & inde fiat conditio peccatoris pœnitentis melior,quam ejus, qui ſtetit, tamen aliunde fit deterior, nec emolumentum habet ex peccato. Nam 1. ipſa obligatio pœnitentiæ fuit ei laborioſa, & pudenda: 2. poſt remiſſionem culpæ, & reſtitutionem gratiæ remanet aliquis reatus pœnæ temporalis: 3. ex peccatis præteritis remanet inclinatio, & habitus aliquis ad ſimilia peccata, & major difficultas illis reſiſtendi: 4. durante peccato amiſit occaſiones merendi, & augendi gratiam, quam potuiſſet mereri innocens per illud tempus. Quod autem aliunde propter pœnitentiam, & ſacramentum reſurgat cum majori gratia præciſe ex hoc capite non eſt inconveniens.

CONCLUSIO III.

H*Omo juſtus meretur gratiam per actus tam præcepti, quam conſilii*. Eſt communis.

Prob. 1.ex Scoto,[1] qui,ut patet ex definitionibus meriti, quas affert, non exigit, ut actus, qui dicitur meritorius, ſit alias indebitus. *Meritum eſt actus potentiæ liberæ, & ſecundum inclinationem gratiæ elicitus acceptus Deo, ut præmiabilis beatitudine*. Et alibi, *meritum eſt actus ex deliberatione a voluntate elicitus, vel imperatus, moraliter bonus, ex charitate in Deum*

[1] 1.*d*.17.*q*.3.*n*.24.*&* 47.*vel q*.2.*KK*. *&* *LL*.

ſupra decem civitates, quia totidem mnas habet, & alter ſupra 4. tantum, quia non lucratus eſt plures mnas &c.

QUÆSTIO VIII.

Quibus actibus habeatur, & creſcat meritum condignum.

Actus meritorii conſiderari, & eorum valor menſurari, & ponderari poteſt 1. comparative ad gratiam, quæ ineſt operanti; quatenus ſunt in ſua entitate vel remiſſiores, vel intenſiores. 2. comparative ad objectum, quod eſt in ſe præſtantius, vel ignobilius. 3. ad finem extrinſecum, qui eſt etiam nobilior, & eminentior, vel inferior vel pluribus, aut paucioribus motivis virtutum. 4. ad libertatem, ſi operans ſit magis, aut minus indeterminatus, ſeu neceſſitatus ad agendum; v.g. ſi opus eſt de præcepto, vel de conſilio, vel alicujus obligationis, vel puræ ſupererogationis; ſeu meræ facultatis. 5. ad extenſionem, v.g. ad majorem, vel minorem durationem. 6. ad modum tendendi, v.g. ſi ſit cum majori, vel minori conatu, & affectu voluntatis, quod refertur etiam ad intenſionem, & fervorem actus. 7. ex quantitate rei oblatæ. 8. ad difficultatem, vel facilitatem operis. 9. ad dignitatem operantis. Et quæritur, an ex his omnibus creſcat meritum; & maxime, an creſcat in ordine ad augmentum gratiæ per actus remiſſiores ipſa gratia jam obtenta, & præexiſtente: v.g. an per actum charitatis intenſum ut duo poſſit augeri gratia ut quatuor, & an cum proportione acquiratur major gloria. Quid probabilius videatur, breviter de ſingulis aperiemus. Ut ab hoc ultimo incipiamus.

Suppono, nullam determinatam intenſionem requiri in actibus juſtorum ad rationem meriti, ſuppoſitis aliis conditionibus. Unde abſolute loquendo, & preciſe ab omni intenſione gratiæ præexiſtentis omne meritum quantumvis remiſſum poteſt mereri premium gloriæ, & gratiæ ad eam diſponentis. Nam ex nulla Scripturæ, vel Conciliorum, vel Eccleſiæ, aut Patrum, & rationum determinatione apparet neceſſitas limitandi talem intenſionem.

Cum-

Cum inteſio actus abſolute poſſit eſſe major, & major quaſi in infinitum verſus maximum, & minor quaſi in infinitum verſus minimum, non debet ſine gravi fundamento aſſeri nova ulla conditio meriti apud Deum, qualis eſſet iſta limitatio intenſionis, aut remiſſionis. Reſtat ergo difficultas de intenſione, aut remiſſione actus meritorii reſpective, ſeu comparative ad gratiam, & habitum præexiſtentem: & quæritur, an ut illi debeatur præmium apud Deum, debeat ſuperare, vel ſaltem æquare gratiam præexiſtentem ſimul cum augmento, quod ſupponitur acquirendum per hos actus.

CONCLUSIO I.

M*Eritum, & gratia, & gloria ipſa augetur per omnes actus etiam remiſſiores, cæteris paribus, & poſitis aliis conditionibus meriti condigni*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia *cum quodcumque meritum mereatur (ut credo) augmentum gratiæ, quia aliquem determinatum gradum gloriæ* &c. Et id probat ratione infra, [2] quia, inquit, *ſi iſte ſic remiſſe agens non habeat majorem gratiam per opus ſuum, quam ille dormiens, in quo ſalvatur gratia ſine tali opere; non tamen fruſtra iſte agit, nec in nullo excedit illum, qui dormivit, imo per illud, quod egit, dignus eſt æterno aliquo bono, quo non eſt dignus ille, qui dormivit*; ergo cuique bono operi meritorio quantumcumque remiſſo reſpondet aliquod augmentum præmii gratiæ, & gloriæ ex Scoto.

Prob. 2. ex Script. nam 1. parabola Mnarum, & Talentorum non ſolum præmiatur ſervus, qui facit 10. Mnas augmenti, & uſuræ, ſeu qui ſuperavit, aut æquavit gratiam, quam habebat; ſed etiam qui æquavit, aut remiſſius operatus eſt; & qui ex 5. lucratus eſt alia quinque. 2. Scriptura nuſquam exigit intenſiorem actum, quam ſit habitus; ut cum legimus de converſis, & juſtificatis, [3] *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*,

[1] 4.d.21.q.7.F.7.
[2] d.22.H.7. [3] Ro.6.

nem, non primam, quam jam habebant, ſed ſecundam, ſeu in augmentem ſanctitatis acquiſitæ, ut explicat Trident. [1] *id eſt per obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa juſtitia per Chriſti gratiam accepta cooperante fide bonis operibus creſcunt, atque magis juſtificantur* &c. Vides, non exigi nec a D. Paulo, nec a Patribus Concilii niſi bona opera ad augmentum gratiæ, quod magis patet ex his ejuſdem verbis: [2] *Qui parce ſeminat, parce & metet*. Et, *qui adminiſtrat ſemen ſeminanti*, *id eſt*, *bona temporalia, ut fiant eleemoſynæ, multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locupletati omnibus abundetis*; ergo quantuncumque exigua ſint opera, pro menſura eorum retribuitur merces, & augmentum gratiæ. Si parca ſit eleemoſyna, exiguam habebis mercedem. *Erogando pecuniam auge juſtitiam*, ait Auguſt. *vide quid minuatur, quidve augeatur, minuitur pecunia, juſtitia augetur*, &c. ſc. augetur iſta gratia pro menſura diminutionis pecuniæ. 3. hoc clarius patet, cum dicit; *unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*; ergo pro exiguo labore, & bono opere accipiemus augmentum mercedis, ſeu gratiæ, & gloriæ proportionatum. Certe quid minus dari poteſt Deo, quam potus aquæ frigidæ? & tamen non erit ſine mercede.

Prob. 3. ex Concil. Trid. cit. nam, ut dicebamus, docet fideles juſtificatos creſcere, & magis juſtificari in præmium bonorum operum indefinite, non autem id limitat ad ſola opera intenſiora. 2. id patet etiam ex doctrina, quam tradit de contritione dicens, quod ſi charitate formata ſit, hominem juſtificat: Certe ſi de illius intenſionis menſura nihil determinat pro 1. gratia, multo minus id limitari debet de intenſione ejus, vel aliorum operum pro 2. gratia. 3. idem notatur ad eum locum, [3] in quo Concilium jubet, *juſtificatis proponenda eſſe Apoſtoli verba, abundate in omnino opere bono ſcientes, quod labor veſter non inanis in Domino* &c. ergo de omni opere bono nullum eſt inane, id eſt ſine mercede, & quidem vitæ æternæ. *Proponenda eſt vita æterna tamquam merces* ..... *& nihil ipſis juſtificatis deeſſe credendum, ut illis operibus*

[1] *ſeſs.6.c.*10 [2] 2.*cor.*6. [3] *Ibid.*

ribus, quæ in Deo facta ſunt pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam vere promeruiſſe cenſeantur. Vides Concilium loqui de omnibus operibus bonis in Deo factis; imo id probat ex Scriptura citata, quatenus promittit Deus potum aquæ frigidæ datum minimo ex ſuis mercede non cariturum, & quod *momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur*. Denique cum definit, (1) *juſtitiam confirmari, & augeri coram Deo per bona opera, & juſtos debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem, ſi bene agendo -- - uſque in finem perſeveraverint*. Nam nihil limitat ad opera vel ferventiora, vel remiſſiora, quam ſit gratia habitualis, quam habent.

Prob. 4. ex SS. Patribus. Nam inquit Cyprianus, (2) *tot ſunt veſtræ laudes, quot dies, quot menſium vincula, tot incrementa meritorum*. Et Chryſoſt. [3) *ſi certa eſt merces gemituum, & lacrymarum, conſidera, quanta ſit retributio conferenda*. Et Aug. (4) *multa ſunt dona, & alia aliis clariora, & aliquando alter eſt fructuoſus donis paucioribus, ſed potioribus, alter inferioribus, ſed pluribus, & quemadmodum inter ſe vel conſequentur, vel diſtinguentur in accipiendis æternis honoribus, quis hominum audeat judicare?* &c. Et S. Proſper: (5) *per laborem operis, per inſtantiam ſupplicationis, per exercitia virtutum fiunt incrementa meritorum*; ergo & præmiorum. Et S. Bernar. *qui multa patiuntur, gaudeant ... quia quo plura ſuſtinent pro Chriſto, eo copioſior merces manet apud ipſum*.

Prob. 5. ratione: quia ſi pro actu, qui de ſe eſſet meritorius duorum graduum gratiæ, habens gratiam ut ſex nihil acciperet propter intenſiorem gratiam præexiſtentem, ſequeretur 1. quod habens plura merita non haberet majus præmium; nam qui poſt acceptos illos ſex gradus per actum charitatis intenſum ut ſex repeteret eoſdem actus, ſed remiſſiores, v. g. ut duo, vel tria per 10. annos, non haberet majus præmium gratiæ, nec gloriæ, quam qui eodem tem-

[1] *Can.* 24. & 16. [2] *Ep.* 26.
[3) *Ho.* 10. *Matth.* (4) *de S. Virgin.* 46.
(5) *de vocat.*

tempore ſtatim moreretur. 2. pejoris conditionis eſſet, qui haberet majorem gratiam, quam qui minorem quoad facultatem merendi, & prior gratia intenſa eſſet impedimentum merito intenſioris; ſed utrumque conſ. eſt abſurdum, & falſum; ergo & abſurdum eſt, gratiam intenſam ut ſex non augeri per actum charitatis remiſſum, v. g. ut duo. Prob. maj. nam habens gratiam ut unum, vel duo, poſſet facilius habere actum charitatis remiſſum ut duo, vel tria, quam intenſum ut ſex, vel ſeptem; ſed habens gratiam ut ſex nihil obtineret prçmii per actus mille remiſſos ut duo, vel tria; ſed iſte haberet plura merita, & non majorem gratiam, & præcedens gratia impediret augmentum ſuum; ergo &c.

Confir. Nam puer, qui ex opere operato in baptiſmo, & confirmatione accepiſſet gratiam valde intenſam, æquaret, aut ſuperaret in præmio gratiæ, aut gloriæ adultum, qui toto vitæ decurſu conſervaſſet gratiam baptiſmalem per actus remiſſiores virtutum; & ille ipſe puer per totum vitæ decurſum, qui non eliceret actus virtutum intenſiores gratia illa in ſacramentis accepta, nullum ex iis præmium acciperet: Et S. Magdalena v. g. quæ ab initio converſionis multum dilexit, & ideo remiſſionem multorum peccatorum, & multam gratiam obtinuit, forte per reliquum vitæ decurſum nihil amplius accepit; quia forte non elicuit actus intenſiores, quam primos, & quam primam illam gratiam: & denique perfectio primorum actuum eſſet cauſa, cur poſteriores paulo minus perfecti carerent præmio; ſed hæc omnia ſunt abſurdiſſima; ergo &c.

Prob. 6. Peccator, qui per actum enormiſſimum, & ut octo committit alium remiſſum, v.g. ut quatuor, majorem pœnam demeretur, & accipiet. Item qui moritur cum 20. peccatis mortalibus ut 4. gravius punietur, & magis ardebit in inferno, quam qui moritur cum uno atroci ut 8. ergo ita eſt de actibus virtutum in ordine ad præmium.

Hæc adeo clara ſunt, ut contraria opinio videatur aliquibus erronea, ſed ego abſtineo a cenſura.

Objic. 1. ex Scriptura. Reprehenduntur tepidi, & qui non faciunt lucrum duplicando talęnta, & com-

mune

mune eſt axioma apud SS.PP. quod *in via Dei non progredi regredi eſt*: ſed qui remiſſiores actus eliciunt, quam ſit gratia, tepeſcunt, & non duplicant talenta, nec progrediuntur; ergo nihil merentur per actus remiſſiores.

Reſpondeo neg. min. nam tepiditas illa non conſiſtit in actibus remiſſioribus, ſed in ceſſatione ab exercitio virtutis, & in defectu circumſtantiarum requiſitarum ad opera ſancta. Ideo dicitur de illo Epiſcopo Epheſino, qui arguitur tepiditatis, quod *charitatem primam reliquit*. Et de Sardienſi, quod *opera ejus non erant plena coram Deo*, ſc. non plene circumſtantionata. Et ideo invitatur ad pœnitentiam.

Reſpondeo 2. argumentum nimis probare: nam probat eos, qui remiſsius agunt, quam ſit gratia, non ſolum nihil mereri, nec bene operari, ſed potius peccare, & demereri. Nam Scriptura minatur tepidum evomere, & ſervum non fœnerantem ejici jubet Dominus velut inutilem, & infidelem in tenebras exteriores: & Epiſcopos Epheſi, & Sardis hortatur ad pœnitentiam; ergo ſupponit eos peccare, quod eſt extra hypotheſin quæſtionis hujus. Idem patet de axiomate Patrum. Qui enim operatur remiſſius, non conſervaret priorem gratiam, ſed amitteret paulatim, & ideo peccaret potius, quam bene ageret.

Inſtabis. Actus remiſſiores habitibus iſtos corrumpunt; ergo qui operantur remiſſiores actus, quam ſit gratia, iſtam potius minuunt, quam augeant; & in via Dei non progrediuntur, ſed regrediuntur.

Reſp. neg. ant. nam intelligitur vel de corruptione habituum infuſorum, vel acquiſitorum: ſi de infuſis, iſti non deperduntur niſi demeritorie; ſi de acquiſitis, non corrumpuntur niſi per actus contrarios, quales non ſunt actus remiſſiores virtutum, de quibus loquimur.

Inſt. 2. Actus remiſſiores opponuntur privative intenſioribus; ſed hæc oppoſitio ſufficit, ut habitus minuantur vel demeritorie, vel phyſice: ergo nulla ſolutio.

Reſpond. neg. min. nam ſi omiſſio talium actuum non eſt peccatum præciſe, & ſecundum ſe, ita nec productio eorum; ſed potius favet tum meritorie, tum

tum phyſice. Suppono autem, poſitionem talium actuum nec ſecundum entitatem, nec ſecundum intenſionem eſſe præceptam, nec debitam, alioqui omiſſio illorum, & carentia, ſeu negatio intenſionis eſſet peccatum.

Objic. 2. Habitus acquiſitus non augetur per remiſſiores actus; ergo nec infuſus per meritum remiſſius.

Reſp. neg. ant. nam Philoſophi meliores, & Scotiſtæ putant, habitum acquiſitum augeri per actus etiam remiſſiores ejuſdem naturæ.

Reſp. 2. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia augmentum habitus acquiſiti fit per virtutem phyſicam actuum, & non poteſt virtus remiſſior, & imperfectior agere in virtutem intenſiorem, & perfectiorem. Non ita eſt de actibus reſpectu habitus infuſi, in quem actus illi non agunt phyſice, ſed moraliter moventes Deum ad infundendum, vel augendum habitum, ſive ſint intenſiores, ſive remiſſiores. Cauſa phyſica tendit ad aſſimilandum ſibi paſſum formaliter, aut virtualiter; moralis autem tendit ſolum ad demerendam ſibi perſonam, cui ſervit, & a qua ſperat præmium.

CONCLUSIO II.

S*Alva Scoti auctoritate probabilius eſt, augmentum gratiæ dari ſtatim poſito merito*. Eſt controverſia inter Scotiſtas.

Dico (*ſalva Scoti auctoritate*) nam videtur ſatis clare in contrarium inclinare: ut cum dicit, [1] *videtur, quod augmentum debitum meritis Deus reſervet uſque ad inſtans mortis*: Et infra: [2] *nec tamen per quodcumque meritum augetur ſtatim gratia, nec habens plura merita eſt ſemper in majori gratia*; quia ſc. augmentum, quod debetur meritis remiſſioribus, differtur uſq; ad inſtans mortis, ut dixerat ſupra. Tamen, ut notāt inſignes Scotiſtę, ut Maſtrius, & Hiquęus hic, n. 37. non eſt abſolute aliena ab ejus mente, quia ibi non loquitur aſſertive, ſed ex ſuppoſitione ſententiæ antiquorum, qui dicebant, gratiam non augeri per actus remiſſos, &c.

Prob. autem ex Concilio Trid. cit. [3] docente, *juſtos*

[1] 4. *d.* 21. *F.* 10. [2] 2. *d.* 22. *G.* 9.
[3] *ſeſſ.* 6. *c.* 10.

ſtos renovari de die in diem, & creſcere in accepta juſtitia per bona opera, quibus fides comparatur, et implentur præcepta; ergo Concilium loquitur indifferenter de omnibus bonis operibus, quibus implentur præcepta (nam hæc implentur etiam per remiſſiores actus) & docet, juſtos de die in diem, & de præſenti per illos actus, & per merita nova renovari, *euntes de virtute in virtutem*. Et certe gratis omnino detorquent quidam hæc verba ad ſola opera intenſiora.

Prob. 2. quia etiam gratis, & ſine ulla neceſſitate differtur præmium meritorum tam remiſſorum, quam intenſorum; nam intenſiora, & remiſſiora ſunt ejuſdem ſpeciei; ergo tam remiſſiora, quam intenſiora ſtatim præmium gratiæ accipiunt. Ant. patebit ſolutione objectionum.

Confirmatur. Nam ſi eſſet ratio differendi, maxime ut expectarentur majores diſpoſitiones, & magis proportionatæ toti gratiæ augendæ; ſed hæc ratio nulla eſt; ergo &c. Probatur min. 1. quia ſic ne inſtanti quidem mortis adeſſet aliquando major illa diſpoſitio, ut ſi brevi poſt elicitum illud meritum remiſſius moreretur juſtus; tunc enim vel meritum illud careret omni præmio, vel iſtud præmium daretur cum illa improportionata diſpoſitione; ergo &c.

Objic. 1. Si ſtatim conferretur illud augmentum, homo in hac vita creſceret ad gratiam immenſam, & maxime in perſonis religioſis, quæ continue, & facilius habent tales actus, & redderentur adhuc faciliores ea proportione, qua creſceret gratia; ſed conſ. eſt falſum; nullus enim experitur in ſe tantam gratiam, nec tantam facilitatem; ergo non ſtatim accipiunt augmentum gratiæ.

Reſp. neg. min. nam 1. idem dici poteſt de augmento gratiæ per actus intenſos. Nam ſicut viri perfecti, & ferventes poſſunt ſemper proficere per actus intenſiores; ita & creſcere in gratiam immenſiorem uſque ad ſummam. 2. ſupponit objectio, quod habitus infuſi, & ſupernaturales dant facilius agere, ut naturales dant, quod falſum eſt; quia dant ſimpliciter agere, & ad ſubſtantiam actuum, non autem pure quoad modum. 3. quod pro inconvenienti objiciunt adverſarii, pro conſolatione annuntiant SS. Pa-

tres,

tres, ut Cyprianus: *tot ſunt veſtræ laudes, quot dies, quot menſium curricula, tot incrementa meritorum*. Igitur quod homo iuſtus creſcere poſſit in gratia in immenſum, non pro inconvenienti habemus, ſed pro conſolatione.

Objic.2. Sequeretur, quod remiſſe agens per continuationem, ſeu durationem longiorem æquaret, aut etiam ſuperaret in gratia agentem ferventiorem, qui breviori tempore viveret; ſed hoc abſurdum eſt; ergo & quod ſtatim ſingulis operibus remiſſis retribuatur gratiæ augmentum.

Reſp.neg.min.quid enim in hoc abſurdi, quod diutius perſeverans, & laborans æquale, vel majus, ceteris paribus, præmium conſequatur? & certe ſi hoc eſſet inconveniens, dicendum eſſet, quod nequidem in fine vitæ daretur illis æquale, aut majus præmium gratiæ, & gloriæ; vel quod illa merita carerent præmio: nam, quantum ad hoc, idem ſequeretur ex dilatione præmii.

Inſt.Saltem ſequeretur, & meritum, & præmium creſcere in infinitum; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob.maj.nam durare poſſet per aliquod tempus, & pro quolibet inſtanti durationis augeretur meritum, & præmium; ſed inſtantia illa durationis eſſent infinita; ergo & meritum, & augmentum.

Reſp. 1. eandem eſſe difficultatem in ſententia adverſariorum, & ſic retorqueri poſſe argumentum: nam ſive præmium detur ſtatim, ut dicimus, ſive differatur ad inſtans mortis, aut glorificationis, ut illi volunt, ſive augeatur præmium accidentale, vel eſſentiale, ſive non præmientur niſi actus intenſiores, duratio idem operabitur, ut patet.

Reſp.2.neg.maj. & min. prob. nam ſuppoſito quod duratio componatur ex infinitis inſtantibus ſemper diviſibilibus phyſice ſpectata, non ita eſt in moralibus, ubi menſurantur tempora ſecundum partes aliquotas; & ſicut illæ partes temporis etiam proportionales non faciunt niſi unam durationem categorematice finitam, ita nec meritum niſi finitum; ſicut calefactio unius horæ non producit niſi calorem finitum categorematice.

Objic. 3. Sequeretur, quod ſicut merita mortificata reviviſcunt per pœnitentiam, ita peccator reſurgeret

geret

geret ſemper cum majori gratia, quam haberet ante lapſum; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Maj. patet: nam reſurgeret cum tota gratia amiſſa per peccatum, & cum illa, quam mereretur per contritionem, aut ſacramentum. Prob. min. nam ſic conditio peccatoris eſſet melior, quam innocentis, qui nunquam peccavit.

Reſp. 1. neg. maj. nam licet per pœnitentiam juſtificantem reviviſcant merita mortificata, non ſequitur, quod debeat ſtatim reddi gratia; id enim pendet a Dei voluntate, quod eam reddat aut ſtatim, aut aliquanto poſt, vel in fine vitæ, aut nunquam; & ſic conditio peccatoris ſemper erit pejor, quam innocentis.

Reſp. 2. data maj. neg. min. & ant. prob. nam ſuppoſito, quod ſtatim reddatur gratia amiſſa, & quod ſic reddatur amplior, quam quæ fuerat ante lapſum, & inde fiat conditio peccatoris pœnitentis melior, quam ejus, qui ſtetit, tamen aliunde ſit deterior, nec emolumentum habet ex peccato. Nam 1. ipſa obligatio pœnitentiæ fuit ei laborioſa, & pudenda: 2. poſt remiſſionem culpæ, & reſtitutionem gratiæ remanet aliquis reatus pœnæ temporalis: 3. ex peccatis præteritis remanet inclinatio, & habitus aliquis ad ſimilia peccata, & major difficultas illis reſiſtendi: 4. durante peccato amiſit occaſiones merendi, & augendi gratiam, quam potuiſſet mereri innocens per illud tempus. Quod autem aliunde propter pœnitentiam, & ſacramentum reſurgat cum majori gratia præciſe ex hoc capite non eſt inconveniens.

CONCLUSIO III.

H*omo juſtus meretur gratiam per actus tam præcepti, quam conſilii*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto,[1] qui, ut patet ex definitionibus meriti, quas affert, non exigit, ut actus, qui dicitur meritorius, ſit alias indebitus. *Meritum eſt actus potentiæ liberæ, & ſecundum inclinationem gratiæ elicitus acceptus Deo, ut præmiabilis beatitudine*. Et alibi, *meritum eſt actus ex deliberatione a voluntate elicitus, vel imperatus, moraliter bonus, ex charitate in Deum*

[1] 1. *d.* 17. *q.* 3. *n.* 24. & 47. *vel q.* 2. *KK.* & *LL.*

Deum relatus, *ſpecialiter ipſi Deo acceptus*; *tanquam dignus præmio reddendo*: Sed omnia hæc conveniunt actibus aliunde præceptis æque, ac operibus de conſilio, vel ſupererogationis; ergo per utroſque poteſt juſtus mereri.

Prob.2. ex Scriptura: nam Chriſtus (1) cuidam interroganti, *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* reſpondet, *in lege quid ſcriptum eſt?* dicit ille: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. replicat Chriſtus: *Recte reſpondiſti*: *hoc fac*, *& vives*. Item alias dicebat: *Si vis ad vitam ingredi*, *ſerva mandata*. Et cum dilectionem inimicorum præciperet, addidit, *& erit merces veſtra multa nimis*. Item, *beatus vir*, *qui potuit tranſgredi*, *& non eſt tranſgreſſus*, ſcilicet mandata; ſed illi omnes actus ſunt de præcepto legis naturæ, & poſitivæ; ergo per actus præceptos meremur præmium.

Prob.3. Nam, ut dicebam, conditiones omnes meriti conveniunt actibus tam de præcepto, quam de conſilio; ergo &c. Ant.patet ex diſcurſu per ſingulas.

Objic. 1. Satisfactio condigna non poteſt fieri per opera præcepta, nam fieri debet ex alias indebitis; ergo nec meritum.

Reſp.neg.conſ. nam ſatisfactio eſt actus *ſtrictæ juſtitiæ*, & non aliud exigit, quam ut reddatur æquivalens debito, & ex proprio: non ita eſt de merito, quod non eſt de juſtitia ſic rigoroſa. Item cum ratio completiva meriti pendeat ex Dei acceptatione, Deus poteſt acceptare opera tam aliunde præcepta, & debita, quam non præcepta; & de facto ſic acceptat, ut patet ex Scriptura citata; regulariter vero non ita eſt de ſatisfactione.

Reſp.2.neg.ant. quia Deus poteſt acceptare ſatisfactionem ex alias debitis; alioqui nulla eſſet poſſibilis inter nos, & Deum. Quid enim habemus, vel facere poſſumus, quod mille aliis titulis non debeamus, vel debere poſſimus, vel quod exigere a nobis non poſſit, ſi vellet, v.g. titulo ſupremi dominii, & creationis, & redemptionis? &c.

CON-

(1) *Luc.* 16.

CONCLUSIO IV.

M*Ajor, aut minor intenſio, ſeu major, aut minor conatus, & fervor voluntatis, ſeu actus meritorii auget, vel minuit valorem meriti, vel magnitudinem intenſivam præmii. Idem præſtat major difficultas operis ſuperata, & major intenſio gratiæ influentis, & major continuatio operis, & actus.*

Prob. 1. ex Scoto docente, (1) actum ſumere intenſionem, & perfectionem ſuam tum ex conatu potentiæ, tum ex concurſu habitus. Nam intenſio attribuitur duabus cauſis; & potentiæ quidem ex majori, vel minori conatu, habitui autem ſemper æqualiter, quantum eſt de ſe ſcilicet voluntas, cum ſit libera, modo agit intense, modo remiſſe; habitus vero agit ut cauſa naturalis, & determinata; ideo, quantum eſt de ſe, & idem manens ſemper eodem influxu agit; ergo ex Scoto perfectio, & meritum creſcit ex majori conatu voluntatis, & influxu gratiæ, quæ influit per modum habitus, imo & dignificat actum.

Prob. 2. quoad 1. 2. & 3. p. ex dictis de bonitate morali actuum humanorum; nam certum eſt ex omnium conſenſu, eam creſcere ex omnibus illis circumſtantiis.

Prob. quoad ultimam p. ex Scoto ſæpius citato, maxime cum docet, attritionem, quæ aliquandiu durat, mereri de congruo gratiam, qua formatur, & fit contritio. 2. quia Scriptura, & Patres docent, quod quiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem; ſed labor major eſt, ſi diu durat, quam ſi parum; ergo &c. Unde S. Cyprianus ſic ſcribit (2) ad SS. Confeſſores: *ad faſtigia celſiora mora ipſa paſſionis aſcenditis, longoque temporum ductu glorias veſtras non trahitis, ſed augetis.* 3. quia actus bonus continuatus per horam v. g. æquivalet quatuor actibus unius quadrantis. Item oratio, quæ longior, cæteris paribus, & ſine diſtractione eſt Deo gratior, & efficacior, eo eſt laudabilior, ſicut eſt minus grata Deo, & minus efficax, ſi eſt interrupta, & inſtabilis. 4. quia non poteſt opus bonum diutius durare ſine majori conatu, & fervore; ergo ſicut meritum

(1) 1. *d.* 17. *q.* 3. *n.* 9. *vel q.* 2. *V.* (2) *Ep.* 16.

tum creſcit ex majori conatu, & fervore, ita & ex longiori continuatione, & perſeverantia. 5. in eadem continuatione, & perſeverantia intervenit etiam pugna, & victoria ex multis difficultatibus, & tentationibus, quæ ingruunt; ergo ſicut actus ab initio, & in prima ſui productione fit melior moraliter, ita & in continuatione.

Dixi autem (*gratiæ influentis*) per quod deſignatur tam actualis, quam habitualis; & de actuali intelligitur illud Concilii Arauſic. *debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant*. Et Trident. (2) *cum Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent* &c. Nam ex his ſequitur, quod ſicut gratiæ habitualis, & actualis conſtituunt opera in ratione meriti; ergo & major gratia facit ad majus meritum: ergo & ad majus præmium.

Objic.con.4. par. Si ex continuatione creſceret meritum, iſtud eſſet infinitum; ſed conſ. eſt falſum, id enim ſoli merito Chriſti convenit; ergo &c. Prob. maj. actus bonus pro uno inſtanti eſt meritorius ut unum v. g. & pro duobus eſt meritorius ut duo, ſaltem ex hoc capite; ſed in duratione unius quadrantis horæ ſunt infinita inſtantia durationis; ergo & infiniti gradus meriti, &c.

Reſp. 1. ut ſupra neg. maj. & ad probationem dico, calculationem iſtam in moralibus non valere, ut in phyſicis: nam ad meritum ſic multiplicandum requiritur, ut ad ſingula inſtantia, & momenta interveniant totidem volitiones, & advertentiæ, & totidem uſus libertatis, ſaltem virtualiter; & ſic calculatio debet fieri per partes determinatas, non autem per proportionales, & indeterminatas; ideo neganda eſt min. 2. argum.

Reſp. 2. diſt. maj. eſſet infinitum ſyncategorematice, con. categorematice, neg. maj. & min. ſicut ergo tempus continuationis non includit infinita inſtantia categorematice, ita nec infinitum valorem categorematice: in infinitate autem ſyncategorematica meriti

(1) *can.* 18. *Seſſ.* 6. *c.* 16.

riti non eſt majus inconveniens, quam in magnitudine cubitali hominis.

Objic. 2. Si crearetur Angelus ab æterno cum actu meritorio, iſte actus haberet durationem actu infinitam; nam per nos meritum creſcit ex duratione; ergo meritum talis Angeli eſſet infinitum; ſed conſ. eſt abſurdum, & falſum; ergo melius eſt dicere, meritum non creſcere ex duratione. Prob. ſeq. ant. nam in duratione æterna ſunt infinitæ horæ, & dies, & menſes, & anni; ergo &c.

Reſpondeo neg. min. nam admiſſa duratione infinita, & diviſibili, & poſſibilitate intenſionis infinitæ, nihil vetat admittere infinitum; poſſibilitatem vero talis æternitatis, & intenſionis negamus in Philoſophia.

Objic. 3. Si ex majori duratione actus boni creſceret meritum, omiſſio actus præcepti demereretur majorem, aut minorem pœnam, prout actus omiſſus plus, aut minus deberet durare; v. g. omiſſio actus implendi intra horam creſceret ad demeritum duplo majus demerito omiſſionis operis implendi per ſemihoram; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam ſicut actus habet ſuam bonitatem ſubſtantialem ſuæ entitati reſpondentem, ita & accidentalem reſpondentem ſuæ durationi; ſic & omiſſio; & qua proportione creſcit, vel decreſcit meritum operis, ita & demeritum omiſſionis.

Objic. 4. Actus magis durans, & actus minus durans differunt accidentaliter; ergo actui magis duranti non debetur præmium ſubſtantiale, ut eſt gratia, & gloria, ſed accidentale; nam præmium debet proportionari merito.

Reſp neg. min. nam fit æquivocatio in verbis *Subſtantiale*, vel *accidentale*, & in verbis *accidentaliter*, vel *ſubſtantialiter* differret, & pro eodem ſumi videntur, quæ diverſiſſima ſunt. Præmia actuum magis, & minus durantium differunt accidentaliter, licet ſpecie, ſeu in ſubſtantia non differant; & ſic utraque merentur præmium eſſentiale, ſed inæquale.

Quæres 1. *qua proportione creſcat meritum ad gratiam pro majori intenſione actus. An ſc. proportione Arithmetica gradus ad gradum, an vero Geometrica.*

Reſp. ut jam dictum eſt, gratiam non augeri niſi

cum proportione geometrica cum intenſione actus: nam eadem eſt ratio, quam adduximus ſupra de præmio ad gratiæ augmentum. Nam ſicut prima gratia non datur juxta arithmeticam, ſeu phyſicam æqualitatem; ita nec augmentum ejus juxta rigoroſam intenſionem, vel alias circumſtantias, ex quibus creſcit valor operum, & maxime quia meritum,& præmium principaliter fundantur in pacto divino, quo Deus acceptat pro ſua liberalitate, & ſimul cum ſua juſtitia opera noſtra in ordine ad præmium.

Quæres 2. *An etiam creſcat meritum ex ipſa executione operum, an vero tantum menſuretur ex ſola voluntate interna, ſeu ex ſolo affectu.*

Reſp. etiam creſcere ex ipſa executione operis externi.

Ratio patet ex dictis in tr.de actibus humanis. Nam actus externus auget bonitatem, vel malitiam actus interni voluntatis: ergo & meritum inde creſcit, ſicut & demeritum.

Confir. Nam in executione ſunt ſæpe majores difficultates ſuperandæ; requiritur major labor, major duratio, major affectus, & conatus &c. ergo & inde creſcit meritum, ſemper tamen dependenter ab actu interno.

DISPUTATIO VIII.

De reviviſcentia meritorum.

QUamvis reviviſcentia meritorum poſſit conſiderari ut effectus pœnitentię, & de illa tractari, & diſputari ſoleat ubi de pœnitentia, ut fecit Doctor: tamen quia eſt etiam effectus immediatior gratię reconciliantis, ideo, ut hic tractatus ſit completior, hanc diſputationem hic annectere viſum eſt.

QUÆSTIO I.

An merita per peccatum mortificata per gratiam reconciliantem reviviſcant.

INter hominis opera 1. quædam ſunt *viventia*, ſc. bona opera, quæ fiunt in ſtatu gratiæ, & propter Deum, & apud illum merentur vitam æternam. 2. quædam ſunt *mortua*, ſc. bona illa, quæ fiunt in ſtatu peccati mortalis, nec quidquam proſunt ad meritum vitæ æternæ (niſi forte de congruo, quando fiunt ex gratia actuali, & ſunt ſupernaturalia) quia non proficiſcuntur ex principio vitæ ſpiritualis. 3. alia ſunt *mortificata*, quæ quidem fuerunt viventia, & meritoria vitæ æternæ; ſed interventu peccati mortalis, & eo durante ſuſpenditur, & impeditur eorum effectus, ne proſint ad vitam æternam. 4. alia *mortifera*, ut peccata gravia, quæ vitam auferunt gratiæ, & jus ad gloriam, & ideo dicuntur peccata mortalia. 5. alia *vivificata*, quæ mortificata fuerunt ſtante peccato, & per gratiam reconciliatricem iterum revixerunt.

Porro ſupponimus ex communi Theologorum ſenſu, & ut certiſſimum, quod omnia merita per adventum peccati mortalis mortificantur, ita ut, niſi homo reconcilietur Deo per gratiam ſanctificantem, nihil profutura ſint ei ad vitam æternam, ſi moriatur in eo ſtatu. Sed quæritur, an in caſu talis reconciliationis per pœnitentiam, non ſolum vi virtutis gratiæ, aut ſacramenti reviviſcant omnia merita, quæ amiſerat, & quæ mortificata fuerant per peccatum, imo & an recuperet priorem gratiam amiſſam, dum novam recipit.

CONCLUSIO I.

PEccata per pœnitentiam remiſſa non reviviſcunt unquam, bene vero merita per peccatum mortificata. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Dico, quod Deus diſpoſuit peccata pœnitentis per pœnitentiam eſſe tecta ſecundum*

[1] 4. d. 22. E. 5.

Auguſtinum exponentem illud pſalmi : Beati , quorum remiſſæ ſunt iniquitates , & quorum tecta ſunt peccata , id eſt non amplius videri ad vindictam , &c. *Et ideo de potentia ordinata non poteſt redire obligatio nec ad eandem pœnam , nec eadem , poſtquam eſt extincta* ..... Et cum illi objicitur, quod opera mortificata reviviſcunt, reſpondet : *dici poſſet uno modo, quod hæc eſt ſuperabundans bonitas , & miſericordia Dei , quod bona ſemper vivunt in ejus acceptatione , bona , inquam , meritoria, & ſemper eſſet eis præmium retribuendum , niſi eſſet indiſpoſitio recipientis propter novam culpam , ſed mala totaliter extinguuntur* , &c. Addit aliam rationem petitam ex juſtitia , &c. Vide illum textum .

Prob. 2. 1. p. ex Scriptura , & Patribus . Nam , ut dicebamus cum Scoto poſt S. Auguſtinum , cum dicitur , *beati , quorum tecta ſunt peccata* , id ſignificat illa poſt remiſſionem non amplius videri ad vindictam . Et apud Ezech. [1] *in quacumque hora impius egerit pœnitentiam , iniquitatum ejus non recordabor* , ſc. ad vindictam . Et infra , *impietas impii non nocebit ei , in quocumque die converſus fuerit ab impietate ſua* , &c.

Confir. ex Patribus . Nam inquit Gelaſius Papa, [2] *divina clementia dimiſſa peccata in ultionem ulterius redire non patitur* . Et S. Proſper , *qui recedit a Chriſto, & alienus a gratia finit hanc vitam , quid niſi in perditionem cadit ? Sed non in id , quod remiſſum eſt , recidit* , &c. Quod etiam patet ex Auguſt. citato .

Prob. 3. quia Scriptura, & Patres loquentes de condonatione , & remiſſione peccati per gratiam juſtificationis , loquuntur abſolute ; ergo ita intelligendi ſunt , non autem conditionate , ſc. modo non relabatur juſtificatus , & quamdiu perſeverabit in accepta gratia &c. Nam ſi peccata redirent per relapſum , priora non dimitterentur , niſi ſub conditione non relabendi .

Confir. ex S. Hieron. [3] verſante illud Gal. 3. *tanta paſſi eſtis ſine cauſa* &c. *Quicumque ob Chriſti fidem laboraverit , & poſtea lapſus fuerit in peccatum , ſicut priora ſine cauſa paſſus dicitur fuiſſe , dum peccat , ſic rurſum non perdat ea , ſi ad priſtinam fidem, & antiquum*

[1] *Ezech.17. & 23.* [2] *de pœnit.d.4. c. divina.*
[3] *in Malach.c.3.*

quam ſtudium revertatur, &c. ergo per converſionem, & juſtificationem redeunt antiqua merita quoad jus ad præmium.

Prob 4. Nam,ut dicebamus ex Doctore,cum peccatum remittitur adulto, id fit ex quadam juſtitia. Peccator ſibi imponit pœnam hoc ipſo, quod pœnitet, & ſolvit aliquam pœnam temporalem voluntariam; pœnitere enim eſt pœnam tenere, & hanc pęnam temporalem Deus acceptat ex pacto pro pœna æterna,quam decreverat per peccatum: imo & judex, ſeu Confeſſarius imponit illi pęnam temporalem ſatisfactoriam; ergo hac utraque pęna ſoluta, Deus ſaltem de lege ordinaria non poteſt facere, ut reviviſcant priora peccata quoad reatum culpæ, nec pęnæ,nec Deus habet amplius jus ullum ad vindictam.

Cõfir.Nam *non judicabit Dominus bis in idipſum*, [1] quod ſic explicat S. Cyprian. [2] *neque enim bis in idipſum judicat Deus,ſed impœnitentes ipſe judicat, & damnat, pœnitentes verò, quia a ſeipſis ſuſcipit judicatos abſolvit;neque judicio, quod pœnitentiæ humanæ ſeveritas protulit, aliquid juſtitia cęleſtis apponit*, & ſic explicant eum locum Theologi communiter: Vulgata autem legit, *non conſurget duplex tribulatio* .... & infra: *afflixi te,& non affligam ultra*; ſed ſi peccata ſemel dimiſſa redirent per relapſum, bis judicaret Deus priora, & iterum affligeret pro illis, & duplicem inferret tribulationem, & pœnam pro eiſdem; ergo &c.

Confir. ex Trident. nam cum dixiſſet, quod *poſt baptiſmum nova efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes*, addit, [4] quod *ad eam novitatem, & integritatem etiam per ſacramentum pœnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire non poſſumus*; ergo per hæc duo ſacramenta habetur plena, & integra remiſſio peccatorum, non pure ex clementia, & ſimplici largitate, ſed ſimul ex quadam juſtitia, & mediante pęna, quam exigit Dei juſtitia; ergo ſi poſt juſtificationem redirent eadem peccata quoad pęnam, aut culpam, bis ea judicaret, & puniret Deus.

Prob. 2. ex Script. cit. qua Deus promittit, quod non recordabitur iniquitatum impii pœnitentis, &

[1] *Nahum*.1. [2] *ſer.de paſſ.* [3] *ſeſſ*.14.c.2.

quod impietas ejus non nocebit ei: niſi enim merita reviviſcerent, viderentur adhuc vivere peccata, privando illum mercede. 2. e contra recordabitur meritorum; nam ſic dicitur ad Hebræos: [1] *Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ejus*: & quod nihil boni facimus inutiliter, ſi convertamur; [2] *tanta paſſi ſine cauſa, ſi tamen ſine cauſa*: & quod reddet nobis ea, quæ peccatum abſtulerat: [3] *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, & Brucus, & Rubigo*, ideſt, non patiar perire ubertatem ſpiritualium, quam animi perturbationibus perdidiſtis.

Prob. 2. ex Trid. quod ex cit. Apoſt. verbis ſic loquitur: [4] *Hac ratione juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba, abundate in omni opere bono ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino; non enim injuſtus eſt Deus*, &c. Per hæc ultima verba ſignificat, quod Deus ex juſtitia poſt reconciliationem peccatorum recordatur bonorum, quæ fecerant homines ante peccatum æque, ac ſi non peccaſſent, ſive gratiam conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint; ergo &c.

Prob. 3. *Deus reddet unicuique ſecundum opera ejus*; [5] ergo bona opera facta in gratia debent redire. Prob. conſ. niſi redirent ad præmium, Deus non redderet illis ſecundum omnia bona opera; nam non redderet ſecundum merita, quæ per 10. aut 20. annos ante lapſum homo juſtus forte operatus eſt, niſi reviviſcant merita in ordine ad præmium, innumera bona opera ſine præmio manebunt.

Objic. 1. con. 1. p. Oramus Deum, ne meminerit iniquitatum noſtrarum antiquarum, [6] & e contra petimus aliquando, ut in memoriam redeat iniquitatum alterius, imo *& patrum ejus*, & quod *peccatum matris ejus non deleatur*. Item in parabola debitorum legitur eum, qui non dimiſerat conſervo ſuo, revocatum ad tribunal, & debitum illi dimiſſum revixiſſe ad reſtitutionem rigoroſam, & inde poſita lex, quod *ſic Pater faciet vobis, ſi non remiſeritis*, &c. ergo peccata dimiſſa reviviſcunt.

Reſp.

[1] *Heb. 6.* [2] *Gal. 3.* [3] *Joel. 2.*
[4] *Seſſ. 6. c. 16.* [5] *Matth. 25.* [6] *pſ. 78.*

Reſp. neg. conſ. nam per hos, & ſimiles textus habetur quidem, quod peccata dimiſſa redeant, aut remaneant quoad debitum ſatisfactionis, & pœnæ temporalis, non quoad reatum pœnæ æternæ; & Deus gravius punit poſteriora peccata, quaſi reviviſcerent priora; nam poſteriorum gravitas creſcit ex circumſtantia ingratitudinis, ut in ſervo hujus parabolæ, cui dimiſſa ſunt innumera debita, & noluit dimittere conſervo leviſſimum.

Objic. 2. Debita, & obligationes relaxatæ ſub aliqua conditione implenda poſſunt reviviſcere defectu implendæ conditionis: v. g. ſi quis vovit peregrinationem, & hæc ei relaxatur, modo largiatur ſcutum pauperibus, ſi hoc non fecit, non erit ſolutus voto, ſed redibit obligatio; ergo ita eſt de peccato. Deus remittit peccata ea conditione, ut non recidat; ſed ſi peccat iterum, reviviſcunt priora; *vade, & noli amplius peccare, ne tibi deterius contingat*: ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia vota, & obligationes non tam dimittuntur, quam commutantur; & ideo non ceſſant, donec commutatio tota impleatur utrinque. Non ita eſt de peccatis, quę per gratiam penitus delentur quoad maculam, & reatum pœnæ æternæ, ut patet ex Script. cit. quæ loquitur abſolute, & ſine conditione, & per gratiæ inhærentiam intrinſecam, ſuppoſita ſyncera penitentia; nec conſtat de alia conditione ad deletionē iſtam, quam de ſyncera pœnitentia, & confeſſione debita.

Inſt. Si quis hodie abſolvatur ab excommunicatione ea conditione, ut intra menſem aliquid faciat, & poſt menſem id non fecerit, redit excommunicatio; ergo & peccatum, cui annexa eſt cenſura. Ant. patet ex omnium conſenſu; prob. conſ. nam excommunicatio ſupponit peccatum.

Reſp. diſt. conſ. ſi peccatum non fuit vere remiſſum pro foro interiori, con. ſi fuit remiſſum, neg. conſ. & ſimiliter diſt. anteced. probat. ſupponit peccatum quo, & quando incurritur, con. quando tollitur cenſura, neg. ant. nam 1. ex omnium pariter conſenſu poteſt dimitti peccatum manente cenſura, & viciſſim tolli poteſt cenſura manente peccato. 2. poteſt Prælatus, qui fert cenſuras, & eas tollit, apponere conditiones, quas Deus non poſuit ad remiſ-

ſionem peccati; nullam enim poſuit præter converſionem, ſeu pœnitentiam debitam, *quoties ingemuerit peccator*, &c. 3. Cenſura poteſt annecti peccato novo inobedientiæ, quam committit non implens opus præceptum ab eo, qui abſolverat.

Objic. 3. Peccatum poſt remiſſionem, ſeu relapſum gravius eſt, quam ante, nam hoc poſterius habet annexam ingratitudinem; ergo meretur, ut priora redeant.

Reſp. dato ant. neg. conſ. nam ſufficit, quod relapſus gravius puniatur pro gravitate circumſtantiarum, abſque eo quod redeant dimiſſa. An autem poſteriora ſint ſemper graviora, non eſt hujus loci. Sæpe fiunt cum inadvertentia ad illam circumſtantiam ingratitudinis.

Objic. 4. Merita per peccatum ſubſequens ſunt tantum mortificata, & ideo reviviſcunt; ergo & peccata per gratiam poſſunt eſſe tantum tecta, & per nova reviviſcere. Prob. conſ. nam contrariorum eadem eſt diſciplina, & ſic ſe habent mala ad pęnam, ſicut bona ad præmium.

Reſp. neg. conſ. & ratio diſparitatis patet ex dictis. Nam peccata per pęnitentiam ſunt utcumque punita, & per gratiam deleta juxta pactum Dei judicata; merita vero non ſunt adhuc præmiata juxta pactum divinum. Hoc argumentum, & reſponſio faciunt pro utraque parte concluſionis.

Objic. 1. con. 2. p. ex Script. *Si averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ illius non recordabuntur*: ergo tam delentur merita, ut non redeant, quam peccata.

Reſp. neg. conſ. nam ant. intelligitur tantum de homine, quamdiu manet averſus a ſua juſtitia, ſed recordabuntur ſtatim, ac converſus redierit ad juſtitiam.

Inſt. Homo per peccatum fit indignus omni dono Dei; ergo & ut merita ſua redeant. Prob. conſ. nam converſio non facit, quin peccaverit; ergo nec facit, ut merita redeant.

Reſp. diſt. ant. omni dono, quamdiu eſt peccator, con. quamdiu non eſt peccator, neg. ant. & conſ. nam converſio licet non faciat, quin peccaverit, facit tamen, ne pęccatum noceat amplius; quia Deus illud

illud per judicium remiſit ex aliquali juſtitia æque, ac ex clementia: ita eſt de merito, pro quo non accepit homo præmium condignum.

Objic. 2. In damnatis extincta ſunt merita; ergo & in peccatoribus, nam utrobique eſt eadem cauſa extinctionis, ſcil. peccatum. Prob. ant. nam ſi per Dei potentiam abſolutam damnatus reſuſcitaretur, & juſtificaretur, non reviviſcerent merita, quæ habebat ante damnationem.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus: & diſparitas eſt, quia damnati ſunt in termino, & inutilis eſt illa vita, ſeu exiſtentia meritorum: ideo per damnationem in inferno penitus extinguuntur. Non ita eſt de peccatore in ſtatu viæ, & ideo utile eſt homini, quod exiſtant licet ſuſpenſa, & mortificata.

Objic. 3. Opera mortua non reviviſcunt; ergo nec mortificata; nam peccatum, quo mortua ſunt, & illud, quo mortificantur, æqualia ſunt, & ejuſdem rationis.

Reſp. neg. conſ. nam quæ dicuntur mortua, nunquam vixerunt, nec ullum jus habent ad gloriam, non fuerunt merita, bene vero mortificata.

Inſt. Qui habens multa merita peccat, non minus privatur jure ad beatitudinem, quam qui exiſtens in peccato bene agit; ergo per peccatum ſuperveniens meritis, quæ mortificantur, non minus extinguitur jus ad omne præmium, quam pro operibus mortuis.

Reſp. neg. maj. & conſ. nam ille non abſolute, & irreparabiliter amittit jus, quod per illa merita habebat ante peccatum; ſed ſolum impeditur, & ſuſpenditur, ſed pro his, quæ operatur in ſtatu peccati, nullum tale jus obtinet. Ille privatur tantum jure proximo ad beatitudinem, & retinet adhuc remotum; & per pœnitentiam recuperat proximum; iſte vero ſicut neutrum habuit, ita neutrum recuperat per pœnitentiam.

Objic. 4. Merita illa vel redirent omnia, vel tantum aliqua; ſed neutrum dici poteſt: ergo nulla redeunt. Prob. min. non omnia, alioqui rediret etiam tota gratia amiſſa, quod falſum eſt. 2. non aliqua, quia eadem eſt ratio de omnibus.

Reſp. neg. min. nam omnia redeunt: ad probationem de gratia videbimus infra: interim neg. ſeq. quia

vel eſt ſermo de gratia data ſine merito, & hanc Deus ubi ſemel dedit gratis, non tenetur bis dare: vel de gratia data ex meritis, & hanc etiam non tenetur iterum dare, nec bis præmiare: aliud eſt de jure ad gloriam, & de gloria, quæ eſt pręmium eſſentiale.

QUÆSTIO II.

An reviviſcentia meritorum ſit ex ſola Dei clementia, an vero etiam ex juſtitia.

SUpponimus ex dictis, meritum de condigno exigere apud Deum præmium vitæ æternæ ex aliquali juſtitia, non quidem rigoroſa commutativa, qualis eſſe debet inter homines, ſed minus rigoroſa, quæ ſemper admixtum aliquid habet de miſericordia, & liberalitate, qualis eſt diſtributiva. Et ideo quæritur, an ex puræ, & ſtrictæ juſtitiæ lege Deus teneatur remunerare hominis juſtificati merita, quæ fuerant per peccatum ſuſpenſa, & mortificata; an vero ex pura miſericordia, & liberalitate id faciat; an ex utraque virtute ſimul?

CONCLUSIO.

R*Eviviſcentia meritorum mortificatorum eſt opus non ſolius juſtitiæ, nec ſolius miſericordiæ, ſed utriuſque ſimul*. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Dici poſſet uno modo, quod hæc eſt ſuperabundans bonitas, & miſericordia divina, quia bona ſemper vivunt in acceptatione ejus, bona, inquam, meritoria, & ſemper eſſet eis præmium retribuendum, niſi eſſet indiſpoſitio recipientis propter novam culpam* &c..... *quamvis hoc ſit dictum bene in commendationem miſericordiæ divinæ; tamen poteſt reduci aliquo modo ad juſtitiam ..... poſt meritum aliquod vita æterna dignum, dignitas iſta ad bonum æternum commutatur ſecundum juſtitiam in bonum temporale. Igitur nunquam expirat illud jus, quouſque bonum æternum ſit ſolutum; ſed illud non ſolvitur in viatore, dum eſt viator; ergo ſemper manet illud.*

[1] *Ibid. T. 7.*

lud jus : tamen quando eſt extinctum per peccatum mortale, tunc non competit ſibi executio juris : ergo reviviſcentia meritorum mortificatorum non eſt ſolius miſericordiæ, ſed etiam juſtitiæ opus, ex Scoto.

Prob.2. de miſericordia. Nam juſtificatio ipſa eſt ex miſericordia; ergo & reviviſcentia meritorum, quę ex illa ſequitur. *Quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*. Prob. ant. 1. ex Scriptura: [1] *In miſericordia vivificabis me*. Item, *ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit*. Item, *ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos*, &c. 2. ex Patribus; nam inquit Auguſtinus; *pium eſt credere, quod cum Dei gratia in homine deſtruxerit mala priora, etiam remunerat bona, cum deſtruit, quod ſuum eſt* (ſc. hominis) *diligit bonum, quod in illo plantavit* : uno verbo 1. juſtificatio fit per gratiam, quæ eſt opus miſericordiæ, & quæ eſt principium omnis meriti; ergo & 2. per quam redeunt merita mortificata.

Confir. Poſſet enim Deus, ſi vellet, non conſervare ulla hominis merita, ſed ea delere penitus, ex quo cadit in peccatum; & id faceret abſque omni injuria: poſſet nolle ei reconciliari, ſicut non reconciliatur illis, qui poſt peccatum moriuntur, & damnantur. Cui enim Deus debitor eſt? ſed tunc nihil ei prodeſſent propria merita; ergo reviviſcentia hæc meritorum eſt ex Dei miſericordia infinita.

Prob. 2.p. ex dictis. Nam meritis juſtorum debetur gloria, ut diximus, & conſtat ex Scriptura; [2] *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* : ergo ex juſtitia redeunt merita, donec compenſata fuerint. Prob. conſ. quod ex pacto debetur, quandiu non eſt ſolutum, vivit obligatio proxima, vel remota ex juſtitia; ſed gloria debetur meritis ex pacto, & nondum eſt ſoluta, licet deſit conditio ad executionem ſolutionis, & non deeſt conditio illa ſtatim, atque ceſſat peccatum; ergo ex tunc ſolutio debetur ex juſtitia; ergo ex eadem juſtitia redeunt merita.

Confir. ex Apoſtolo cit. in præcedenti: *non enim eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*; ergo cenſet, quod Deus ex juſtitia recordatur bonorum

R 6 ope-

[1] *Pſ.* 118. [2] *Matt.* 19.

operum. Item alibi dicit, *bene operantibus repoſitam eſſe coronam juſtitiæ*; ergo hæc corona debetur ex juſtitia, donec fuerit data ſublato impedimento; ſed impedimentum tollitur ſublato peccato; ergo ſublato peccato redit meritum.

Dices, hæc nimis probare, nam eadem argumenta valerent pro damnatis.

Contra. Nam damnati ſunt extra ſtatum viæ, & per damnationem penitus extinctum eſt jus illud, non vero quandiu homo eſt viator.

Hinc reſultat veritas, & probatio totius concluſionis, ſcil. quod hic reditus meritorum non ſit opus ſolius miſericordiæ, nec ſolius juſtitiæ, ſed utriuſque. Nam ſi Deus ſtatuiſſet abſolute, quod per peccatum mortale extingueretur omne jus, & meritum in peccatore (certe id potuit, & quidem ex jure ſuo, & juſte) tunc nulla merita reviviſcerent, quod autem non eo rigore juris ſui uti voluerit, ſed ſtatuerit, ut nullum bonum opus irremuneratum maneret juſtis, & reconciliatis, miſericordiæ opus eſt; & per conſequens quod merita ſic reviviſcant per pœnitentiam, & gratiam reconciliatricem ex eo capite. Aliunde vero quod ſuppoſito illo ſtatuto, & lege, idem Deus de facto, & in executione permittat illa ſic reviviſcere in ordine ad premium gloriæ æternæ, opus eſt juſtitiæ. Nam Deus tenetur ex quadam juſtitia legibus ſuis, & pactis, & promiſſis; ergo hæc reviviſcentia eſt opus utriuſque virtutis. In hoc *miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi; juſtitia, & pax oſculatæ ſunt:* & hic maxime verum eſt, quod *univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*.

Objic. 1. Omni merito debetur præmium ex juſtitia, ceſſante impedimento actionis; ſed opera, de quibus loquimur, erant vera merita, & per peccatum advenit tantum ſuſpenſio, & impedimentum agendi, ſeu exigendi præmium; quia per peccatum creditor, ſeu homo evadit inimicus; ergo ex juſtitia pura redeunt merita.

Reſp. d. min. ſi ſuſpenſio, & non extinctio ſtatuta ſit ex juſtitia, & ſi ceſſet ſuſpenſio, & impedimentum independenter a gratia debitoris, conc. ſi quod merita non extinguantur, ſed tantum ſuſpendatur jus actionis, & quod impedimentum tollatur, & ſic

redeat

redeat jus actionis, veniat ex gratia Dei, neg. min. & conſ. nam Deus potuit ex juſtitia utendo jure ſuo ſtatuere, ut per peccatum mortale penitus extingueretur omne meritum, & poſſet non dare gratias reconciliatrices, nec adjutrices, ſine quibus peccator non poteſt a peccato reſurgere, & tollere impedimentum, ſeu peccatum ſuſpendens jus ad actionem pro præmio exigendo, & ideo intervenit magna miſericordia in iſto reditu.

Inſt. Licet converſio, & juſtificatio peccatoris ſit ex miſericordia; tamen ea ſuppoſita, reditus meritorum eſt ex juſtitia ſola; ergo reditus iſte eſt ex ſola juſtitia.

Reſp. neg. conſ. nam reditus meritorum fundatur in juſtificatione peccatoris, & reditu gratiæ, & utrumque reditum includit, ideo eſt opus utriuſque virtutis. Et præterea quod remaneat cum peccato jus ad præmium, & quod ſolum jus ad actionem ſuſpendatur, id fuit ex Dei clementia, ut dicebamus.

Inſt. 2. illud præmium, quod reſervatur poſt reconciliationem, datur ex juſtitia, vel ex pura gratia: ſi ex juſtitia, ergo nihil ibi operatur miſericordia: ſi ex gratia; ergo non eſt vere merces, nec ex ulla juſtitia.

Reſp. ad ant. illud dari ex utraque virtute ob rationem allatam, & diſt. conſ. ſi ex juſtitia pura, ita ut nulla interveniat gratia, con. conſ. ſi interveniat gratia, nego conſeq. quoad 1. p. & idem dico ad 2. p.

Inſt. 3. Si quod merita redeant, ſeu quod extincta non ſint penitus, venit ex miſericordia; ergo jam non ſunt merita, ſed gratiæ, ſeu dona; ergo non fundant ullum jus ad præmium ex juſtitia petendum.

Reſpond. nego conſequent. nam quod Deus ex bonitate ſtatuerit, ut merita non extinguerentur quoad jus remotum ad præmium, non tollit ab operibus illis rationem meriti, ſed conſervat, & quod ſuppoſito illo jure redeat jus proximum ad exigendum præmium, redeunte gratia, non impedit juſtitiæ influxum in idem opus.

Objic. 2. Si peccatum mortificat merita ex natura rei,

rei, gratia tollit etiam peccatum ex natura rei, & independenter abſlo pacto: Si ex pacto, ergo dum merita redeunt, adhuc operantur ex natura ſua jus ad præmium, quia redeunt ut merita; ergo ex pura juſtitia.

Reſp. neg. ſeq. utriuſque partis ant. primæ quidem; quia ſupponit contrarietatem phyſicam peccati, & gratiæ, quod falſum eſt, ut diximus. 2. vero, quia ſicut opera non ſunt meritoria ex natura rei, & ſine pacto, ſic non redeunt ut merita ex natura rei, ſed ex pacto, ut dictum eſt.

Inſt. Ex natura rei opus bonum in gratia factum exigit proxime præmium a Deo; ergo ex eo inſtanti, quo homo reſurgit ex peccato per juſtificationem, recuperat jus proximum ad præmium, & iſtud ei debetur ex juſtitia. Prob. ant. nam opus malum ex natura rei demeretur proxime pœnam; ergo eodem titulo opus bonum exigit præmium præciſo omni pacto; nam quod debetur ex pacto, non debetur ex natura rei, neque ex juſtitia.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. quidquid ſit de ant. nam bonitas operis fundat quidem meritum, ſed completur in ratione meriti per acceptationem, & pactum Dei, ut probatum eſt ſupra: & neg. etiam rationem conſeq. nam licet acceptatio, & pactum ſit ex miſericordia, & liberalitate Dei; tamen illa ſemel inita, & exiſtente debetur executio: pactum vero, ſeu acceptatio non eſt mere gratuita; quia fundatur etiam in valore operis, & hinc habet aliquid juſtitiæ.

Objic. 1. contra juſtitiam,& pro miſericordia: non datur juſtitia inter Deum, & hominem; ergo reditus meritorum non eſt ex juſtitia, ſed pure ex miſericordia; non enim poteſt Deus debere quidquam homini ex vera juſtitia.

Reſp. 1. diſt. ant. non datur pura, & rigoroſa juſtitia, con. minus rigoroſa, neg. ant. & conſ. non enim aſſerimus juſtitiam rigoroſam, qualis eſt inter æquales.

Reſp. 2. neg. conſ. & prob. ejus. Nam aliud eſt, quod debeat ex aliqua vera juſtitia, quod aſſerimus; aliud, quod ex juſtitia rigoroſa, & ſine omni interventu gratiæ,quod negamus; & patet ex Scriptura citata:

tata:

tata: nam dicitur, quod *retribuit unicuique ſecundum juſtitiam ſuam*: & quod *juſtitia plena eſt dextera ejus*: & quod *juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*: & quod *omnia judicia juſtitiæ ſuæ*: & quod *non eſt injuſtus, ut ut obliviſcatur operis noſtri*.

Inſt. Si merita redirent, hoc eſſet titulo juſtitiæ commutativæ, vel retributivæ; ſed neutrum dici poteſt; ergo reditus ille non eſt ex juſtitia. Prob. min. quia nihil eſt in nobis æquale præmio illi.

Reſp. neg. min. eſt enim ex utroque titulo, licet minus rigoroſæ, & minus puræ juſtitiæ, ſicut & debitum præmii pro veris meritis.

Objic. 2. ex Scoto. Quod opus ſit meritorium, venit ex libera, & gratuita Dei acceptatione, non ex juſtitia; ergo & quod redeat poſt peccatum in ratione meriti, eſt ex gratia. Non enim aliter obligat poſt reditum, quam ante mortificationem.

Reſp. diſt. ant. ex Dei acceptatione fundata partim in bonitate operis, con. ex pura acceptatione ſine reſpectu ad bonitatem operis, neg. ant. & conſ. nam inde patet, quod reſpectu ad bonitatem operis fundat aliqualem juſtitiam, & meritum: ſed adveniente acceptatione, & pacto æterno, habet totam rationem meriti, & fundat veriorem juſtitiam. Ita eſt de reditu ejuſdem meriti.

Inſt. Si Deus non præmiaret illa merita mortificata, & rediviva, non faceret injuſtitiam, ergo id non debet ex juſtitia.

Reſp. diſt. ant. abſolute loquendo, & præciſo pacto, con. ſuppoſito pacto, neg. ant. & conſ. & id conſtat ex verbis ſæpe citatis Apoſtoli: *non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*; potuiſſet quidem aliter ſtatuere; ſed poſito quod ſic ſtatuerit, ſtandum eſt ſtatutis ſuis.

Moneo tamen in hoc opere, ſeu reditu meritorum præcipuam partem habere Dei miſericordiam; quia hæc influit in ipſam exiſtentiam, & conſtitutionem, & reſervationem meriti, & in pœnitentiam, & reſurrectionem, ſeu reconciliationem peccatoris per gratias actuales, & per ſanctificantem; ipſumque pactum majori ex parte gratuitum eſt, ut patet ex dictis.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An merita reviviſcant quoad totam gratiam perditam, & totum ius antiquum.

QUando juſtus peccat mortaliter, amittit totam gratiam ſanctificantem, quam habebat tam ex ſacramento, quam ex operibus operatis ſive in ſacramento, ſive poſtea, & in ſtatu juſtitiæ acceptæ. Sic cum reconciliatur, & reſurgit a peccato, recipit novam gratiam tum ex vi ſacramenti, tum intuitu propriarum diſpoſitionum, v. g. attritionis, aut contritionis, charitatis &c. Et quærimus, an cum hac gratia nova reddatur etiam nobis antiqua illa, & quidem tota, ſcilicet tam quæ habebatur ex præcedenti ſacramento baptiſmi v. g. & confirmationis, Euchariſtiæ &c. quam quæ habebatur ex bonis operibus factis in gratia, & meritoriis de condigno.

Certe non videtur eadem ratio ſive de præcedenti gratia, quæ totaliter amiſſa fuerat per peccatum, ſive de gratia accepta ex operibus operatis, ſeu ex ſacramentis, quæ omnino gratis fuerat acquiſita ex ſolis meritis Chriſti, non autem ex noſtris, nec de illius augmento acquiſito per opera noſtra; quia cum hæc opera fuerint meritoria illius augmenti, videtur potius reſtituenda quoad hanc partem, quam quoad illas. Quæritur ergo an tota, vel pars, vel nulla redeat.

Quæſtio etiam procedit de præmio talium meritorum tam eſſentiali, quod eſt gloria æterna, quam accidentali, quod eſt gratia, & augmentum ejus. Quæritur etiam, utrum gratia præterita reddatur ipſo inſtanti reconciliationis, an vero in fine vitæ, ſcilicet tempore glorificationis.

CONCLUSIO I.

PEr juſtificationem peccatoris redeunt merita quoad totum jus, quod habuerunt ad gloriam, & probabiliter quoad ius, ſeu quoad gratiam meritorie acquiſitam. Eſt communior.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto cit. *Habenti bona merita in ac-*

ceptatione divina, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum jus, quod correſpondet illis meritis ad vitam æternam, ſed non remanet actio, quamdiu ille eſt inimicus. Et infra: [1] *Bona merita non poſſunt præmiari ſufficienter per temporalem commutationem, ſc. præmii temporalis pro æterno, nec per conſequens niſi ipſum præmium æternum in ſe ſit collatum, quod numquam fit viatori, & ideo ſemper manet jus ſibi ſalvum ad gloriam, quam acquiſivit per illa merita* &c.

Prob. 2. quoad 1. p. Nam ſi non redirent merita ſecundum jus illud, non redirent in ratione meritorum, quia ratio meriti, de quo loquimur, nempe ad gloriam, conſiſtit in illo jure ad exigendum tale præmium; ſed merita redeunt ut merita; ergo redeunt quoad jus illud. Min. patet ex dictis.

Confir. quia niſi redeant quoad totum jus illud, vix ſalvatur veritas textuum Scripturę, quibus docetur reviviſcentia meritorum per pœnitentiam. Non enim eſt major ratio de una parte juris illius, quam de alia; ergo &c. Prob. ant. præcipuum fundamentum aſſerendi reditum illum eſt textus Apoſtoli, *non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*, &c. ſed non eſt major ratio, cur Deus obliviſcatur unius partis operis, ſeu valoris ejus, quam alterius; ergo &c. Prob. min. hæc ratio, ſi qua eſſet, peteretur vel ex Dei ſtatuto, vel ex parte peccati; ſed ex neutro capite id dici poteſt; ergo ex nullo. Prob. min. 1. non ex ſtatuto Dei, quia nullibi de illo conſtat. 2. non ex peccato; nam illud indiviſibiliter mortificat totum meritum; ergo pęnitentia debet totum reſuſcitare; alioqui deberet dici, quod peccatum mortificat partem unam meriti, quam pęnitentia reſuſcitat, & quoad aliam partem penitus extinguit, illam ſc. quam pęnitentia non reſtituit.

Prob. 2. p. 1. quia eædem rationes, quæ probant reditum juris ad præmium gloriæ, faciunt pro jure ad præmium gratiæ; ergo ſi quoad unum jus redeunt merita, ſic & quoad aliud. Prob. ant. opera non minus habent rationem meriti quoad illas gratias, quam quoad illos gradus gloriæ; nec minus illæ gratiæ debebantur, quam iſta gloria.

Con-

[1] *Ibid. G.* 8.

Confir. Nam Concilium Trident. æque definit, juſtos per bona opera mereri augmentum gratiæ, ac gloriæ; ergo eodem jure debent merita redire quoad unum præmium, quam quoad aliud. Prob. ant. ſic loquitur Concil. [1] *Si quis dixerit, ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam ... atque etiam gloriæ augmentum, Anathema ſit*: ergo tam gratiæ augmentum, & gradus aliqui, quam gloria ipſa debentur meritis mortificatis, & hæc reviviſcunt ad jus utrumque.

Prob. 2. Nam gratia eſt diſpoſitio ad gloriam, & gloria datur pro menſura gratiæ; & jus ad gloriam fundatur in gratia: ergo ſicut redeunt merita ad gloriam, & ad ejus augmentum, ita & ad gratiam ſibi debitam aliquando.

Dixi autem *probabiliter*, nec enim quoad gratiam id mihi videtur adeo certum, ac de jure ad gloriam. Et ratio diſparitatis mihi videtur ſatis probabilis. Nam præmium debetur meritis, donec perſolvatur merenti; quippe ſolutione debiti extinguitur meritum: ſed gratia reſpondens, & debita bonis operibus fuit perſoluta merenti, quando meruit, & eam habuit, quamdiu demeritorie non amiſit per peccatum; ergo amplius non debetur: Hæc, inquam, ratio mihi videtur ſatis bona pro reditu juris ad gratiam, maxime in ſententia illorum, qui putant augmentum gratiæ debitum pro meritis remiſſis ſtatim dari, non autem differri in finem vitæ. Nam apud illos, qui cenſent illud differri in finem vitæ, mihi videtur eadem prorſus ratio, ac de jure ad gloriam, quandoquidem ſemper viget ratio meriti quoad omne præmium nondum retributum.

Dixi 2. *quoad totam gratiam meritorie acquiſitam.* Nam quoad gratiam datam ex vi operis operati, ſeu ſacramenti, & ex meritis Chriſti, uno verbo ſine meritis noſtris, ſed ex pura Dei liberalitate, non videntur valere rationes, ad eas non poteſt redire jus, quod non fuit unquam, ſi prima vice datæ ſunt prorſus ſine meritis, & ſine jure noſtro; ergo & a fortiori quando reconciliamur, poſtquam eas culpa noſtra perdidimus: Diſparitas, inquam, inter has gratias patet ex Scri-

[1] *Seſſ.6.c.32.*

Scriptura: nam inquit Apoſtolus, *ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*: & ,ut diximus ſuprà, meritis debetur præmium tam gratiæ, quàm gloriæ ex aliqua juſtitia; *non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*. Sed gratia ſacramentalis, & juſtificationis non datur ex meritis noſtris, ſaltem condignis, quia *cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus*, &c.

Probabiliter tamen teneri poteſt totam, vel æqualem gratiam perditam, & quomodocumque habitam redire; quia licèt gratia correſpondens ſacramentis, & prima gratia quomodocumque data non ſit ex meritis condignis, & noſtris, datur tamen ex meritis Chriſti, & in adultis ex aliquibus operibus, ac diſpoſitionibus, quibus proportionatur, & ſub hoc reſpectu datur ex meritis congruis, quæ poſſunt reviviſcere. 2. etiam dici poteſt, quòd ex aliquo pacto, & intentione Chriſti merentis,& Dei largientis gratiam non ſolùm prima largitio gratiæ, ſed etiam conſervatio ejus exigitur; & ideò jus ad illam redire poteſt cum aliis meritis. Hoc tamen mihi videtur minùs fundatum.

Objicies 1. con. 1. p. Si rediret jus totum ad gloriam, ſequeretur hominem reſurgere ſemper cum majori jure ad gloriam, quàm cùm cecidit, & quam amiſerat per peccatum; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo &c. Maj. patet: nam homo reſurgeret cum jure novo per gratiam, quam de præſenti reciperet, dum reconciliaretur, & ſimul cum toto illo, quod habebat ante peccatum, & quod reviviſcit. Prob. min. nam haberet emolumentum ex peccato ſuo, ſc. jus magis amplum ad gloriam, & ideò majorem gloriam; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. imò ex peccato plurima, & maxima damna incurrit. 1. diſpendium, & amiſſionem gratiæ, 2. mortificationem, ſeu ſuſpenſionem juris ad gloriam, 3. maculam peccati atrociſſimam, quam paſſus eſt cum debito pœnæ æternæ, 4. incurſum odii Dei pro tota duratione peccati, 5. mortem omnium bonorũ operum, quę facere potuit, 6. mille occaſiones merendi omiſſas &c. Hæc, & ſimilia ſunt maxima damna. Dicendum ergo, quòd homo reportat commodum, non ex peccato, ſed ex pœnitentia.

Objic.

Objic.2. Peccator non reſurgit cum integro jure ad gratiam; ergo nec cum toto jure ad gloriam. Ant. ſupponitur ex dictis, & ex Scoto cit. prob. conſ. nam jus ad gloriam fundatur in jure ad gratiam, & in gratia ipſa, qua fit adoptivus, & hæres Dei.

Reſp. 1. neg. conſ. & diſt. ant. prob. fundatur in gratia tanquam diſpoſitione, qua homo fit capax gloriæ, con. tanquam merito, cui debeatur, & commenſuretur gloria, neg. ant. non enim eſt præmium gratiæ, ſed meritorum, ſeu operum.

Reſp. 2. negari poſſe probabiliter ant. nam tenent multi, quod peccator pœnitens reſurgit cum toto jure gratiæ, ſicut & gloriæ; quod non eſt improbabile, ut mox dicebamus.

Objicies con. 2. p. Si peccator reſurgeret cum toto jure etiam ad gratiam, nullam jacturam pateretur ex peccato; ſed conſequens eſt falſum; & abſurdum; ergo &c. Prob. maj. non ſolum reſurgeret cum omnibus bonis amiſſis, ſed etiam cum novis, ſc. cum novis gratiis, quas haberet per pœnitentiam, & alias virtutes, quibus diſponitur ad juſtificationem; ergo &c.

Reſpondeo 1. neg. ſeq. & ant. prob. nam, ut diximus, multa perdit aliunde, quamvis totam gratiam recuperet.

Reſp. 2. neg. min. nullum enim inde naſcitur inconveniens, vel abſurdum; imo gloria eſt divinæ ſapientiæ, & bonitatis, quod quem ſanat, perfecte ſanet, & nihil fiat diminutum.

Objicies 2. ex Concil. Trident. [1] & Apoſtolo, *in juſtificatione Spiritus S. dividit juſtitiam ſingulis, prout vult, & ſecundum præſentem, & propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*; ſed hoc non eſſet verum, ſi etiam reſtitueret juſtitiam, ſeu gratiam totam præcedentem ſimul cum nova; ergo improbabile eſt redire jus ad totam gratiam amiſſam. Prob. min. nam ſic fieret, ut qui remiſſe peniteret, ſufficienter tamen ampliorem gratiam reciperet in juſtificatione, quam qui intenſiſſime, & per plurimos actus, & opera virtutum; quia ille poſſet recuperare ampliores gratias amiſſas, quam iſte.

Reſpondeo diſt. maj. ſecundum præſentem diſpoſitionem

[1] *Seſſ. 9. c. 7.*

tionem quoad gratiam reconciliatricem, con. quoad alia iura, neg. maj. nec enim de iſtis loquitur Concilium, ſed tantum de gratia reconciliationis, de qua erat ibi quæſtio: hæc autem gratia juſtificationis, quæ commenſuratur diſpoſitionibus præſentibus, tollit impedimentum, & ſuſpenſionem aliorum jurium; & ſic redeunt aliæ gratiæ non intuitu, nec cum proportione ad præſentia opera, ſed ad præcedentia, quæ mortificata erant.

Inſtabis ex Scoto. [1] *Reviviſcunt merita, ſed non reviviſcit primo gratia prius habita, & iſtud eſt ſatis conſonum juſtitiæ; quia prior gratia fuit tantum donum Dei, merita autem erant aliquo modo opera hominis*: & dixerat, quod gratia, quæ datur de præſenti, commenſuratur diſpoſitioni. *Reſurgens habet plura merita in acceptatione Dei, quam habuit, quando cecidit; & ſic ad majorem gloriam ex ea parte ordinatur: ſed non oportet eum in majori gratia reſurgere, quia ſecundum ejus diſpoſitionem in deteſtando peccatum commiſſum intenſe, vel remiſſe datur ſibi nunc major, vel minor gratia*; ergo ex Scoto non reſurgit jus ad gratiam amiſſam.

Reſpondeo neg. conſ. nam ibi Scotus loquitur de prima gratia, & de aliis, quæ dantur virtute ſacramentorum ſine propriis noſtris meritis; & iſtas non putat redire, quia ibi loquitur de reviviſcentia meritorum: quod patet ex ejus ratione, ſc. quia prior gratia, quam putat non redire, fuit tantum donum Dei. Item loquitur de gratia, quæ datur in ipſo inſtanti juſtificationis, & ex vi ſacramenti, ac diſpoſitionum, & de præſenti, non de aliis amiſſis, quæ redduntur ex vi meritorum mortificatorum, quas non negat reddi, ſaltem in fine vitæ, & in ipſa glorificatione: de quo mox.

CONCLUSIO II.

NOn eſt certum, quod gratia reddenda ex reviviſcentia meritorum ſtatim reddatur in ipſo inſtanti juſtificationis; nec quod gratia habita ſine meritis reddatur, ſicut illa, quæ fuerat acquiſita ex meritis: uno verbo utraque pars concluſionis eſt problematica.

Prob.

[1] *Ibid.H.9.*

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] nam quoad 2. p. dicit quidem, quod omnia priora merita vivunt in acceptatione Dei, ſed non reviviſcit prior prius habita, quia hæc fuit tantum donum Dei, merita autem erant aliquo modo opera hominis. Sic ponit aliquam rationem, quare redeant gratiæ habitæ ex meritis, non autem aliæ datæ ſine meritis. Et pro 1. parte dicit, quod per quodcumque meritum non ſtatim intenditur gratia; nec habens plura merita ſemper habet majorem gratiam. Sic videtur inclinare in partem negativam utriuſque propoſitionis; ſed nullibi loquitur aſſertive, ideo relinquit quæſtionem ſub probabilitate, & incertitudine, ut patet ex toto textu, & ideo diviſi ſunt Scotiſtæ, ut videbis apud Fabrum, Vulpem, Maſtrium, & Cardinalem de Laurea, & alios.

Prob. 2. tota concl. & quoad utramque partem: quia nulla auctoritas Scripturæ, aut Eccleſiæ, ac traditionis, nec ulla ratio cogit, aut convincit de alterutra parte, quid dicendum, ut patet ex fundamentis, quibus aſſerentes, vel negantes innituntur.

Prob. deinde per partes. Nam 1. quod non reddatur ſtatim tota gratia perdita, videtur ſuaderi rationibus Scoti: quia ſive gratia cadens ſub meritum reniſſius detur ſtatim, ut probabilius eſſe diximus, ſive differatur uſque ad finem vitæ, ut multis placet, & videtur docere Scotus, non eadem eſt ratio de gratia perdita, quia ſicut principaliter iſtius reditus fit ex liberalitate Dei, ſic pendet ab eo velle illam reddere ſtatim, & in ipſa juſtificatione, vel poſtea: Nec præſens diſpoſitio ad juſtificationem per ſe exigit, ut reddatur nunc talis gratia, ſed tantum ut conferatur illa, quæ de congruo debet ſequi. Nam præſens diſpoſitio nullam connexionem habet cum præcedentibus meritis mortificatis.

Confir. Nam ſi quid urgeret ſtatim reddi gratias perditas, maxime quia ſunt diſpoſitiones gloriæ, quæ illis debet commenſurari; ſed hæc ratio non urget; ergo &c. Prob. min. quia ipſa gloria nondum datur, vel danda eſt; ergo nec illæ diſpoſitiones.

Dices, urgere quia ſunt utiles ad vitanda peccata, & cumulanda majora merita, & ſic ad acquirendam majorem gloriam.

Con-

[1] *Ibid. H. 9.*

Contra. Nam quia per peccatum homo demeruit privationem illarum, ſic rationabiliter poſſet Deus aut differre illarum reſtitutionem, aut prorſus negare in pœnam ingratitudinis: nec par ratio, cur non differat dare ſtatim atque adeſt meritum, bene vero quando reviviſcit; nam nunc non redditur ex juſtitia, ſaltem tanta, ſicut ante quam perderetur per peccatum. Imo ſi plures graves Theologi, ut Scotus, putant illas non ſtatim dari poſt merita, quanto minus debent dicere, eas non reddi ſtatim poſt reditum meritorum?

Contrarium vero ſuaderi poteſt. 1. quia nulla videtur ratio, cur ſuppoſita reviviſcentia meritorum, differatur redditio gratiarum illis correſpondentium; imo potius urget propter earum utilitatem, ut dicebatur. Nam ſicut Deus potuit moveri ad non ſtatim reddendas illas gratias propter peccatum, & ingratitudinem, & abuſus; ſic & moveri potuit ad velle illas ſtatim reddi in ipſa juſtificatione ex utilitate, quam inde percipimus, & bona, quæ ex eis proveniunt, cum e contra dilatæ remaneant quaſi ſuſpenſæ, & inutiles.

Prob. 2. Nam tunc tota gratia debet reddi, quando impedimentum, & cauſa privationis aufertur tota; ſed illa cauſa, & impedimentum totum aufertur in ipſa juſtificatione; ergo &c.

Confir. quia per ipſam pęnitentiam, qua reconciliatur homo, fit charior Deo: ergo Deus ex tunc videtur in eum liberalior, & libentius reddit ei dona perdita. Prob. ant. nam, ex dictis, reddit ei jus ad ampliorem gloriam, & ipſe acquirit per pœnitentiam, & diſpoſitiones ad reconciliationem nova merita, cum novis his virtutibus reviviſcunt vetera cum toto jure ad gloriam; ergo fit charior, & gratior Deo.

Vides ergo utriuſque partis hujus problematis probabilitatem, ſed non certitudinem.

Prob. 2. problema quoad 1. p. ſc. quod non redeat omnis gratia præcedens, ſc. gratia data ſine ullis meritis, v. g. in baptiſmate. 1. quia ex culpa noſtra perdita eſt, ſicut omnino gratis, & ſine ullo merito data fuerat; ergo nihil omnino obligat Deum ad eam de novo dandam; imo potius culpa, & abuſus, & ingratitudo noſtra movere illum debet ad non reddendam (in hanc partem magis inclinat Scotus, ut vidimus)

mus) nam gratia eſt purum donum Dei, ideo nulla ratio cogit, ut reviviſcat; ſed merita ſunt aliquo modo opera noſtra; & ſic dant aliquod jus ad reviviſcentiam, non ſolum quoad præmium eſſentiale, ſed etiam quoad accidentale, ut eſt gratia.

Hæc ratio ſatis eſt probabilis, ſed non convincit; quia licet gratis omnino data ſit, tamen poſtquam ſemel data eſt, facta eſt noſtra æque, ac illa, quæ data eſt ex meritis; ergo tam Deus videtur teneri eam nobis conſervare, & reddere, ſublato obice peccati, quam alias datas ex meritis: dat quippe Deus omnibus *affluenter, & non improperat*; & maxime quia omnes gratię dantur ex meritis Chriſti, in quibus præcipue fundatur jus juſtorum ad dona Dei.

Confir. 1. quia gratia ſacramentalis, & maxime baptiſmalis ſi non datur in ipſo ſacramento propter obicem, datur poſtea ſublato obice; ergo idem videtur dicendum, quando accepta periit per peccatum, ſc. ſublato peccato debet reddi, & maxime quia remanet character, qui dat aliquale jus ad illam.

Probatur 2. quia niſi reſtitueretur aliquando tota gratia perdita, remaneret ipſis beatis æternus dolor tanti detrimenti, ſeu tot theſaurorum gratiæ amiſſæ, quam acquiſierant tantis meritis, & laboribus, quamque amiſerant unico momento, & peccato irreparabiliter.

Probatur 3. Nam gratia ſacramentalis aliquot ſacramentorum datur non tantum in augmentum juſtitiæ, ſed etiam in auxilium ad obeunda miniſteria: v. g. confirmatio, & ordo, & matrimonium cauſant gratias, quibus poſſit ſuſcipiens rite profiteri fidem in occaſionibus, miniſtrare, & ſuſtinere onera, &c. ergo in juſtificatione debent redire illæ gratiæ, & quidem ſtatim, ne ſuo fruſtrentur effectu, & fine.

Hæ etiam rationes ſunt probabiles, ſed non convincunt: Primo quæ dantur ex meritis Chriſti, ut gratiæ ſacramentales, non dantur cum omni jure perſonali Chriſti, ſed prout placet illi eas nobis applicare, non conſtat autem, quod eas voluerit nobis applicari, ut quoties illas amiſerimus peccato, toties eas recuperemus pœnitentia. Et ex parte Dei non patet ex ulla

revelatione, quòd ſic eas voluerit reſtitui, quantumcumque liberaliter voluerit dare.

2. De ſacramento baptiſmi idem eſt. Nam licèt Deus voluerit illam pro ſemel nobis præſtare gratiam, ſc. vel cum actu datur non ponentibus obicem, ſive cum poſtea aufertur obex, nun ſequitur, nec conſtat, quod poſtquam ſemel data eſt, Deus eam velit iterum donare.

3. De aliis gratiis videbimus, quòd quæ conſequuntur characterem, & conferunt ad aliquos actus exercendos, vel ad aliquot miniſteria, vel onera obeunda, ſunt gratiæ actuales, ad quas vel non amittitur jus per peccatum, vel recuperatur per gratiam reconciliantem: de quo aliàs.

Caveamus ergo à peccatis, quibus hic theſaurus nobis eripitur, ne irreparabiliter amittamus.

Ex dictis vides, quo ſenſu dici poſſit, nos reſurgere per pœnitentiam, & juſtificationem ad majorem gratiam, & ad majora merita. Nam 1. poſito, quòd omnia merita reviviſcant, conſtat, quod reſurgimus ad merita, quæ comitantur, & ſequuntur ad juſtificationem, & ſimul ad vetera, quæ fuerant mortificata. 2. Si verò teneas redire ſolas gratias, quæ nobis dantur ex meritis, conſtat etiam, quòd non ſemper reſurgimus ad ampliores gratias: nam fieri poteſt, quod gratiæ datæ ſine meritis, & per ſola ſacramenta ex opere operato, quæque ſupponuntur amiſſæ irrecuperabiliter, fuerint ampliores, quàm illæ, quas habebamus ex meritis, quæ reviviſcunt cum novis, quas recipimus in juſtificatione; & ſic iſtæ ſunt minores, quàm aliæ, quas perdidimus. 3. ſi recuperamus cum gratia juſtificante gratias gratis donatas, & ſacramentales, & augmenta earum data ex meritis, certum eſt, nos reſurgere tunc cum majori gratia, quàm cum cecidimus. 4. denique poſſet fieri, ut gratiæ ſacramentales, & augmenta earum adeò remiſſa fuerint propter diſpoſitiones, & merita valdè remiſſa; fuerint etiam & ipſæ gratiæ remiſſiores, quàm nova gratia juſtificans, & reconcilians propter diſpoſitiones perfectiſſimas, & intenſiſſimas ex concurſu plurium, & eximiarum virtutum; & tunc certum eſt, nos reſurgere ad majorem gratiam, quàm cùm ceci-

dimus : melius tamen eſt nunquam cadere . *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Nam quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſat, & relinquat poſt ſe benedictionem, quantumcunque benignus, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ* &c. Hæc per Dei gratiam de gratia ipſa dicta ſint ad ejus gloriam, B. V.D.P. S.P.Fr. & SS.

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS X.

De virtutibus ſupernaturalibus, ſeu Theologicis, fide, ſpe, & charitate, & donis.

VIRTUTES ſupernaturales, ſeu Theologicæ, ſeu per ſe infuſæ ſunt præcipui effectus gratiæ, imo & inſigniores gratiæ. Ideo earum tractationi locus iſte aſſignatur propter connexionem, quam habent cum aliis illis donis divinis, quales ſunt gratiæ actuales, & habitualis ſanctificans; nam & hæ virtutes ſunt maxima Dei dona.

DISPUTATIO I.

De virtutibus in genere.

ANtequam deſcendamus ad iſtas ſingulas virtutes, videndum breviter de ratione virtutis in genere, in qua cum aliis conveniunt, ut facilius, & melius ſingulas in particulari dignoſcamus.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit virtus, & quotuplex. Quæ ſit ratio ejus conſtitutiva.

VIrtutis nomen variè ſumitur. 1. in Scriptura pro potentia ingenti, & magnis viribus. Sic dicitur *ingens, & potens exercitus cum equitibus, & virtus magna*. Et, [1] *præcinxiſti me virtute ad bellum*. Et Deus dicitur *refugium, & virtus*. [2] 2. ſignificatur operatio mirabilis, & miraculoſa, ut cum legimus, [3] *ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes*. Et, *ſapientia, quæ data eſt illi*, ſc. Chriſto, *& virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur*. Et, [4] *laudate eum in virtutibus ejus*. 3. ſignificat poteſtatem miraculorum. Sic de Joanne dicitur: [5] *Virtutes operantur in eo*. Et, *præibit ante illum*, (ſc. Chriſtum) *in ſpiritu, & virtute Heliæ*. Et de Chriſto, *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Et de Apoſtolis, *Dedit eis virtutem, & poteſtatem* &c. 5. Facultatem naturalem, & proprietates activas ſingulares, ut cùm Sapiens dicebat, [6] *dedit mihi ſcientiam, ut ſciam virtutes elementorum, & virtutes radicum*. Et, *ignis autem virtutis ſuæ oblitus eſt*. 5. ſignificat profeſſionem, artem, ſcientiam agendi: ut; *verus eſt ſermo, quem audivi de virtutibus tuis, & ſapientia tua*. [7] 6. Angeli primi ordinis, & 2. Hierarchiæ dicuntur *Virtutes*. 7. ſignificat quodcumque Dei donum ſupernaturale: ut cùm dicitur, *virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti*. Et, *fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. 8. aliquando dignitatem, ſeu honorem: ut, *honor, virtus, fortitudo Deo noſtro*. Et, *dignus eſt agnus accipere virtutem*, &c. 9. magis communiter, & propriè pro quacumque perfectione, & bona qualitate: ut, [8] *præſtitiſti decori meo virtutem*. Et, *tecum principium in die virtutis tuæ*. 10. denique propriiſſimè hic ſumitur pro qualitate, & habitu exiſtente in potentia aliqua animæ, & inclinante ad

[1] *Judith.* 3 [2] *pſ.* 17. & 5. [3] *Matth.* 11.
[4] *Mar.* 6. [5] *Luc.* 9 & 8.
[6] *ſap.* 7. [7] 2. *Paralip.* 9.
[8] *pſ.* 29. & 109.

ad actus bonos, & honeſtos, per quos homo fit bonus, & laudabilis, & dignus aliquo præmio. *Homines magni virtute, et ſapientia.* [1] Et, *homines digni virtute, pacificantes* &c. De virtute in hoc ultimo ſenſu agimus.

Porrò virtus in hoc ultimo ſenſu variè deſcribitur à Philoſophis, & Theologis. Apud Philoſophum definitur: *habitus electivus in mediocritate conſiſtens*, vel *diſpoſitio perfecti ad optimum*, vel *quæ perficit habentem, & opus ejus bonum reddit*: & ſic de aliis.

Dari autem virtutes hujuſmodi, & earum exiſtentiam non immoror probare, id enim nullus negat; id conſtat ex innumeris Scripturæ textibus, & Patrum, ac Theologorum, & Philoſophorum omnium conſenſu, ſed propria virtutis definitio aliqua eſt quærenda.

CONCLUSIO.

V*Irtus ſufficienter deſcribitur, habitus, qui habentem perficit, & opus ejus facit bonum*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [2] approbante hanc definitionem ex Philoſopho 2. Ethic. *virtus eſt, quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit*, non quidem effectivè, quaſi verò habitus ille efficiat bonitatem moralem formaliter ſpectatam, ſed per modum inclinationis, & reddit bonum inclinando &c. Alias etiam non improbat, ſed iſta ſufficit.

Prob. 2. Nam in eo ſenſu de illa loquitur Scriptura paſſim, ut cùm dicit [2] de viris glorioſis, & laudandis, quòd *fuerunt homines magni virtute, & prudentia ſua præditi*: & cum Sapiens petit à Deo; [3] *poſſideam Domine mi virtutem, quia melior eſt omni auro, & argento.* Et ſupra dixerat: *Beatus homo, qui affluit prudentia; melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti, & auri primi* &c. Et ſic de ſinglis virtutibus, quas omnes laudatas habes in Scriptura.

Idem colligitur ex Patribus: nam inquit Auguſt. [4] *virtus eſt, qua rectè vivitur*, &c. Et alibi: [5] *virtus eſt*

[1] 1.*d*.17.*q*.2.*O*.*vel q*.3.*n*.1.2.1.15.
[2] *Eccl*.44. [3] *prov*.16.
[4] 1.*civ*.15.14.21.6. [5] *de ſpir*.

ars bene vivendi &c. Item, [1] *virtus eſt habitus mentis bene compoſitæ*. Item, *virtus eſt, quæ optimam facit animam*.

Confir. ex alia, quam plures Theologi primæ notæ approbant, inter quos SS. Bonaventura, & Thomas, Magiſter Sent. *virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus malè utitur, & quam Deus in nobis ſine nobis operatur*: ſed per hanc ultimam particulam videntur ad ſolas virtutes ſupernaturales, & per ſe infuſas, quales non ſunt virtutes morales, attendere, ut videbimus ſuo loco. Ceterùm quoad primas particulas facilè coincidit cum illa prima.

Prob. denique. Nam convenit omnibus, quæ virtutes dicuntur, & omnes habitus, quibus convenit, ſunt veræ virtutes ex omnium conſenſu; ergo ſic benè explicatur virtus.

Dixi, (*ſufficienter definitur*) non enim improbo alias definitiones, quæ ex Philoſopho, vel Patribus, & Doctoribus colliguntur.

Objic. 1. Si cui habenti habitum, & virtutem ſtudioſitatis, aut abſtinentiæ v.g. prohiberetur ſtudium, vel jejunium, adhuc inclinaretur ad ſtudium, & abſtinentiam; Sed tunc ſtudium, & abſtinentia eſſent mala, & inclinatio adhuc eſſet ex virtute; ergo virtus non perficit, nec ſemper facit bonum opus.

Reſp. diſt. min. eſſent mala extrinſecè, & ex prohibitione, con. ex objecto, & prout habitus ad illos actus inclinarent, neg. min. nam habitus inclinaret ad ſtudium, & jejunium, prout ex ſe bona ſunt, non quatenùs prohibita, quod eſt per accidens, & extra rationem ſtudii, & jejunii.

Inſt. Non obſtante prohibitione illa, homo non tantùm cum inclinatione, ſed etiam cum facilitate exerceret illos actus prohibitos; ſed illa facilitas, aut inclinatio non veniret niſi ex habitu; ergo ipſe habitus eſt talis, ſc. ut ſtudioſitas, & temperantia inclinarent ad malum.

Reſp. diſt. maj. & min. inclinaret, & facilitaret ad illos actus materialiter, con. formaliter ut prohibitos, neg. maj. & min. nam, ut dicebam, habitus ſtudioſitatis inclinaret ad actus ſtudii prout licitos, ſicut per

[1] 4. *de mor. Ecc.* 6.

per actus licitos contractus eſt (ita eſt de jejunio, & ſimilibus) non autem per actus ut prohibitos; nam habitus non inclinat, nec facilitat niſi ad actus ſimiles illis, per quos fuit aquiſitus.

Inſt. 2. ergo ſaltem habitus virtutis inclinat ad objectum indifferens ad bonum, aut malum; ergo non ſemper facit actum ejus bonum. Prob. ſubſumptum: nam objectum materiale virtutis, v. g. ſtudium illud poteſt eſſe malum accedente prohibitione, aut aliis circumſtantiis vetantibus; ſed per nos ſtudioſitas inclinat ad objectum materiale, ſeu ad ſtudium materialiter ſumptum, quod poteſt eſſe bonum, aut malum ex prohibitione; ergo &c.

Reſp. neg. ſubſumptum, & maj. prob. abſolutè: nam ſtudium, prout objectum virtutis, eſt per ſe honeſtum, & ſi exercitium, ſeu actus ſit aliquando malus, hoc eſt ab extrinſeco, & per accidens, & ſub hac circumſtantia ceſſat eſſe objectum virtutis: objectum ſtudioſitatis eſt ſtudium moderatum, & honeſtum, & ſi eſt vetitum, tunc actus ſtudii non verſantur circa objectum honeſtum, nec licitum, ſed illicitum.

Objic. 2. Habens habitum furandi propter luxuriam, ceſſante illo motivo formali, adhuc inclinatur ad furandum, ſicut priùs; ſed hæc inclinatio erit ſemper ab eodem habitu vitioſo per illos priores actus acquiſito, quamvis mutatum ſit objectum formale; ergo idem eſt de inclinatione ad ſtudium ante, & poſt prohibitionem; ſed ante prohibitionem ſtudium erat actus virtutis, & poſt illam eſt actus malus; ergo idem habitus virtutis inclinat, & facit malum æquè, ac bonum; ergo hæc definitio non eſt bona.

Reſp. neg. min. erit quidem ab eodem partialiter habitu, ſed non totaliter: nam priores actus erant ab habitibus luxuriæ, & furti, poſteriores autem à ſolo habitu furti. Sic aſſuetus dare eleemoſynam ex miſericordia, ſi inciperet dare ex ſuperbia, jam non eſſet actus miſericordiæ, ſed ſuperbiæ, quamvis illa virtus, & iſtud vitium eſſent circa idem objectum materiale. Præterea dare pecuniam pauperi non eſt præcisè virtus eleemoſynæ, nec charitatis, ſed largitio honeſta ex bonitate ipſa talis largitionis. Conſtat igitur, virtutem rectè dici habitum, qui habentem perficit, & facit bonum.

Quæres, *an hæc etiam definitio conveniat virtutibus ſupernaturalibus, & per ſe infuſis.*

Reſp. affirmativè, & quidem à fortiori; nam cùm ſint pura dona Dei, ſunt etiam in ſe perfectiora, & nobiliora, & magis perficiunt animam, & faciunt eam meliorem, quod enim venit à Deo, non poteſt eſſe niſi bonum: *Dei perfecta ſunt opera.*

Confir. ex Scriptura, quæ habentes eas virtutes, & illarum opera approbat, & laudat: ut de fide: [1] *Juſtus in ſua fide vivet:* & de ſpe, [2] *ſpera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in divitiis ejus:* & de charitate, [3] quòd *operit multitudinem peccatorum.*

CONCLUSIO I.

R*atio formalis conſtitutiva virtutis conſiſtit in relatione conformitatis ad rectam rationem, ſeu prudentiam.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [4] cit. dicente, quòd *habitus non ſit virtus niſi ex reſpectu, ſc. ex conformitate ejus ad prudentiam* ... & infrà de virtute morali, quòd *non addit ſupra ſubſtantiam habitus, ut eſt forma de genere qualitatis, niſi conformitatem habitualem ad rectam rationem* &c. Et concordat Philoſophus dicens, quòd virtus eſt *habitus electivus in mediocritate conſiſtens quoad nos ratione terminata, & ut ſapiens termiarit:* Ubi vides, quòd virtus duo importat. 1. habitum, ſeu qualitatem realem, quæ eſt quid abſolutum, & eſt quaſi materiale, & ratio generica: 2. relationem conformitatis ad prudentiam, ſeu rectam actionem.

Prob. 2. Virtus intrinſecè, & eſſentialiter dicit moralitatem; ſed moralitas importat intrinſecè relationem conformitatis, quæ facit virtutem, ſeu bonum morale, vel difformitatem, quæ facit malum, ſeu vitium; ergo virtus pro formali importat relationem traſcendentalem conformitatis ad rectam rationem, & è contra vitium dicit relationem tranſcendentalem difformitatis ad rationem.

Prob. 3. Omnis potentia, & habitus ſpecificatur per ordi-

[1] *Abac.* 2. [2] *pſ.* 36. [3] 1. *pe.* 4.
[4] *Ibid.* & *Q. vel q.* 3. *n.* 4.

ordinem tranſcendentalem ad objectum ſuum; ſicut ſcientia ad objectum, materia ad formam; ſed virtus eſt habitus faciens bonum; ergo importat ordinem tranſcendentalem ad objectum ut rectæ rationi conforme.

Confir. Nam illud eſt eſſentialis ratio conſtitutiva rei, quo primum poſito, intelligitur eſſe res, & quo ſolo ſublato deſinit; ſed talis eſt habitus virtutis, hoc ipſo quod intelligitur cum illa conformitate, eſt virtus, & ſine illa non eſt virtus; ergo &c. Prob. min. namſublata illa conformitate, non intelligitur bona moraliter; ergo &c.

Obji.1. Species relativa non poteſt eſſe ſub genere abſoluto; ſed virtus eſt ſub genere abſoluto, nempe ſub genere qualitatis, quæ eſt accidens abſolutum; ergo nequit conſtitui formaliter per relationem. Prob. maj. nam omnis ſpecies eſt ens per ſe unum; ergo non poteſt conſtitui ex abſoluto ut genere, & relativo ut differentia conſtitutiva; alioqui eſſet ens aggregatum per accidens ex multis prædicamentis, ut ſunt qualitas, & relatio.

Reſp. diſt. maj. relativa prædicamentali relatione, conc. relatione tranſcendentali, neg. maj. relatio, de qua loquimur, eſt tranſcendentalis in virtute, & eſſentialis ei; ſicut & aliæ omnes relationes tranſcendentales ſunt realiter identificatæ, & eſſentiales fundamentis, ſicut relatio dependentiæ ad Deum eſt eſſentialis homini, & omni creaturæ quantumvis ſubſtantiali, & abſolutæ. Item omne compoſitum, ut tale, includit unionem partium, ſeu partes ut unitas, & ſingulæ dicunt compoſitatem ad ſe invicem, & id non impedit earum unitatem, & perſeitatem.

Inſt. ex Scoto, omnis virtus eſt habitus activus; nam concurrit ad actus ſuos; ergo non poteſt conſtitui per relationem; nam relationes non ſunt activæ.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. relationes prædicamentales, con. tranſcendentales, neg. conſ. nam cùm realiter identificentur fundamentis, in illis agunt. Sic virtus ut virtus agit in habitu.

Objic.2. Relatio tranſcendentalis eſt de eſſentia rei, & illi identificatur; ſed illa relatio conformitatis non identificatur habitui virtutis; ergo virtus forma-

ſiter non conſtituitur per illam relationem. Prob. min. nam poſſunt ſeparari, ut patet exemplo allato de ſtudioſitate:nam ante prohibitionem acquiſita fuit per actus virtutis, & ſtudere erat virtus habens conformitatem ad rectam rationem: & poſt prohibitionem idem habitus, & actus ejus ſimiles prioribus non habent illam conformitatem; ergo illa relatio eſt ſeparabilis ab habitu virtutis illius: & ſic de aliis.

Reſp. neg.min. & ant. prob. & ad exemplum de ſtudioſitate jam diximus, habitum ſtudioſitatis non eſſe virtutem, nec eundem, cùm inclinat ad actus ſtudii honeſti cum eo, qui inclinat ad actum prohibitum, & ſic relatio conformitatis nunquam ſeparatur à ſtudioſitate virtuoſa.

Inſt. ex Scoto, & aliis, habitus aliquis eſt virtus, & habet relationem conformitatis, quatenùs regulatur à prudentia; ſed hæc regulatio eſt ſeparabilis ab habitu illo, qui dicitur virtus; ergo & illa relatio. Prob. min. nam in exemplo allato quando peccatur per actus ſtudii prohibiti, ceſſat prudentiæ regula, & conformitas ad illam.

Reſpondeo diſt. maj in quantùm regulatur aptitudinaliter, ſeu in quantùm inclinat ad actus ita regulabiles de ſe, & ex objecto, con. quatenùs regulatur actu, & de facto tantum, neg. maj. & conſ. nam ſicut homo non conſtituitur præcisè per ratiocinationem actualem, ſed per rationabilitatem, quæ dicit aptitudinem, & potentiam ad ratiocinandum; ita eſt de conformitate ad prudentiæ dictamen in virtute; & quando peccamus, ſtudioſitas non eſt regulata actu per prudentiam, ſed tamen eſt ſemper apta regulari; ſicut homo deſipiens actu non ceſſat eſſe homo, & rationalis habitu, & potentia.

Porrò virtutes dividuntur 1. ratione principii in *naturales*, quæ à natura, & quaſi ex temperamento veniunt, & ſunt valdè imperfectæ, ut cùm ex temperamento inclinatur aliquis ad miſericordiam, aut abſtinentiam: & *acquiſitas*, quæ per uſum, & frequentatos actus bonos generantur;ut cùm ex frequenti jejunio inclinatur quis ad jejunandum: & *infuſas*, quæ à ſolo Deo ſine cooperatione noſtra infunduntur; ut virtutes Theologicæ.

2. Ratione ſubjecti aliæ ſunt *intellectuales*, quæ ſpecia-

ſpecialiter ſubjectantur in intellectu, ut prudentia: aliæ *morales*, quæ perficiunt voluntatem, & in ea ſubjectantur, ut iuſtitia.

3. Ratione objecti aliæ ſunt *Theologicæ*, quæ directè, & immediatè reſpiciunt Deum: aliæ *morales*, ſeu *cardinales*, quæ reſpiciunt hominem prout in moribus ſuis dirigendum: ut prudentia, fortitudo, temperantia, & iuſtitia. Singulæ variè etiam ſubdividuntur, ut videbimus ſuo loco. Hic tractatus de Theologicis ſpecialiter inſtituitur.

Quæres, *an omnis virtus ſit habitus*.

Reſp. affirmativè cum Scoto, & aliis. Nam veræ virtutes firmiter inhærent potentiis, & diù perſeverant; in quo conſiſtit ratio habitus. 2. habent quidem ſuum initium, & progreſſum (loquor de acquiſitis) & ab initio ſe habent ut diſpoſitiones; ſed tamen ſenſim creſcunt in habitus, ut magis patebit, cùm de ſingulis dicemus in particulari.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo mediocritas ſit de ratione virtutis. An id conveniat omnibus.

PHiloſophus definit virtutem, quam agnovit, habitum electivum in mediocritate conſiſtentem. Medium autem eſt modus actionis, vel affectus, aut paſſionis inter duo extrema, ſc. inter exceſſum, & defectum. Nam inter ſummum, & infimum, multum, & parum eſt medium, adeò ut extrema illa ſint vitia, & media ſint virtutes. Medium autem aliud eſt *abſolutum*, & *ex natura rei*, ſeu *medium rei*, quod æqualiter diſtat ab extremis ex natura ſua; aliud *proportionale*, quod ab extremis non diſtat æqualiter, ſeu quod non in omnibus eſt medium, ſed pendet à dictamine rationis; & dicitur *quoad nos*, quia quoad omnes non eſt idem: v.g. eleemoſyna decem florenorum erit medium diviti, non autem pauperi, cui eſſet prodigalitas. Sic jejunium non habet idem medium reſpectu robuſti, & debilis. Ideò prudentia debet determinare media virtutum ſingularum.

Quærimus ergo hic, an mediocritas ſit de ratione omnis virtutis, tam Theologicæ, quàm moralis?

Rurſus mediocritas attendi poteſt 1. ex parte objecti,

jecti, quod cùm habeat bonitatem, aut malitiam limitatam, & ſuſcipiat magis, aut minus, circa illud poſſumus deficere, vel excedere, amando ultra meritum, vel citra meritum. 2. ex parte actus, & objecti ſecundarii; ut ſi actus ſit remiſſior, vel intenſior, quàm prudentia dictat, licet objectum ex parte ſua non ſit limitatum, nec ſuſcipiat magis, aut minus, ut Deus. 3. ex utroque, ſc. tam ex parte objecti, quàm ex parte actus; ut cùm bonum minus præfertur majori, & quidem cum actibus exceſſivè intenſis. De utroque medio eſt quæſtio.

CONCLUSIO.

Virtutes omnes exigunt medium, morales quidem medium objecti, & actus, Theologicæ verò medium non objecti primarii, ſed tantùm ſecundarii, & actus. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Poteſt concedi, quod virtus Theologica eſt propriè media, non ex parte objecti, ſed ex parte exceſſus, qui poteſt eſſe in actu. Virtus quidem moralis habet exceſſum, & defectum non tantum ratione modi actus, ſed etiam ratione objecti, in quod tendit actus; non ſic virtus Theologica, quia objectum, in quod tendit, eſt infinitum*.

Prob. 1. p. ex Script. docente, ne in faciendis præceptis *declinemus neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. (2) Item, *noli eſſe juſtus multùm, neque ſapias, pluſquam neceſſe eſt*: (3) Ne obſtupeſcas. nam inquit Gloſſa, *ſummum jus ſumma injuria*; & ut ait Lyranus, *juſtitia corrumpitur per exceſſum, & defectum* &c. Idem dicit Apoſt. [4] *non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*.

Confir. ex SS. PP. nam inquit Nyſſen. *non poteſt eſſe virtus, cui vel deeſt, vel excedit conveniens menſura* &c. Et S. Hieron. [5] *Philoſophorum ſermo eſt, moderatas eſſe virtutes; excedentes modum, atque menſuram inter vitia deputari: unde & unus de 7. ſapientibus ait, ne quid nimis*. Et Aug. [6] *virtus eſt æqualitas quædam vitæ rationi undique conſentiens. Nam ſi aliud ab alio diſcre-*

[1] 3. *d*. 26. *M*. 24. [2] *Deuter*. 5. *&* 17.
[3] *Eccl*. 7. [4] *Ro*. 12. [5] *Ho*. 6.
[6] *de quant. an*. 16.

diſcrepet, magis, ni fallor, offendimur, quàm ſi aliqua pars circuli majore, minoreve intervallo, quàm aliæ partes, diſtet à puncto.

Conſentiunt Philoſophi: nam inquit Seneca, *cum ſit utrinque virtutis modus, æquè peccat qui excedit, & qui deficit* &c.

Prob. 3. percurrendo ſingulas. Nam officium, ſeu virtus fortitudinis eſt moderari appetitum, ſeu animum inter audaciam, & timorem: qui enim timendo excedit, timidus eſt, qui verò audendo, temerarius, & ferox. Temperantia verſatur circa voluptates, & dolores: & ſic de aliis, ut videbimus ſuo loco.

Prob. 2. p. Nam Deus ſub perfectione ſua aliqua divina eſt objectum virtutis Theologicæ materiale, & formale, & ſub utraque ratione eſt quid infinitum; ergo circa objectum virtutis Theologicæ non poteſt excedi; ergo in hac virtute non datur medium quoad objectnm. Prob. min. nam bonitas infinita non poteſt amari niſi finitè, & licèt amaretur infinitè, non plus amaretur, quàm ſit amabilis. Idem eſt de veracitate, ſub qua eſt objectum fidei, & de ratione ultimi finis, ſub qua eſt objectum ſpei; ergo quoad objectum poteſt quidem defici, ſed non excedi. Prob. conſ. ideò poteſt excedi circa objectum virtutum moralium, quia iſtæ ſuſcipiunt magis, & minus: verbi gratia objectum fortitudinis habet modo plus, modo minus arduitatis; objectum miſericordiæ plus, aut minus miſeriæ, ac neceſſitatis, ſeu indigentiæ, &c. ergo ſi objectum charitatis divinæ ſit infinitæ, & æqualis ſemper amabilitatis, non poteſt circa illud excedi in amore, donec ametur infinitè, & ſummè. *Benedicentes Deum, exaltate illum, quantum poteſtis; major eſt enim omni laude*. [1]

Prob. 3. p. de actibus amoris, fidei, & ſpei. Nam verbi gratia poteſt quis excedere circa modum credendi: ut ſi credat citius, & abſque medio, ſeu motivo credibilitatis; nam *qui citò credit, levis eſt corde*; [2] aut ſi exigeret rationes demonſtrativas, & evidentiam ad credendum; vel ſi abſque neceſſitate, vel utilitate, imò cum detrimento fidei, vel

Ec-

[1] *Eccle.* 43. [2] *Ibi.* 19.

Eccleſiæ fidem publicè profiteretur, tunc excederet; aut è contra ſi in neceſſitate profitendi publicè fidem, illam diſſimularet. Idem patet de ſpe, ut ſi ex nimia fiducia omitteret opera præcepta, aut ſe exponeret periculo peccati &c. Item de charitate, ſi quis urgente alio præcepto naturali, aut divino, iſtud omitteret, ut vacaret actibus amoris Dei &c. ut videbimus, ubi de vitiis virtutibus iſtis oppoſitis in particulari.

Prob. 4. p. de objectis ſecundariis: nam poſſet quis credere plura, quàm Deus revelaverit, aut ſperare plura, quàm promiſerit, v. g. coronas temporales, & gloriam, & delicias ſenſibiles &c. Et denique fruſtra darentur regulæ agendorum ex his virtutibus, niſi in eis poſſet excedi, aut defici: de defectibus nemo quidem dubitat, ſed de exceſſu major eſt ratio dubitandi propter rationes allatas circa 2. p.

Objic. 1. con. 1. p. ex Philoſopho, virtus eſt ultimum potentiæ, & intendi poteſt uſque ad ſummum; ergo non conſiſtit in medio.

Reſp. diſt. ant. quoad 1. p. ultimum potentiæ, id eſt naturalis facultatis, ſeu energiæ, con. ideſt habitus perſicientis potentiam in ordine ad mores, nego ant. de potentia in 1. ſenſu loquitur Philoſophus, non in ſecundo. Ad 2. p. diſt. pariter ant. ad ſummum morale, & negativum, ita ut non debeat ulterius aſcendere, quin excedat, conc. ita ut non poſſit ulterius aſcendere, & intendi uſque ad exceſſum moralem, ſeu ultra regulam, & modum, nego ant. & conſ. nam, ut diximus, objecta virtutum moralium ſunt limitata; ideò poſſunt amari, vel odiri ultra meritum, & ſic ultra ſummum, quod debent amari, vel odiri, vel citra debitum, & citra regulam morum.

Inſt. In materia temperantiæ, verbi gratia virginitatis, vel odii peccati, non poteſt excedi; ergo dantur aliquæ virtutes morales, quæ non habent medium.

Reſp. diſt. ant. non poteſt excedi circa objectum, conc. circa objectum, vel actum, neg. ant. & conſ. non enim dicimus, quòd ſemper poſſit excedi, vel defici quoad utrumque ſimul, ſed ſaltem quoad al-

alterutrum, ſc. quoad objectum, vel quoad actum, vel utrumque: v. g. in virginitate quoad objectum non poteſt excedi, quia excludit omnem prorsùs carnalem corruptionem, ſed in actibus, & modo: nam fatuæ virgines, quamvis veræ virgines, tamen à nuptiis excluſæ ſunt, quia *de virginitate ſua gloriam foris expetentes oleum in vaſis non habebant*, inquit Greg. peccarunt in circumſtantia finis, non circa objectum.

Objic. 2. Virtutem habere medium eſt conſiſtere inter extrema vitioſa exceſſus, & defectus; ſed juſtitia non habet illa extrema; ergo non omnis virtus conſiſtit in medio. Prob. min. juſtitia non habet extremum exceſſus, non enim poteſt excedi reddendo cuique ſuum; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. extremum exceſſus quoad rem, & abſolutè, con. moraliter, & ex circumſtantiis, neg. ant. & prob. ejus: nam licèt juſtitia in hoc ſenſu non habeat medium rei inter illa extrema, habet tamen medium rationis, & proportionis; nam poſſet reddi alicui ſuum, & tamen peccare, ut ſi reddas cultrum, aut gladium ſuum furioſo, qui eo ſe, aut alium occidet. Ita dici poteſt de aliis virtutibus, quæ non habent quidem ſemper medium rationis.

Objic. 3. Virtus ponitur in medio ad moderandas paſſiones; ſed aliquæ non egent illa moderatione, & tamen virtus eſt in illis; ergo non omnis virtus conſiſtit in medio. Prob. min. quædam paſſiones ita ſunt bonæ, ut quò vehementiores ſunt, eò virtuoſiores ſint: ſicut aliæ ſunt ita malæ, ut non poſſit peccari in reprimendis illis: ergo in iis non datur medium. Prob. ant. odium peccati non poteſt eſſe nimium, & odium Dei non poteſt reprimi ultra debitum; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. ut non poſſit peccari directè, & ex objecto, & in particulari, con. per accidens, & ex circumſtantiis, ſeu quoad modum, & in genere, neg. ant. & conſ. nulla enim eſt affectio ita de ſe bona, quin peccari, vel excedi poſſit in actibus ejus, v. g. ex commixtione alicujus mali finis, aut alterius circumſtantiæ malæ: ita eſt de repreſſione aliarum.

Objic.

Objic. 4. In beatis, & in Adamo ante peccatum ſunt, & fuerunt veræ virtutes; ſed in neutris virtutes conſiſtunt in medio; ergo hoc non eſt de ratione virtutis. Prob. min. nam in beatis non eſt periculum excedendi, nec deficiendi, & in Adamo ante peccatum non erat rebellio appetitus, nec paſſiones moderandæ; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. in beatis ſunt virtutes quoad ornatum, con. quoad uſum, neg. maj. ſed de hoc alias. De homine autem neg. abſolutè maj. nam ſicut cadere potuit, & de facto cecidit per exceſſum curioſitatis, & amoris in uxorem, & ob defectum obedientiæ, ita egebat virtutibus, & de facto eas habuit, non acquiſitas, ſed infuſas.

Objic. 5. Si virtus conſiſteret in mediocritate, impoſſibile, aut ſaltem difficillimum eſſet operari virtuosè; ſed conſ. eſt inconveniens, & falſum; ergo &c. Prob. maj. quia ex Philoſ. [1] *difficile eſt medium aſſequi, & mediocritas debet determinari à ſapientibus, qui rariſſimi ſunt*; & tamen tenemur ſemper, & ubique operari virtuosè: ergo vel non requiritur ſemper tale medium, vel rariſſimè poſſemus operari virtuosè.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. nam per ſapientem intelligit Ariſt. prudentem, & regulæ omnes dirigunt nos ad inveniendum medium in agibilibus, & tales ſunt leges Eccleſiaſticæ, & civiles, & dictamina rectæ rationis, ſeu conſcientiæ, & lumen naturale, ac divinum, quod nobis in creatione inſitum eſt. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus Dei*. (2) Et per illud *gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ipſi ſunt ſibi lex*. [3] Propterea non deeſt cuiquam lumen, & auxilium gratiæ ad operandum prudenter.

Objic. con. 2. p. de virtutibus Theologicis. Medium hoc determinaretur vel à Deo, vel ab homine, vel à naturali lumine; ſed nullum horum dici poteſt; ergo neque illud. Prob. min. 1. non à Deo; nullibi enim conſtat de his regulis à Deo datis: 2. non ab homine, nec à lumine naturali; quia hæ virtutes, & opera earum ſunt ordinis ſupernaturalis, & leges hu-

[1] 2. *Ethic*. 9. [2] *Pſ*. 4. [3] *Ro*. 2.

humanæ, ac naturales ſunt ordinis inferioris, regulæ autem eſt ſuperior regulato.

Reſp. neg. min. nam regulæ illæ ſunt à Deo ut auctore naturæ, & gratiæ; cum illa dat nobis lumen rationis, & cum iſta lumen, & dictamen ſupernaturale, & maximè cùm infundit iſtas virtutes, dat lumen gratiæ, & ejuſdem ordinis, quo regulamur circa illarum uſum, ſi volumus attendere: juvant etiam leges Eccleſiæ, & directores ſpirituales. Fateor, leges humanas, aut naturales ſeorſim non ſufficere ad rectum uſum harum virtutum, ſed juvant, & elevantur per lumen, & auxilium ſupernaturale gratiæ, & ſic prudentia, quæ dirigit virtutes naturales, eſt etiam naturalis; ſed quæ dirigit Theologicas, eſt etiam ſupernaturalis, & proportionata regulatis.

Objic. 2. Objectum virtutum Theologicarum non habet extrema in exceſſu, vel defectu; ergo nec medium. Prob. ant. eſt enim ſemper æquale, nec ſuſcipit magis, & minus, eſt infiniti meriti, & ſic non poteſt excedi proſequendo, in moralibus verò debetur medium, quia cùm objecta earum ſint finitæ bonitatis, poſſunt amari, vel odiri ultra meritum, & poteſt excedi circa illa.

Reſp. diſt. ant. objectum primarium, con. objectum ſecundarium, & actus habendi circa utrumque, neg. ant. & conſ. objectum primarium eſt Deus in ſe, & ſuis perfectionibus, ſecundarium verò attenditur in rebus, circa quas exercemus actus iſtarum virtutum, & in actibus ipſis; & circa hæc poſſumus excedere, aut deficere, ut dictum eſt.

Inſt. Regulę circa hęc poſteriora, ne excedatur, aut deficiatur, non petuntur ab ipſis virtutibus Theologicis, ſed à prudentia, quæ eſt virtus moralis, & eſt illis extrinſeca; ergo neceſſitas medii non eſt in his virtutibus ſupernaturalibus, ſed in hac prudentia naturali, quę illarum actibus prefiniat medium; ergò ut Theologicæ, & ſupernaturales non habent medium.

Reſp. diſt. ant. à prudentia morali, & ſimul à prudentia particulari, ſeu à regulis particularibus ſingularium, con. à prudentia morali ſola, neg. ant. nam, ut diximus, præter dictamen prudentiæ naturalis, & moralis, adeſt lumen, & auxilium ſupernaturale, quod eſt ſingulis annexum, & proprium, &

quod dici poteſt prudentia particularis, & ex hac parte ſupernaturalis, per quam totam præfinitur ſingulis earum actibus medium.

Quæres, *An illud medium ſit medium rei, an verò tantùm rationis.*

Reſp. quòd in aliquibus requiritur medium rei, in aliis verò ſufficit medium rationis. Ratio eſt, quia medium juſtitiæ eſt fixum, & rei; nam reddendum eſt tantum, quantum eſt receptum, vel ablatum, nec plus, nec minus, quicumque ſit creditor, & debitor, & ſervare oportet æqualitatem rei ad rem tam in debitis, quàm in permutationibus: at in aliis medium eſt proportionatum danti, vel accipienti, ut in eleemoſyna, in actibus fidei exiguntur actus magis expliciti à viro docto, quàm ab idiota; à divite largior eleemoſyna, quàm à minùs divite: & ſic de cæteris.

Quæres 2. *an medium requiratur etiam in virtutibus intellectualibus, ſicut in moralibus.*

Reſp. affirmativè: nam ut diximus, poteſt peccari contra prudentiam, & fidem per exceſſum, ſicut & per defectum; & non eſt ulla ratio, quare in his non requiratur mediocritas æquè, ac in moralibus. Vidimus, & iterum videbimus, quòd in fide peccatur per exceſſum, quando creduntur ut revelata plura, quæ non ſunt revelata: ideò monebat Apoſtolus, (1) *Licèt Angelus de cælo evangelizaverit vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, Anathema ſit*. Et, (2) *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint*. In prudentia etiam humana faciliùs peccatur, ut videbimus.

DIS-

[1] *Gal.* 1. [2] 1. *Jo.* 4.

DISPUTATIO II.

De virtutibus theologicis in communi.

JAm propiùs accedimus ad intentum, & ubi præmiſimus pauca de virtutibus quantùm ad ea, quæ communia ſunt omnibus, deſcendimus ad ipſas Theologicas quoad ea, quæ illis pariter communia ſunt.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit virtus Theologica.

VIrtus dicitur Theologica juxta etymologiam vocis, quia reſpicit Deum ut objectum *quod*, & *quo*, ſeu *formale*, ſicut ſcientia dicitur Theologica, quia eſt ſermo de Deo. Quærimus hìc, an dentur aliquæ tales virtutes, & quid illæ ſint.

CONCLUSIO I.

D*Antur virtutes Theologicæ, & ſupernaturales*. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto (1) dicente, quòd *non ſunt neceſſarii in via, niſi illi habitus, qui ſunt virtutes morales, intellectuales, & Theologicæ*. Et alibi ſæpè de illis meminit ſub hoc nomine.

Prob. 2. ex Script. quæ memorat tres iſtas virtutes, quas dicimus Theologicas. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas*, (inquit Apoſtolus) (2) *hæ ſunt virtutes Theologicæ, quæ dantur nobis ad conjungendum nos cum Deo*, ait Lyranus. Et ſępiùs alibi occurrit mentio modò de fide, & ſpe, ut, *crede Deo, & recuperabit te, ſpera in illum*; modò de charitate, *quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.* &c.

Confir. ex Concilio Viennenſi docente, quòd in baptiſmo conferuntur gratia, & virtutes, ſc. ſupernaturales, & per ſe infuſæ: & Tridentinum illas nominat dicens, (3) quod *in juſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo cum remiſſione peccatorum per* *I. C.*

[1] *3.d.34.B.4* [2] *1.cor.13.* [3] *ſſ.6.c.7.*

I. C. cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem: ſed hæ virtutes ſunt verè Theologicæ, & ſupernaturales; ergo dantur. Min. patebit de ſingulis, quia ſc. nos uniunt Deo, & illum reſpiciunt immediatè, & directè. Item Eccleſia docet nos orare, *da nobis Domine fidei, ſpei, & charitatis augmentum*.

Confir. 2. quia hæc tria dona habent omnes conditiones virtutum, & nos verè conjungunt Deo, ſeu reſpiciunt Deum ut objectum *quod*, & *quo*, ſeu materiale, & formale.

Prob. 3. Homo prout ordinatus ad finem ſupernaturalem debet operari circa illum, & quidem ſupernaturaliter; ergo indiget principiis ſupernaturalibus, quibus elevetur ad illas operationes per intellectum, & hoc præſtat fides; & per voluntatem, quod præſtant ſpes, & charitas; ſed hæc principia ſunt virtutes Theologicæ; ergo &c.

Objic. 1. Ad hanc elevationem ſufficerent virtutes morales cum auxiliis gratiæ actualis; ergo fruſtra aſſeruntur aliæ. Prob. ant. ut homo elevetur, & operetur circa finem, ſufficit, quòd illum cognoſcat, & mandata, illaque obſervet, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; ſed ad hęc ſufficiunt virtutes morales; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam mandata omnia, nec finis ipſe, non poſſunt cognoſci certò ſine fide, & habemus pręcepta fidei; & principale mandatum eſt de charitate in Deum, & ad operandum ſuſtinemur ſpe in illum; hęc autem non faciunt virtutes Cardinales. Quantùm ad gratiam, fateor, quòd hęc poſſet ſufficere, & ſupplere defectus harum virtutum, ſed certum eſt, quòd faciliùs, delectabiliùs, & magis regulariter hęc pręſtantur per has diſtinctas virtutes, & maximè quia habemus exiſtétiam earum ex Scriptura, & Conciliis: unde concluditur ſi non neceſſitas earum abſoluta, ſaltem maxima utilitas.

Inſt. Hęretici etiam Ethnici, ut Cornelius, & Eunuchus, non habentes fidem poſſunt credere, & diligere, & ſperare per ſolum gratię auxilium; ergo idem eſſet de omnibus.

Reſp. neg. conſ. quia, ut dixi, licèt Deus de potentia abſoluta poſſet hominem ita juvare, & dirigere; tamen non ita facit; nec deſunt illi rationabiliſſima mo-

motiva id ita præſtandi, ut de facto præſtare ſe nobis revelat per Scripturam, & Concilia.

Inſt. 2. Sub iis nominibus virtutum, & Theologicarum non reperiuntur in Scriptura, nec Conciliis; ergo falſum eſt fundamentum. Prob. ant. diſcurrendo per ſingula.

Reſp. neg. conſ. nam ſufficit, quòd reperiantur in Scriptura, Conciliis, & Patribus quoad rem, licèt quoad voces virtutum, & Theologicarum non legantur; nec enim diſputamus de vocibus: ſunt qualitates intrinſecùs inhærentes, & infuſæ à Deo in animam, & nos elevant ad Deum, ut credamus quæ revelat, & ſperemus quæ promittit, & adhæreamus ei per ſummum amorem; & hæc donat gratis, & ſupernaturaliter; ergo habent omnia, quæ requiruntur, ut dicantur virtutes Theologicæ, & ſupernaturales, quocumque alio nomine velis eas appellari.

CONCLUSIO II.

Virtus Theologica rectè deſcribitur, habitus ſupernaturalis à Deo ſolo infuſus, elevans animam ad Deum immediatè, & obiectaliter attingendum. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Tres conditiones ponuntur pertinere ad virtutem Theologicam. 1. eſt reſpicere Deum pro obiecto. 2. habere pro regula prima regulam humanorum actuum, non autem regulam acquiſitam. 3. immediatè infundi à Deo, ſicut à cauſa efficiente*, &c. Per hanc 3. conditionem explicatur 1. particula definitionis, qua dicitur *à ſolo Deo infuſus habitus*, & 2. conditio explicat, quomodo elevet ad Deum attingendum, & 1. explicat ultimam particulam, quòd ſc. *Deum reſpicit obiectaliter*, ſive *ut obiectum immediatum* virtutis Theologicæ. Vides hanc definitionem includere conditiones virtutis Theologicæ aſſignatas à Scoto.

Aliter deſcribitur ex Auguſtino, ſed cum iſta coincidit: *Eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus malè utitur, & quam Deus operatur in nobis.*

Prob. 2. quia ſic rectè explicatur natura talis virtutis, prout à Patribus, & Doctoribus uſurpatur ſecundum

[1] 3. d. 16. F. 16.

dum genus, & differentiam ſuam propriam. Dicitur 1. *habitus*, quod ponitur loco generis, & per id convenit cum moralibus. 2. *elevans hominem ad Deum objectaliter attingendum*; ſic differt à Cardinalibus, quæ non ſic reſpiciunt Deum; ſed adhuc convenit cum aliis acquiſitis, & naturalibus, quæ reſpiciunt quidem Deum ut objectum, v. g. fides, aut ſpes, & charitas naturales, & acquiſitæ; ſed non ſunt *à Deo ſolo infuſæ*: ideò hæc particula diſtinguit has virtutes ut per ſe infuſas ab omnibus aliis.

Prob. 3. per partes: & 1. quòd ſit habitus: nam Innocentius III. dicit, (1) quod *parvuli baptizati non credunt per uſum* (ſeu per actum) *ſed per habitum fidei, quem ſuſcipiunt in baptiſmo*: & narrat, aliquos dicere illis dimitti peccatum, *& virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad uſum, donec adoleverint*. Et in Concilio Viennenſi, ubi notant, quòd non dubitabatur, quin virtutes illæ eſſent habitus, ſed an infunderentur parvulis; ſed hoc ut probabilius amplectitur, & definit Concilium illud: (2) *nos* (inquit) *opinionem 2. quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in baptiſmo gratiam informantem, & virtutes, tamquam probabiliorem, & dictis ſanctorum ... magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam*. Non autem diceret has virtutes infundi parvulis, niſi ſentiret eas eſſe habitus; nam parvuli non ſunt capaces earum quoad uſum, ut dicebat Innocent. III. ſi autem ſunt habitus in pueris, quare non in adultis? Et Trident. cit. poſtquam dixit, hominem juſtificari *per ſuſceptionem gratiæ, & donor. m*, & quòd *hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem*, & quòd *hæc per Spiritum S. diffundatur in cordibus, eiſdem inhæreat*, ſc. habitualiter, & permanenter, ut ſolent habitus inhærere.

Confir. ex eodem Concilio, quatenùs docet hæreticum eſſe dicere, quòd quolibet peccato, quo amittitur gratia, amittatur etiam fides, & quòd illa fides, quæ remanet, non ſit vera fides: nam non prætendit, quòd fides remaneat quoad actum, ſed quoad habitum; ergo idem eſt de ſpe, & charitate.

Con-

[1] *Cap. majores de Bapt.*
[2] *de SS. Trin.*

Confir. 2. Nam ſi charitas non inhęreret habitualiter, amitteretur à dormiente, & ab omnibus juſtis, ſtatim atque ceſſant elicere actus harum virtutum, quod abſurdum, & incredibile eſt.

Prob. 2. p. quòd ſint ſupernaturales. Nam id dicitur ſupernaturale propriè, quod tendit ad Deum ut objectum beatificum, vel quod à Deo ſolo producitur ſupra, aut præter exigentiam ullius cauſæ creatæ, vel quod concurrit, vel elevat hominem ad actus ſupernaturales velut eorum comprincipium; ſed iſti habitus, ſeu virtutes tales ſunt; ergo ſunt verè ſupernaturales, & quidem in ſubſtantia. Prob. min. 1. ex Conciliis citatis: nam docent, has virtutes pueris infundi cum gratia: & Scriptura ipſa dicit, charitatem *infundi per Spiritum S.* 2. certum eſt, eas concurrere nobiſcum, & elevare nos ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis: & quòd reſpiciunt Deum ut objectum immediatum; & ideò dicuntur Theologicæ; ergo &c. Hinc

Probata manet 3. pars, quòd ſit *habitus à ſolo Deo infuſus*, tum ex Scriptura, tum ex Trid. cit. & magis probabitur infrà.

Prob. deniq. 4. pars, quòd *elevet hominem ad Deum objectaliter attingendum*: nam, ut notabamus, ideò virtutes iſtæ dicuntur Theologicæ.

Objic. 1. con. 1. par. Si virtutes iſtæ eſſent habitus, id conſtaret vel ex Scriptura, vel ex Conciliis, vel ex Patribus; ſed ex nullo tali capite conſtat, eas eſſe habitus, ut per ſingulas diſcurrenti patebit; nulla enim auctoritas ex illis afferri poteſt, nequidem ex Patribus, qui cùm illas ſæpè commendent, nuſquam tamen canunt eas eſſe habituales; ergo gratis hoc dicitur.

Reſp. neg. ant. nam licèt expreſſis vocibus non dicant, eas eſſe habitus, tamen id ſatis apertè colligitur, ut faciant hanc veritatem eſſe Theologicè veram, & certam. Auctoritates Scripturæ, & Conciliorum adduximus, & alias adducunt Theologi paſſim. Quoad Patres facilè conſtat ex eorum modo loquendi, eos ſtare pro hac veritate. Unde Concilium Viennenſe dicit, *ſententiam eorum, qui putant has virtutes infundi pueris quoad habitum, probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum moder-*

norum magis conſonam eſſe.

Objic. con. 2. Virtutes iſtę ſunt entia creata; ergo ſunt naturales: prob. conſ. nam omne creatum eſt intra naturam.

Reſp. neg. conſ. ad prob. dico, eas eſſe quidem intra naturam, ſed non ſunt producibiles à natura, nec exiguntur produci ab ulla cauſa naturali.

Inſt. Multa ſunt entia, quę non poſſunt produci, niſi à ſolo Deo, & tamen non dicuntur ſupernaturalia, ut Angelus, anima rationalis, cœlum, materia prima,&c.ergo quòd illi habitus non ſint producibiles niſi à ſolo Deo, non facit eos ſupernaturales.

Reſp. diſt. ant. ſi non ſint per ſe,& de ſe ordinata ad Deum ſupernaturaliter, & immediatè attingendum, conc. ſi ſint ita ordinata per ſe, & de ſe, neg. antec. & conſ. nam iſti habitus per ſe, & de ſe eſſentialiter ordinantur ad Deum objectaliter, & immediatè attingendum, & ſic ſunt extra omnem ordinem naturæ.

Objic.2. Nulla fit mentio talis ſupernaturalitatis in Scriptura, nec Conciliis, nec Patribus; ergo gratis aſſeritur.

Reſp. diſt. ant. nulla mentio quoad vocem, tranſeat; quoad rem, neg. ant. & conſ. ſic de incarnatione, de virginitate Mariæ cum maternitate, de reſurrectione, &c. non dicitur verbis expreſſis, quòd ſint opera ſupernaturalia; ſed tantùm quod *conceptus eſt de Spiritu S. ex Maria virgine*, quod *unxit eum* (Chriſtum) *Dominus* &c. & hinc colligimus, illa opera eſſe ſupernaturalia. Sic autem dicitur de gratia, & charitate, quòd Spiritus S. eam *diffundat* &c. Sic de fide, & aliis donis, *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum*. De reſurrectione ſufficit dicere, quòd *Deus ſuſcitavit eum à mortuis*. [1] Sic de charitate dicit Auguſtinus, [2] quòd *nullum eſt iſto dono Dei excellentius. Dantur & alia per Spiritum S. munera* &c. quod ſufficit, ut illa dicantur ſupernaturalia. Et clarius alibi; [3] *fidei initium, & augmentum non naturæ, ſed gratiæ donum eſt*.

Objic. 1. con. 3. p. Experimur, quòd poſt longam, & frequentem inſtructionem Catechumeni contrahunt

[1] 1.*pe*.1. [2] 15.*trin*.18.
[3] *de Eccl.dogm*.42.

hunt habitum, & facilitatem ad credendum; ergo habitus fidei acquiri poteſt; ergo non eſt per ſe infuſus à ſolo Deo: & idem eſt de ſpe, & charitate.

Reſp. diſt. ant. habitum naturalem, con. habitum ſupernaturalem, neg. ant. & conſ. nam ſi catechumenus actus frequentes credendi eliciat vel propter auctoritatem catechizantis, & erit fides humana, vel propter Deum revelantem, & erit fides divina, hi actus non elicientur quidem ſine ſupernaturali gratiæ actualis ope; ſed tamen habitus per illos actus contracti erunt naturales in ſubſtantia; ſicut fidelis, qui per peccatum infidelitatis amiſit fidem infuſam, adhuc retinet aliquam facilitatem credendi ex habitu acquiſito; & tam habitus iſte, quàm illi actus erunt purè naturales: de quo dicemus poſtea.

QUÆSTIO II.

De cauſa finali, & neceſſitate harum virtutum.

VIdimus in præcedenti, Deum ſolum eſſe cauſam efficientem harum virtutum, ſicut & objectum illarum immediatum: Jam de finali dicemus, in qua fundatur earum utilitas, & neceſſitas. Et de cauſa materiali dicemus in particulari, ſicut & de formali. Quoad finalem primariam non dubitatur, quin ea ſit ipſe Deus, qui, ut diximus aliàs, omnia propter ſemetipſum operatur; nec etiam de ſecundaria principali, nempe hominis ſalute æterna, ad quam per hæc dona nos præparat; nec etiam dubitatur de illorum ſumma utilitate: quis enim dubitat, hæc dona, & habitus celeſtes nos mirabiliter juvare ad finem beatitudinis noſtræ conſequendum? Reſtat ergo, ut videamus, an illa dona ſint neceſſaria homini, & unde oriatur illa neceſſitas!

Suppono etiam, neceſſitatem, ſicut nec exiſtentiam virtutum habitualium iſtarum probari non poſſe, nec agnoſci, niſi ex revelatione in Scriptura, vel traditione. Unde ante Concilium Viennenſe, de quo diximus ſupra, plures Theologi negabant earum infuſionem quo-

ad habitus, ſaltem in pueris: nec deeſſent Deo alia media ad homines juvandos, & elevandos ad tales actus pietatis, niſi pro ſua bonitate, & clementia ſic ſtatuiſſet eos juvare. Sit igitur

CONCLUSIO I.

F*Inis, ſeu neceſſitas virtutum Theologicarum eſt, ut homo juſtificetur, & adjuvetur ad opera meritoria vitæ æternæ per formas inhærentes, & permanentes, prout ipſe ordinavit illam eſſe promerendam.*

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quod *magiſter poſuit unum habitum, quo informante animam Spiritus S. inhabitat, & ut inhabitans quaſi perficit potentias habitibus ſupernaturalibus; duas quidem, intellectum, & voluntatem fide, & ſpe ad credendum, & ſperandum, ſed voluntatem nullo alio habitu ad amandum, quam iſto*, (ſc. charitate) *per quem dicitur inhabitare*. Vides hic, quomodo ex Dei ordinatione charitas neceſſaria ſit, ut forma perficiens animam, non ſolum ut Spiritus S. inhabitet, ſed ut perficiatur voluntas ad amandum, & fides intellectum ad credendum, & ſpes voluntatem ad ſperandum perficiant.

Prob. 2. ex Concilio Trident. docente, [2] quod *in ipſa juſtificatione, cum remiſſione peccatorum, hæc omnia recipit homo ſimul infuſa per J. C. cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem:* Hæc tertia eſt ipſa formalis juſtificatio, quatenus charitas identificatur cum gratia juſtificante. Inde dat rationem, cur hæc tria „ infundantur: nam inquit: fides, niſi ad eam ſpes „ accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Chri„ ſto, neque corpus ejus vivum membrum efficit. „ Et ideo Catechumeni petunt ab Eccleſia, cum pe„ tunt fidem vitam æternam præſtantem, quam ſine „ ſpe, & charitate fides præſtare non poteſt; ergo tres iſtæ virtutes ſunt neceſſariæ ad vitam æternam conſequendam, & quidem in adultis per opera ſingularum, & ſingulæ ad eam concurrunt.

Prob. 3. Nam de fide eſt, quod in juſtificatione infunditur charitas *cum cæteris donis, quæ ſunt fides, & ſpes*, ſine quibus homo perſeverare non poteſt de vi or-

[1] *1.d.17.q.1.MM. vel q.3.n.30.*
[2] *ſeſſ.6.c.7.*

ordinaria in accepta juſtitia: ſed vitam æternam mereri non poteſt ſine hac perſeverantia; nec poteſt ſic perſeverare ſine actibus harum virtutum, ſicut nec ſine illis poteſt iuſtificari:ergo ex Dei ordinatione iſtæ virtutes ſunt neceſſariæ adultis, & juſtificatis ad vitam æternam obtinendam. Prob.min. nam [1] *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Et, *qui non crediderit, condemnabitur*. [2] Et, *qui ſperat in Domino, beatus eſt*: [3] Et, *qui non diligit, manet in morte*: [4] ſed iſti actus commode non poſſunt haberi ſine habitibus informantibus potentias, ſc. intellectum, & voluntatem, a quibus elici debent; ergo &c.

Dices, negari poſſe min. nam ad iſtos actus ſufficeret Deum concurrere ſupernaturaliter per gratias actuales; non autem requiruntur habituales.

Contra. Nam de facto certum eſt, cum iſtis virtutibus concurrere etiam tales gratias excitantes, & juvantes; ergo ſine virtutibus vel non ſufficerent gratiæ actuales; vel illi actus non tam facile, & perfecte elicerentur.

Fateor, quod de potentia abſoluta poſſent elici cum iſtis gratiis, & a Deo ſolo cum potentiis naturalibus: ſed loquitur de via ordinaria, & Dei ordinatione ſecundum leges preſentes providentiæ divinæ. Et ſicut voluit, ut per Filium ejus, quem miſit in mundum, homines *vitam habeant*, & abundantius habeant per augmentum, quod per opera ſua obtinent; ita & virtutes, ſeu habitus præparavit, quibus juventur ad talia opera.

Dices 2. ad hoc ſufficere concurſum virtutum acquiſitarum per frequentes actus credendi, amandi, & ſperandi; ergo non ſunt neceſſarii habitus infuſi.

Contra. Nam neque habitus illi poſſunt acquiri ſine infuſis; ergo nulla ſolutio. Probat. anteced. nam actus acquiſiti habituum haberi non poſſunt facile, & connaturaliter, nec perfecte frequentari, niſi per habitus infuſos; ergo nec habitus acquiſiti. Plura dicemus de ſingulis in particulari.

Objic. 1. Fides non juſtificat, neque ſpes;ergo non

[1] *Hebr.*11. [2] *Math. ult.*
[3] *Prov.*16.
[4] 1.*Joan.*3.

ſunt neceſſariæ, nec juſtificatio eſt earum finis. Prob. antec. nam manent in peccatore; ergo non juſtificant.

Reſp. diſt. ant. non juſtificant ſeparatim a charitate, con. ſimul cum charitate, neg. ant. ſeparatæ a charitate ad juſtificationem juvant, & præparant; ſimul cum charitate juvant ad eam conſervandam, & augendam. Et hoc ſenſu dicit Apoſtolus, [1] *homo per fidem juſtificatur*, nam inquit Conc. Trid. [2] quia *fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis* &c.

Inſt. Hoc dici poſſet de fide actuali æque, ac de habituali; nec de iſta loquitur Concilium potius, quam de actuali; ergo habitualis non eſt neceſſaria, ſed ſufficeret actualis.

Reſp. diſt. conſ. ſi Deus aliter ordinaſſet, & de potentia abſoluta, con. de lege poſita, & ordinaria, neg. conſ. non negamus, quin Deus potuiſſet aliter velle, & quin poſſet id præſtare per ſe, aut per gratias actuales: ſed de facto ſtatuit hæc facere per hos habitus, & id conſtat ex Conciliis citatis, quibus docemur, has virtutes infundi pueris per baptiſmum: quod dicere non potuit de gratiis actualibus, & quoad uſum, cujus iſti non ſunt capaces; ſed tantum de habitibus, qui permanent in eis, donec poſſint eis uti.

CONCLUSIO II.

Virtutes Theologicæ non ſunt neceſſariæ potentiis animæ tantum ad facilius, & promptius, & intenſius operandum, ut habitus naturales, ſed etiam ad ſimpliciter poſſe operari. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui concedit quidem, potentiam cum habitu cauſare actum intenſiorem, & perfectiorem, & facilius cum habitu, ſed præterea quod habitus cauſet actum quoad ſubſtantiam. Salvatur, „ quod actus eſt intenſior a potentia, & habitu, quam „ a potentia ſola, non quidem quod potentia ſit cau„ ſa ſubſtantiæ actus, & habitus ſit cauſa intenſionis, „ quaſi duobus cauſatis reſpondeant duæ cauſæ; ſed „ quod

[1] *Rom.5.* [2] *c.8.*
[3] *Ibid.l.9.*

„ quod ambæ cauſæ concurrentes poſſunt producere
„ effectum perfectiorem, quam altera ſola, qui ta-
„ men effectus ſecundum ſe totum, & per ſe unus
„ eſt a duabus cauſis, ſed in diverſo ordine cauſantibus. Vides, ſubſtantiam actus non eſſe a potentia ſola, ſed etiam ab habitu: ideo ſolet communiter dici, quod habitus infuſi differunt ab acquiſitis, quatenus illi dant ſimpliciter poſſe; iſti vero dant ſolum poſſe facilius, & melius.

Prob. 2. quoad 1. p. quia juvant potentias ad actus credendi, & diligendi, & ſperandi; ergo facilitatem, & perfectionem tribuunt actibus. Prob. conſ. ex Scoto cit. *quando duæ cauſæ concurrunt ad aliquem effectum, una ſola non poteſt ex ſe in ita perfectum actum, ſicut ambæ ſimul:* ſed iſti habitus concurrunt ſimul cum potentiis ad actus fidei, ſpei, & charitatis; ergo dant illis facilitatem, & perfectionem. 2. quia niſi juvarent potentias ad promptius, & perfectius agendum, vel eſſent cauſæ totales actuum, vel nihil operarentur; ſed utrumque falſum eſt, ut dicemus; ergo dant utrumque.

Loquor autem de his habitibus reſpectu adultorum: nam, ut jam monui, certum eſt, quod neutrum dant in pueris, qui non ſunt capaces operandi.

Prob. 2. p. 1. Nam cum dico, habitus dare ſimpliciter poſſe, non dico, quod ſint cauſæ totales operationum, ſed quod potentia de ſe, & cum generali Dei concurſu non poſſit elicere ullos tales actus; ſed ita eſt de potentiis animæ reſpectu actuum ſupernaturalium fidei, ſpei, & charitatis; ergo iſti habitus dant ſimpliciter poſse, & concurrunt in ſuo genere ad ſubſtantiam actuum, non vero tantum ad perfectionem accidentalem, v. g. ad majorem intenſionem gradualem.

Prob. 2. quia illi actus ſunt ſupernaturales in ſubſtantia; ſed hoc non habent a potentia cum generali Dei concurſu; ergo quoad ſubſtantiam, & quoad eſse ſimpliciter pendent ab his habitibus. Maj. ſupponitur ex communi ſententia. Prob. min. nam actus pure naturales ſic producuntur ordinarie.

Objic. 1. con. 1. p. Si darent aliquam facilitatem, & perfectionem actibus, poſset quis ſcire certo ſe habere illos habitus, & maxime charitatis, & ſic ſciret

ſe eſſe in ſtatu charitatis, & gratiæ; ſed conſ. eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. nam quiſque poſſet in ſe experiri talem propenſionem, & facilitatem ad credendum, amandum &c. ergo & ſcire ſe habere illos habitus ſic inclinantes, & facilitantes.

Reſpond. neg. maj. & conſeq. prob. nam illa inclinatio, & facilitas poteſt etiam provenire ex habitibus acquiſitis, vel ab auxiliis ſpecialibus gratiæ actualis; & ideo ex hac inclinatione, & facilitate non arguitur certo, & præciſe exiſtentia habituum infuſorum.

Objic. con. 2. par. Si darent ſimpliciter poſſe, haberent rationem potentiæ; ſed conſeq. eſt falſum, alioqui enim actus non eſſent liberi, nec meritorii; ergo &c.

Reſp. neg. maj. non enim auferunt influxum potentiæ in illos actus, ſed elevant eam, ut poſſit eos elicere, quod non poſſet facere ſine illis, aut ſine auxilio æquivalenti, quod magis patebit ex ſequentibus.

QUÆSTIO III.

An, & quomodo virtutes Theologicæ concurrant ad actus.

SUpponebamus in præcedenti, habitum fidei v.g. concurrere cum intellectu ad actus credendi, & dicebamus, illum concurrere non tantum ad hoc, ut facilius, & perfectius quoad modum producantur, ſed etiam ut ſimpliciter exiſtant, quatenus ex lege poſita non poſſet intellectus elicere illos ſine tali habitu, aut ſine aliquo gratiæ actualis auxilio, vel concurſu Dei ſpeciali ſupplente.

Jam videndum, in quo genere cauſæ concurrant, an active, & in genere cauſæ efficientis, & hoc ſuppoſito, an tota efficientia actuum ſit ab illis habitibus? An vero potentia etiam efficienter agat, &c. Vide quæ diximus de cauſalitate habituum.

CONCLUSIO.

H*Abitus virtutum Theologicarum concurrunt efficienter ad actus ſuos, non ut cauſæ totales efficientes, ſed partialiter ſimul cum potentiis.* Videtur contra Thomiſtas quoad 2.p. quatenus videntur docere, hos habitus eſſe cauſas efficientes totales.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Poteſt dici, quod habitus eſt cauſa paritalis effectiva, cum quo etiam potentia eſt cauſa partialis reſpectu actus procedentis a potentia, & habitu* &c. Fatetur tamen, poſſe ſuſtineri contrarium, nempe quod habitus non concurrant active; & proponit, & ſolvit argumentum in utramque partem.

Prob. 2. quia aliæ virtutes, & habitus ſunt activi; ergo & iſti. Nam ſunt de genere qualitatum, & dantur ad juvandas potentias; nec videntur ad quem alium finem, & uſum darentur, ſi non ita influerent.

Confir. Nam ſi aliquid præſtant in anima, id faciunt in aliquo genere cauſæ, ſc. efficientis, aut materialis, aut formalis, aut finalis; ſed non ut cauſæ materiales, nec formales, nec finales; ergo ut efficientes. Prob. min. non ut materiales; non enim ſunt, ſed ſupponunt ſubjecta diſpoſita, ut patet ex Concil. Trident. de diſpoſitionibus ad juſtificationem, quam hæc dona ſequuntur. 2. non ut formales: nam omnes formæ, & qualitates ſunt activæ; ergo & iſtæ. 3. non ut finales; nam & ipſæ virtutes ſunt ad finem.

Denique id patebit ex dicendis de qualibet harum virtutum in particulari.

Prob. 2. p. 1. ex dictis de gratia, & lumine gloriæ, nempe quod nec gratia ſive actualis ſive habitualis, nec lumen gloriæ ſit tota ratio agendi, nec cauſa totalis actuum viſionis, & amoris beatifici, ſed ad hos actus concurrant potentiæ per ſuam virtutem naturalem, ita ut cum æquali lumine, & gratia perfectior intellectus eliciat perfectiorem viſionem; ergo idem dicendum de lumine fidei, & habitu charitatis, & ſpei.

Prob. 2. ex Concilio Trid. [2] *ſi quis dixerit, liberum hominis arbitrium excitatum nihil cooperari Deo excitanti, & vocanti aſſentiendo* &c. *Anath. ſit.* Nam idem dicendum de cooperatione ad virtutes

 infu-

[1] *Ibid. H.* [2] *Seſſ. 6. can. 4.*

infuſas; ergo ad actus fidei, ſpei, & charitatis potentia cooperatur effectivè.

Prob. 3. Nam ſi ad actum charitatis voluntas merè paſſivè ſe haberet, non eſſet liber; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. nam actus non eſt liber, niſi prout eſt in poteſtate agentis illum ponere, aut non ponere; ſed quòd illi actus poſſint elici, aut non elici, non provenit niſi à voluntate; ergo in eos voluntas influit activè. Prob. min. libertas illorum actuum pendet effectivè ab habitibus, aut à voluntate; nulla enim alia cauſa eſt aſſignabilis, quæ ad illos effectivè concurrat; ſed non pendet ab habitibus, cùm ſint cauſæ determinatæ naturaliter, & non vitales; ergo &c.

Prob. 4. Nam illi actus ſunt vitales; ſed hoc non habent ab habitibus, quia non ſunt vitales; ergo à voluntate efficiente, ſeu tanquam à principio activo, &c. Alias rationes vide in locis memoratis.

Objic. 1. con. 1. p. Alii habitus non ſunt activi; ergo nec iſti. Prob. ant. tum quia hoc non eſt certum apud Philoſophos, qui hoc non ſatis probant; tum quia ſunt de prædicamento relationis, quæ non eſt activa; nam *ad relationem non datur motus*; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & 1. prob. ejus: tum quia potiùs Philoſophi omnes docent contrarium, ut cùm dicitur, quòd habitus eſt, quo habens utitur cum voluerit: tum quia habitus, de quo hic loquimur, eſt de genere qualitatis, licèt fortè importet aliquam relationem ſecundariò. Non enim loquimur hic de habitu, prout ſignificat habere, quod eſt de ultimis prædicamentis.

Objic. 2. Unius actionis una eſt potentia activa; ergo ad actus fidei vel non agit habitus, vel voluntas; quia hæc ſunt duo principia genere, & ſpecie diverſa.

Reſp. diſt. ant. una potentia, ſeu principium activum totale, & principale, con. unum principium indiviſibiliter, neg. ant. alioqui in actibus noſtris Deus, vel potentia noſtra non concurreret activè. Igitur habitus ſpei cum voluntate ſunt duæ cauſæ partiales, & ſubordinatæ actuum ſupernaturalium, & una cauſa totalis in ſuo ordine. Potentia eſt cauſa principalis, & habitus eſt adjuvans, & inſtrumentalis. Quòd autem ſint agentia diverſi generis, nihil facit, ut patet in aliis cauſis activis naturalibus: Sol, & homo generant hominem.

Inſt.

Inſt. Si habitus concurreret effective ad actum ſpei v. g. illi tribueret aliquid, quo illi aſſimilaretur; ſed nihil tale eſt in actibus harum virtutum; ergo &c. Prob. min. ſi aliquid conferret, vel vitalitatem, vel ſupernaturalitatem; ſed neutrum præſtat; ergo nihil. Prob. min. 1. non vitalitatem, cum ipſe non vivat. 2. nec ſupernaturalitatem, quia res ſupernaturalis non poteſt produci a creatura; ergo &c.

Reſp. neg. min. 1. & 2. arg. nam ad utrumque concurrit, non ut cauſa principalis, ſed ut cauſa adjuvans reſpectu potentiæ, & ut inſtrumentalis reſpectu Dei, qui per tales habitus elevat potentiam ad actus ſupernaturales, quos ordinatione ſua acceptat ad meritum gratiæ, & gloriæ.

Objic. 3. Si virtutes eſſent activæ, agere poſſent ſeparatim a potentiis; hoc enim eſt proprium formæ activæ: v. g. calor ſeparatus a ſubjecto calefaceret: ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. & diſparitas eſt de his virtutibus, quod earum actio, & activitas talis eſt naturæ, ut non poſſit exire in actum, niſi in potentiis, & cum potentiis animæ: non ita eſt de aliis formis, quarum activitas eſt magis abſoluta.

QUÆSTIO IV.

An iſtæ virtutes diſtinguantur ab acquiſitis penes objecta, ſeu an præter Theologicas per ſe infuſas dentur etiam aliæ Theologicæ acquiſitæ.

QUia virtutes Theologicæ definiri ſolent quoad Etymologiam vocis eæ, quæ verſantur immediate circa Deum objectaliter attingendum, & juxta cauſam effectivam, & modum, quo habentur, ſc. quod infundantur a ſolo Deo, dubitari poteſt, per quam harum duarum conditionum magis diſtinguantur ab acquiſitis, ſeu an ita diſtinguantur penes objectum terminativum, & motivum, ut nulla ſit poſſibilis virtus acquiſita circa idem objectum. Aliter etiam proponi ſolet; an ſc. perfrequentationem actuum credendi, ſperandi, & diligendi Deum acquirantur habitus facilitantes ad ſimiles actus naturaliter producendos ex iiſdem motivis.

CONCLUSIO I.

V*Irtutes infuſæ, & acquiſitæ non diſtinguuntur penes objecta motiva, & terminativa* : ſeu, *dantur virtutes Theologicæ acquiſitæ per actus infuſarum*. Videtur contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quod per actus infidelitatis, & deſperationis non corrumpuntur habitus fidei, & ſpei infuſæ, niſi demeritorie: *& ſi velis habere aliquid, quod corrumpatur per iſtos actus, tanquam repugnans formaliter, dico, quod illud non eſt niſi fides, & ſpes acquiſita. Et bene poſſibile eſt per actus noſtros induci aliquid repugnans formaliter illis habitibus acquiſitis*; ergo Scotus admittit acquiri habitus fidei, & ſpei, qui corrumpuntur per actus contrarios.

Prob. 2. Nam fides acquiſita poteſt tendere in omne objectum, in quod tendere poteſt infuſa, & ex eodem motivo; ita eſt de ſpe, & charitate: ergo non diſtinguuntur ab infuſis penes objecta materialia, nec formalia. Probatur ant. homo per fidem acquiſitam poteſt credere, Deum eſſe unum, & trinum propter revelationem, aut veracitatem divinam; ſed Deus trinus eſt objectum materiale fidei, & revelatio, ſeu veracitas eſt objectum motivum, & formale fidei infuſæ; ergo fides acquiſita poteſt in idem tendere. Prob. maj. 1. quia homo non baptizatus æque, ac baptizatus poſſet credere Doctori dicenti, Deum eſſe unum, & trinum, & veracem, & hoc revelaſſe; & ex actibus frequentibus hoc credendi acquireret habitum, & facilitatem ad ſimiles: ſed iſte actus non eſſet fidei infuſæ, ſed acquiſitæ in non baptizato, ſicut eſſet fidei infuſæ in baptizato; ergo &c. 2. quia hæretici, qui amiſerunt fidem infuſam propter hæreſim circa Euchariſtiam v. g. non minus credunt Myſterium Trinitatis, quam Orthodoxi, & ex motivo revelationis; ſed id non credunt per fidem infuſam; ergo per fidem acquiſitam, quæ habet idem objectum, Maj. patet experientia: nam qui a fide caderet in hæreſim, experiretur ſe eodem modo, & motivo credere articulum poſt amiſſam fidem infuſam, quo credebat, antequam caderet. Imo fide humana poſſet quis credere propter

pter

[1] 4.d.1.q.1.QQ.33.

pter auctoritatem hominis probi, Deum eſſe veracem, & eum revelaſſe ſe eſſe unum, & trinum, & propter illam veracitatem aſſentiri huic propoſitioni, *Deus eſt unus, & trinus*: quæ enim in hoc repugnantia? ſed hæc credulitas non eſſet a fide infuſa, ſed acquiſita, ergo &c.

Confir. Poſſet gentilis legere catechiſmum Catholicum, & in eo videre, quod Deus eſt verax, & infallibilis in his, quæ revelat, & quod revelat ſe eſſe unum, & trinum, & hoc credere propter illud; ſed hæc credulitas erit ex fide acquiſita, non ex infuſa, ſaltem habituali; ergo &c.

Confir. 2. Niſi enim hoc poſſet credi ex fide naturali, & acquiſita, homo cognoſceret naturaliter ſe habere fidem, ſpem, & charitatem. & per conſequens ſe eſſe in gratia; ſed hoc eſt falſum, ut dictum eſt alias; ergo & ant. prob. maj. nam poſſum certo ſcire, & experiri, quod aſſentior ſyncere huic articulo fidei, *Deus eſt unus & trinus*; & quod amo Deum propter ſe: ſed hoc non poſſum præſtare, niſi per fidem, & charitatem ſupernaturaliter infuſam; ergo ſcirem certo, me habere utramque, & eſſe in charitate, ſeu gratia.

Objic. Sequeretur virtutes acquiſitas, & infuſas eſſe ejuſdem ſpeciei, & utraſque eſſe Theologicas; ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes; ergo & quod acquiſitæ, & infuſæ habeãt idem objectum motivum, & terminativum. Prob. maj. virtutes ſpecificantur ab objectis; ſed illę infuſæ, & acquiſitæ haberent eadem objecta terminativa, & motiva; ergo eſſent ejuſdem ſpeciei.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. ſpecificantur ab objectis, ita ut quæ habent diverſa ſpecie objecta, ſint ſpeciei diverſæ, con. ita ut quæ habent eadem objecta præciſe non poſſint aliunde differre, neg. maj. & conſ. nam poſſunt differre ex principiis intrinſecis, & effectivis: minus requiritur ad diſtinctionem, quam ad unitatem; unitas excludit omnem cauſam diverſitatis; ad diſtinctionem vero, ſeu diverſitatem ſufficit minima cauſa. Infuſæ ſunt ex principio partiali activo ordinis ſupernaturalis, item & ex effectibus: nam virtutes per ſe infuſæ dant ſimpliciter poſſe; acquiſitæ vero non dant niſi agere delectabiliter, & facilius, & perfectius, ut dictum eſt.

Objic. 2. Si darentur naturales acquiſitæ circa idem objectum materiale, & formale, fruſtra eſſent ſupernaturales, & infuſæ; imo & iſtæ non eſſent per ſe, ſed per accidens infuſæ; ſed conſ. eſt falſum, & contra nos; ergo & ant. Prob. maj. nam per acquiſitas haberemus actus omnes, qui habentur per infuſas; ergo iſtæ non eſſent neceſſariæ, nec per ſe infuſæ: nam ideo non ſunt neceſſariæ, ut attingamus, & operemur circa Deum aſſenſum ad veritates ejus, & per affectum circa ejus bonitatem, & per ſe infuſæ in hoc differunt a per accidens infuſis, quia iſtæ nulla vi creata poſſunt haberi, ſicut illæ.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam infuſæ requiruntur, ut operemur circa Deum actibus ſupernaturalibus, & proportionatis fini, ad quem diſponunt, qui eſt ſupernaturalis, nempe meritum, & acquiſitio vitæ æternæ, & tales actus nulla vi creata poſſunt haberi, nec habitus ad eos concurrentes, & neceſſarii, & ſic ſunt per ſe infuſi a ſolo Deo.

Inſt. Ergo virtutes infuſæ, & acquiſitæ non habent eadem objecta formalia: ſed hoc eſt contra concluſionem noſtram; ergo eſt falſa quoad hoc. Prob. maj. virtutes infuſæ tendunt in Deum ut attingibilem, ſeu amabilem, & credibilem ſupernaturaliter; acquiſitæ vero ut attingibilem naturaliter; ſed hæ formalitater differunt ſpecie; ergo &c.

Reſp. neg. maj. ſubſumptam, & diſt. min. prob. ſunt diſtinctæ formalitates, quæ non movent potentiam, nec ab ea explicite cognoſcuntur, licet adſint, con. quæ movent, & cognoſcuntur, neg. min. & conſ. nam naturalitas, & ſupernaturalitas ſunt quidem conditiones, quæ inſunt ex principiis illorum actuum; ſed non movent, nec determinant potentias, nec ab eis percipiuntur. Supernaiutalitas eſt ratio formalis, qua Deus creditur, vel amatur, non vero ratio, quæ moveat ad amandum in actibus fidei, & charitatis infuſæ: ita eſt de naturalitate in actibus fidei, & charitatis acquiſitæ.

Vides ergo, quod tam acquiſitæ iſtę, quam infuſę dici poſſunt Theologicæ; quia habent Deũ pro objecto tã terminativo, & materiali, quam motivo, & formali, & quod de omni objecto, de quo haberi poſſunt actus, & habitus, & virtutes infuſæ, poſſunt haberi acquiſitæ.

CON-

CONCLUSIO I.

Per *actus virtutum ſupernaturalium acquiruntur habitus naturalis ordinis*. Hæc ſupponebatur in præcedenti.

Prob. 1. ex Scoto cit. nam fides, & ſpes illæ acquiſitæ, quas dicit corrumpi per actus infidelitatis, & deſperationis, potuerunt acquiri per actus illarum virtutum ſupernaturalium.

Prob. 2. Nam experientia docet, fideles per frequentes actus credendi aliquibus articulis fidei v. gr. acquirunt facilitatem credendi eiſdem præ aliis, & quòd amiſſo habitu fidei propter hæreſim circa aliquos, adhuc retinent habitum credendi alios: ſed hæc non poſſunt provenire ab habitu infuſo; tum quia ſupponitur amiſſus in hæretico; tum quia eſt æqualis circa omnes articulos in Catholico: ergo proveniunt ab habitu naturali acquiſito per actus ſupernaturales frequentatos.

Nec dicas, has facilitates provenire ex actibus naturalibus elicitis ſimul cum ſupernaturalibus: nam gratis hoc diceretur, & contra omnem experientiam. Quis enim unquam expertus eſt, ſe habere ſimul duos diſtinctos actus circa idem objectum, naturalem unum, & alium ſupernaturalem?

Objic. Illi duo habitus fidei acquiſitæ, & infuſæ producerent ſimul duos actus diſtinctos, vel unicum; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec quòd actus fidei infuſæ generet habitum fidei acquiſitæ, & naturalis. Maj. patet: neuter enim debet eſſe otioſus. Prob. min. 1. non duos actus ſimul; nam id mox negabamus; 2. non eundem; nam iſte actus eſſet ſimul naturalis, & ſupernaturalis, ſed hoc dici non poteſt; ergo &c. Prob. maj. nam prout eſſet ab habitu naturali, eſſet tantùm naturalis, non enim poſſet ſuperare ſuam cauſam, & eſſet ſupernaturalis, prout ab habitu ſupernaturali produceretur.

Reſp. neg. 1. min. nam producerent eundem ut duæ cauſæ partiales, & ſubordinatæ, & neg. ſimiliter 2. min. nam ſub diverſo reſpectu diceretur utrumque, ſi ab utroque, & ſub eodem motivo procederet; ſicut omnes actus harum virtutum, prout procedunt indiviſibi-

ſibiliter ab habitu infuſo, qui eſt principium ſupernaturale, & ab intellectu, qui eſt potentia naturalis, & principium naturale. Nota tamen, quod loquimur de his virtutibus, prout ſint ſupernaturales, & per ſe infuſæ.

Colligis, quo ſenſu habitus fidei, & aliarum Theologicarum virtutum dicantur dare potentiis ſimpliciter agere, & quo ſenſu id non ſit verum. Dicuntur dare ſimpliciter agere, quatenus elevant potentias ad actus, ad quos iſtæ abſolute non poſſent attingere, ſc. actus in ſubſtantia ſupernaturales, quos nec facile, nec difficilius, nec imperfecte poſſent elicere, niſi ſic elevarentur, & juvarentur: in hoc differunt ab habitibus, & virtutibus acquiſitis, & naturalibus: nam iſti non dant ſimpliciter agere, ſed tantum agere cum majori facilitate, & modo perfectiori. Si vero per dare ſimpliciter agere intelligas, quod ſunt tota ratio agendi, adeo ut potentiæ de ſuo nihil efficiant in actus, hoc falſum eſt: nam patet ex dictis, quod intellectus, & voluntas per ſuas innatas facultates concurrunt efficienter in actus fidei, ſpei, & charitatis mediante elevatione, & auxilio horum habituum, ſine quibus non poſſunt ſic attingere, & agere circa ſua objecta.

QUÆSTIO V.

De cauſa effectiva virtutum Theologicarum, a quo, & quomodo producantur, & amittantur.

JAm diximus in definitione harum virtutum, quod a ſolo Deo infunduntur; ſed id probandum remiſimus in hunc locum, & præcipue videndum, quomodo producantur a Deo, An per creationem, An per actionem eductivam, ſicut diſputavimus de productione gratiæ. Quæſtio etiam procedere poſſet de cauſa meritoria.

CONCLUSIO I.

V*Irtutes Theologicæ ſupernaturales a Deo ſolo infunduntur, & hoc per actionem creativam*. Quoad 1. p. eſt communis; non ita quoad 2. ut patuit de gratiæ productione.

Prob.

Prob.1.ex Scoto (1) docente, quod *oportet ponere fidem infuſam propter auctoritatem Scripturæ, & Sanctorum ... & hoc a Deo, ut perficiat animam in actu primo, quia Dei eſt perfecte perficere... & ſicut perficit voluntatem per charitatem, ſic & intellectum per fidem*, &c. Ad quod faciunt auctoritates Scripturæ, & Eccleſiæ orationes, quibus ipſum augmentum harum virtutum petimus. *Domine adauge nobis fidem*. Et, *da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum*, &c. Si enim a ſolo Deo datur augmentum, a fortiori & ipſæ virtutes quoad primum eſſe dantur a ſolo Deo.

Prob.2. 1.p. ex Scriptura: nam de fide ait Apoſtolus, [2] *Deus diviſit menſuram fidei, ſive prophetiam ſecundum rationem fidei*, &c. Item, [3] *alteri datur fides in eodem ſpiritu... quod omnia operatur unus, atque idem ſpiritus*, &c. [4] Et de charitate, *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.* &c. [5] Item, *Dominus... abundare faciat charitatem veſtram*. Et ſponſa fatetur, (6) quod Deus ſponſus *ordinavit in ea charitatem*. Et de ſpe, [7] *memor eſto verbi tui ... in quo mihi ſpem dediſti*. [8] Item, *abundetis in ſpe, & virtute Spiritus S*. Et dicitur *Deus ſpei*; & quod Deus Pater [9] *ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam*, &c. Et generaliter (10) *omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum*, &c.

Prob.3. ex Concil. Trident. (11) docente, quod *per Spiritum S. gratia Dei diffuſa eſt in cordibus eorum, qui juſtificantur. Unde in juſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem*; ergo &c.

Confir. ex Patribus. Nam inquit Auguſtin. [12] *fidei initium, & augmentum non naturæ, ſed gratiæ donum eſt*. Et alibi, [13] *charitas eſt major fide, & ſpe, quæ in nobis a Deo ſunt*. Et ſic de aliis.

Prob. denique. Nam ex omnium conſenſu virtutes iſtæ ſunt dona ſupernaturalia; ergo ſunt a Deo ſupernaturaliter, & ſupra exigentiam, ac debitum naturæ agente, quod magis patebit ex 2.p. nam ſi non exi-

[1] 3.*d*.33.*H*.14.& 15. (2) *Ro*.12. [3] 1.*cor*.12.
[4] *Ro*.7. (5) 1.*Theſ*.3. [6] *Cant*.1. [7] *pſ*.118.
[8] *Ro*.15. [9] 1.*pe*.1. (10) *Jac*.1. (11) *ſeſſ*.6.*c*.7.
[12] *præd.SS*.2. (13) *tr*.83.*Jo*.

exiſtant, niſi per creationem, certum eſt, quod creatio ſoli Deo convenit.

Pob. 2. p. ex Scoto. Nam notat Poncius a Scoto ita certam putari, & ut talem ſupponi, ut nuſquam putet eam eſſe probandam: ita hic auctor in ſumma, & in ſuo commentario ad d. 17. primi: Prob. inquam ex iis Scripturæ, & Patrum locis, quibus probavimus gratiam exiſtere per creationem: nam eadem eſt ratio de his virtutibus, ac de ipſa gratia quoad hoc, & maxime ſuppoſita ejus identitate reali cum entitate charitatis, quæ eſt una ex illis.

Confir. Nam certum eſt, has virtutes eſſe a ſolo Deo, qui non dependet in ſuis productionibus a concurſu materiæ, vel ſubjecti, & nihil repugnat eas ſic produci in anima; ergo ſic de facto producuntur, ſc. independenter ab ullo præſuppoſito ſubjecto; ergo per creationem.

Objic. 1. con.1.p. Quælibet harum virtutum poteſt acquiri per actus proprios; ergo non ſunt a Deo ſolo. Prob. ant. experientia Catechumenorum, qui ante infuſionem habituum ſentiunt ſe inclinari ad actus earum, & eos frequentant, & per hanc frequentationem tales habitus acquirunt, ut ſe exponant martyrio pro fide; ſed Catechumeni non habent hos habitus infuſos: non enim ſolent infundi ante baptiſmum; ergo id faciunt per habitus acquiſitos.

Reſp. diſt. ant. quælibet naturalis, con. ſupernaturalis, neg. ant. & conſ. non enim negamus, quin habitus naturales fidei, ſpei, & charitatis etiam Theologicæ poſſint acquiri, ſed non ſupernaturales, qui ex Dei ordinatione ſunt neceſſarii ad ſalutem conſequendam, & ut dicebamus, poſſunt Catechumeni acquirere habitus illos naturales per actus ex gratiæ actualis, & ſpecialis auxilio elicitos, ſed non ſupernaturales, de quibus loquimur.

Objic. con.2. Quod exigit produci dependenter a ſubjecto, non creatur; ſed talis eſt productio virtutum iſtarum; ergo non creantur. Maj. patet ex definitione creationis, prout diſtinguitur ab eductione. Prob.min. quod exigit exiſtere in ſubjecto, & dependenter ab illo, exigit etiam ita produci; ſed iſtæ virtutes exigunt ineſſe, & exiſtere dependenter a ſubje-

cto;

cto; ſunt enim accidentia, & per conſequens entia, quæ non per ſe exiſtunt, nec habent ſubſiſtentiam; errgo &c.

Reſp. neg. min. & maj. prob. nam formæ ſpirituales exigunt exiſtere in ſubjecto, & tamen producuntur independenter ab illo. Ita eſt de aliquibus accidentibus, & maxime de ſupernaturalibus, quæ cum a ſolo Deo produci poſſint, ſic nec in fieri dependent a ſubjecto, ut nec ipſe Deus dependet in ſuis productionibus; & tales ſunt iſtæ virtutes.

Inſt. Aliæ formæ ſubſtantiales, præter animam, & accidentales dicuntur educi ex ſubjectis, quæ informant; ergo & iſtæ propter eandem rationem, ſc. ob eandem dependentiam in exiſtendo, dependent etiam in fieri a ſubjectis.

Reſp. neg. conſ. & ratio negati patet ex reſponſione præallata: quippe ſicut exigunt à ſolo Deo produci, ita & produci independenter a concurſu ſubjecti, licet in eo conſerventur. Ideo dicit Poncius, quod quaſi duæ actiones Dei concurrunt in harum virtutum infuſione, ſc. ea, qua creantur, ſeu producuntur independenter ab ullo concurſu ſubjecti, & alia qua infunduntur, & uniuntur ſubjecto, quod non contingit in iis, quæ educuntur; nam eadem actione reali producuntur, & inducuntur.

De cauſa meritoria nihil ſpeciale occurrit dicendum: nam certum eſt, eas virtutes non dari niſi ex meritis Chriſti, & quoad nos idē eſt de illarum prima infuſione, ac de prima gratia juſtificante; nec videntur cadere ſub meritum magis, quam iſta, ſicut non minus ſunt principium meriti, & ſimul cum iſta infunduntur, ut patet ex Concilio Tridentino citato. Idem eſt de augmento illarum, ac de augmento gratiæ; nam ſicut iſtud cadit ſub meritum, ita & illud.

CONCLUSIO II.

Habitus ſupernaturales virtutum infuſarum non deſtruuntur phyſice, ſed moraliter, ſeu demeritorie. Eſt communis Scotiſtarum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Concedo, quod fides non corrumpitur in nobis effective, ſed demeritorie, & quidem non per*

[1] *Ibid.*

per quodcumque demeritum, ſed per illud, quod ex ratione ſua opponitur fidei, cujuſmodi eſt infidelitas, ſive error circa credibilia, &c. Eadem eſt ratio de aliis.

Prob. 2. ex dictis de oppoſitione peccati cum gratia: nam quoad hoc eadem eſt ratio de his habitibus, ac de habitu gratiæ ſanctificantis, qui eſt realiter idem cum habitu charitatis. Unde

Prob. 3. Nam ſi habitus non opponuntur phyſice cum ullo peccato; ergo non deſtruuntur, nec amittuntur per formalem, & phyſicam actionem ullius cauſæ creatæ; nam non corrumpuntur habitus phyſice, ſicut nec aliæ qualitates, niſi per contrarias.

Confir. Nam ſicut a ſolo Deo producuntur, & quidem per creationem, ut dictum eſt, ita & ab illo ſolo deſtruuntur; & quidem per annihilationem.

Objic. 1. Infidelitas, & fides opponuntur phyſice; ergo & phyſice expellunt ſe: idem eſt de ſpe, & charitate. Prob. ant. nam ſicut infidelitas eſt habitus inclinans ad diſſentiendum veritatibus revelatis, ita fides ad aſſentiendum eiſdem; ergo &c.

Reſp.neg.conſ.nam fides inclinat ſupernaturaliter, infidelitas vero naturaliter, & ſic non opponuntur ſub eodem genere, & ordine. Aliud eſt, quod opponantur quoad actus, qui ob limitationem potentiæ non poſſunt eſſe ſimul. Infidelitas quidem corrumperet habitum fidei acquiſitum, ſed non infuſum, cujus conſervatio, ſicut & productio, pendet a ſolo Deo: ita eſt de aliis.

Objic. 3. Si habitus fidei, & ſpei deſtruerentur demeritorie, deberent amitti per quodlibet grave peccatum; ſed conſ. eſt falſum, ut patet ex dictis; ergo &c. Prob. maj. nam omne peccatum mortale eſt graviſſimum demeritum.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. nam in argumento ſupponitur, quod Deus idem ſtatuerit de omni peccato reſpectu omnium iſtorum habituum; quod non eſt verum de habitu ſpei, & fidei: nam cum hæc oppoſitio peccati, & donorum Dei ſit ex ipſius ordinatione, & non ex natura rei, ſi non ita ſtatuit de omnibus, non poteſt inferri idem de omnibus.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quæ, & quot ſint virtutes ſupernaturales Theologicæ, & quam inter ſe habeant connexionem.

DIximus, virtutes vocari Theologicas, quia reſpiciunt Deum immediate, & in ſe in ratione objecti, & in hoc diſtinguuntur ab aliis virtutibus Chriſtianis, & moralibus, quæ reſpiciunt quidem illum ut finem, & ſunt aliquo modo ſupernaturales, quando ſc. opera earum eliciuntur ex auxilio gratiæ actualis, aut etiam habitualis; imo & quædam videntur immediatius, & directius reſpicere Deum, ut religio, pœnitentia, timor domini, & aliæ ſimiles. Ideo quærimus hic præciſum numerum virtutum vere, & proprie Theologicarum.

Diximus etiam, illas ſimul infundi cum gratia ſanctificante, & ideo quæri ſolet, an, & quomodo inter ſe connectantur, adeo ut ſint a ſe invicem ſeparabiles quoad entitatem habituum: quæ hac quæſtione ſunt breviter explicanda.

CONCLUSIO I.

T*Res ſunt, & non plures proprie virtutes Theologicæ, fides, ſpes, & charitas*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quod *fide tenemus tres virtutes Theologicas eſſe neceſſarias, & perficientes immediate animam reſpectu objecti increati* &c. Et, *circa Deum ſufficienter perficitur tribus virtutibus Theologicis, & hoc perfectiſſime, quantum perfici poteſt, ſi illi tres habitus ſunt perfectiſſimi in ſuo genere; quia circa ipſum immediate cognoſcendum in via ſufficienter perficit fides ..... circa autem ipſum ut diligibilem in ſe ſufficienter perficit charitas, & ut appetibilem, ut commodum mihi ſufficienter perficit ſpes .... ſed non convenit, viatorem habere circa Deum actus ordinatos alios, quam intelligere, diligere ipſum in ſe, & appetere eum mihi ut bonum meum*. Habes ergo concluſionem aſſertam, & probatam.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus. Nam D. Paulus enu-

[1] 3.d.34.B.6.

Reſp. neg. ant. utrumque. : nam cum intellectus non ſit capax attingendi Deum in via clare, & diſtincte, ſufficit eum cognoſcere ut verum, & veracem. At quia rationem habet ſummi boni noſtri in ſe, & ſummi boni & nobis, ideo requiruntur duæ virtutes in voluntate, quibus perficiatur ad eum attingendum ſub utraque formalitate, quales ſunt charitas, & ſpes.

Objic. con.2.p. Ad actum fidei, præter lumen ſupernaturale revelationis in intellectu, requiritur pia affectio in voluntate, quæ captivet intellectum ad aſſentiendum revelatis obſcuris; ergo fides importat duas virtutes, ſeu duos habitus ſupernaturales, & Theologicos.

Reſp. neg. conſ. nam habitus in voluntate, quo captivatur intellectus, ſeu pia illa affectio non reſpicit directe Deum, ſed honeſtatem credulitatis circa veritates revelatas, & pertinet ad aliquam virtutem moralem.

Reſp. 2. diſt. eandem conſ. importat duas virtutes partiales, quæ unicam faciant totalem, con. duas totales, & diſtinctas, neg. conſeq. nam pia illa affectio concurrit quidem ad actum credendi, ſed partialiter cum intellectu credente, ſeu aſſentiente.

Objic.2. Sunt plures alii habitus tam in intellectu, quam in voluntate circa Deum ut objectum, qui non pertinent ad ullum ex tribus aſſignatis; ergo & ſunt multo plus quam tres virtutes Theologicæ. Prob. ant. nam habitus *ſcientiæ* Theologicæ, habitus ſapientiæ, religionis, pœnitentiæ, & donum timoris Domini verſantur directe circa Deum ut objectum, & circa illum perficiunt intellectum, & voluntatem; ergo &c.

Reſp. neg. ant. utrumque, & 1. de Theologia, ejus concluſiones non ſunt ſupernaturales, quia ſequuntur ex una præmiſſa non revelata, ſed naturali, ut diximus alias. 2. vel pertinet ad fidem, ſi eſt obſcura, & de revelatis; vel ad Theologiam, ſi eſt partim ex naturalibus, partim ex revelatis, vel ad metaphyſicam, ſi eſt de primis, & ſublimioribus principiis, & veritatibus. 3. religio reſpicit quidem ſupremam Dei excellentiam, & majeſtatem, ſed ut objectum, cui

cui defert cultum debitum, ſeu latriam, non vero ut objectum *quod*, ut videbimus ſuo loco. 4. pœnitentia non reſpicit Deum directe, ſed peccatum ut offenſam Dei: & denique donum timoris filialis pertinet ad charitatem, vel omne malum, quod poteſt Deo diſplicere, ſi eſt initialis, vel malum pœnæ, quod imminet peccanti, & offendenti Deum, imo & timor iſte reduplicative ut ſervilis, non eſt virtus.

CONCLUSIO II.

Virtutes Theologicæ diſtinguuntur realiter tum inter ſe, tum ab aliis virtutibus moralibus, & ſunt ab invicem ſeparabiles, non autem neceſſario connexæ. Eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] quoad utramque partem: primo de moralibus, *Dico, virtutes morales non requirere Theologicas ad hoc, ut ipſæ morales ſint perfectæ in ſpecie ſua .... & quoad 1. p. dico, quod virtutes Theologicæ non ſunt connexæ inter ſe, ſicut patet in patria, ubi manebit habitus, & actus charitatis ſine habitu, & actu ſpei; & in via, ubi in peccatore manent fides, & ſpes ſine charitate: ergo ex ratione habituum in exiſtendo non eſt neceſſaria connexio earum*. Merito dicit *in exiſtendo*, nam re vera in earum fieri, & infuſione ſimul infunduntur tres Theologicæ, ut patet ex Conciliis Viennenſi, & Tridentino, & Moguntino IV. quæ ſupra retulimus.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Scriptura citata, qua conſtat, charitatem in patria remanſuram ſine fide, & ſpe. Et ex Apocalypſi, [2] ubi arguitur Epiſcopus Epheſinus, quod cæteras quidem virtutes haberet; *ſed charitatem tuam primam reliquiſt.*; ergo virtutes Theologicæ non ſunt neceſſario connexæ.

Prob. 3. ex Concil. Tridentin. [3] *ſi quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia*, (quæ eſt charitas) *ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe chriſtianum, Anath. ſit*. Hinc

Prob. 4. Nam per peccatum mortale amittitur charitas,

[1] 3. *d.*36.*Q.*29.*& R.*30.*&* 31.
[2] *Apoc.*2. [3] *ſſ.*6.*can.*28.

ritas, non autem fides, nec ſpes; ergo ſunt ſeparabiles, & non connexæ.

Prob. 2. p. quia in pueris ſunt virtutes Theologicæ infuſæ cum gratia juſtificante, ut mox dicebamus ex Conciliis, non autem morales. 2. S. Auguſtinus, & alii Patres fatentur, Philoſophos, & gentiles habuiſſe morales, non autem Theologicas. 3. certum eſt, quod in hæreticis, & Apoſtatis a fide remanent plures virtutes morales: unde Chriſtus dicebat: *filii tenebrarum ſunt prudentiores filiis lucis.* 4. certum eſt apud omnes, quod Theologicæ infunduntur a Deo, morales vero acquiruntur uſu; ergo &c.

Objic.1. con.1. p. Fides, & ſpes, ſicut nec aliæ virtutes, ſine charitate non ſunt perfectæ, imo nec ſunt virtutes veræ ex Auguſtino, & Apoſtolo: ergo omnes virtutes Theologicæ, imo & aliæ ſunt connexæ.

Reſp. diſt. ant. non ſunt perfectæ in ordine ad ſalutem conſequendam, con. in ſua ſpecie, neg. ant. & conſ. nam Apoſtolus, & Auguſt. loquuntur de illis virtutibus in ordine ad ſalutem conſequendam, ſeu ad meritum vitæ æternæ.

Inſt. Sine charitate non ordinant ad finem, propter quem infunduntur; non enim proſunt ad ſalutem, quæ eſt finis earum; ergo non ſunt virtutes.

Reſp. diſt. ant. ut ſupra, non ordinant ad finem meritorie conſequendum, con. ad finem ſuo modo ſpecifico, neg. ant. & conſ. fides in ſua ſpecie ordinat nos ad credenda ea, quæ Deus revelat; ſpes vero ad appetenda, & expectanda, ſeu ſperanda bona æterna, quæ Deus præparavit nobis: ſed illa credulitas, neque ſpes non ſunt meritoriæ ſine charitate.

Inſt. 2. Sine charitate dicuntur informes apud Theologos; ergo & imperfectæ.

Reſp. eodem modo, informes informitate meritoria, con. informitate ſpecifica, & ſibi propria, neg. ant. Theologi vocant quidem virtutes informes, quando ſunt ſine charitate, quam in hoc ſenſu vocant formam virtutum, quia eas perficit, ut placeant Deo meritorie, & ab eo acceptentur ad retributionem vitæ æternæ; ſed non prætendunt, eas

ſine

ſine charitate non eſſe veras, & perfectas in ſua ſpecie, ut de fide patet ex definitione Concilii Tridentini cit.

Inſt.3. Saltem coexigunt charitatem; ergo exigitive ſunt connexæ, & inſeparabiles.

Reſp. diſt. ant. coexigunt ad conſummatam perfectionem hominis, con. (nam ſine charitate homo non eſt perfectus, nec ſalvabitur) ad propriam perfectionem in ſua ſpecie, neg. ant. hanc enim habent ſingulæ a Deo, qui earum eſt operator, & largitor, & cujus ſunt perfecta opera.

Objic. 1. con. 2. p. Homo non dicitur pefectus, ſi deſit ei vel unica virtus: nam ex Scoto cit. perficitur ſeptem virtutibus, ſcil. tribus Theologicis, & quatuor moralibus; ergo omnes ſunt connexæ.

Reſp. eodem modo, ſcil. ut homo ſit undecumque, & ſimpliciter perfectus, con. ut virtutes ſingulæ ſint in ſua ſpecie perfectæ, neg. ant. Scotus loquitur de perfectione ſubjecti, non vero de perfectione virtutum ſingularum in ſua ſpecie.

Objic. 2. ex Concilio Tridentino. Cum gratia juſtificante infundutur etiam alia dona; ergo & aliæ omnes virtutes tam morales, quam Theologicæ; nam omnes comprehenduntur ſub nomine donorum; ergo ex parte Dei omnes ſunt connexæ.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus: nam Concilium explicat, quænam ſint ea dona, cum addit, *cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo... fidem, ſpem, & charitatem*: & ſicut illa ſimultas infuſionis virtutum iſtarum non impedit earum ſeparabilitatem; ita quamvis concederemus, etiam morales ſimul infundi cum Theologicis, non inferretur earum connexio in facto eſſe, & ſi in facto eſſe ſunt ſeparabiles, ergo & in fieri: nam Deus non ligatur ad omnes ſimul largiendas potius, quam ad omnes indiviſibiliter conſervandas.

Objic. 3. Virtutes Theologicæ nequeunt eſſe imprudentes, injuſtæ, intemperantes, & imbecilles; ſed ſunt imprudentes, &c. niſi habeant ſimul prudentiam, &c. ergo neceſſario exigunt morales, ſcilic. prudentiam, juſtitiam &c. ergo omnes ſunt connexæ.

Reſp. neg. min. nam ſine habitu prudentiæ, juſti-

tiæ, &c. non ſunt quidem prudentes, ſed non ſunt imprudentes.

Reſp. 2. diſt. min. ſunt imprudentes negative, con. poſitive, neg. min. ſunt non prudentes, ſed hoc non inducit connexionem neceſſariam ad ſingularum perfectionem ſpecificam.

Inſt. Homo non debet ſanari tantum in parte ſuperiori, & in ordine ad Deum, ſed etiam in parte inferiori, & in ordine ad ſe, & ad proximum: ſed ſic non poteſt ſanari, niſi per morales; ergo iſtæ connectuntur cum aliis.

Reſp. ut jam dictum eſt non ſemel, verum eſſe, quod ut homo ſit undecumque, & ſimpliciter perfectus, & ſanus, debet habere omnes virtutes ſuo ſtatui neceſſarias: ſed hoc venit ex parte hominis, non ex parte virtutum.

DISPUTATIO III.

De virtutibus Theologicis in particulari, & 1. de fide.

FIdes eſt primum fundamentum ſupernaturalis ad vitam chriſtianam ædificii, ait Auguſtinus, *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, & diligendo perficitur*: ideo ab iſta ordimur diſputationem de divina virtutum triade.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit fides Theologica.

FIdei vox varie ſumitur in Scriptura. 1. reperitur uſurpata pro *fidelitate*, ſeu parte illa juſtitiæ, qua implentur promiſſa: ut cum dicitur: [1] *fidelis Deus, & abſque ulla iniquitate*; quia implet, quod dicit. 2. pro *atteſtatione* dicti alicujus: ut cum legimus, [2] *Vir bonus fidem facit pro proximo ſuo*. 3. pro *fiducia* in Deum: ut cum dicitur, [3] *poſtulet in fide nihil hæſitans* 4. pro *conſcientia*: ut cum dicitur, [4] *quod non eſt ex fide, peccatũ eſt*. 5. pro actu, quo aſsẽtimur aliorũ dictis: ut

[1] *Deuter.* 31. [2] *Eccl.* 27.
[3] *Jac.* 1. [4] *Rom.* 14.

ut cum legimus, *non omni verbo credas*. 6. pro objectis talium actuum credendi, ſeu pro myſteriis, aut rebus creditis: ut cum dicit S. Athanaſ. [1] *hæc eſt fides catholica*; loquitur de articulis ſymboli. 7. pro habitu illo ſupernaturali, quo inclinamur ad aſſentiendum veritatibus doctrinæ chriſtianæ ut revelatis a Deo, vel pro actibus talis aſſenſus: ut cum dicitur, *juſtus ex fide vivit*. De hac fide hic agimus, non de aliis; & quærimus, an talis fides exiſtat, & quid illa ſit?

CONCLUSIO I.

E*Xiſtentiam fidei authoritas ſuadet, ratio non demonſtrat*. Hæc patet ex diſp. præcedenti, ubi trium harum virtutum exiſtentiam probavimus.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Oportet ponere fidem ſupernaturaliter infuſam propter auctoritatem Scripturæ, & Sanctorum, ſed non poteſt demonſtrari, fidem infuſam ineſſe alicui, niſi præſuppoſita fide*. Ecce utramque partem concluſionis ex Scoto.

Prob. 1. p. ex Script. dicente, [3] *dabitur ei donum fidei*. Item, [4] *nunc manent fides, ſpes, charitas*. [5] Item, *Domine adauge nobis fidem*. Item [6] *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: Sed hæc, & ſimilia loca intelligunt SS. Patres de fide habituali infuſa; ergo datur talis fides.

Prob. 3. ex Conciliis. Nam in Viennenſi, [7] ut diximus, approbatur opinio docens, in pueris, & adultis infundi gratiam, & virtutes, *ut magis conſona dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum*. Non erat quidem dubium de adultis, ſed de pueris. Et in Trident. dicitur, quod *in juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc recipit homo ſimul infuſa, fidem*, &c. Et definit, quod per peccatum non perditur vera fides. Et in Moguntino an. 1549. *juſtificatus cum venia peccatorum per Spiritum S. una cum fide ſimul ſpem, & charitatem infuſam accipit*. Denique Eccleſia orat: *Da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum*.

Prob.

[1] *Symb.* [2[3.d.23.F.14. [3] *Sap.*3. [4] 1.*cor.*13.
[5] *Luc.*13. [6] *Hebr.*11.
[7] *cap.major.*§.6.*c.*7.*can.*28.

Prob. 1. p. quia ex nulla cauſa neceſſaria, & a priori, nec ex ullo effectu pariter neceſſario, & evidenter connexo, & a poſteriori poteſt demonſtrari exiſtentia talis habitus; ergo exiſtentia fidei habitualis ſupernaturalis demonſtrari non poteſt. Prob. ant. 1. de cauſa: nam a ſolo Deo infunditur; ergo libere, & contingenter cauſatur. 3. de effectibus etiam id patet diſcurrenti per ſingulos, qui ei tribuuntur: ut inclinatio ad credendum, intenſio, facilitas, certitudo, & motiva credendi habentur in Catechumenis, & hereticis æque, ac in ullo fideli quoad articulos, in quibus non errant. Item hæc omnia habentur in actibus fidei acquiſitæ, & naturalis. Denique hæc infuſio pendet ex libera Dei voluntate, qui poſſet ea omnia præſtare vel per ſe immediate, vel per auxilia gratiæ actualis, ſaltem de potentia abſoluta; ergo ex nullo capite poteſt demonſtrari exiſtentia hujus habitus.

Objic. 1. Per nos ſufficeret habitus fidei acquiſitæ ad omnes actus, qui habentur per infuſam, & ſupernaturalem, aut Deus poſſet eos per ſe efficere; ergo infuſus, & ſupernaturalis eſt ſuperfluus; ergo non datur.

Reſp. neg. ant. quoad 1. p. & conſ. quoad 2. p. nam per fidem acquiſitam non credimus tam perfecte; & Deus hæc non faceret per ſe tam connaturaliter, ſicut per habitum infuſum, qui inhæret animæ permanenter.

Inſt. Loca Scripturæ poſſunt intelligi de fide actuali; ergo non probant de habituali.

Reſp. neg. ant. ſaltem proprie, & literaliter; nam *amitti*, *augeri*, *manere*, & ſimilia, quæ ibi dicuntur de fide, non poſſunt proprie dici de fide actuali, & tranſeunte.

Objic. 1. con. 2. p. ex Auguſtin. *homo fidem ſuam tenet firmiſſima, & certiſſima ſcientia, eamque in ſe videt, clamatque conſcientia, quia rerum abſentium fides eſt præſens, & rerum, quæ foris ſunt, intus eſt fides, & rerum, quæ non videntur, videtur fides*: ſed quod ſcitur, eſt demonſtratum, aut demonſtrabile; ergo dari habitum infuſum fidei poteſt demonſtrari.

Reſpon. ex Scoto, diſtin. maj. ſcientia tenet fidem ſuam actualem, vel habitualem acquiſitam, conc.

habitualem infuſam, & ſupernaturalem, neg. maj. & conſ. homo experitur, & videt in ſe actum ſuum credendi, imo & inclinationem ſuam ad illos actus, ſed non videt eos eſſe ab habitu infuſo potius, quam ab acquiſito.

Inſt. Videt ſe credere, & inclinari ad credendum myſterium Trinitatis ob Dei revelantis veracitatem; ſed hic actus non poteſt eſſe niſi ſupernaturalis, & ex fide habituali, & infuſa; ergo videt in ſe fidem iſtam.

Reſp. neg. min. nam licet de facto actus ille ſit ſupernaturalis, & forte ex fide infuſa, & habituali; neſcit tamen, an de facto ita ſit; quia poſſet venire a fide acquiſita, vel a gratia actuali, & nullam habet de hoc ſcientiam.

Alia argumenta habes ubi de gratia habituali.

CONCLUSIO I.

Fides Theologica infuſa bene deſcribitur habitus ſupernaturalis inclinans, & juvans ad aſſentiendum revelatis a Deo ut veraci: actualis vero eſt actus, quo intellectus ex tali habitu aſſentitur eiſdem revelatis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ex verbis Apoſtoli colligit, quod *fides ex ratione ſua inclinat tantum in verum latens*, ſeu obſcurum, & cognitum ex revelatione, ut ait Gloſſa in illud, *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* [2]

Prob. 1. p. Nam hæc definitio explicat naturam fidei, de qua hic agimus ſecundum verum genus, & differentiam propriam; ergo eſt bona. ant. prob. nam dicitur 1. *habitus ſupernaturalis inclinans, & adjuvans*; id ponitur loco generis; nam per id convenit cum gratia, ſpe, & charitate; ſunt enim etiam habitus ſupernaturales inchoantes, & adjuvantes animam, quam informant ad proprios actus. 2. *ad aſſentiendum*, &c. quod habet locum differentiæ: nam per hoc fides, & actus ejus differunt ab habitibus, & actibus ſpei, & charitatis, imo & a fide naturali, & humana, quæ non nititur revelationi divinæ.

Confir. Nam aliæ definitiones fidei facile ad hanc redu-

[1] 3. *d.* 31. *A.* 2. [2] *Hebr.* 11.

reducuntur, & maxime illa, quæ habetur ex Apoſtolo, cum dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum*, &c. Nam cum dicitur *ſubſtantia*, ſignificatur, quod non eſt tranſiens, ſed permanens, & de difficili mobilis. Item cum dicitur *rerum ſperandarum*, ſignificatur eam verſari circa revelata a Deo, quandoquidem proponit nobis divinas promiſſiones, quas non ſperaremus, niſi eas fortiter crederemus. Item cum dicitur *rerum non apparentium argumentum*, ſignificatur eam niti obſcuritate revelatorum; ideo dicitur a Scoto *inclinans in verum latens*.

Prob.2.p. de fide actuali, ſeu de actibus fidei, & patet ex dictis de habituali: nam actus, quibus aſsentimur revelatis a Deo propter veracitatem ejus, ſunt vere actus fidei Theologicæ: & per hoc diſtinguuntur ab actibus aliarum virtutum; ergo hæc etiam definitio eſt bona.

Quidam volunt dici, *quibus aſſentimur, vel diſsentimus*: quia non omnis actus circa veritates fidei eſt aſſenſus, quo judicamus eas eſse veras, ſed plures ſunt diſsenſus, quibus judicamus eſse falſas, ſc. per diſſenſus, qui propterea ſunt veri actus fidei; & hoc quidem verum eſt, ſed ſufficit hoc poſitivum, quod involvit negativum.

Objic. Hæc definitio opponitur definitioni Apoſtoli; ergo non eſt bona. Prob. nam evidens eſt, eam differre in omnibus.

Reſp. diſt. ant. differre quoad voces, con. quoad ſenſum, neg. ant. nam ut diximus, noſtra in re convenit cum illa, licet quoad voces nonnihil differat: D. Paulus explicat fidem per proprietates, & effectus ejus notiores; non autem per genus, & differentiam intrinſecam.

Poſſet hic quæri de fine hujus virtutis, ad quid neceſſaria ſit? An ad facilitatem, & perfectionem majorem actuum, v.g. ad majorem intenſionem, aut certitudinem, & firmitatem; an ad inclinandum animam? an vero ad ſimpliciter agendum, ita ut ſine hoc habitu non poſſet anima elicere actus fidei Theologicæ? Sed hæc facile ſolves ex dictis de his virtutibus in communi.

QUÆSTIO II.

De objecto materiali fidei.

HAbitus ſpecificantur ab objectis; ideo fidei natura melius capietur, ſi objectum ejus ſpecificum totale, materiale, & formale, primarium, & ſecundarium, complexum, & incomplexum aſſignetur. Quærimus præcipue de materiali, & formali.

CONCLUSIO I.

OBjectum ſimpliciter, & adæquatum fidei hujus ſunt res omnes revelatæ, aut revelabiles a Deo. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Teneri poteſt, quod ſit una fides omnium credibilium, quia non reſpicit credibilia ſub propriis rationibus illorum, ſed ut revelata ſunt a Deo, & credit omnia revelata tanquam vera eſſe eodem habitu, quo credit revelantem eſſe veracem.* Vides in quo tam multa, & tam diverſa objecta habeant unitatem, ſc. in revelatione divina.

Prob. 2. Illud eſt objectum totale, & adæquatum habitus, in quo continentur omnia per actus ejus attingibilia; ſed res omnes ut revelabiles a Deo continent omnia per actus fidei attingibilia; ergo &c. Prob. min. nullum revelabile aſſignari poteſt, in quod non tendat fides, vel quod non cadat ſub ejus conſiderationem: ſeu nihil eſt revelabile a Deo, quod fides attingere non poſſit; nec ipſa poteſt attingere ullum ens, niſi prout cadit ſub Dei revelationem: ergo omne tale ens continet omnia, quæ ſpectant ad objectum materiale fidei Theologicæ.

Objic.1. Illud eſt objectum totale, & attributionis habitus, ad quod ordinantur omnia, quæ tractantur in ſcientia; ſed omnia, quæ tractantur in fide, ordinantur ad Deum; ergo Deus eſt objectum adæquatum fidei Theologicæ. Prob. min. nihil attingi poteſt per fidem, quod non ſpectet ad Dei naturam, aut potentiam, aut gloriam &c. ergo &c.

Reſp.

[1] 3.*d*.23. *D*.6.

Reſp. diſt. maj. ad quod ordinantur per ſe, & intrinſece, con. maj. & neg. min. extrinſece, & per accidens, neg. maj. & conſ. nam de ratione objecti attributionis proprie, & in rigore non eſt, ut ad illud referantur omnia quomodocumque; ſed tantum ea, quæ ex ſe, & ſub ea præciſa formalitate referuntur ſub qua cadunt ſub ejus conſiderationem. Multa autem ſunt revelabilia, & credibilia ut revelata a Deo quæ non magis reſpiciunt Deum ſub illa ratione quam illa alia, quæ cadunt ſub ſcientias pure naturales.

Objic. 2. Objectum adæquatum non debet excedere habitum, nec ab eo excedi; ſed revelabilia excedunt habitum fidei: ergo &c. Prob. min. fides non poteſt attingere niſi revelata, non autem revelabilia: nam objectum habitus debet eſſe quid reale, & exiſtens: *Fides ex auditu*, auditus autem per verbum Dei pronuntiatum; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. prob. non poteſt attingere actu, & de facto niſi revelata, con. aptitudinaliter, neg. ant. & conſ. non credimus actu, & de præſenti, niſi quæ ſunt de facto revelata, ſed apti ſumus ad credendum, & per eandem fidem quæcumque revelabilia: Sicut Logica habet pro objecto ſyllogiſmum ut ſic tam exiſtentem, quam futurum, & poſſibilem: ita eſt de fide quoad revelata, & revelabilia. *Una fides poteſt eſſe de omnibus credibilibus*, ait Scotus.

Inſt. Omnis habitus intellectivus ſupponit objectum ſuum *quod ſit, & quid ſit*; ſed fides eſt habitus intellectivus; ergo ſupponit objectum ſuum exiſtens, nempe revelationem, & res revelatas, non autem revelabiles; ergo iſtæ non ſunt de objecto fidei.

Reſp. 1. neg. maj. nam, ut dicebam de Logica, hæc non ſupponit ſyllogiſmum ut exiſtentem.

Reſp. 2. diſt. maj. quando objectum per ſui conſiderationem, & exiſtentiam concurrit ad productionem habitus, vel actus, con. ſi non ita concurrit, neg. maj. fides eſt quidem habitus intellectivus, ſed revelata, nec revelabilia non concurrunt per ſui præſentiam realem ad productionem habitus ejus, qui a ſolo Deo producitur.

Objic. 2. Nihil eſt in revelatis, aut revelabilibus, quod non reducatur ad Deum aliquo modo; ergo ſolus Deus eſt objectum totale, & attributionis fidei.

Reſp. diſt.ant. ad Deum ut cauſam, vel finem, con. ut revelantem, aut veracem, neg. ant. & conſ. nam de ratione fidei non eſt reſpicere Deum ſub quacumque formalitate, ſed ſub veracitate in dicendo, aliæ perfectiones ejus ſunt objecta *quæ*, & materialia: ſed ut revelans, & verax eſt objectum formale fidei; revelata autem, & revelabilia ſunt materia totalis, & adæquata ejus.

CONCLUSIO II.

D*Eus ſub ratione deitatis eſt objectum materiale primarium, & principale fidei*. Eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Deus infundit nobis habitum fidei*, inquit, *inclinantem intellectum noſtrum in aſſenſum articulorum, ita quod fides reſpiciat Deum, de quo formantur articuli, quibus ſicut objectis ſecundariis aſſentimur per habitum .... oportet ponere fidem infuſam propter firmum aſſenſum, ut reſpicit Deum pro objecto primo, de quo ſicut de objecto formantur aliæ veritates*; ergo ex Scoto, Deus eſt objectum materiale primarium, & principale fidei.

Prob. 2. ex Script. [2] in qua hæc virtus dicitur *fides Dei*, aut *fides, quæ eſt in Deum:* [3] &, *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt* &c. ergo fides principaliter reſpicit Deum.

Confir. ex Symbolo. Nam ſtatim dicimus, *credo in Deum*. Unde inquit Auguſt. *fidei primum, & maximum officium eſt, ut in verum Deum credatur*. Ideo dicitur *Theologica*, quia immediatius, & directius reſpicit Deum.

Prob. 3. Illud dicitur primum, & principale objectum ſcientiæ, quod eſt ſubjectum in præcipuis complexis, & concluſionibus ejus; ſed Deus eſt ſubjectum in præcipuis articulis, ſeu propoſitionibus credibilibus: v. g. *Deus eſt: Deus eſt unus, & trinus, glorificator, ſalvator* &c. & finis præcipuus ejuſdem habitus eſt, ut cognoſcatur quis, qualis, & quantus ſit in ſe, & qualiter ſit colendus, & quærendus, & eo fruamur &c. [4] *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te* &c. ergo &c.

Dixi,

[1] *Ib. E.* 10. [2] *Mar.* 11. [3] *Theſſ.* 1. [4] *Hebr.* 11.

Dixi, *ſub ratione deitatis*, contra illos, qui volunt, Deum eſſe objectum fidei ut *Redemptorem*, ſeu *Salvatorem*, aut *ſanctificantem*, aut *glorificantem* &c. de quo vide quæ diximus, ubi de objecto Theologiæ. Nam Deus debet eſſe objectum primarium fidei ſub ea ratione, ſub qua principaliter per fidem intenditur; ſed ſic intendirur ſub ratione Deitatis, & in ſe; ergo ſub ratione Deitatis eſt objectum fidei. Prob. min. nam a Deitate manant alia omnia attributa, & perfectiones Divinæ; ſicut & alia prædicata eò reducuntur, ut prædicatum unitatis, trinitatis, & ſimilia, quæ ſunt abſoluta, & intrinſeca; item & creatoris, redemptoris, & ſimilia, quæ tendunt ad extra; ergo prima, & principalis ratio, ſub qua intenditur Deus per fidem, eſt ipſa ejus Deitas.

Objic. 1. Humanitas Chriſti tam eſt objectum fidei, quàm Deus, aut Deitas; ergo Deus ut Deus, ſeu Deitas non eſt objectum materiale primarium fidei. Prob. ant. ex Script. citata: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Item *hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Filius Dei*. Et Chriſtus ipſe dixit: *Creditis in Deum, & in me credite*; ergo tam Chriſtus eſt objectum fidei, quam Deus ut Deus.

Reſp. neg.ant. & conſ.prob. nam ex illis, & ſimilibus textibus habetur ſolum, quòd Myſterium Incarnationis ſit etiam ex partialibus, & neceſſariis objectis fidei. *Neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu chriſti fideliter credat* &c. inquit Athanaſ. ſed non ſequitur, quod ſit objectum principale.

Objic. 2. Plura creduntur per fidem, quæ non ordinantur ad Deum in ſe, nec ad ejus gloriam manifeſtandam; ergo Deus in ſe non eſt objectum primarium fidei. Prob. ant. revelatus, quod Tobias habuit canem, & quòd *quaſi nuntius adveniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat*: & ſic de multis aliis rebus; ſed hæc nihil faciunt ad Deum: ergo &c.

Reſp. neg.ant. & min.nam id facit ad Dei revelantis fidelitatem exactam, qui nec minutiſſimas circunſtantias negligit, ſi faciunt ad providentiæ ſuæ in ſervos, & amicos ſuos commendationẽ, ut ſcil.anticipato gaudio pro reditu filii Tobię blandiretur, premiſit canem

velut nuntium fauſtum adventus filii expectati: Sic inquam, commendatur Dei miſericordia in Tobiam patrem, quem ſicut ante in multis permiſerat affligi etiam per minuta animalia, ut per aviculas, ſic in multis vult lætificari, etiam per canem.

Alia argumenta habes in prologo, ubi de objecto Theologiæ.

Porro, ut melius capias quo ſenſu dicamus, Deum eſſe objectum *præcipuum*, & *attributionis* fidei, non autem ſimpliciter *totale*, & *adæquatum*, notabis, illud dici objectum *ſimpliciter adæquatum*, quòd complectitur omnia, quæ attinguntur immediatè per omnes actus ſcientiæ, vel habitus: Deus autem non ita complectitur omnia, quæ per ſingulos actus fidei attinguntur; v. g. quòd Tobias habuerit canem, & quòd cauda blandiretur. Illud verò dicitur objectum *attributionis*, quod licèt non attingatur immediatè per ſingulos actus; omnia tamen objecta iſtorum ordinantur aliquo modo ad illud objectum principale: Sic Deus dicitur objectum principale fidei, non adæquatum ſimpliciter, ſed attributionis, quia omnia, quæ attinguntur per ſingulos actus ejus, referuntur aliquo modo ad Deum cognoſcendum, amandum, ſperandum, &c. vel pertinent ad ejus eſſentiam, vel attributa. Ideò in Scriptura dicitur modo *fides Dei*, modo *fides in Deum*, modo *ad Deum*.

Rurſus objectum materiale *incomplexum* ſcientiæ eſt res, de qua aliquid dicitur, aut ſcitur, ut eſt ſubjectum concluſionis in ſyllogiſmo: *Complexum* verò eſt propoſitio, quæ ſcitur de illa re, ſeu de objecto *incomplexo*. Sic Deus eſt objectum materiale *incomplexum*, & *primarium* fidei, quia eſt id, de quo creduntur veritates, ſeu propoſitiones revelatæ: *complexum* vero *materiale* ſunt omnes veritates revelatæ. *Secundaria incomplexa* ſunt res omnes, quæ per fidem ſine aſſertione, ſeu compoſitione proponuntur credendæ, ut purgatorium, gratia, &c. denique termini ſimplices fidei: *Complexa* verò ſunt ipſæ propoſitiones: ut *Deus eſt trinus*, *Deus eſt unus*; & ſic de omnibus propoſitionibus credendis, quæ conſtant prædicato, & ſubjecto, ut omnes articuli fidei.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

De objecto formali fidei.

CUm virtutes omnes Theologicæ reſpiciant immediate Deum, & tamen diſtinguantur, oportet eum reſpiciant ſub diverſis formalitatibus, quæ ſint objecta earum formalia: nam objectum formale eſt formalitas, ſeu ratio, ſub qua reſpicitur materiale.

Porro ea eſt differentia inter aſſenſum, & diſſenſum intellectus circa objecta, & propoſitiones in aliis ſcientiis, & objecta fidei, quæ creduntur, quod illis aſſentimus, vel diſſentimus propter evidentiam veritatis, quam in eis deprehendimus: at in fide non deprehendimus evidentiam, ſed obſcuritatem, ſaltem negativam. Certè evidentia propoſitionum fidei non movet ad aſſenſum, ſed ſola auctoritas dicentis, quem æſtimamus veridicum, & nolle nos dicendo fallere, neque ipſum falli in ſuis cognitionibus. Nam *veracitas* importat hæc duo, ſcilic. infallibilitatem paſſivam loquentis in ſuis cognitionibus, ita ut in eis non fallatur, nec falli poſſit, & veritatem activam in loquendo, ita ut nolit, nec poſſit velle fallere in verbis, ſed neceſſariò dicat res, quales ſunt, ſuppoſito quod loquatur, & aliquid dicat.

Diximus, veritatem Dei aliam dici in *eſſendo*, quæ eſt tranſcendentalis in omni ente, & in Deo eſt ipſiſſima Deitas, prout eſt realiſſima ejus eſſentia, ratione cujus dicitur Deus verus oppoſitus falſis Diis; aliam in *cognoſcendo*, quæ excludit errorem ab intellectu, qui cognoſcit res, quales ſunt in ſe; & aliam in *dicendo*, quæ repræſentat verbis, aut ſignis objecta, qualia ſunt in ſe, & qualia ipſe cognoſcit. Nam hæc 3. veritas ſupponit 2. & manat ex 1. velut ex radice; & ſic opponitur tam errori, quàm mendacio. Talis eſt in Deo, qui non poteſt errare in ſuis cognitionibus, nec fallere in verbis ſuis: *Fidelis* quippe *Dominus in omnibus verbis ſuis*, ſicut *& ſanctus in omnibus operibus ſuis*. His ſuppoſitis, ſit

CONCLUSIO.

O*Bjectum formale fidei non eſt ratio humana, nec lumen ipſum fidei in ſingulis exiſtens*. Eſt communis contra Manichæos quoad 1. p. & fortè contra Calviniſtas, & Lutheranos quoad 2. quatenùs volunt, rationem credendi, & diſtinguendi Scripturas canonicas ab Apocryphis, eſſe ſpiritum ipſum divinum, qui ſingulis aſſiſtit, eos privatim illuminans.

Prob. 1. ex Scoto [1] *Sicut fides acquiſita aſſentit, vel credit dicto alicujus; quia credit veracitati dicentis eſſe verum: ſic fides infuſa aſſentit alicui revelato, quia credit Deo, vel veracitati Dei aſſerentis illud .... & ſic fides non habet certitudinem ex objecto, ſed ex veracitate dicentis*; ergo ex Scoto motivum, quo firmiter aſſentimur articulis, ſeu objectis materialibus fidei, eſt veracitas Dei revelantis, qui nec fallere, nec falli poteſt, non autem ratio humana, aut lumen aliquod internū, aut ſpiritus privatus in ſingulis exiſtens.

Prob.2.ex Script. nam inquit Apoſtolus, [2] *ſermo meus non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis.... fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. Item, *gratias ago Deo, quia cùm accepiſtis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut non verbum hominum, ſed, ſicut eſt, verbum Dei*. [3] Item, *qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt* &c. [4] ſed credere ex motivo rationis eſt credere ex humana ſapientia, & non ex teſtimonio, nec in verbo Dei; ergo &c.

Confir. Nam fides *eſt rerum non apparentium*; ſed quæ credimus ex ratione, apparent, & habent evidentiam rationis; ergo non pertinent ad fidem. Unde laudatur Petrus, quia id credidit, *quod caro, & ſanguis* (ſcil. ratio, vel vox humana) *non revelavit, ſed Pater* &c.

Prob.3.Nam ſi propter rationes humanas, & naturales aſſentiremus articulis fidei, aſſenſus non eſſet ſupernaturalis, nec fidei, ſed eſſet actus ſcientiæ, vel opinionis, ſicut aſſenſus concluſionis phyſicè, aut metaphyſicè; ſed hoc eſt abſurdum, & contra nos; ergo &c.

Prob.

[1] 3.*d*.2.8.*D*.6. [2] 1.*Cor*.2. [3] 2.*Theſſ*.1. [4] 1.*Jo*.5.

Prob. 1. p. 1. Lumen fidei, aut alterius habitus non ſe tenet ex parte objecti, ſed ex parte principii activi, & potentiæ; ergo non pertinet ad objectum fidei: nam intellectus etiam cum habitu, & comprincipio activo non habet ſeipſum pro objecto formali ergo &c.

Confir. Objectum formale eſt id, quo materiale movet, ac determinat ad ſui cognitionem; ſed nullum tale lumen ſic movet ad aſſenſum fidei; nam, ut ſic moveret, deberet ipſum priùs videri, aut cognoſci (quod nemo dicet de lumine fidei;) ergo &c. Certè tibi proponitur credendum, quòd *Deus eſt trinus*, nihil percipis, niſi hæc verba, & quòd Deus ipſe hoc tibi revelat per Eccleſiam; ergo nullum lumen percipis, quod te moveat, & determinet ad credendum in ratione motivi. Nam fateor, quòd lumen fidei inclinat, & elevat intellectum ad credendum, ſed in ratione habitus, & comprincipii effectivi, non autem in ratione motivi.

Prob. 2. Nam ſi lumen illud ſe teneret ex parte objecti, actus credendi non eſſet liber; nam ſicut lucidum neceſſario trahit, & determinat oculum apertum, & diſpoſitum ad ſui viſionem, ita & objecta fidei illuſtrata hoc lumine: ſed conſ. eſt abſurdum, & falſum; nam inquit Auguſt. *cætera poteſt homo nolens, credere verò non niſi volens*.

Objic. 1. con. 1. p. [1] *Qui cito credit, levis eſt corde*; ſed qui credit ſine urgenti ratione, quæ reddat articulum evidentem, cito credit; ergo levis eſt corde, & imprudens.

Reſp. diſt. maj. cito credit, id eſt, credit, ſine ratione gravi, con. ſine ratione evidenti, neg. maj. & conſ. nam motivum fidei, ſc. revelatio divina eſt gravior ratio, quam quævis demonſtratio; quia verbum Dei eſt certius in iis, quæ dicit, quam quæ naturali luce demonſtrantur.

Inſt. Scriptura jubet, [2] ut examinentur credenda: *Probate ſpiritus, utrum ex Deo ſint*: item [3] *omnia probate, quod certum eſt, tenete*. Unde B. Virgo non cito credidit Angelo; [4] ſed *cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio*: Sed ſi ſola auctoritas Dei revelantis eſſet motivum fidei, non liceret examinare credenda; ergo quærenda.

[1] *Eccl.* 39. [2] *Jo.* 4.
[3] *Theſſ.* 5. [4] *Luc.* 1.

renda eſt ratio credendi; ergo ratio eſt objectum formale fidei.

Reſp. diſt. maj. examinentur ex parte proponentis credenda, con. ex parte Dei principalis revelantis, neg. maj. & conſ. Scriptura monet, ut examinemus eos, qui miniſterialiter loquuntur nobis articulos fidei, ſc. homines, quia ſæpe aſſerunt, *hæc dicit Dominus, cùm ipſe non ſit loquens*. Multi ſunt falſi Apoſtoli, & falſi prophetæ; *attendite a falſis prophetis*. At eo ipſo, quod conſtat, Deum eſſe locutum, non melior ratio credendi quærenda eſt.

Inſt. 2. Si abſque ratione, & cœce crederemus contra evidentiam, excuſarentur infideles, qui tot deliramenta, & abſurda crediderunt; ſed hoc dici non poteſt; ergo non niſi ex rationis motivo credendum eſt.

Reſp. neg. maj. non enim excludimus omnem rationis uſum; dicimus tantum, quod, ut aſſentiamur articulis fidei, non eſt in eis quærenda evidentia rationis humanæ, ſed ſufficit, ut aliqua certitudine ſciamus, eos eſſe revelatos à Deo.

Objic. con.2.p. Scriptura docet, [1] fidem objectivam eſſe lumen, & lucernam. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Et fides dicitur [2] *quaſi lucerna lucens in caliginoſo loco*. Et vocatio ad fidem dicitur [3] vocatio *in admirabile lumen*; ergo objectum formale fidei conſiſtit in aliquo lumine ſe tenente ex parte objectorum ejus, quæ ſe oſtendunt per illud.

Reſp. neg. conſ. nam ibi lumen ſumitur pro ipſis veritatibus, quæ revelantur, & creduntur, vel pro ipſo habitu fidei illuminante, & inclinante intellectum, ut credat. Sic Chriſtus ipſe dicitur *lumen ad revelationem gentium*, & *lux vera*, & *lux mundi*: & Apoſtolus dicit ipſe: *vos eſtis lux mundi*, ſc. metaphoricè ſumitur nomen lucis.

Objic. 2. Dato lumine fidei homo credit, & eo ſublato non credit; ergo lumen eſt objectum formale fidei, nam ſic eſt ratio credendi; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. vel ſic diſt. ratio credendi ſe tenens ex parte principii activi, con. ratio motiva ſe tenens ex parte objecti, neg. ant. nam lumen

[1] *pſ.* 112. [2] 2. *pe.* 1.
[3] 1. *pe.* 2.

men illud ſe tenet ex parte intellectus, quem inclinat, & juvat ad aſſentiendum revelatis.

CONCLUSIO II.

Veritas Dei in dicendo, ſeu veracitas eſt objectum formale fidei Theologicæ, & in eam reſolvitur ultima ratio credendi revelatis, non autem lumen, vel habitus fidei. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] nam *fides infuſa aſſentit alicui revelato, quia credit Deo, vel veracitati*, &c.

Prob. 2. ex Script. nam Chriſtus, ut fidem faciat verbis ſuis, allegat veracitatem ſuam, ut cum dicit: [3] *ego ſum lux mundi --- qui ſequitur me, non ambulat in tenebris --- verum eſt teſtimonium meum --- qui miſit me, verax eſt, & ego, quæ audivi ab eo, loquor mundo*. Et Euangeliſta, ut credamus ei, allegat auctoritatem Dei loquentis: [3] *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit .... * Item, *ſpiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas*: [4] Et, *qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus* &c. Et Paulus de Euangelio dicit, (5) *neque ego ab homine accepi illud, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*.

Prob. 3. Illud eſt objectum formale motivum fidei Theologicæ, quod eſt ratio formalis immediata infallibilitatis credendorum; ſed illa eſt veracitas Dei in loquendo; ergo &c. Prob. maj. ideo firmiter credimus loquenti, quia ſcimus eum nec falli poſſe in ſuis cognitionibus, nec fallere, cum loquitur; ſed veracitas importat utrumque, ut vera dicat, & vere; non enim vera loqueretur, ſi poſſet falli; nec vere, ſi poſſet mentiri, & fallere; ergo &c.

Prob. 2.p. Nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*: ſed lumen habituale, & infuſum non eſt formaliter auditio, nec verbum, ſed juvat & inclinat potentiam ad credendum audita in ratione comprincipii activi; ergo non eſt objectum formale motivum, in quod reſolvitur fides, ſed veracitas Dei.

Objic.

[1] *Ibid.* [2] Jo.8. [3] *Jo.16.*
[4] 2.Jo.5. [5] *Gal.1.*

Objic. cont. 1. p. Ut veracitas moveat intellectum ad aſſenſum, debet cognoſci a credentibus; ſed multi non cognoſcunt, aut advertunt ad illam, dum credunt myſteria fidei; ergo veracitas non eſt objectum formale motivum fidei. Prob. min. experientia de communi fidelium, maxime de ſimplicioribus, quos ſi interroges, cur credant articulos fidei? dicent, quia parochus, aut prædicator, aut Eccleſia hæc docet, aut quia ſic legitur in Catechiſmo, vel Euangelio, aut etiam quia dicitur, Deum hæc revelaſſe: at de veracitate pauciſſimi cogitant; ergo multi credunt ſine motivo illo veracitatis.

Reſp. diſt. maj. debet cognoſci implicite, & virtualiter, aut explicite, & formaliter, con. formaliter, & explicite, ſaltem ſemper, neg. maj. & conſ. ſic diſtincta min. nam licet non ſemper cognoſcatur, aut cogitetur explicite veracitas, ſemper tamen cogitatur virtualiter, & implicite, quia, ut ſint veri actus fidei, debent credere articulos ut verba, & tales aſſenſus ſunt ſigna æſtimationis, quam habent de veritate verbi Dei; nam credunt propter illud verbum.

Inſt. Sufficit ut credant propter auctoritatem parochi, vel concionatoris, aut Eccleſiæ, aut etiam Dei qualitercumque apprehenſi; ergo, ut fides ſit firma, & Theologica, non eſt opus, ut cogitetur de veracitate.

Reſp. neg. ant. ſi enim putares, Parochum, aut Doctorem, &c. poſſe falli, aut fallere in loquendo, non crederes firmiter, & ſi attenderes ad verba ejus ut puri hominis, non æſtimares eum ita infallibiliter; ergo vel fides non eſt firma, vel nititur, ſaltem implicite, & virtualiter, veracitati Dei.

Objic. 2. Sufficit omni fideli credere articulos ſymboli propter Eccleſiam, propter quam creditur ipſa veracitas Dei; ideo aſſenſus noſter ultimo reſolvitur in auctoritatem Eccleſiæ dicentis, Deum hæc revelaſſe, & eſſe veracem; ergo veracitas Dei non eſt objectum formale ejus, ſed auctoritas, ſeu veracitas Eccleſiæ.

Reſp. diſt. ant. per, & propter auctoritatem Eccleſiæ, quæ proponit revelata, & credenda, con. quæ ſit per ſeipſam, & præciſa Dei auctoritate ultima ratio credendi, neg. ant. ſicut Eccleſia immediate proponit fidelibus credenda, & obligationem credendi, &

divi-

divinam revelationem, & auctoritatem; ſic per, & propter illam credimus immediate; ſed mediata, & ultima ratio, cur credimus articulos propoſitos, eſt veracitas Dei.

Objicies 3. Magis ultimate fides reſolvitur in deitatem, quam in veracitatem; ergo hæc non eſt objectum formale fidei, ſaltem ultimatum. Prob. ant. in reſolutione motivorum fidei ſic proceditur: *Credo Trinitatem perſonarum in unitate eſſentiæ Divinæ, quia ipſe dixit, qui eſt verax*. Et ſi quæris, unde ſcio, quod ſit verax, non reſpondeo, *quia ipſe dixit*, alioqui eſſet circulus vitioſus, & idem per idem ſolveretur; ſed debeo dicere *eſt verax, quia eſt Deus infinite perfectus*; ergo Deitas eſt ultima ratio fidei.

Reſpondeo diſt. ant. reſolvitur tamquam in rationem *eſſendi*, con. tamquam in rationem *credendi*, neg. ant. & conſ. nam quod veracitas ſit radicaliter a Deitate, non facit præciſe, & formaliter ut credam; ſed hoc facit veracitas eius, undecumque illam habeat.

Objicies 4. Objectum formale fidei non eſt res credita, ſed ratio credendi; ſed veracitas Dei eſt res credita; eſt de objecto materiali fidei; ergo non eſt formale. maj. patet ex definitione talium objectorum. Prob. min. nam quod Deus ſit 1. Veritas in cognoſcendo, & dicendo, tam creditur ex fide, & tam eſt revelatum, quam quod ſit Trinus, omnipotens, &c. ergo veracitas eſt de objecto materiali; ergo non eſt formale, quia prius illa debet credi, quam movere ad credendum.

Reſp. diſt. maj. non eſt res credita, & ratio *credendi* ſub eodem reſpectu, con. maj. & neg. min. ſub diverſo reſpectu, neg. maj. & conſ. nam Dei veracitas directe agnoſcitur, ſicut exiſtentia ejus; ex aliquali evidentia terminorum, & rationis lumine: ob hanc autem veracitatem ſic cognitam aſſentior dictis ejus. Unde exiſtentia Dei, & veracitatis ejus non eſt primo de materiali objecto fidei, ſed ſcientiæ; & ut ſic cognita movet ad credendum.

Inſtabis. Si veracitas ut cognita naturaliter moveret ad credendum huic propoſitioni, *Deus eſt verax*, ille actus non eſſet ſupernaturalis; quia

eſſet ex principio naturali; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp.diſt.maj. ſi concurreret ut principium formale intrinſecum, & activum, con. ſi ut aliqualis conditio remota, neg. maj. & min. in hoc enim nullum eſt inconveniens, ſicut nec quod proponantur objecta fidei per cauſas naturales.

Objic. 1. con. 2. p. Revelatio non ſufficit, ut firmiter credamus ſine lumine fidei infuſæ, quo agnoſcimus veritatem rei revelatæ; ergo ipſum lumen eſt potius objectum formale, in quod ultimo reſolvitur, & fundatur fides.

Reſp.diſt. ant. ſine lumine, quod concurrat effective ut principium formale *quo* ex parte intellectus, con. ut motivum ex parte objecti, neg. ant. nam, ut diximus, lumen ſe tenet ex parte intellectus elicientis actum fidei, & eum elevat, & juvat, & inclinat, ut poſſit attingere objecta fidei, & illis aſſentiri.

Inſt. Lumen corporeum ſe tenet ex parte objecti, quod per illud manifeſtatur, & lumen gloriæ ſufficit ad viſionem Dei ſine alia revelatione; ergo lumen fidei ſufficienter movet intellectum ad cognitionem,& aſſenſum credendorum.

Reſp.neg. conſ.& diſparitas eſt 1. de lumine corporeo, quod iſtud eſt objectum *quo*,& *quod* facit videre, & videtur, & eſt conditio, ſine qua objectum coloratum non emitteret ſpecies ſui in oculum: lumen vero fidei non requiritur ex parte objecti, ſed potentiæ, quam informat, elevat, & adjuvat; ut poſſit attingere objecta credenda.

Reſp.2.neg.2.p.ant. de lumine gloriæ: nam, ut conſtat ex tr.1.illud non ſe tenet ex parte objecti,quod de ſe luminoſum eſt, ſed ex parte potentiæ, ut ſplendorem attingat, & ſuſtineat: præterquam quod requiritur volitio ex parte Dei,qua velit videri; quia eſſentia Dei eſt objectum voluntarium. At lumen fidei relinquit objecta ſemper obſcura, & abſentia; & ideo intellectus ſemper debet inclinari per illud ad aſſenſum,& firmari per veracitatis Divinę infallibilitatem, cui non poteſt negare aſſenſum ſine peccato.

Objic. 3. Fides nititur revelationi; ſed hæc fit per lumen fidei; ergo fides reſolvitur in lumen fidei,quod eſt objectum ejus formale.

Reſp.

Reſp. 1. diſt. maj. nititur immediate revelationi, prout eſt a Deo veraci, con. maj. & neg. min. nititur ultimate, & præciſe, prout eſt manifeſtatio myſterii credendi, neg. maj. nam ſi revelatio fieret ab homine loquente ex ſe, & ſecluſa Dei veracitate, aſſenſus non eſſet fides Divina, ſed humana.

Reſp. 2. neg. min. abſolute: nam revelatio venit active ab extra; lumen vero ſe tenet ex parte intellectus, quem informat, & elevat, ut poſſit audire, ſeu percipere credenda, & credere.

Objic. 3. In id reſolvitur fides ultimo, per quod myſteria fiunt credibilia; ſed hoc fit per lumen fidei; ergo &c. Prob. min. nam ſine hoc lumine non poſſemus credere; ergo &c.

Reſpondeo diſt. maj. per quod fiunt credibilia objective, con. maj. & neg. min. formaliter ex parte potentiæ, neg. maj. & conſ. lumen eatenus facit myſteria credibilia, quatenus juvat, & inclinat potentiam ad illa attingenda, & credenda; ſed non facit, ut ipſa ſint objective credibilia; id facit veracitas revelantis Dei.

QUÆSTIO IV.

Quomodo ſe babeat revelatio ad objecta fidei. An ſit de objecto formali.

MOx videbamus, rationem ultimam, & fundamentalem, in quam ultimo reſolvitur aſſenſus fidei, eſſe veracitatem Dei revelantis. Unde quando aſſentior huic propoſitioni, *Deus eſt trinus*, id facio, quia Deus dixit, qui non poteſt dicere niſi veritatem. Revelatio igitur, ſeu dictio illa concurrit ad actum fidei, & reddit objecta proxime credibilia. Eſt autem *revelatio* rei ignotæ, ſeu abſconditæ manifeſtatio.

Alia eſt *activa*, quæ venit ex parte loquentis, ſcil. Dei; alia *paſſiva*, quæ recipitur in audiente, & facit eum formaliter audientem; alia *immediata*, cum Deus ipſe per ſe immediate manifeſtat aliquid creaturæ, ſive *externe*, & *ſenſibiliter* per ſigna ſenſibilia, ſive *interne* per ſecretas, & inſenſibiles inſpirationes, & illuſtrationes; alia *mediata*, qua Deus nobis per Angelos, vel homines aliqua manifeſtat: nam inquit Apo-

Apoſtolus, *multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, noviſſime locutus eſt nobis in filio*: denique alia *privata*, quæ fit alicui perſonæ particulari, alicui prophetæ, aut ſancto; alia *publica*, quæ fit coram multitudine per ſigna externa: Sic loquebatur Iſraelitis in deſerto, quando rogabant, *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, & quando ad ripam Jordanis *vox Patris intonuit* (ſuper Chriſtum dicens) *hic eſt filius meus dilectus*.

Porro certum eſt revelationem divinam eſſe neceſſariam ad actus fidei: nam *quomodo credent* (homines) *ſine prædicante?* Certe *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*: ſed quæritur, quomodo illa revelatio concurrat? An per modum conditionis applicantis objecta ad potentiam? An per modum objecti moventis illam?

Certum eſt 2. revelationem iſtam non eſſe actum pure internum; ſeu locutionem pure internam Dei, qua dicat aliquid eſſe verum, ſed actum externum, quo ſuum illud judicium aliis perſonis manifeſtat, & vi cujus manifeſtationis creditur illi.

CONCLUSIO.

R*Evelatio, qua Deus aliquid revelat, non ingreditur objectum formale fidei, nec eſt proprie motivum credendi, ſed conditio, ſine qua non poſſemus credere, ſeu ſine qua objecta non moverent ad credendum.* Ita Scotiſtæ.

Prob. 1. ex Scoto: [1] quia articulum fidei eſſe revelatum, v. g. *Deum eſſe trinum, non dicit ultra Deum trinum eſſe, niſi reſpectu rationis; ſicut eſſe cognitum non dicit ultra eſſe cognitum, niſi reſpectu rationis; ergo objectum formale habitus realis* (qualis eſt fides) *eſſet ens rationis, quod eſt inconveniens* &c. ergo ex Scoto, revelatio divina non ingreditur objectum fidei.

Prob. 2. Revelatio articuli nihil aliud eſt, quam actio Dei mediata, vel immediata, per quam applicat illum meo intellectui, ut determinet me ad aſſenſum propter veracitatem revelantis: v. g. ſola auctoritas Dei revelantis movet ad aſſenſum, & actualis reve-

[1] *3. d. 23. D. E. 6. & 7.*

velatio eſt tantum conditio applicans objectum ad potentiam, ut aſſentiat; ſicut applicatio ignis ad lignum eſt conditio, ſine qua ignis non calefaceret lignum; & ſicut cognitio boni eſt conditio, ſine qua voluntas non appeteret illud.

Confir. Nam ſi per impoſſibile Deus non eſſet verax, illa revelatio non daret credibilitatem infallibilem, & hic articulus, *Deus eſt trinus*, non minus eſſet credibilis, nec minus verus in ſe; ergo credibilitas articuli fidei non venit ex revelatione, velut ex objecto formali.

Objic. 1. Fides ut fides nititur teſtimonio loquentis; ergo locutio eſt de objecto formali fidei. Prob. ant. ex definitione fidei, & ex Scriptura, quæ ſemper refert actum fidei ad revelationem divinam. Et cum dicitur, [1] *caro, & ſanguis non revelavit tibi*— Et, [2] *qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*; ergo fides movetur, & determinatur formaliter ad credendum ex teſtimonio loquentis.

Reſp. diſt.ant. & conſ. prob. movetur teſtimonio, velut conditione applicante objectum credendum, con. velut formali motivo, neg. ant. & conſ. nam ſicut approximatio facit quidem, ut ignis calefaciat per calorem; ſic locutio, ſeu revelatio divina facit, ut actu credam articulum revelatum propter auctoritatem Dei loquentis, ſed non dat credibilitatem in actu primo, quam habet articulus præcise ex Dei veracitate.

Inſt. Scriptura totum aſſenſum fidei refert in verbum Dei,& audire verbum Dei eſt ipſum credere ſine mentione de veracitate; ergo tota ratio, ſeu motivum credendi eſt locutio, ſeu revelatio divina.

Reſp.neg.ant. nam pluribi fit mentio de veracitate: ut cum Chriſtus dicit, [3] *qui me miſit, verax eſt*.Item, [4] *eſt Deus verax*,&c. alioqui non aſſignaretur principale motivum credendi.Niſi enim Deus eſſet eſſentialiter verax,non daret verbis ſuis infallibilẽ veritatem.

Objic.4. Quod eſt de motivo credendi, eſt de objecto formali fidei; ſed revelatio eſt de motivo credendi; ergo & de objecto formali fidei. Prob. min. motivum totale credendi eſt Deus ut loquens; ergo locutio Dei eſt de motivo credendi.

Reſp.

[1] *Matth*.1. [2] *Io*. 5. (3) *Jo*.8. [4] *Ro*.3.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. Deus ut loquens, ita ut locutio ſit conditio, ſeu applicatio objectorum fidei, con. ita ut ſit ipſa formalis ratio credendi, neg. ant. nam cum dicis, *creditur Deus, ut loquens*, eſt quaſi diceres, *ignis calefacit, vel urit ut applicatus*, licet applicatio non ſit formalis ratio calefaciendi, vel urendi, ſed pura conditio. Ratio vero præciſa firmiter credendi eſt veracitas loquentis, ſicut ratio, ſeu forma calefactiva eſt calor ignis.

Inſt. Illud eſt objectum formale fidei, a quo illa habet unitatem ſpecificam; ſed fides habet hanc unitatem a ſola revelatione; ergo &c. Prob. min. nam fides verſatur circa res diverſiſſimas, & ſola revelatio divina eſt ubique eadem; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. nam veracitas longe majorem ubique ſervat unitatem, quam locutio, quæ potius ſpecificatur a rebus revelatis. Præterea effectus ſæpe diverſificantur per applicationes cauſarum: v. g. major, & proximior applicatio ignis cauſat uſtionem; minor vero, & remotior cauſat tantum calefactionem; ergo diverſitas effectuum non venit ſemper a cauſa formali diverſa.

Inſt. 2. Si quæram, *cur credis myſterium Trinitatis? reſpondes; quia Deus revelavit*; ergo per te revelatio eſt motivum credendi.

Reſp. neg. conſ. nam ſicut credo, illud eſſe revelatum, quia Eccleſia id dicit, & tamen Eccleſiæ teſtimonium non dicitur objectum formale fidei; ita eſt de revelatione reſpectu myſterii crediti.

Objic. 3. Revelatio externa Dei non minorem habet infallibilitatem, ut moveat ad credendum, quam ipſa veracitas; ergo non minus eſt de objecto formali fidei. Prob. ant. hæc locutio eſt actus imperatus ab ipſa veracitate; ergo tam eſt credibilis, quam ipſa veracitas.

Reſp. diſt. 1. ant. ut moveat per modum conſequentiæ, & connexionis rei revelatæ cum veracitate, con. per modum objecti motivi, & formalis, neg. ant. & conſ. prob. nam ſicut in ſyllogiſmo conſequentia determinat quidem ad aſſenſum concluſionis, ſeu conſequentis propter connexionem cum præmiſſis, nec tamen id facit in ratione objecti formalis: ita eſt de revelatione, cum movet ad aſſenſum rei revelatæ

pro-

propter connexionem revelationis cum veracitate Dei, quæ ſe habet ut præmiſſa, & eſt formalis ratio credendi revelationi, & revelata.

Inſt. Revelatio unit primam veritatem cum objecto revelato, ſicut locutio externa cum interna; eſt enim manifeſtatio externa interni conceptus Dei; ergo revelatio non eſt pura conditio, ſed objectum formale fidei. Prob. conſ. nam pura conditio non habet vim ullam, quæ influat in effectum, vel in cauſam: ſed revelatio influit in aſſenſum, & dat vim veritati, ut moveat ad illum; ergo habet vere rationem objecti reſpectu aſſenſus.

Reſp. neg. conſ. nam prima veritas habet de ſe vim infinitam movendi ad aſſenſum; nec ullam accipere poteſt ab ullo actu contingenti, & ab extra, qualis eſt revelatio.

Igitur concluſio eſt probabiliſſima,& magis proprie loquimur conſiderando revelationem ut meram conditionem neceſſariam, ut credamus, nec enim poſſemus credere veritatibus divinis, niſi nobis innoteſcerent per revelationem; ſicut ignis non calefaceret manum, niſi approximaretur. Veritas Dei in verbis ſuis eſt ſummæ certitudinis, ſed, ut credatur, debet revelari.

Fateor tamen, hanc litem habere multum de nomine; quia omnes conveniunt de re, ſc. quod Deus ſit ſumme verax in cognoſcendo, & dicendo; ita ut non poſſit cogitare, nec dicere niſi veritatem; ideo quæcumque dicit, ſunt ſumme credibilia. Item conveniunt, quod quæ cogitat, vel dicit, non poſſunt credi ſine aliquali revelatione, per quam applicantur illæ veritates intellectui noſtro, ut eis aſſentiatur. 3. conveniunt, quod firmitas, & certitudo talis aſſenſus fundatur maxime in illa veracitate Dei; lis tota verſatur circa hanc locutionem, ſeu revelationem objecti materialis fidei, an illa dici debeat objectum formale, ſaltem partiale cum veracitate, an vero tantum conditio, ſine qua non poſſent credi, ſicut applicatio objecti ad potentiam, ut cognoſcatur. Iſtud placet Scotiſtis magis communiter; alii autem volunt, revelationem eſſe de objecto formali.

Colliges autem 1. veritatem Dei in loquendo debere

bere aliquo modo cognoſci, & credi, ſaltem implicite, ut eliciamus actus fidei: nam ex Concilio Tridentino hæc eſt una ex primis diſpoſitionibus ad juſtificationem, *ut credamus vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt*; quod credi non poteſt, ſicut oportet, ut juſtificemur ſine auxilio gratiæ. Ratio eſt, quia *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; ſed non credimus revelatis niſi propter veracitatem Dei, qua fit, ut non poſſit falli, nec fallere; ergo & ipſa Dei veracitas debet cognoſci, & credi. Certe quomodo nos moveret ad credendum, niſi ipſa cognoſceretur?

Poteſt autem cognoſci hæc perfectio 1. ex lumine rationis per demonſtrationem, ſuppoſita cognitione exiſtentiæ Dei; non enim poteſt cognoſci Deus, niſi ut ens ſumme perfectum, & per conſequens ſine hac perfectione veritatis. 2. ex fide humana, v.g. ex magiſtris, & Doctoribus, ex libris, &c. & iſtæ cognitiones, licet naturales, ſunt diſpoſitiones quædam remotæ ad fidem ſupernaturalem, non tamen proximę: nam diſpoſitiones proximæ ad formas ſupernaturales debent eſſe ejuſdem ordinis.

QUÆSTIO V.

De obſcuritate objecti fidei tam materialis, quam formalis.

OBſcuritas fidei attenditur vel penes objecta materialia, quæ de ſe non ſunt evidentia, nec ſcientifice capiuntur, vel penes formalia, & revelationem, ſi non conſtat evidenter Deum eſſe, qui loquitur, & revelat: & quæritur, an utrinque neceſſaria ſit obſcuritas in actibus fidei, ita ut ſi articulus ſit evidens de ſe, aut ſi ſit evidens, Deum hunc revelaſſe, aſſenſus non ſit vere actus fidei.

CONCLUSIO I.

OBſcuritas rei revelatæ non eſt de eſſentia fidei, ſed eſt conditio neceſſaria. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Facile eſt videre, quod fides eſt*

[1] 3.d.23.D.6.

eſt cum ænigmate, & obſcuritate, quia habens fidem non credit articulum eſſe verum ex evidentia objecti, ſed propter hoc aſſentitur veracitati (Dei) *infundentis habitum, & in hoc revelantis credibilia*, &c. Et infra [1] docet, ſcientiam, & fidem de eadem re non poſſe eſſe ſimul; quia *ſcientia habet evidentiam ex parte rei, & fides non evidentiam, cum evidentia, & non evidentia contradicant de eadem*, &c. Et clariùs infrà: *Apoſtoli, qui viderunt Chriſtum in cruce, non crediderunt pro tunc; nec unquam poſtea recogitando illius crucifixionem* (quam viderunt) *habuerunt fidem de ea, ſicut nec cùm viderunt intuitivè. Habebant tamen habitum* (Fidei) *quo credidiſſent, ſi non vidiſſent*; ergo ex Scoto, in actibus fidei requiritur obſcuritas.

Prob. 2. De ratione objecti formalis fidei non eſt id, quod non movet ad aſſenſum rei revelatæ; ſed obſcuritas nihil facit ad aſſenſum; ergo non eſt de eſſentia fidei. Maj. patet: nam formale objectum eſt id, quo materiale movet, & determinat potentiam ad ſui cognitionem. Prob. min. nam obſcuritas potiùs retraheret intellectum ab aſſenſu. Eſt enim potentia quærens lumen, & evidentiam; nec poteſt moveri obſcuritate, quę eſt negatio lucis.

Prob. 2. p. 1. ex Script. & Patribus: nam fidem vocant [2] *argumentum non apparentium*. Et quòd [3] *videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate*, ſc. per fidem. Nam inquit D. Dionyſius, [4] *non niſi per ſacræ caliginis tenebras humanæ mentes nec debent, nec poſſunt divina contemplari myſteria*. Et S. Auguſt. [5] *fides, quod non vidét, credit; nam ſi vides, jam non eſt fides*. Et S. Chryſoſt. [6] *ſi fides eſt argumentum eorum, quæ non videntur, quid eſt, quod vultis videre, ut credatis a fide*. Et S. Gregor. [7] *fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*. Denique ex Patribus ceſſat fides eſſe, ceſſante obſcuritate credendorum.

Prob. 2. ex definitione fidei: nam eſſentialiter conſiſtit in hoc, quòd inclinet ad aſſenſum ob ſolam auctoritatem dicentis; ſed qui aſſentitur ob evidentiam rei,

[1] *d.24.A.8.* [2] *Hebr.11.* [3] *1. Cor.13.*
[4] *Myſt.Theol.1.* [5] *tr.68.Jo.* [6] *Ho.22.Hebr.*
[7] *ho.26. Evang.*

rei, non aſſentitur ob ſolam auctoritatem dicentis, ergo ille aſſenſus non eſt actus fidei, ſed ſcientiæ; ergo in actibus fidei neceſſaria eſt obſcuritas rei.

Objic. 1. ex Script. & Patribus. Fides definitur per obſcuritatem; ergo hæc eſt de objecto formali ejus, & de eſſentia. Ant. patet ex locis citatis pro concluſione. Prob. conſ. nam illa obſcuritas conſiſtit in hoc, quòd nititur ſoli auctoritati dicentis; ſed illa auctoritas eſt de formali objecto fidei; ergo & obſcuritas. Prob.maj. nam moveri auctoritate dicentis eſt moveri ad credendum, & credere propter obſcuritatem rei creditæ; ergo &c.

Reſp.diſt. ant. definitur per obſcuritatem quaſi proprietatem, ſeu conditionem notiorem,con. ut per propriam differentiam conſtitutivam, neg. ant. & maj. nam obſcuritas illa eſt quidem conſequens, vel concomitans motionem auctoritatis loquentis, ſed non eſt formaliter idem. Auctoritas enim eſt quid poſitivum, in quo fundatur illa negatio evidentiæ, quæ dicitur obſcuritas.

Inſt. Claritas eſt de objecto formali ſcientiæ; ergo & obſcuritas eſt de objecto formali fidei:per hoc enim opponuntur ſcientia, & fides.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia lux, ſeu claritas eſt per ſe motiva intellectus: eſt enim perfectio objecti movens per ſe ad aſſenſum; ſed obſcuritas eſt defectus, & potiùs impediens, & retardans cognitionem, & aſſenſum.

Inſt. 2. Quod eſt diſtinctivum, eſt ſpecificativum rei, & de eſſentia ejus; ſed obſcuritas eſt ratio ſpecificativa fidei; nam per eam diſtinguitur à ſcientia; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam licèt obſcuritas, & claritas arguant quaſi ab extrinſeco, & ob diverſum modum attingendi objecta, quod producantur diverſi actus: tamen ipſæ non ingrediuntur actuum eſſentiam, quam diverſificant. Actus ſcientiæ, & fidei conſtituuntur, & diſtinguuntur intrinſecè per proprias ſuas differentias. Nam, ex Scoto, [1] ad diſtinctionem ſpecificam actuum ſufficit diverſa applicatio. In actu autem ſcientiæ objectum applicatur intellectui per lumen

[1] *d*. 31. *C*. 5. *&* 6.

men rationis cum evidentia; in actu verò fidei applicatur per revelationem, ſeu per auctoritatem loquentis, & ſic ſine lumine, ſeu evidentia rationis.

Huic concluſioni lucem afferet deciſio illius quæſtionis philoſophicæ, an de eodem objecto, & in eodem intellectu poſſint eſſe ſimul actus fidei, & ſcientiæ? Nam inde colligi poterit incompatibilitas evidentiæ objecti cum actu fidei: nam evidentia illa facit illud ſciri, & obſcuritas, quæ comitatur fidem, facit illud tantum credi, & non ſciri.

CONCLUSIO II.

E*Videntia in atteſtante, ſeu revelante, poteſt ſtare cum fide: ſeu, quamvis mihi eſſet evidens Deum dixiſſe, ego ſum unus, & trinus; adhuc poſſum aſſentiri huic articulo per actum fidei*..... Ita Scotiſtæ, & alii.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nam poteſt quidem Deus abſque motione, ſeu concurſu objecti cauſare notitiam certam abſque omni dubitatione, ita quòd habens talem notitiam revelatam à Deo non poſſit dubitare de veritate illius, cujuſmodi notitiam creditur habuiſſe prophetas* (quibus Deus loquebatur immediatè) *ita quod non potuerunt non aſſentire veritati: illa tamen certitudo non fuit evidens ex evidentia rei* &c. Fatetur tamen, quòd fides illa eſſet certior, quàm noſtra; quia hæc non habet tantam certitudinem, quòd illa ſint revelata à Deo, & ſic non excludit omnem dubitationem, ſc. de exiſtentia revelationis divinæ; ſed tamen aſſenſus ille erit verè actus fidei propter inevidentiam objecti in ſe; quia illud non eſt evidens niſi in verbo Dei.

Prob. 2. Ille aſſenſus habet totam rationem fidei; ergo eſt verè actus fidei. Prob. ant. actus fidei, ut diſtinguitur ab actu ſcientiæ, eſt ille, quo aſſentimur propoſitioni non cognitæ in ſe evidenter, & immediatè vel in cauſa, vel in effectu per demonſtrationem, ſed propter ſolam auctoritatem loquentis: ſed talis eſt aſſenſus propoſitionis evidentis ſolummodo in atteſtante; ergo talis aſſenſus habet totam rationem fidei. Probat. min. nam quod evidens mihi ſit

[1] 3. d. 24. G. 17.

Deum hoc dicere, adhuc non video objectum; & iſtud non eſt mihi evidens in ſe, ſed in ſolo verbo Dei; ergo &c.

Confir. Nam licet B. Virgo habuerit evidentiam de verbo Dei, & revelatione, qua ſibi dictum eſt, *paries filium, qui filius erit altiſſimi*, ſine concurſu viri, nec detrimento virginitatis, adhuc per actum fidei hoc credidit: *Beata, quæ credidiſti*; ergo evidentia revelationis non tollit inevidentiam rei revelatę; nec eſt incompoſſibilis cum actu vero fidei.

Objic. 1. Evidentia revelationis dat evidentiam rei revelatæ; ergo res ſic revelata non cadit ſub fidem, ſed ſub ſcientiam. Prob. ant. concluſio demonſtrationis eſt objectum ſcientiæ; ſed talis eſt omnis veritas evidenter revelata; ergo &c. Prob. min. ſuppoſito quòd Deus mihi evidenter dicat, *ego ſum trinus*, cogor aſſentiri ex hoc diſcurſu: *omne revelatum à Deo eſt evidẽter verum; ſed mihi eſt evidens, quòd Deus revelavit ſe eſſe trinum; ergo mihi eſt evidens, Deum eſſe trinum*.

Reſpond. diſt. antec. evidentiam extrinſecam rei revelatæ, con. intrinſecam, neg. ant. & ſic diſt. maj. & min. 2. argum. & maj. 3. revelatio evidens dat evidentiam extrinſecam rei revelatæ, non autem intrinſecam, quia res non cognoſcitur in ſeipſa, nec in ſuis principiis internis, ſed in ſolo teſtimonio Dei veracis, quod eſt ſemper extrinſecum objecto.

Inſt. Aſſenſus fidei eſt liber; ideò intellectus debet ad illum inclinari per pium affectionem, & imperium voluntatis; ſed aſſenſus rei evidenter revelatæ non eſt liber; ergo non eſt actus fidei. Prob. min. per ſyllogiſmum allatum: nam, dato aſſenſu præmiſſarum, non poteſt negari conſequentia; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. antec. non poteſt negari in eo ſenſu, quo admiſſæ ſunt præmiſſæ, ſc. de evidentia extrinſeca, con. de evidentia intrinſeca, neg. ant. hanc enim non habent illæ præmiſſæ; ergo nec conſequentia.

Inſtab. 2. Dato aſſenſu præmiſſarum, & bonitatis conſequentiæ evidentia, evidens eſt veritas concluſionis; licèt enim non appareat evidens in ſeipſa, ſed in præmiſſis; tamen non poteſt eſſe obſcura, ſi illæ ſint evidentes; alioqui omnis concluſio demonſtrati-

va eſſet obſcura; quia non haberet evidentiam niſi ex præmiſſis: ſed in prædicto ſyllogiſmo aſſentitur præmiſſis evidentibus; ergo concluſio eſt etiam evidens in illis.

Reſp. ut ſupra diſt. maj. evidens eſt veritas concluſionis eadem evidentia præmiſſarum, ſc. evidentia extrinſeca, con. evidentia majori, ſcil. intrinſeca, neg. maj. & min. nam præmiſſæ non habent evidentiam niſi extrinſecam, ſcilic. in revelatione divina, & ideò articulus de Trinitate eſt ſemper obſcurus in ſe.

Objic. 2. Actus elicitus ex medio evidenti eſt evidens; ſed aſſenſus revelationis evidentis eſt ex medio evidenti; ergo & aſſenſus eſt evidens; ergo non eſt actus fidei.

Reſpond. eodem modo diſt. maj. & min. ex medio evidenti eſt evidens eadem evidentia,ſc.intrinſeca,vel extrinſeca, qua medium eſt evidens, conc. evidentia intrinſeca, ſeu evidentia rei, neg. maj. & min. nam evidentia medii, ſc. revelationis, eſt extrinſeca reſpectu rei revelatæ,& ita eſt de aſſenſu ex tali medio tam præmiſſarum, quàm concluſionis.

Inſt. Ut valeant reſponſiones per medium intrinſecum intelligis aliquid, quod ſit de intrinſeca, & formali ratione rei,ſc. eſſentia,vel proprietas ejus, vel ſaltem quod habeat neceſſariam, & evidentem connexionem cum illa: ſed neutrum dici poteſt in propoſito; ergo nec valent illæ reſponſiones. Prob. min. 1. quia effectus demonſtratur per cauſam ſuam efficientem in demonſtratione *à priori*, & cauſa per effectum in demonſtratione *à poſteriori*, ut ſupponitur ex regulis Logicæ; ſed cauſa efficiens non minùs eſt extrinſeca effectui, & viciſſim, quàm veritas rei revelatæ eſt extrinſeca revelationi ejuſdem, & veracitati Dei;ergo ſi propter extrinſecitatem revelationis, & veracitatis Dei reſpectu rei revelatæ evidenter cognita revelatione, res revelata eſſet adhuc inevidens, nulla eſſet vera demonſtratio nec *à priori*, nec *à poſteriori*. 2. prob. eadem min. quoad 2. p. veritas, & revelatio divina non minorem habent connexionem cum veritate rei revelatæ, quàm ullus effectus cum cauſa ſua; ergo res revelata evidenter non minùs erit in ſe evidens, quàm ullus effectus demonſtratus per

cauſam ſuam; ergo ſicut ex actione evidenti ignis evidens fit ejus approximatio; ita ex evidentia revelationis evidens fit veritas rei revelatæ.

Reſp. neg. min. quoad 2.p.& antec. prob. & diſparitas exempli de actione ignis eſt, quia actio ignis ex natura ſua intrinſeca dependet neceſſariò ab approximatione, & cum ea connectitur: non ita eſt de re revelata cum revelatione; nam exiſtentia rei revelatæ, & revelationis, & revelatio non ita neceſſariò connectuntur ex natura ſua intrinſeca, ſed propter Dei veracitatem. Hac enim veracitate præciſa, revelatio non faceret neceſſariam exiſtentiam rei revelatæ. Veracitas autem divina non habet neceſſariam connexionem cum re illa neque ut cauſa, nec ut effectus.

Quæres, *An ſaltem ſuppoſita evidentia veracitatis divinæ, ac revelationis, res revelata ſit evidens, ita ut non ſit ampliùs objectum fidei, ſed ſcientiæ, aut viſionis.*

Reſp. quòd objectum revelatum in eo caſu ex ratione ſua intrinſeca foret obſcurum, licèt fieret evidens in revelatione.

Ratio eſt, quia in ſe, & per ſe non cognoſceretur, ſed in alio, cum quo poſſet non connecti, ſicut nec revelari. Ideò aſſenſus adhuc eſſet actus fidei; ſemper enim fundaretur in auctoritate revelantis veracis; ergo maneret adhuc in ſe obſcurum, licèt evidens in teſtimonio Dei.

Quæres 2. *an in hoc caſu actus ille fidei eſſet diverſæ ſpeciei à noſtris.*

Reſp. probabiliter fore diverſæ ſpeciei.

Ratio eſt, quia, ex Scoto, ad differentiam ſpecificam actuum ſufficit diverſa applicatio; ſed in hoc caſu applicatio rei creditæ eſſet diverſa; nam tunc res credita applicaretur intellectui cum evidentia revelationis, & veracitatis; in noſtra autem fide res credita applicatur cum obſcuritate utriuſque objecti, ſc. rei, quæ eſt objectum materiale, & veracitatis, quæ eſt formale,& hoc ſufficit ad differentiam talium actuum; ergo ſic differrent.

Confir.quia minus requiritur ad differentiam,quàm ad unitatem, ut ſæpe dictum eſt.

Dices 1. actus utrique niterentur eodem teſtimonio

nio divino; ergo eſſent ejuſdem ſpeciei. Nam actus ſpecificantur ab objectis, & maximè a formalibus.

Reſp. neg. conſ. nam illud objectum formale, ſcil. veracitas, applicaretur in uno caſu evidenter, & in alio inevidenter, quod ſufficit ad diverſitatem illam.

Dices 2. Talis eſt aſſenſus circa rem revelatam, ſeu circa objectum materiale, qualis eſt circa formale, quod eſt veracitas cum revelatione; ſed aſſenſus circa objectum formale eſſet evidens, ſcil. actus ſcientiæ, aut viſionis; ergo & aſſenſus circa materiale. Prob. maj. idem actus verſatur indiviſibiliter circa utrumque; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prob. verſatur circa utrumque ſimul diverſo modo, con. eodem modo, neg. ant. nam unus reſpicit revelationem, & veracitatem *ut quod*, & directè, & propter evidentiam eſt ſcientificus; alter verò reſpicit objectum revelatum *ut quod*, & revelationem, ac veracitatem *ut quo*; ideò iſte eſt obſcurus, & actus fidei, non autem ille. Sunt ambo de eodem objecto non eodem modo ſpectato. Item aſſenſus rei revelatæ præſcindit ab evidentia revelationis, & perinde ſe habet ad myſterium, ac revelatio non eſſet evidens, & non ita ſe habet circa revelationem.

QUÆSTIO VI.

De propoſitione revelationis, an ſit neceſſaria. Et an ſit de objecto formali fidei.

UT credamus, debent nobis objecta credenda, & motiva credendi, & maximè ipſa revelatio fieri præſentia, & utcumque præcognita: v. g. ut credam, *Deum eſſe trinum*, dicitur mihi, hoc eſſe à Deo revelatum ut credendum, niſi hoc ipſe mihi immediatè diceret, ut contigit Adamo, & Angelis in eorum creatione, & forte aliis quibuſdam, quos per ſe Deus illuminavit. Sed quia ordinariè non ſic contingit omnibus credentibus, quærimus hic 1. an præter divinam revelationem omnium credendorum, neceſſaria ſit illius revelationis divinæ propoſitio, qua annuntietur populis, Deum hæc revelaſ-

ſe, ut credantur: & 2. an hæc propoſitio credendorum, & rvelationis eorum ſit de objecto formali fidei Theologicæ?

CONCLUSIO I.

PRæter *revelationem divinam de rebus credendis, debet regulariter fieri ejus propoſitio populis, ut credant*. Eſt communis.

Dico, *regulariter*, nam, ut mox dicebam, poſſent revelari ſingulis immediatè à Deo ſive per internam illuminationem, ut contigit Angelis in ſtatu viæ, ſive ſenſibiliter per voces, aut alia ſigna externa.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui citat Auguſtinum dicentem, quòd *non crederet Evangelio, niſi crederet Eccleſiæ Catholicæ.... approbanti, & teſtificanti, veraces eſſe eorum librorum authores*. Et docet, quòd fides pendet ab auditu; & auditus *fit per verbum Chriſti*; & iſtud proponitur ab Eccleſia: ergo ex Scoto, credere non poſſumus revelata, niſi nobis proponantur ex parte Eccleſiæ.

Prob. 2. ex Scriptura: nam ait Apoſtolus, *quomodo credent ei, quem non audierunt?* (loquitur de Chriſto) *quomodo audient ſine prædicante?* Iſaias dicit: *Domine quis credidit auditui noſtro? ergo fides ex auditu* &c. ergo non poſſunt credi myſteria fidei, niſi prædicentur, & ſine prædicatione excuſarentur, qui non crederent.

Confir. ex verbis Chriſti dicentis de Judæis; (2) *ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.... ſi opera non feciſſem eis, peccatum non haberent*. Et de facto nullus unquam credidit, quem Deus non docuerit aut per ſe immediatè, aut per alios de rebus credendis. *Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis?* [3] Et Moyſi præcipiebat, ut quæ illi dicebantur, nuntiaret Iſraelitis: *Hæc dices filiis Iſrael*, &c. Et Zacharias, (4) *ſicut locutus eſt per os ſanctorum* &c. Denique Paulus: *Multifariam olim loquens Deus patribus in prophetis* &c. ergo ex Scriptura revelationes Dei de rebus credendis nobis nuntiantur per homines.

Prob.

[1] 3. *d.* 23. *A.* 3. [2] *Jo.* 15. [3] *Pſ.* 37. [4] *Luc.* 1.

Prob. 3. Nam de facto nonniſi per prædicationem fides propagata eſt, juxta Chriſti præceptum, *prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et, *quæ in aure auditis, prædicate ſuper tecta*, ſcilic. Apoſtoli à Chriſto immediatè illuminati ſunt, & reliqui populi per Apoſtolos, & ſucceſſores eorum. Ideo poſuit Deus in Eccleſia *quoſdam quidem prophetas, alios Apoſtolos, Euangeliſtas, Doctores*, &c. ergo Deus providet, ut nobis prædicentur revelata, & objecta fidei.

Confir. Nam homo in hoc ſtatu viæ regulariter nihil cognoſcit, niſi fuerit aliquo modo ſub ſenſibus: ergo credibilia debent nobis proponi ſenſibiliter, & maximè per auditum; nam *fides ex auditu*.

Objic. 1. ex Script. ſinguli fideles debent immediatè à Deo doceri; habent ex Dei promiſſione Spiritum Sanctum intùs docentem: ergo fruſtra eſt externa prædicatio revelationis, & revelatorum. Prob. ant. nam inquit Deus per Jeremiam: (1) *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam... non docebit unuſquiſque proximum ſuum*. Et per Joannem, (2) *Unctio docebit vos de omnibus, non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos*. Et Chriſtus ipſe: [3] *Ne vocemini magiſtri, quia magiſter veſter unus eſt Chriſtus*. Et, *oves meæ vocem meam audiunt*. (4) Item, *Homo ſpiritualis judicat de omnibus*: ergo ſufficit interna, & ſpiritualis Dei locutio.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. nam hæc loca Scripturæ probant ſolùm, quòd Deus eſt primus, & principalis Doctor, qui intùs loquitur, & illuminat, dum Apoſtoli, & prædicatores externè loquuntur, & prædicant doctrinam ab eo acceptam, & per eos auditur verbum Dei magiſtri principalis; & ſignificant, quòd dum foris ſonat vox miniſtrorum ad aures corporis, intùs, & ad aures cordis operatur vox Dei. Apoſtoli, & Doctores ſeminant, *Deus dat incrementum*: *Ego plantavi*, inquit Paulus, *Apollo rigavit. Sed neque qui plantat, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, eſt aliquid*. Et ut docet Gregor. [5] *niſi divinus ſpiritus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo Doctoris*. Non ergo ſequitur, quin neceſſarius ſit iſte ſermo, ſed quòd non prodeſt ſine lumine interiori.

X 5 Objic.

[1] *Jere.* 31. [2] 1. *Jo.* 2. [3] *Matt.* 23.
[4] *Jo.* 10. [5] *Hom.* 30. *Evan.*

Objic. 2. ex eadem Script. & Scoto. [1] Si aſſenſus fidei dependeret à propoſitione, & teſtimonio ſenſibili Eccleſiæ, penderet à teſtimonio fallibili; ergo eſſet & ipſe fallibilis. Prob. conſ. quod pendet à fundamento fallibili, eſt fallibile; nec enim effectus ſuperat cauſam ſuam: ſed teſtimonium Eccleſiæ eſt fallibile; eſt enim humanum, & *omnis homo mendax*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & maj. à teſtimonio Eccleſiæ tanquam à principio intrinſeco, vel efficiente, con. tanquam à pura conditione extrinſeca, neg. ant. & maj. nam illud teſtimonium ſe habet, ut applicatio objecti ad potentiam.

CONCLUSIO II.

P*Ropoſitio revelatorum non eſt de objecto formali fidei*. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] *non eſt in poteſtate Eccleſiæ facere iſtud verum, aut non verum, ſed Dei inſtituentis*: ergo non aſſentimur objectis fidei ab Eccleſia propoſitis propter ejus propoſitionem, & teſtimonium, ſed propter revelationem Dei; ergo teſtimonium Eccleſiæ non eſt de objecto formali fidei.

Prob. 2. Nam Scriptura totam rationem credendi refert in authoritatem Dei revelantis: ergo hæc ſola auctoritas habet rationem objecti formalis, non autem teſtimonium Eccleſiæ. Prob. ant. ex verbis Chriſti ad Petrum: (3) *Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus*. Item, *qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*. [4] Et D. Paulus, *accepiſſetis à nobis verbum auditus fidei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed ut verbum Dei*; ergo à quocumque, & quovis modo proponantur credenda, etiam Apoſtolis, fides unicè nititur verbo Dei, non autem Eccleſiæ proponentis.

Prob. 3. ex dictis de veracitate, & revelatione divina: nam ſi veracitas eſt unicum objectum formale, in quod ultimo reſolvitur ratio actuum fidei, & ſi revelatio præciſè a veracitate non eſt niſi applicatio veracitatis, multò minùs propoſitio, ſeu applicatio

[1] *Ibid. E.* [2] *Ibid.* [3] *Matt. 15.*
[4] *Jo. 5.*

catio ipſius revelationis erit de objecto formali.

Prob. 4. Si propoſitio illa eſſet de objecto formali actuum fidei, non poſſet ſuppleri à Deo, nec abeſſe ab actibus fidei; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. min. nam Deus poſſet per ſe immediatè loqui ſingulis hominibus, & eis revelare credenda, ut revelavit Angelis, & Adæ, & aliis; ſed iſti omnes ſine teſtimonio Eccleſiæ proponentis crediderunt per veros actus fidei; ergo &c.

Confir. Nam illa propoſitio neceſſaria eſt, & facit non ut credamus, quòd Deus *eſt trinus* v. g. ſed ut credamus Deum id revelaſſe, & voluiſſe, ut crederemus illud; ergo actus fidei non fundatur in teſtimonio Eccleſiæ, velut motivo formali, ſed in ſola revelatione, & veracitate Dei: & illa propoſitio, ac teſtimonium Eccleſiæ eſt tantùm applicatio talis revelationis.

Objic. 1. ex Script. & Patribus fides fundatur in verbis Apoſtolorum; ergo propoſitio credendorum, & auctoritas proponentium eſt de objecto formali fidei. Prob. ant. nam de Samaritana dicitur, (1) *multi crediderunt propter ſermonem mulieris*. Et Paulus (2) dicit, quòd in fide erant *ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum*. Unde ait Auguſt. (3) *anima rationalis credere non poteſt, ſi deſit vocatio, vel ſuaſio*; ergo fides nititur teſtimonio proponentium revelata.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam ex his, & ſimilibus textibus habetur ſolum, quòd non credimus teſtimonio hominum, niſi prout nobis proponunt credenda; & hæc propoſitio non aliter influit in aſſenſum, quàm ut conditio, ſine qua non crederemus. Certè cum dicitur de Samaritanis, quòd *crediderunt propter verbum mulieris*, nihil aliud ſignificatur, quàm quòd ejus verbum fuit eis occaſio credendi in Chriſtum, vel eorum fides non fuit Theologica, ſed purè humana.

Objic. 2. Credimus legatis Regis, non ſolùm propter Regem, ſed etiam propter illos; ergo idem eſt de miniſtris Eccleſiæ, qui proponunt credenda. Prob. ant. ex Apoſtolo, (4) *legatione fungimur pro*

X 6 *Chri-*

[1] *Jo.* 4. [2] *Rom.* 10. [3] *ſpir. & litt.* 34.
[4] 2. *Cor.* 5.

Chriſto; ergo propoſitio credendorum eſt de objecto formali fidei.

Reſp. neg. conſ. quidquid ſit de ant. nam verba tam Regis, quàm Legatorum ſunt fallibilia, non autem verba Dei: verba autem Apoſtolorum, & Doctorum comparativè ad Deum ſunt fallibilia: igitur ſufficienter firmatur fides in ſolo verbo Dei; nec ullam firmitatem habet à verbis hominum.

Qualis autem debeat eſſe illa propoſitio, an, & qualis proponens credenda, dicetur infra.

QUÆSTIO VI.

An revelatio debeat eſſe immediata, an publica, vel privata.

JAm ſupponebamus, Deum non ſemper immediatè, & per ſe loqui de omnibus credendis, ſed mediatè per Prophetas, per Apoſtolos, Doctores, & Paſtores: nunc id examinamus ex profeſſo, ut meliùs appareat, qualis debeat eſſe revelatio rerum, quæ ſpectant ad fidem: item an debeat eſſe publica? an ſufficiat privata?

Locutio *immediata* eſt ea, qua Deus per ipſum illuminat hominem de rebus credendis, ſive internè imprimendo intellectui ejus ſpecies de illis, vel earum ſpecies excitando. *Mediata* verò eſt ea, qua loquitur per alios homines, per Prophetas, Apoſtolos, Paſtores, &c. Aliquando etiam *immediata* ſumitur pro *formali*, *&* *explicita*, qua res fiunt in ſe explicitè intelligibiles; *mediata* verò pro *virtuali*, *&* *implicita*, quando ſcil. continetur in alia formali, & explicita, ex qua per connexionem naturalem, & conſequentiam certam deducitur.

2. Rurſus locutio dicitur *privata*, vel quia fit immediatè alicui perſonæ privatæ, & in particulari; vel quia fit de re ſpectante ad perſonam privatam; *publica* verò fit alicui communitati, vel de re ad communitatem ſpectante.

3. Deus poteſt loqui hominibus his omnibus modis, & de facto ſæpè locutus eſt, ut teſtantur ſacræ hiſtoriæ. Nam in Geneſi ſæpè locutus eſt Patriarchis, ut Adæ, Cain, Noe, Abrahæ, &c. & hoc vel ſeor-

ſim,

ſim, & cum ſolis, vel publicè, & palam, ut cùm Adæ prohibebat eſum ligni ſcientiæ, & cùm arguit eum de peccato: item de rebus privatis, ut cum Cain de Abelis ſanguine: & de publicis, ut cum Moyſe dans ei legem.

Quærimus ergo hic, an illæ omnes locutiones ſint de objecto fidei.

CONCLUSIO.

R*Evelatio etiam mediata ſufficienter propoſita facit rem de fide credendam*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *In primo, cui articuli ſunt revelati* (ſc. immediate) *ſufficit fides acquiſita, ut firmiter credat eis, ſicut in Paulo. Igitur in aliis poſterioribus* (quibus mediate revelantur, vel proponuntur ut aliis revelata) *ſufficit fides acquiſita, ut firmiter credant talia credenda*. Unde dicit Auguſt. quod *inferiores illuminamur per ſuperiores*. Si autem revelatio mediata ſufficit ad credendum firmiter per fidem acquiſitam; ergo multo magis ſufficit ad credendum per infuſam, quæ eſt *certior acquiſita*. Erit autem actus fidei infuſæ, ſi credam directe propter primam veritatem revelantem, & erit actus fidei acquiſitæ, ſi credam hoc fuiſſe revelatum, & verum, quia hoc teſtatur Eccleſia, vel aliquis homo verax.

Prob. 2. Nam de facto tenemur credere, & credimus fide Theologica, *Deum eſſe trinum*, & *verbum eſſe incarnatum* &c. licet id non ſit nobis immeditate revelatum a Deo: ergo revelatio mediata ſufficienter propoſita facit res eſſe de fide credendas.

Confir. 1. Nam omnia, quæ nunc credimus de Deo, & aliis myſteriis ex neceſſitate medii, vel præcepti credendis, fuerunt revelata prophetis, aut Apoſtolis, & aliis ſcriptoribus canonicis, & ea credimus ut revelata a Deo, quia ut talia nobis proponuntur ab Eccleſia, & qui non crediderint, punientur pœna damnationis æternæ; ergo ſufficit revelatio mediata.

Confir. 2. quia ipſi Apoſtoli multa crediderunt, quæ non ſibi immediate, ſed Patriarchis, & Prophetis revelata ſunt, ut conſtat ex eorum ſcriptis, in quibus ea citant, & nobis ut credenda proponunt. Et certe

[1] *Ibid. E. 6.*

certè ipſimet fruſtra univerſam terram peragraſſent prædicantes doctrinam, quam à Chriſto acceperant, ſi neceſſaria fuiſſet omnibus, & ſingulis revelatio immediata; ergo &c.

Objic. Fides dicitur Theologica, tam quia eſt a Deo, quàm quia eſt de Deo: ſed quæ non venit a Deo per revelationem immediatam, non eſt ſic Theologica; ergo revelatio mediata non ſufficit. Prob. min. revelatio mediata eſt ab homine, & non a Deo, & credere facit homini, non autem Deo; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quia eſt a Deo mediate, vel immediate, con. a Deo immediatè, neg. maj. & conſ. & min. nam ad fidem Theologicam ſufficit, quod ſit per revelationem a Deo, ſaltem mediatè, ut ſit in noſtra. Nam credimus myſteria propter revelationem divinam, quæ nobis proponitur ab Eccleſia.

Inſt. Qui credit mediate, credit ei, quem audit; ſed audit hominem, & non Deum; ergo credit homini, & non Deo. Prob. maj. quando Doctor dicit Catechumeno, *Deus eſt trinus*, hic credit pure propter verbum Doctoris; nec ſe experitur moveri ad credendum ex alio motivo; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. credit immediate ei, quem audit, con. ultimatè, ita ut ſiſtat in tali teſtimonio, neg. maj. alioqui fides ejus eſſet pure humana, & naturalis. Unde catechiſta ſemper proponit verbum Dei ut motivum credendi.

CONCLUSIO II.

R*Evelatio divina tam communis, quam privata ſufficienter propoſita, & conſtans obligat ad credendum.*

Dixi *ſufficienter propoſita, & conſtans*: quia multi ſunt falſi prophetæ, & viſionarii, qui vident falſa, & clamant: *hæc dicit Dominus*, cum ipſe non ſit locutus Et Deus ipſe monet, [1] ut *probentur ſpiritus*: & Chriſtus, [2] quod *exurgent pſeudo-Chriſti, & pſeudoprophetæ, qui dabunt ſigna magna, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*; ergo quærenda ſunt diligenter motiva credibilitatis, maxime a privatis Doctoribus, ne recipiantur non revelata pro revelatis. Hoc ſuppoſito

Prob.

[1] 1.*Jo*.4. [2] 2.*Cor*.11.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *magis credere debemus teſti veraciori, & adhuc magis communitati, quàm perſonæ ſingulari* &c. loquitur de fide acquiſita ibi; ſed axioma ubique verum eſt, quando veracitas loquentis ſuſcipit magis, & minus, quod non dicitur de veracitate divina, ſed de humana: Deus enim tam verax eſt in locutione privata, quàm in publica; ergo revelatio divina ſufficienter propoſita ſemper obligat ad credendum.

Prob. 2. ex Script. quæ refert locutiones Dei tam privatas, ut cum loquebatur ad Cain, ad Abraham, ad Noe, &c. quàm publicas, ut cùm loquitur ad Moyſen, imò & ad Noe pro fabrica Arcæ, & ad Abraham pro lege circumciſionis, quæ omnes poſteros ejus tangebat; ergo &c.

Prob. 3. Nam cuicumque, & de quacumque re, & quomodocumque loquatur Deus, ſemper eſt verax: ergo revelationes divinæ tam privatæ, quàm publicæ ſemper obligant ad credendum hoc ipſo, quod conſtat eum aliquid dixiſſe.

Nota autem, quod quomodocumque loquatur, ſemper omnibus, & ſingulis neceſſarium eſt gratiæ auxilium ad credendum, *ſicut oportet ad ſalutem*, ut dictum eſt alias. Unde fides infuſa inclinat, & elevat animam ad credendum, quia de ſe eſt improportionata ad tales actus. Revelatio autem divina, & propoſitio Eccleſiæ applicat nobis credenda.

Nota 2. quod per *revelationem privatam* non intelligimus ſpiritum illum privatum, & revelantem, quem fingunt hæretici omnibus, & ſingulis, & ſolis prædeſtinatis dari, ut per ſeipſos, & independenter à propoſitione, & judicio Eccleſiæ diſcernant revelata a non revelatis; ita ut, cùm audiunt, vel legunt Scripturas, ſtatim diſcernant, an ſint canonicæ, & divinæ, & quidem infallibiliter. 2. ſpiritus, ut volunt, ſpiritus ille, ut fingunt, præſtat, ut cum eadem certitudine certi ſint de ſua fide, & juſtificatione, & remiſſione peccatorum, ac perſeverantia, & vita æterna conſequenda. Sed de his erroribus alibi diximus.

CON-

CONCLUSIO III.

R*Evelatio mediata, virtualis, & implicita, deducta per neceſſariam conſequentiam facit obiectum fidei, & quod proponit credendum eſt.* Vide dicta in prologo q. 9. an Theologia ſit diſcurſiva, ita ut unam veritatem fidei deducat ex alia.

Prob. 1. ex Scot. [1] dicente, quòd *in creditis non aſſentitur propter evidentiam crediti, ſed propter veritatem revelantis; & illa* (veritas) *eſt eadem reſpectu primorum articulorum, & reſpectu aliorum explicatorum ex illis; & ideo non eſt alius habitus unius, & alterius; quia eſt idem obiectum ſub eadem ratione formali*; ergo ex Scoto, idem habitus fidei inclinat ad aſſenſum revelationi formali, & immediatæ, & virtuali, & mediatæ contentæ in formali, ex qua neceſſario deducitur.

Prob. 2. ex Script. nam Chriſtus arguit Judæos, qui non credunt eum eſſe Meſſiam, & Dei filium, & quod ſic non credunt Scripturis: ſed illum eſſe Meſſiam non dicitur explicite, & formaliter, nec immediatè in Scripturis veteris teſtamenti, ſed ſolùm implicite, virtualiter, & mediate: ergo quæ ſic revelantur, eadem fide ſunt credenda, qua credenda ſunt revelata explicitè, in quibus illa cõtinentur. Prob. maj. nam ait Chriſtus, [2] ut probet ſe eſſe Meſſiam, & filium Dei; *qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibet de me: neque vocem ejus unquam audiſtis .... quia quèm miſit ille, huic vos non creditis. Scrutamini Scripturas.... illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Judæi*, inquit Lyranus, *ex multis Scripturæ locis poterant concludere, quod ipſe erat Meſſias promiſſus*; quod probat ex multis textibus: ſed nullibi hoc dicitur explicite, & immediate; ergo quæ continentur virtualiter, & mediate in revelatis, & ex illis deducuntur neceſſario debent æque credi, ac formaliter revelata; alioqui immerito arguerentur Judæi; quod nefas eſſet dicere.

Confir. ex facto Eccleſiæ a tempore Apoſtolorum uſque ad præſens, quo conſtat plurima fuiſſe declarata, & propoſita ut credenda, quæ ex Scripturis deducta

[1] *1. d. 35. B.* [2] *Jo. 5.*

cta ſunt per conſequentias, & quæ in revelatis continebantur implicitè; ut abrogatio circumciſſionis, & legalium in Concilio Apoſtolorum act. 15. conſubſtantialitas filii, quæ definita eſt in Concilio Nicæno, quæ colligitur ex hoc loco, *ego, & Pater unum ſumus*. Et, *qui videt me, videt & Patrem* &c. Item æqualitas Spiritus S. cum Patre, & Filio contra Macedonium in Concilio Conſtantinopolitano. Item unitas perſonæ Chriſti contra Neſtorium in Concilio Epheſino; & ſic de cæteris, quæ notat Cardinalis noſter de Laurea. [1] Et certe Concilia omnia quæcumque ſucceſſivè ſtatuerunt ut credenda explicite, ex Scripturis collegerunt, in quibus non niſi implicite, & virtualiter continentur; & ante definitiones illorum non ſic credebantur, ut facilè patebit diſcurrenti per ſingula.

Prob. denique. Nam quæ virtualiter in revelatis continentur, eandem habent veritatem per neceſſariam connexionem cum antecedentibus, & præmiſſis explicitè revelatis, ex quibus ſic deducuntur; ergo ex eadem fide credenda ſunt.

Objic. 1. ex Script. nihil licet addere revelatis; ergo ſola revelatio immediata facit rem de fide credēdam. Prob. ant. *licet nos* (Apoſtoli) *aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, Anathema ſit*, inquit Paulus. [2]

Reſp. diſt. ant. nihil licet addere, quod Scriptura non dicat explicitè, vel implicitè, vel quod ſit contrarium dictis ejus, con. quod non dicat formaliter, & explicite, neg. ant. & conſ. nam Apoſtolus prohibet ſolum euangelizare contraria revelatis, *alioqui ſibimet præjudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, ut ſuppleret, quod deerat eorum fidei*: ait Gloſſa, & ut docet Lyranus, *præter*, ideſt, *aliud diſtrahens vos à veritate Euangelii, quam prædicavi vobis: non dicit, pulſquam prædicavi, quia benè poterant alia prædicari ad declarationem veritatis*.

Inſt. Ideò dicimus revelationes implicitas facere fidem Theologicam, quia Chriſtus, & Apoſtoli plures ſic revelatas deduxerunt ex aliis; ſed hæc ratio non valet pro nobis; ergo &c. Prob. min. Chriſtus erat ipſe revelans, & Apoſtoli erant Scriptores canonici revelationum; ſed hoc non convenit nobis; ergo &c. Prob.

[1] *diſp. 7. a. n. 2. 3.* [2] *Gal.*

min. illi docebant, & ſcribebant ex eodem ſpiritu Dei, a quo antecedentia revelata ſunt; ſed hoc de nobis, & aliis dici non poteſt; ergo &c.

Reſp. neg. 1. & 2. min. & diſt. 3. dici non poteſt de nobis, & aliis ut privatis, & præciſe ab Eccleſiæ auctoritate, con. de nobis, id eſt de Eccleſia, aut ejus capite SS. Pontifice, neg. min. nam Eccleſia in Conciliis, & in ſuo capite loquente ex Cathedra eodem ſpiritu Dei loquitur, à quo illa revelata ſunt. Sed de hoc infrà.

Objic. 2. Si revelationes mediatæ, ſeu implicitæ facerent fidem hanc, ſufficeret eas deduci ex quacumque alia, ſed conſ. eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. ex quacumque deduceretur, veniret ſemper ex eodem principio, ſc. ex revelatione divina; ergo eodem modo hæc eſſet credenda.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. Si illatio, ſeu explicatio eſſet authentica eodem modo, con. ſi illatio non eſſet authentica eodem modo, ſeu ejuſdem authoritatis, & infallibilitatis, neg. ant. nec enim Deus promiſit aſſiſtentiam Spiritus S. omnibus ad explicandas veritates, quas voluit latere in explicitis, & formalibus, ſeu immediatis, ſed ſoli Eccleſiæ ſuæ, cui credi vult ſicut ſibi: quippe ab ipſo D. N. Jeſu Chriſto, & ab Apoſtolis, atque à Spiritu S. illi *omnem veritatem in dies ſuggerente edoctá retinuit, & ad finem uſque ſæculi conſervabit*, inquit Concil. Trident. [1]

Inſtabis. Deductio facta per quemlibet privatum Theologum ideò non facit fidem, quia eſt humana; ſed idem eſt de illa, quæ fit in Concilio, vel à Papa; ergo neque hæc facit fidem. Nam in definitionibus Conciliorum, & Pontificum etiam audiuntur Theologi; ergo non majorem habent auctoritatem.

Reſpond. neg. min. & conſ. prob. nam licèt Eccleſia non ſoleat quidquam definire in materiis fidei, niſi poſt humanam diligentiam in ſcrutandis ſacris Scripturis, & poſt maturas diſcuſſiones, & preces ad Deum: tamen de facto nihil pronuntiat, niſi ex divina inſpiratione, quæ in illis occaſionibus numquam ei deeſt; & ſic ejus definitiones ſunt divinæ potius, quam humanæ.

Objic.

[1] *Seſſ. 13. Decr.*

Objicies 3. Illæ deductiones ſunt de ſcientia, quia fiunt per legitimas conſequentias; ergo non ſunt de fide: nam aſſenſus earum non nititur revelatione, aut veracitate, ſed bonitate conſequentiæ; ergo eſt aſſenſus ſcientificus.

Reſpondeo neg. conſ. & ant. prob. nam bonitas conſequentiæ in his diſcurſibus non eſt verum, & principale motivum aſſenſus, quem damus conſequenti, ſed principaliter nititur veritate antecedentium, ex quibus deducitur; conſequentia autem, ſeu vis illativa, ſeu connexio eſt tantum conditio quædam, & applicatio objecti ad potentiam, & diſpoſitio remota.

Quæres, *an ſufficiat aliquid exiſtimari revelatum, ut teneamur illud credere, licèt revera non ſit revelatum.*

Reſp. quod a parte rei non tenemur: nec aſſenſus, qui tali rei dabitur, erit vere actus fidei. Nam habitus, & lumen ſupernaturale fidei non inclinat ad aſſentiendum, niſi veritati divinæ, & quia *fidei divinæ non poteſt ſubeſſe falſum*, ex Trident. (1) ſed revelatio exiſtimata divina, cum non ſit divina, eſt a parte rei falſa, & error; ergo &c.

QUÆSTIO VIII.

Qualis debeat eſſe propoſitio revelationis, ut obliget ad credendum.

MOnet ſapiens, (2) quod *qui citò credit, levis eſt corde*: & Apoſtolus vetat *omni ſpiritui credere*: & ſupra dicebamus pſeudoprophetas ſæpe aſſerere, quod *dicit Dominus, cum ipſe non ſit locutus*, ideo ut credamus Deum aliquid revelaſſe, aliquot requiruntur conditiones, ut prudenter credamus.

Porro ex iis, quibus proponuntur revelata, quidam ſunt fideles, qui agnoſcunt Eccleſiam Catholicam, & caput ejus, & principia fidei, & quibus ſufficit ſuadere aliquid eſſe revelatum, ut aſſentiant. Alii ſunt infideles, qui non agnoſcunt auctoritatem Eccleſiæ, nec recipiunt principia fidei, ſaltem omnia. Utriq; autem indigent ſupernaturali auxilio gratiæ illuminantis intellectum ad cognoſcendum, & moventis vo-

[1] *Seſſ.6.c.7.* [2] *Eccl.19.*

voluntatem, ut inclinet intellectum ad aſſentiendum veritatibus, quas non capit; ſed quoad motiva fidei plura requiruntur pro infidelibus, quam pro fidelibus.

Eſt autem credibilitas quædam dignitas in propoſitione, vel objecto, ſecundum quam meretur, vel exigit, ut illi aſſentiamur.

Quærimus ergo hic, an proponens objecta fidei poſſit, aut debeat afferre aliqua motiva, quibus illa reddantur evidenter credibilia, ſaltem per evidentiam moralem, & quænam illa ſint.

CONCLUSIO I.

Dantur aliqua motiva, quibus myſteria fidei ſunt evidenter credibilia evidentia morali quoad revelationem divinam. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. (1) [1] *Sunt hæreſes innumeræ damnantes S. Scripturam, vel partem ejus... quidam de Scriptura nihil recipiunt: quidam non vetus teſtamentum, ut Manichæi ... quidam ſolum vetus teſtamentum recipiunt, ut Judæi ....* &c. *contra omnes iſtos in communi octo viæ eos rationaliter convincendi..* quas ibi enumerat, & de illis diximus in prologo.

Prob. 2. ex Script. (2) dicente, quod *teſtimonia* (Dei) *credibilia facta ſunt nimis*. Et, [3] *quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem ... conteſtante Deo ſignis, & portentis*, quibus teſtatur, ſe eſſe auctorem doctrinæ ſalutis, ſeu Euangelii: ergo dantur motiva ſuadentia, quod myſteria fidei, & Scripturæ ſunt a Deo revelata: Imo ipſe Chriſtus in teſtimonium doctrinæ ſuæ allegat opera ſua: [4] *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Et de facto prædicationi Apoſtolorum Deus addebat ſigna, *Domino cooperante, & confirmante ſequentibus ſignis*: [6] ergo Chriſtus, & Apoſtoli, præter verba, & myſteria, quæ credenda proponunt, adhibent motiva credibilitatis, v. g. miracula, & exempla &c.

Confir. Nam inquit Richardus: (6) *Domine, ſi error eſt, quod credimus, à te ipſo decepti ſumus; nam in nobis tantis ſignis, & prodigiis confirmata ſunt, & tali-*

[1] *q.2.prol.n.2.* [2] *pſ.92.* [3] *Heb. 2.*
[4] *Jo.10.* [5] *Mar.ult.* [6] *Trin.12.*

talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt; ergo habemus in miraculis, quæ Deus facit per ſe, & per Apoſtolos, urgentiſſima motiva credendi, evangelium eſſe verbum Dei.

Prob. 3. Nam ſumma prudentia neceſſaria eſt in eligendo medio neceſſario ſaluti; ſed fides eſt medium neceſſarium ſaluti; ergo in fide eligenda ſumma prudentia eſt neceſſaria: ſed hæc prudentia requirit, ne talis electio fiat ſine maturo examine, & judicio, quibus conſtet per motiva certa moraliter, quod ea, quæ credenda proponuntur, ſint vere verbum Dei, & illud judicium, ut ſit prudens, debet niti motivis gravibus; ergo &c.

Confir. Nam ſi deeſſent talia motiva, poſsemus prudenter dubitare de revelatione objectorum fidei; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo admittenda ſunt talia motiva. Maj. patet: nam prudenter dubitari poteſt de re contingenti, & obſcura, ſi aſſeritur ſine fundamento, & apparentia urgenti. Prob. min. ſi prudenter poſſet dubitari de tali revelatione, an ſit a Deo, non poſſet imputari nobis incredulitas, vel tarditas ad credendum, ut Chriſtus exprobrat eam diſcipulis, quia non *credebant iis, quæ locuti ſunt Prophetæ*, nec *iis, qui viderant eum reſurrexiſſe*. Certe imputatur duritiei, & inurbanitati, ſi negamus fidem dictis probi viri, aut duorum, vel plurium teſtium. Cur non dici hoc licebit de illis, qui non credunt innumeris teſtibus omnium nationum, & ordinum, & ætatum, & quidem ſanctiſſimis?

Prob. denique. Nam evidens eſt, innumeros fide digniſſimos dixiſſe myſteria illa fuiſſe revelata a Deo, & ut talia fuiſſe majoribus noſtris a tot ſæculis propoſita, & credita, Deo ipſo ſpecialiter aſſiſtente; nec ulla rationabilis cauſa adeſt de hoc dubitandi; ergo evidenter credibilis eſt hæc revelatio, & adſunt ad hoc motiva graviſſima. Prob. ant. nam habemus ſcripta tot teſtium, & hæc eſſe illorum ſcripta tam evidens eſt, quam nobis certum eſt, Romam, aut Indias exiſtere, aut nos natos eſse ex talibus parentibus; ergo &c.

Objic. 1. Objecta fidei ſunt ſupernaturalia; ergo non poſſunt fieri evidenter credibilia. Nam motiva talis credibilitatis deberent eſse pariter ſupernaturalia, & ſic ſemper ſuperarent captum noſtrum.

Reſp.

Reſp. diſt. conſ. credibilia phyſice, & per motiva intrinſeca, con. moraliter, & per motiva extrinſeca, neg. conſ. & ant. prob. nam licet in illis motivis adſit aliqua ſupernaturalitas, maxime in prophetiis, & miraculis, quæ per hoc maxime nos movent ad credendam divinitatem Scripturarum, ad quas confirmandas adhibentur: tamen habent etiam aliquid naturalitatis ad movendum.

Objic. 2. Innumeri fideles, ut rudiores, & pueri, credunt prudenter, & firmiter ſine illis motivis; imo nequidem illa concipiunt; ergo illa non ſunt neceſſaria.

Reſp. neg. conſ. nam licet ea ſemper actu non videant, (ſaltem omnia) habent tamen aliqua ſaltem mediate; ut cum vident myſteria ſibi proponi a viris doctis, & probis, aut a parentibus, qui nollent eos decipere, & ea credi ab omnibus: ſi quidem illa exempla ſunt graviſſima motiva credendi pro illis.

Objic. 3. Si myſteria eſſent evidenter credibilia, eſſent evidenter vera; ſed quod eſt evidenter verum, non eſt objectum fidei, ſed ſcientiæ; ergo objecta fidei non ſunt evidenter credibilia. Prob. maj. in tantum res eſt credibilis, in quantum eſt vera; ergo quod eſt evidenter credibile, eſt evidenter verum.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. in quantum eſt vera quoad credibilitatem, con. quoad ſcibilitatem, neg. ant. cum dico, myſterium eſſe evidenter credibile, evidentia non cadit in objectum, nec in actum fidei, ſed in motivum, quod habet quidem connexionem cum divinitate revelationis, ſed non cum ipſa re credenda, quæ ſemper manet obſcura, & non creditur niſi propter revelationem divinam.

Inſt. Si myſteria fidei ſunt evidenter credibilia, credi poſſunt evidenter; ſed conſ. eſt falſum, nam ſemper creduntur obſcure; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. evidenter evidentia morali, quod revelatio ſit a Deo, con. evidentia ex parte objecti, quæ reddat illud evidens intellectui, neg. maj. & conſ. nam ex motivis credendi fit moraliter evidens, quod Deus ea revelavit, ſed illa manent ſemper obſcura, & non viſa, ſed credita.

Inſt. 2. Qui cognoſcit evidenter revelationem divinam de aliqua re, cognoſcit illam evidenter connexam

nexam cum veritate rei; ergo evidenter cognoſcit veritatem rei; erga & ſcit eam.

Reſpondeo neg. conſ. cognoſcit quidem certo veritatem rei ut revelatæ, & in revelatione, ſed non in ſe; quia revelatio eſt medium extrinſecum. Deinde evidentia moralis non tollit fallibilitatem phyſicam; & ſic non facit ſcientiam, nec eſt incompatibilis cum actu fidei.

Objic. 4. Illa credibilitas evidens reſpicit fidem humanam, ſeu acquiſitam, vel divinam; ſed neutrum dici poteſt, ergo non eſt evidens. prob. min. 1. non fidem humanam, quia ſic non eſſet certa, nec evidens, ſed fallibilis. 2. non divinam, nam ſic eſſet certa phyſice, & evidenter; ergo &c.

Reſp. 1. idem objici poſſe ipſis adverſariis. Nam ſi revelatio credatur fide acquiſita, & moraliter incerta, talis erit etiam aſſenſus de myſterio revelato: ſi fide divina, eadem currit conſequentia.

Reſpondeo 2. ad maj. quod credibilitas de revelatione, & de re revelata relative ad illam eſt de fide divina infuſa, cui non poteſt ſubeſſe falſum, & ſic neg. min. & conſ. prob. nam certitudo ſe tenet ex parte rei creditæ, & actus fidei quoad illam, non ex parte motivi, quo creditur exiſtentia revelationis, quod cum non ſit phyſice connexum neceſſario cum ipſa revelatione, ita nec facit actum ex hac parte certum phyſice. Si autem ſpectetur aſſenſus ſeorſim, & relative ad ſolam exiſtentiam revelationis, non erit fidei divinæ, ſed acquiſitæ; & ſub hoc reſpectu erit phyſice fallibilis; ſed moraliter erit certus propter evidentiam motivi.

Inſt. Ille actus erit vel naturalis, vel ſupernaturalis, vel ſcientiæ. vel fidei humanæ, aut divinæ: ſi naturalis, & ſcientificus; ergo non poterit diſponere ad actum credendi myſterium per fidem infuſam: Si fidei divinæ; ergo erit phyſice certus, & non evidens. Hoc argumentum non levem habet difficultatem, & varie a variis reſpondetur.

Reſp. illum actum eſſe ſupernaturalem ex parte gratiæ actualis excitantis, & adjuvantis ad illum; aliunde vero eſt actus ſcientificus propter evidentiam motivorum credendi exiſtentiam revelationis divinæ. Vel ſi mavis pertinebit reductive ad fidem natu-

ralem

ralem in ſubſtantia, aut ad habitum Theologiæ; quia fundatur in aliquo diſcurſu ex præmiſſis ſupernaturali, & naturali.

Igitur ſi motivum credendi Myſterium Trinitatis eſſe revelatum ſit Eccleſiæ auctoritas, ut ſæpe accidit, ille actus pertinebit ad fidem humanam; quia inquit Doctor, [1] *certum eſt, quod in nobis eſt fides revelatorum credibilium acquiſita; quod patet per Auguſtinum .... qui dicit, quod non crederet Evangelio, niſi crederet Eccleſiæ Catholicæ. Patet igitur per eum, quod libris Canonis Sacri non eſt credendum, niſi quia credendum primo Eccleſiæ approbanti, & auctorizanti libros iſtos, & teſtificanti veraces eſſe eorum authores,* &c. 2. Si illa motiva ſumantur ex ratione naturali valde probabili, tunc illud judicium erit ab habitu ſcientiæ, vel opinionis; & ſic de aliis: ſed ſemper aſſenſus pendebit ab auxilio gratiæ prævenientis, & adjuvantis; & inde habet ſupernaturalitatem, & etiam ex fine.

CONCLUSIO II.

QUamvis regulariter non poſſit haberi verus actus fidei divinæ de aliqua re, niſi aliquando præceſſerit actus, quo credideris, eam fuiſſe revelatam a Deo: tamen iſte actus non eſt ſemper neceſſarius explicite in omni actu fidei; ſed ſufficit, ut adſit implicite, & virtualiter. Debet eſſe communis.

Probatur 1. ex Scoto cit. [2] nam dicit cum Auguſtino, quod *non crederet Evangelio, niſi Eccleſia judicaſſet*, & niſi crederet Eccleſiæ Catholicæ auctorizanti libros Canonis Sacri &c. ergo actus omnes fidei Theologicæ ſupponunt fidem in Eccleſiæ teſtimonium de exiſtentia revelationis divinæ: ſed iſta fides non ſemper habetur actu, & explicite, quoties credimus articulos fidei divinæ.

Prob. 1. p. 1. ex Script. nam *fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*; & iſte auditus eſt ex prædicante ex parte Eccleſiæ, quæ mittit prædicantes: *non enim prædicant, niſi mittantur*; ergo omnis actus fidei divinæ ſupponit rem, quam credit eſſe reve-

[1] *Ibid. A.* 3.
[2] *Ibid.*

revelatam à Deo; ergo debet aliquando audiviſſe, & & crediidiſſe illius revelationis exiſtentiam.

Prob. 2. Nam ipſa revelationis exiſtentia eſt aliquid credibile *ut quod*: de fide enim eſt, Deum aliquando locutum eſſe Prophetis, Apoſtolis, & Eccleſiæ, & eis myſteria credenda revelaſſe; ergo ad fidem neceſſariò credi debet ipſa revelatio.

Confir. quia non poſſum credere, quòd *Verbum caro factum eſt*, & id credere propter veritatem revelationis divinæ, niſi ſciam, credam, aut ſupponam, quòd hoc aliquando ipſe Deus revelavit; ergo ad actum fidei Theologicæ de Myſterio Incarnationis Verbi debet credi, aut ſupponi revelatio divina de eodem myſterio. Et ſic de aliis.

Prob. 2. p. 1. ex Aug. dicente, quòd non omnes ſunt capaces penetrandi, vel ponderandi motiva, quibus revelatio divina redditur credibilis, ut ruſtici rudiores, & pueri recenter venientes ad uſum rationis, & tamen habent actus veros fidei; ergo illud judicium poſitivum, & explicitum non eſt ſemper neceſſarium in omni actu fidei, ſed ſufficit, ut in illis ſupponatur, & involvatur implicitè, & virtualiter. Prob. ant. ſic enim loquitur: *In Eccleſia Catholica pauci ſpirituales ad ſynceriſſimam ſapientiam perveniunt in hoc ſtatu: cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit*; ergo &c.

Id patet de pueris, quibus nec myſteria credenda, nec divina revelatio proponitur, niſi à parentibus, vel magiſtris, iiſque etiam non doctis ad eos docendos de motivis credibilitatis; ergo &c.

Confir. etiam de Doctoribus: nam qui aliquando credidit formaliter, & explicitè Deum eſſe trinum propter ejus veritatem in dicendo, & quia hoc ipſe dixit, ſolet deinde rectè, & ſimpliciter credere myſterium non reflectendo ſemper, & explicitè ſupra illud motivum revelationis, nec ſupra motiva credibilitatis ejus: nullus dubitat, quin iſte actus fidei ſit bonus, *credo trinitatem perſonarum in Deo, quia ipſe verax eſt*, & tamen in illo actu non fit mentio explicita, & formalis de revelatione, nec de ullo motivo credibilitatis ejus; ergo in omnibus actibus fidei non ſemper requiritur explicitè, & formaliter illud judicium de exiſtẽtia, & credibilitate revelationis divinę.

Objic. con. 2. p. *Qui citò credit, levis eſt corde.* Unde actus credendi debet eſſe prudens; ſed non erit prudens, ſi ſit ſine evidentia, & judicio credibilitatis; ergo in omni actu fidei requiritur illud judicium.

Reſp. diſt. min. ſine judicio formali, aut virtuali, explicito, vel implicito, con. ſine judicio formali, & explicito, neg. maj. & rationem ejus: nam qui aliquando cognovit, & credidit revelationem divinam myſteriorum, & hæc credidit propter illam, & illam ipſam credidit, cenſetur jam ſufficienter inſtructus, & ſemper credere ex iiſdem principiis, ſaltem virtualiter, & ſic cum eadem prudentia agit: ſic qui ſolet actus charitatis in Deum elicere, non ſemper cogitat de omnibus motivis, & circumſtantiis, quæ aliquando agnovit, ne quidem ad motiva ipſa formalia.

Inſt. 1. Chriſtus ipſe dicebat de Judæis incredulis, *ſi opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, ſc. in ſua incredulitate defectu motivorum ſufficientium ad credibilitatem; ergo ut teneamur credere, debemus attendere ad motiva evidentia credebilitatis.

Reſpon. diſt. conſ. formaliter, vel virtualiter, con. formaliter, & explicite, neg. conſ. nam paritas de Judæis non valet. Nam cùm ipſi legem haberent, quæ abolebatur, non leviter id facere debebant, nec ſine gravibus motivis, qualia erant ſigna, & opera Chriſti novi legiſlatoris. Non ſic eſt de Chriſtianis informatis habitu fidei, & jam credentibus Dei revelationem.

Objic. Qui habet motivum dubitandi de revelatione, non poteſt illi prudenter aſſentiri; ſed qui non habet evidentiam de credibilitate revelationis, habet motivum de illa dubitandi; ergo illi non aſſentitur prudenter. Probat. min. quamdiù non habet evidentiam ſaltem moralem de credibilitate, non eſt certus moraliter de illa; ergo habet rationem dubitandi.

Reſp. neg. min. & ant. prob. nam, ut ſit certus moraliter, & ſufficienter, ne dicatur *levis corde*, & imprudens, ſufficit, quòd non habeat poſitivam rationem dubitandi cum aliquali motivo aſſentiendi; & tales ſunt plerique ruſtici, & juniores, qui nullum

motivum poſitivum habent dubitandi; & ſufficienter moventur ad aſſenſum exemplo, & auctoritate parentum, aut præceptorum, aut parochorum, qui eis proponunt talia credenda ut revelata à Deo; nec illis neceſſaria eſt ulterior diſquiſitio. Idem dici poteſt à fortiori de fidelibus, & Doctoribus, qui ex inadvertentia eliciunt actus fidei abſque explicito influxu motivorum credibilitatis, & cum tanta firmitate, ac ſi de facto attenderent ad illa motiva, ſc. ex uſu, & conſuetudine ſic credendi.

Objic. 3. In viſione naturali non videtur objectum, niſi videatur & lumen; ergo nec in fide poteſt credi objectum revelatū, niſi videatur ipſa revelatio; nam hęc eſt ſicut lumen, quia applicat credibile, ut credatur.

Reſp. diſt. conſ. niſi adſit, & videatur revelatio ſaltem virtualiter, & implicitè, con. formaliter, & explicitè, neg. conſ. & diſparitas eſt de lumine, quòd oculus non eſt abſtractivus, & quòd aliter poteſt apprehendi objectum credibile, & revelatum per aliud lumen ſupplens quoad applicationem objecti ad potentiam, ut eſt propoſitio myſterii per parentes, aut parochos, aut per inſpirationem internam pro fidelibus adultis.

Objic. 4. omnis actus fidei Theologicæ habet pro objecto formali veritatem Dei revelantis, & pendet eſſentialiter à revelatione divina; ergo non poteſt elici, niſi reſpiciat ad illam revelationem: ſed non poteſt eam reſpicere ſine evidentia; ergo ad omnem actum fidei requiritur evidentia de revelatione divina. Prob. conſ. niſi reſpiciat ad revelationem, aſſenſus ille non erit ex motivo ejus; non enim poteſt movere ad aſſenſum, niſi ut cognita; ergo &c.

Reſp. diſt. 1. conſ. niſi reſpiciat ſaltem virtualiter, & implicitè, con. explicitè, & ſemper, neg. conſ. nam ſufficit, ut ex aliquali præſentia, & propoſitione, vel habitu influat virtualiter, & implicitè. Nam loquor de illis, qui aliquando crediderunt eam revelationem, & ex ea crediderunt revelatis; nam cum illa veniunt in mentem, ſolemus de illis elicere actus fidei, licèt actu, & explicitè non attendamus ad revelationem divinam, aut ſaltem confusè, & implicitè conſideremus eam.

QUÆSTIO IX.

An, & quomodo objecta fidei ſint evidenter credibilia.

VIdimus in præcedenti, nos habere motiva, quibus myſteria fidei reddantur evidenter, & certò credibilia. Dico, *credibilia*, non autem *vera*: nam, ut res dicatur evidenter vera, debet videri in ſeipſa, vel in principiis ſuis intrinſecis, & phyſicè connexis. Ut autem dicatur evidenter credibilis, ſufficit, ut videatur in mediis extrinſecis, non autem in ſe; alioqui non diceretur *credi*, ſed *videri*, aut *ſciri*; non diceretur *credibilis*, ſed *viſibilis*, aut *ſcibilis*, quod dici non poteſt de objectis fidei, quæ in ſe non apparent, ſed potiùs latent, nec videntur, niſi per ſpeciem, & in ænigmate, ſc. in verbis divinis per Eccleſiam nobis propoſitis. Quærimus ergo hic, per quæ principia, ſeu argumenta res illæ, ſeu potiùs illa Dei revelatio de illis rebus fiat nobis ſatis evidens, ut de illa dubitare non liceat.

CONCLUSIO.

M*Otiva, ſeu rationes, quibus res fidei redduntur evidenter credibiles, reducuntur ad hæc capita præcipuè. 1. prædictio prophetica. 2. Scripturarum concordia. 3. ſcribentium auctoritas. 4. colligentium diligentia. 5. revelatorum rationabilitas. 6. errorum, & aliarum ſectarum irrationabilitas. 7. Eccleſiæ ſtabilitas. 8. miraculorum claritas*. Dixi, *præcipuè*, & inter alia: nec enim deſunt alia etiam valida; ſed his pro nunc contenti erimus. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Sunt octo viæ eos* (infideles, & hæreticos) *rationabiliter convincendi, quæ ſunt pronuntiatio prophetica*, &c.

Prob. 2. ex eodem per ſingula capita, & 1. *de prophetia.* Illa doctrina eſt à Deo ex ſpeciali revelatione, in qua multa prophetizantur certò, & quorum pars maxima jam eſt completa; ſed talis eſt doctrina chriſtiana, ſeu Scriptura ſacra; ergo eſt à Deo ſpecialiter re-

[1] *q.2.prol.n.2.*

revelata. Min. patet experientia eorum, quæ ibi prædicuntur, & quæ pro maxima parte videntur impleta; & inde colligitur, cætera non minùs eſſe implenda ſuo tempore. Nam inquit Scotus ex Auguſtino, [1] *vera ſe narraſſe præterita ex eis, quæ futura prænuntiavit, cum tanta veritate implentur, oſtendit*. Prob. maj. nam ſolius Dei eſt futura contingentia certò, & infallibiliter prævidere. Ideò Iſaias idololatris, & idolis inſultans dicebat, *annuntiate nobis, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis*; ergo Scriptura, quæ tot, & tanta prædicit cum infallibilitate, non poteſt eſſe niſi à Deo.

Dices, ſic peti principium: nam nec prophetias novimus, niſi ex veteri teſtamento, nec impletas niſi ex novo; & ſic veritatem Scripturæ probamus per ipſammet Scripturam.

Contra. Nam experientiam, & prophetias veteris teſtamenti novimus ex authentica, & certa traditione, ſicut & geſta in novo, item ex aliis ſignis mox adducendis. Hæc autem non ſunt nota per ipſam Scripturam.

2. De Scripturarum concordia ſic arguitur: Impoſſibile eſt moraliter, plurimos ſcriptores diverſorum temporum, & complexionum, & regionum convenire potuiſſe in factis, principiis, & concluſionibus, quæ per ſe non ſunt nota lumine naturæ, in ordine ad finem ultimum hominis, niſi uno Deo illos dirigente, & talia dictante; ſed id habetur in ſcriptoribus ſacris, ipſi in iiſdem factis, & principiis, & concluſionibus de rebus minimè per ſe notis cōvenerunt, ſcribentes diverſis temporibus, & locis, & aliis circumſtantiis; ergo &c. Min. patet: nam Ezechiel ſcribebat Babylone, Jeremias in Judæa, & ambo eodem tempore & convenerunt in factis, & principiis, & concluſionibus, ſaltem quoad ſubſtantiam. Probat. maj. ex aliis libris, & doctrinis, maximè Philoſophorum, qui tam diverſa, & contraria opinantur: profectò doctrina, quæ tot diverſa, & contraria continet, non poteſt eſſe in toto vera; quæ verò conformis eſt ubique, poteſt eſſe in toto vera. Et præterea illa uniformitas, & concordia in illis circumſtantiis non eſt ſine miraculo, & nota divinitatis.

[1] 12. civ. 10.

3. Scribentium auctoritas. Nam moraliter incredibile eſt, ſcriptores vita, & pietate inſignes, quique ſummè horrebant mendacium, & commendabant veritatem, voluiſſe populos decipere, & mentiri in rebus ſummi momenti, & ſpectantibus ad eorum ſalutem æternam: ſed tales fuerunt ſcriptores librorum utriuſque teſtamenti; de illis enim hucuſque nihil mali auditum eſt; ergo incredibile eſt, eos non eſſe veraces, nec tam veraces eſſe potuiſſe in rebus adeò ſacris, & ſupra humanam fragilitatem, & captum elevatis, niſi ſpecialiter à Deo fuerint afflati.

Dices, eos non quidem mentiri voluiſſe, ſed ex infirmitate, vel nimio fervore zeli potuiſſe falli.

Contra. Gratis diceretur, eos fuiſſe deceptos, niſi oſtendatur, in quo erraverint, ſive in factis, quæ narrant, ſive in regulis morum, quas tradunt, ſive in prædictionibus; ſed nulli tales errores uſque in præſens in eis notati ſunt; ergo non ſunt decepti.

4. De *recipientium diligentia* ſic arguitur: Vel nemini credendum eſt, vel credendum eſt communitati fidelium, qui tanta fuere diligentia in examinandis Scripturis veris, & eis diſtinguendis à falſis, in illis recipiendis, & conſervandis, & falſis rejiciendis, & quidem ab omni ævo, & tempore tam Synagogæ, quàm Eccleſiæ; ſed tales fuerunt fideles omnes in ſeligendis veris Scripturis, & libris canonicis ab Apocryphis, ut patet ex hiſtoriis Conciliorum, & actuum Eccleſiaſticorum; ergo ſine temeritate, vel obſtinatione negari non poteſt fides libris, quos habet Eccleſia pro Canonicis. Prob. maj. nam, inquit Doctor, ſi nolles credere, niſi quæ vidiſti, v. g. mundum ante te non fuiſſe, vel hunc non fuiſſe patrem tuum, vel hanc non eſſe matrem tuam, *talis incredulitas deſtrueret omnem vitam politicam*: ſed hæc ſunt longè incertiora, & minus comprobata, quàm libri Canonici; ergo &c.

5. De *rationabilitate contentorum* in Scriptura ſic arguitur: Nihil magis credendum, quàm quod maximè congruit lumini rationis; ſed tota hæc doctrina maximè congruit lumini rationis; ergo &c. Probat. min. diligere Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum maximè congruit lumini rationis; ſed *in his duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ*; in his eſt

eſt ſumma totius doctrinæ utriuſque teſtamenti: uno verbo, nihil unquam in tota hac doctrina repertum eſt, quod non ſit honeſtum, & laudabile; nihil, quod non ſpiret virtutem; & quod non damnet vitium, ut facilè patebit legenti: ergo &c.

6. Quia contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, ex *irrationabilitate aliarum*) *ſectarum* maximè commendatur veritas, & ſanctitas doctrinæ in his libris contentæ: quippe aliæ omnes plenæ ſunt abſurditatibus, & vitia introducunt, aut fabulas, & impietates continent; ergo doctrina chriſtiana tota ſancta eſt, & tam amplectenda, quantùm aliæ ſectæ ſunt abhorrendæ. Prob. min. 1. de *Paganis*, qui idola colebant, pluralitatem Deorum admittebant, & ſcelera, & ſpurcitias eorum celebrabant; ut inceſtus Jovis; crudelitatem, & barbariem Saturni; proſtitutiones Veneris, &c. 2. de *Mahometanis*, qui felicitatem in voluptatibus ponunt, & in fabulis Alcorani. 3. de *Judæis*, qui ex deteſtanda duritie non credunt Meſſiam veniſſe contra teſtimonia propriæ legis Moſaicæ, & ſuorum prophetarum. Ideò dicebat eis Chriſtus; *ſcrutamini Scripturas, illæ enim teſtimonium perhibent de me*: & excæcati, & indurati non crediderunt tot ſignis evidentibus, quæ propriis oculis viderunt, & quibus ipſe probabat ſuam divinitatem. 4. de *hæreticis antiquioribus*, quorum hæreſes abolitæ ſunt, & evanuerunt: fides autem noſtra fuit, & eſt, & erit perpetua. 5. de *hæreſibus recentioribus*, quæ tot abſurdis, & erroribus ſcatent; ut cum tollunt ab homine liberum arbitrium, cum faciunt Deum authorem peccati; & ex eorum Authoribus, qui fuerunt Apoſtatæ à fide, & Scripturas falſificarunt, ut errores ſuos ſtabilirent, & ut ipſi liberius viverent, ſacra profanarunt &c.

7. Ex *Eccleſiæ ſtabilitate*. Nam nihil magis probat doctrinæ, & Eccleſiæ ſanctitatem, quàm Dei pro illa protectio, miraculoſa ejus principia, & progreſſus, & firma ſtabilitas inter preſſuras, & percuſſiones atrociſſimas omnium poteſtatum mundi, & inferorum, ita ut per 12. agnos in mundo lupos referto triumpharit, & iſti ipſos tandem lupis non armis, ſed patientia, & manſuetudine converterint in agnos, & quidem prædicantes non carnis delicias,

ſed mortificationes, & cruces, non in ſapientia hominum, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, eligentes &c.

8. De *miraculorum claritate* arguitur: Quæ Deus miraculis confirmavit, non poſſunt eſſe niſi vera; Deus enim, qui eſt ſummè, & eſſentialiter verax, non poteſt teſtificari falſum: ſed Deus totam doctrinam chriſtianam inſignibus miraculis per Apoſtolos, & primos ejus promotores comprobavit, ut conſtat ex hiſtoriis fide dignis; ergo &c.

Ipſe Chriſtus D. promittebat Apoſtolis hanc poteſtatem miraculorum, quando illos mittebat. (1) *Euntes in mundum univerſum prædicate ..... ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient .... illi autem profecti prædicaverunt Domino cooperante, & confirmante ſequentibus ſignis.*

Dices. Hæc miracula poſſunt non credi, quia hiſtoriæ non ſunt certæ.

Contra 1. nam [inquit Scotus poſt Auguſtinum] [2] *ſi iſta miracula facta non creduntur, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod jam terrarum orbis ſine ullis miraculis credit.* Nullum majus miraculum, quàm converſio totius mundi ad Chriſtum ſine miraculo.

2. Aliud miraculum eſt, quòd *homines ignobiles, infimi, pauciſſimi, imperiti rem tam incredibilem* (Chriſti divinitatem, & doctrinam) *tam efficaciter mundo, & etiam doctis perſuadere potuerint, ita ut mundus illam credat, ſicut jam credidiſſe videtur, niſi per illos aliqua miracula fierent, per quæ mundus ad credendum induceretur. Quid incredibilius, inquit Doctor, quam ut ad legem contrariam carni, & ſanguini Doctores pauci, & rudes, & pauperes poſſent plurimos potentes, & ſapientes convertere?*

3. Quia (ut docet idem Auguſtinus) tam facilè negabimus Deos ullos curare mortalia, quàm facilè poſſunt negari miracula, quæ narrantur facta eſſe.

4. Quia multa ex illis miraculis tot, tantiſque teſtimoniis fulciuntur, ut non niſi à protervis poſſint

[1] *Mar. ult.*
[2] 12. *civ.* 50.

ſint negari, ut curatio lepræ in Conſtantino per S. Sylveſtrum, &c.

Plures aliæ notæ certiſſimæ de veritate divinæ hujus doctrinæ poſſent afferri, quæ paſſim occurrunt apud authores. Nobis iſtæ ſufficiant.

Objic. 1. Omnia illa motiva ſunt extra Deum; ergo non ſufficiunt ad fidem Theologicam. Prob. ant. nam omnia ſe tenent ex parte creaturæ, & ſunt defectibilia.

Reſp. diſt. conſ. non faciunt fidem divinam ut objecta formalia ejus, & de intrinſeca ejus ratione, con. ut diſpoſitiones, & adminicula quædam ab extrinſeco, neg. conſ. non enim prætendimus, quòd hæc motiva influant immediatè in actum fidei de rebus revelatis, ſed ſolùm quòd juvent ad credendum, quòd ea ſunt revelata à Deo immediatè, vel mediatè.

Objic. 2. Hæc motiva ſunt incertiora, quàm ipſa fides, & veritates ejus; ergo non juvant ad credendum iſta. Prob. ant. non enim certum eſt, quòd illæ prophetiæ extiterint, nec illi ſcriptores, nec illa miracula; & pauci admodum ea viderunt; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ſunt incerta phyſicè, con. moraliter, neg. ant. nam ſicut ille, qui negaret Romam exiſtere, aut Trojam fuiſſe, quia non vidit, haberetur ut pertinax, & temerarius nolens credere tot teſtibus, qui hæc aſſerunt, licèt phyſicè poſſent fallere: ſic eſt de iſtis motivis, de quibus habentur innumeri teſtes veraciſſimi, & qui ſupponuntur probiſſimi; ergo hæc motiva credi debent eſſe fide humana, quæ moraliter certa eſt.

Inſt. ergo fides divina penderet ab humana; ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c.

Reſp. diſt. ſubſ. penderet tanquam ab aliquo extrinſeco, & diſpoſitivo remoto, con. tanquam ab intrinſeco, & ſpecificativo, neg. ſubſ. & min. nam ſicut prædicatio eſt neceſſaria, ut credamus, *quomodo enim audient ſine prædicante*? ſic & iſta motiva: & tamen prædicatio eſt actus naturalis, & humanus: & ſicut non aſſentimur veritatibus revelatis propter prædicationem, ita nec propter iſta motiva, ſaltem formaliter, & immediatè.

Objic. 3. Si hæc motiva redderent revelata evidenter credibilia, facerent etiam evidenter vera; ſed hoc eſt falſum, & contra nos; ergo & ant. maj. patet: nam eo modo ſunt vera, quo ſunt credibilia, quia nihil eſt credibile, niſi ut verum. Prob. min. quia quod eſt evidens, non eſt objectum fidei, ſed ſcientiæ, & intellectus debet determinari à voluntate per piam affectionem, ut omnes docent.

Reſp. diſt. maj. evidenter vera evidentia morali, con. maj. & neg. min. & ant. prob. evidentia phyſica, neg. maj. & conſ. nam ſcientia requirit evidentiam phyſicam; evidentia autem moralis ſtare poteſt cum inevidentia, & incertitudine phyſica, & ſic cum actu fidei: & quia non determinat phyſicè intellectum ad aſſenſum, ideò eget pia affectione voluntatis, ut eum determinet ad aſſenſum.

Dico, *evidentiam revelationis*, *& veritatis* myſteriorum fidei poſſe quidem ſtare cum fide, ſed hoc non ſemper, nec in omnibus requiritur, nec accidit, ut diximus quæſt. præced.

QUÆSTIO X.

De proponentibus fidei objecta, qui, & quales eſſe debeant.

JAm ſupra diximus, propoſitionem revelationis, & revelatorum neceſſariam eſſe regulariter, quia licèt ipſa revelatio fieri poſſit immediatè à Deo ſingulis hominibus; tamen id non ita fit regulariter, ſed fit per Prophetas, Apoſtolos, Paſtores, & Doctores; & quærimus, qui, & quales debeant eſſe, per quos revelationes Dei, & revelata debeant nobis proponi, ut teneamur credere aliqua eſſe revelata? Hæc diſcuſſio videtur quidem pertinere ad controverſiſtas, qui de illa ex profeſſo agunt, tamen, ne quid deſit huic ſcripto ad inſtructionem Tyronum, breviter aliqua delibamus.

Dico, *ut teneamur credere aliqua eſſe revelata*: Nam agitur de proponente ex auctoritate, & officio. Suppono autem, ut certum, quod quiſquis cognoſcit myſteria fidei, poteſt ea proponere cuilibet, & cum motivis credibilitatis, ſi hæc novit; & ſic poteſt juva-

juvare alios ad actus fidei cum ejus habitu, vel cum gratia actuali ſupplente vices habitus, ſed hoc non faciet cum auctoritate, ita ut auditor teneatur illi credere, ſicut ſi loqueretur cum auctoritate aliqua ex parte Eccleſiæ. Si tamen adjungeret motiva credibilitatis urgentiora, non excuſaretur auditor à peccato, niſi crederet.

CONCLUSIO I.

E*Piſcopus in ſua diœceſi, aut delegatus ab ipſo, & parochus in ſua Eccleſia ſunt idonei, & ordinarii miniſtri ad proponenda objecta fidei fidelibus, & infidelibus*. Eſt communis.

Prob. ex Scoto. (1) *Actus credendi dependet ex duobus, ſcil. ex habitu inclinante, & præſentia credibilis, quod non eſt præſens in habitu; & ideo ſine doctore, & revelatione non tenentur ſimplices, quibus non erant tot credenda explicite, tot credere... ſicut tenentur majores in Eccleſia*, &c. Et ſupra dixerat ex Auguſtino, (2) quòd *Euangelio non crederet, niſi quia primo credendum eſt Eccleſiæ approbanti*, &c. ergo ex Scoto, ad actum fidei neceſſaria eſt præſentia, ſeu propoſitio credibilium ex parte alicujus miniſtri Eccleſiæ approbantis doctrinam, in qua hæc continentur; & tales ſunt regulariter Epiſcopi, & Parochi in ſuis parochiis.

Prob. 2. de Epiſcopis ex Scriptura: nam illi ſuccedunt Apoſtolis, quibus præcedit Chriſtus: (3) *euntes in mundum univerſum prædicate omni creaturæ*. Item, *docete omnes gentes*. Et, *ſicut miſit me pater, & ego mitto vos*, ſcil. illuminare, & docere. Quòd autem ſuccedant Apoſtolis in miniſterio, & diſpenſatione doctrinæ fidei, docet Urbanus II. (4) *quorum vices habeant Epiſcopi in Eccleſia, S. Auguſt. oſtendit inquiens, pro patribus tui nati ſunt tibi filii, ideſt conſtituti ſunt Epiſcopi*, &c. Et conſtat, quod Petrus per Epiſcopos à ſe miſſos propagavit fidem in Hiſpania, Gallia, Africa, &c. ut inter alios ſcribit Innoc. I.

Confir. Nam ad Epiſcopos dicit Paulus: (5) *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos poſuit Epiſco-*

[1] 3.*d*.25.*L*.*n*.11. [2] *d*.23.*A*.*n*.3. [3] *Mar.ult.* [4] *d*.68. (5) *Ep.* 1.

poſ regere Eccleſiam Dei. Et jubet, [1] Epiſcopum eſſe *doctorem, & prædicare verbum .... in omni patientia, & doctrina* &c.

Confir. 2. Nam cùm chriſtianæ reipublicæ neceſſaria ſit prædicatio Euangelii, [ex Trid.] (2) *hoc eſt præcipuum munus Epiſcoporum*. Item, *prædicationis munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt.... mandat, ut in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut per alios, ſi ipſi impediti fuerint* [præſtent] *in aliis autem Eccleſiis per parochos* &c.

Dixi, *aut delegatus ab ipſo*: nam, ex eodem Apoſtolo, [3] ſimplices Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & alii quicumque huic miniſterio vacant, *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* & à quo mittentur, niſi vel à Deo immediatè, vel ab ejus Vicario, qualis eſt Papa in tota Eccleſia, & Epiſcopus in ſua diœceſi? Paulus ipſe, & Barnabas, licèt à Deo electi ad hoc munus, tamen illud non exercent, niſi poſtquam impoſitæ fuerunt eis manus juſſu Spiritus Sancti dicentis, [4] *ſegregate mihi Saulum, & Barnabam ... tunc imponentes eis manus dimiſerunt illos*; ſc. Paulus *ordinatur in Apoſtolum, ut prædicet*, ait Chryſoſt. [5]

Prob. 2. p. de Parochis, & aliis habentibus curam animarum: nam ex SS. Canonibus incumbit eis prædicare verbum Dei, quod jubentur facere *piè, prudenterque etiam vernacula lingua, ſi opus fuerit ... inter Miſſarum ſolemnia diebus feſtis, & ſolemnibus* &c. ait Trident. [6] denique incumbit parochis inſtruere parochianos ſuos in iis, quæ ſpectant ad fidem, & mores. De hoc nullus dubitat, quod ſciam.

Objic. Conſtat, plures eſſe converſos per propoſitionem, & inſtructionem factam à perſonis privatis omnium conditionum, & ſexuum; ergo hoc munus non ſpectat ad ſolos Epiſcopos, vel Parochos. Prob. ant. ex SS. Annalibus, ex quibus plura exempla colligit Cardinalis Brancatus. [7]

Reſp. diſt. conſ. ad ſolos Epiſcopos ex charitate, & per accidens, con. ex officio, neg. conſ. Ideò dixi *regulariter*, non autem *abſolutè*; nam Dei manus non eſt alligata, quin poſſit per quoſcumque, etiam homun-

cio-

[1] *act*. 20. [2] *ſſ*. 5. *c*. 2. [3] *Ro*. 10. [4] *act*. 10. [5] *ho*. 2.7. *act*. [6] *ſſ*. 24. *c*. 7. [7] *d*. 8. *n*. 42.

ciones, aut mulierculas inſtruere alios; ſicut uſus eſt Tecuite, ut redargueret David, & eum converteret ad pœnitentiam. Nam *unicuique Deus mandavit de proximo ſuo.* Sed quia idem Deus nos monet [1] *attendere à falſis prophetis*, & ne velimus *omni ſpiritui credere*, igitur regulariter non ad omnes pertinet munus prædicandi, & catechizandi, & docendi in rebus fidei, in quibus ſæpe contingit errare, & pro revelatis proponere non revelata. *Sacerdos autem cuſtodit ſcientiam Domini, quia eſt Angelus Domini.*

Confir. ex Cap. *ex injuncto.* Nam inquit Innoc. III. [2] *ſi fortè quis dicat ſe inviſibiliter miſſum à Deo, & ſi ab homine non mittatur viſibiliter, & multò dignior ſit ſua miſſio* (interior) *quia divina; poteſt rationabiliter reſponderi, quòd illa miſſio interior ſit occulta, non ſufficit cuiquam nudè aſſerere, quod ipſe ſit miſſus à Deo, cùm hoc quilibet hæreticus aſſeveret; ſed oportet, quòd aſtruat illam inviſibilem miſſionem per operum miracula, vel per Scripturæ teſtimonium ſpeciale. Imo cum Doctorum ordo ſit præcipuus in Eccleſia, non debet ſibi quiſquam officium prædicationis uſurpare,* &c. Hoc maximè verum eſt de doctrinis, & articulis fidei, qui per Eccleſiam non ſatis ſunt recogniti, & determinati: nam de illis, qui ſunt determinati, ut articuli Symboli Apoſtolorum, poſſunt ſinguli, & maxime parentes filios ſuos, & patrini, qui hoc munus in Baptiſmo ſuſceperunt, heri ſervos, &c. inſtruere; & iſti debent illis credere: ſed de novis articulis hoc ſpectat ad Eccleſiam, ut videbimus.

Objic. 2. Epiſcopi, nec Parochi non ſunt infallibiles, ſed poſſunt errare in proponendo credenda; ergo ad eos non ſpectat proponere credenda, ita ut debeat illis cerdi; alioqui teneremur credere cum periculo errandi.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus, tum quia ſi adeſſet ſuſpicio de falſitate, non teneremur credere, donec eluceſceret veritas per applicationem motivorum credibilitatis, & per debitam conſultationem; tum quia non leviter ſuſpicandum, homines deſtinatos aliorum inſtructioni proponere articulos dubios, & qui non ſint ab Eccleſia definiti. Non prætendimus infal-

[1] *Matth.* 7.
[2] *de Hæret.*

infallibilitatem in quolibet proponente; alioqui fruſtra moneremur, *attendite à falſis prophetis*.

CONCLUSIO II.

UT *pueri teneantur credere, ſufficit, quod parentes, vel patrini, vel magiſtri, aut parochi proponant eis articulos ex parte Eccleſiæ, ut revelatos à Deo. Idem eſt de fidelibus rudioribus, qui non valent intelligere alia motiva credibilitatis.*

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) quatenus docet, credere ſe Euangelio, quia ut revelatum a Deo cognoſcitur, & approbatur ab Eccleſia; nam idem motivum credendi habent illi omnes, de quibus eſt concluſio: ſc. habent Eccleſiæ approbationem, & ſufficiens teſtimonium de revelatione.

Prob. 2. de pueris per parentes: quia ex Scriptura conſtat, his incumbere onus erudiendi filios; fruſtra enim hoc eſſet, niſi filii tenerentur eis credere: ergo &c. Prob. ant. [2] *pater filiis notam faciet voluntatem tuam*. Item, *quanta audivimus, & cognovimus ea, & patres noſtri narraverunt nobis.. quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis?* [3]

2. *De magiſtris* patet ex Concil. Lateran. V. & Conſtit. Leonis X.[4] *Præceptores pueros ſuos, ſeu adoleſcentes docere teneantur ea, quæ ad religionem pertinent, ut ſunt præcepta divina, articuli fidei*, &c.

3. *De patrinis* extat Canon, *Vos ante omnia*, qui eſt Auguſt. quo ſuſceptores jubentur ſuſceptos ex baptiſmo pueros edocere ante omnia ſymbolum, & orationem Dominicam, &c. Idem præcipit Concil. Colon. II. & Mediolan. I.

4. Idem eſt a fortiori de *Parochis*, qui ſunt majoris auctoritatis, & eorum dicta ſunt credibilia, ſicut ſtatus eſt ſublimior, & ſanctior; & ideo magiſtri debent *ſuos diſcipulos ad prædicationes, et ſermones audiendos compellere*. [5]

5. De *adultis rudibus* prob. quia quoad iſtos eadem eſt ratio, ac de pueris; tam enim ſunt incapaces, & tam fruſtra eis proponerentur motiva credibilitatis; ergo & eadem eſt illis obligatio credendi Epiſcopis, & Pa-

[1] *Ibid.* [2] *Iſa.*38. [3] *pſ.*77.
[4] *ſupernæ.§.*32. [5] *Ibid.*

& Parochis, cum illis proponunt revelata a Deo per Eccleſiam.

Dico, *ut revelata a Deo*; quia aſſenſus non eſſet actus fidei Theologicæ, niſi eſſet ex illo motivo. Ideo ſcribebat Paulus ad Theſſalonic. [1] *cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed ſicut verbum Dei*. Et ut docet Trident. [2] fides diſponit ad gratiam juſtificantem, quatenùs *Dei gratia excitati, & adjuti moventur in Deum credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt*; ergo eis proponenda ſunt credenda, ut à Deo revelata: alioqui eorum fides eſſet humana, non divina, ſi crederent purè propter Doctoris auctoritatem.

Dices. Si proponatur novus articulus ut definitus ab Eccleſia, & populi nolint credere, donec conſtet de definitione, non peccabunt; ergo illa propoſitio credendorum non ſufficit, ut auditores teneantur credere.

Reſp. neg. conſ. nam aliud eſt de articulis jam per totam Eccleſiam receptis pro revelatis, & qui ut revelati agnoſcantur, aliud de noviter declaratis; nam temeritas, & pertinacia eſt nolle credere ut revelata, quæ ut talia habentur ab omnibus. In his vero, quæ noviter declarata ſunt, prudentia eſt expectare, ut conſtet de definitione per diplomata definitionum, ut ſtatutum videtur in Concil. Toletano XVI. [3] & in Canone, *decernimus*, ſtatuitur, ut ſinguli Epiſcopi habeant decreta, & definitiones Conciliorum, & ea intra ſex menſes publicent in ſuis Eccleſiis, quibus publicatis tenentur omnes decreta illa recipere ſub pœna anathematis, ex Decreto Nicol. I. cap. *ſi quis*. Ubi dicitur, quod *ſi quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones pro* Catholicæ fidei diſciplina, pro correctione fidelium à Sedis Apoſtolicæ præſule ſalubriter promulgata contempſerit, anath. ſit. Et ideo proceditur contra illos, ut hæreticos, &c.

Confir. nam ſi poſt hæc non teneremur credere Epiſcopis, & Parochis, idem eſſet de contentis in Scriptura; ſed conſ. eſt hæreticum; ergo &c. Prob. maj. quia non recipitur Scriptura, niſi quia Eccleſia definivit hunc librum eſſe canonicum, & continere verum Euangelium Matthæi, v. g. aut Lucæ, &c. Sed ſi non

[1] *Theſſal*. 12. [2] *Seſſ*. 6. c. 6. [3] *diſt*. 18.

ſi non crederetur Epiſcopis, & Parochis promulgantibus definitiones Eccleſiæ cum titulis, & diplomatibus authenticis, negaretur pariter ipſius ſcripturæ exiſtentia, & Euangelium, quod dicitur Matthæi, eſſe Matthæi, &c. ergo.

CONCLUSIO III.

Chriſtus Dominus eſt primus proponens credenda, infallibilis, & univerſalis: tum Apoſtoli ejus pro ſuo tempore; & denique Romanus Pontifex.

Prob. 1. p. Nam Chriſtus *Meſſias*, ſeu miſſus a Deo patre ad docendum viam veritatis; *ille erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, ipſemet ſe dicit *lucem mundi*, & miſſum, ut teſtimonium perhiberet veritati.

De infallibilitate nullus dubitat, eſt enim verus Deus, & *lux vera*, & ipſa *veritas*, *& vita*, &c.

Prob. 2. p. de Apoſtolis, quibus dixit Chriſtus, [1] *ſicut miſit me pater, & ego mitto vos*. Sc. tradidit illis vices ſuas ad docendas gentes, *euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*: Et illi ſic miſſi *prædicaverunt ubique*.

De illorum etiam infallibilitate non dubitatur. Certum enim eſt quod in die Pentecoſtes per Spiritum S. afflati ſunt, repleti ſunt, & confirmati in gratia, & Deus ipſe illis *cooperabatur, & confirmabat, quæ dicebant ſequentibus ſignis*.

Prob. 3. p. de Summo Pontifice Romano 1. ex dicendis diſp. ſeq. nam ipſe eſt Petri ſucceſſor; ergo ſicut Petro, ut Vicario Chriſti, & viſibili capiti Eccleſiæ Chriſtus promiſit infallibilitatem in fide, & commiſit illi confirmationem fratrum ſuorum, & curam paſcendi oves ſuas, talis eſt iſte Pontifex. Ant. patet ex Script. dicit enim Chriſtus, [2] *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu converſus confirma fratres tuos*; ergo Papa, ut ſucceſſor Petri, & Vicarius Chriſti in Eccleſia univerſali Jus habet proponendi credenda, ita ut teneantur omnes illi credere ex Cathedra docenti.

Prob. 2. ex Conciliis, & Canonibus, in quibus Papa dicitur [3] *vas Catholicum, Euangelii tuba, & præco juſti-*

[1] *Jo.* 18. & 20. [2] *Luc.* 22. [3] *d.* 2. *conſec.*

juſtitiæ. Cap. *Agapitus*, *& ſolus Apoſtolicus*, *c. cleros*. Et viſibile caput Eccleſiæ, ex Concil. Conſtantienſi, [1] in articulis contra Jo. Hus. Et *Vicarius filii Dei*, *ſicut Petrus*. In Concil. Flor. extra *unam ſanctam* de major. & obed. *Magiſter*, *& Doctor omnium Eccleſiarum*. Concil. Later. III. & Flor. cit. item *caput Religionis*. Nicol. I. & Leo IX. &c. Sed hi omnes, & ſimiles tituli inducunt, vel notant illud jus proponendi infallibiliter credenda omnibus fidelibus; ergo &c.

Probatur 3. ex perpetua praxi totius Eccleſiæ, quæ ſemper ad illum recurrit in dubiis, & difficultatibus circa fidem, & reſponſa ejus recipit, ut oracula, ut videbimus infra.

Confir. Nam niſi Eccleſia haberet proponentem viſibilem, & infallibilem, nutaret fides ejus: vix unquam determinaretur, qui ſint libri canonici, nec verus ſenſus Scripturæ in textibus obſcuris; & dubia manerent plurima dogmata fidei; ergo &c.

Objic. 1.con. hanc p. ſine Papa habentur libri canonici; ergo ex hoc capite non eſt neceſſarius, nec infallibilis in proponendo. Prob.ant.1.ad hoc ſufficiunt traditiones Eccleſiarum principalium, & conſenſus Eccleſiæ univerſalis. 2. quia illæ antiquæ, & Matrices Eccleſiæ Canonem librorum acceperunt ab Apoſtolis immediatè. 3. illum habent ex Conciliis generalibus,quæ loquuntur, non nomine Papæ, ſed totius Eccleſiæ, quam vocat Apoſtolus *firmamentũ*,*& Columnã veritatis*; ergo Papa non eſt infallibilis proponens.

Reſp. neg. ant. & probationes ejus. 1. quia ipſæ Eccleſiæ matrices non habuerunt omnes libros Canonicos, ſaltem ab initio; nec de illis conveniebant inter ſe. Imò & aliquæ ex illis defecerunt à fide, & aliæ Papam ipſum conſuluerunt in his, & aliis difficultatibus. 2. ipſorum Conciliorum decreta egent approbatione Papæ, ut faciant fidem, & obligent fideles ad credendum, vel obediendum. 3. denique videbimus ipſa Concilia nec congregari, nec definire ſive librorum Canonem, ſive dubia, & quæſtiones fidei ſine Papa.

Alias rationes pro, & objectiones contra infallibilitatem Papæ videbimus diſp. ſequenti.

DIS-

[1] *Can.27. litt.armen.*

DISPUTATIO IV.

De regulis fidei.

QUÆ huc uſque diximus, & maxime tota diſputatione præcedenti, lucem accipient ex dicendis in iſta de regulis neceſſariis, ut certò, & ſine metu erroris aſſentiamur iis, quæ proponuntur credenda, ut ſunt Scriptura S. ſeu verbum Dei ſcriptum in libris Canonicis, item Traditiones, & Decreta, ſeu definitiones Eccleſiæ, & ipſamet Eccleſia, & exiſtentia, & veritas ejus, item Romanus Pontifex, &c. de his pauca, & breviter diſſeremus, quantum materiæ gravitas permittet.

QUÆSTIO I.

De ſcriptura ſacra, an ſit vera, & unica regula fidei.

QUia verbum Dei eſt de objecto fidei, & illud non habemus niſi ex libris, & ſcripturis ab ipſo Deo inſpiratis ſcriptoribus ſacris, ver. gr. Moyſi, Prophetis, Salomoni, Davidi, Euangeliſtis, aliquibus Apoſtolis, & aliis; videndum eſt, an, & quomodo verbum illud ſit regula fidei noſtræ infallibilis.

Nomine regulæ fidei intelligimus eam, per quam certò, & infallibiliter dignoſcuntur credenda à non credendis. Ideò 1. eſt quid diſtinctum ab auctoritate Dei loquentis, & ab ipſa ejus veracitate, quæ eſt formalis ratio credendi, regula autem nobis applicat cauſam illam credendi: Et hoc præſtat cum infallibilitate, ita ut non poſſit errorem cauſare. Hæc autem infallibilitas eſt 2. conditio regulæ fidei. 3. eam infallibilitatem non habet ex ſe, ſed ex promiſſione Dei permanenter, alioqui non poſſet nos dirigere ad ſeligenda cum certitudine credenda. 4. debet eſſe generalis, ſeu communis omnibus, & defectu hujus conditionis proponens non dicitur propriè *regula fidei.*

Sup-

Suppono autem neceſſariam eſſe aliquam talem regulam in Eccleſia, ut colligitur ex Concilio Tridentino. Nam unitas Eccleſiæ pendet ab unitate fidei, & unitas fidei pendet ab aliqua certa, & communi regula, quam omnes, & ſinguli fideles ſequi teneantur. Et ſi talis regula deeſſet Eccleſiæ, non videretur eſſe tam prudenter inſtituta, & gubernata. Certè ſine tali regula ſinguli ſequerentur judicium ſuum particulare, & ſic eſſent *quot capita, tot ſenſus*.

2. Nomine *ſacræ ſcripturæ* intelligitur Bibliorum Codex, ſeu volumen 72. librorum, in quibus per ſcriptores divinitus afflatos traduntur ea, quæ ab ipſo Deo ipſis ſcriptoribus immediatè revelata ſunt, & nobis per ipſos, ut illa credamus.

Solet autem bipartiri, ſc. in *vetus*, & *novum teſtamentum*: illud continet ea, quæ ante Chriſti adventum revelata, geſta, & ſcripta ſunt; iſtud verò, quæ poſt Chriſtum natum, & in utroque continentur, ut dicebam, 72. libri, qui dicuntur *canonici*, quia ſunt in Canone, ſeu regula credendorum, ut definitur in prædicto Concilio; in quo per ordinem numerantur, & habentur in volumine, quod dicitur *Biblia vulgata*. Quia ibi latino idiomate translati leguntur illi omnes libri ex aliis linguis, v. g. Hebraica, Syriaca, Græca &c. in quibus linguis originaliter conſcripti fuerant. Dicuntur etiam *Canonici*, ut diſtinguantur ab Apocryphis, qui falsò proponebantur, aut proponi poſſent, ut regulæ, & ut continentes revelata.

Quæritur ergo hìc an talis ſcriptura ſit certa, & infallibilis regula fidei, ita ut omnia, quæ in illis libris continentur, ſint à Deo revelata, & à nobis credenda. 2. An extra illam nihil ſit abſolutè credendum, ita ut ſcriptura illa ſacra ſit totalis, & unica regula fidei noſtræ.

CONCLUSIO I.

S*criptura ſacra eſt vera, & certiſſima regula fidei.* Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto probante, [1] quòd *ſacra Scriptura ſufficienter continet doctrinam neceſſariam viatori*, id inquam per 8. vias, ſeu media, & locos, de quibus diximus ſuprà; ergo ſcriptura eſt vera regula fidei.

Prob. 2. ex Trident. cit. dicente, *veritatem ſalutarem, & morum diſciplinam contineri in libris ſcriptis ... & quod omnes libros tam veteris, quàm novi teſtamenti veneratur; cum utriuſque ſit author Deus*. Et poſtquam ſingulos numeravit per ordinem, addit, *ſi quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in vulgata latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, Anathema ſit*. Tum graviter prohibet, *ne quis in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus illam rejicere præſumat*.

Prob. 3. ex ſcriptura ipſa: nam Chriſtus ipſe dicit ibi non poſſe inveniri mendacium, & monet nos eas ſcrutari, ut in eis diſcamus veritatem miſſionis, & divinitatis ſuæ; ergo docet ſcripturas ſacras eſſe infallibilem regulam fidei; alioqui non deberet ad eas nos mittere. Prob. ant. dixit enim, *non poteſt ſolvi Scriptura*: & ad Judæos incredulos, [2] *ſcrutamini Scripturas, illæ enim teſtimonium perhibent de me*. Et ut inſtruat diſcipulos triſtes de morte, & dubitantes de reſurrectione ſua, [3] *incipiens à Moyſe, & prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*: Et S. Paulus, [4] *omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum*, &c. Et iterum [5] *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, &c. Et dum Salvator inſtruit Judæos, agit ex ſcripturis. [6] *Nunquam legiſtis in ſcripturis?* Errores eorum tribuit ignorantiæ ſcripturarum, [7] *erratis non ſcientes Scripturas*. S. Petrus ſuam concionem contexuit ex ſcripturis, ut legenti patet. Et S. Paulus [8] diſputabat in *ſynagogis de ſcripturis, & quotidie ſcrutabatur Scripturas*. Et eas conſulebat, & citabat,

[1] *q.2.prol.E.* [2] *Jo.10.c.5.*
[3] *Luc.24.* [4] *2.Tim.3.* [5] *Ro.15.*
[6] *Matth.2.* [7] *Matth.22.*
[8] *act.2.& 8.& 17.*

bat, [1] *quid dicit Scriptura.... dicit enim ſcriptura*, &c. Confir. ex Patribus, qui omnia myſteria, & veritates probant regulariter ex ſcripturis, & in Conciliis omnia definiunt, & decernunt ex iiſdem, ut legentibus patet, & talis eſt perpetua praxis Eccleſiæ.

Prob. denique; non enim poteſt dari certior regula credendorum, quam libri, in quibus ex revelatione ipſa Dei continentur veritates, & præcepta morum, ac voluntates ejus circa nos. Ideo dicitur *teſtamentum* ejus, qua ſc. ibi teſtata ſit mens ejus, & diſpoſitiones voluntatis ejus, pactaque, & fœdera inita cum hominibus.

Objic. 1. Ad actus fidei veræ ſufficit verbum Dei, & propoſitio ejus; ſed utrumque haberi poteſt ſine ſcriptura; ergo hæc non eſt regula ſaltem neceſſaria fidei. Prob. min. primi Patriarchæ, & ante Moyſen, qui primus ſcripſit libros verbi Dei, habuerunt veram fidem, nam *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, & ſic de aliis; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam ſequitur tantum, quod ſcriptura non ſit ſola regula fidei, & quod ſine ipſa poſſit eſſe fides, ut cum Deus loquitur immediate per ſe, aut per ſuos Angelos, ut loquebatur Patriarchis, & Prophetis, ac ſcriptoribus ſacris, ſed non ſequitur, quin ipſa ſit bona, & ſufficiens, imo etiam principalis credendum regula.

Objic. 2. regula fidei bebet eſſe ſverax, & infallibilis; ſed utrumque deeſt illis libris, quos dicimus ſcripturam ſacram; ergo &c. Prob. min. Scriptores Canonici non ſemper loquuntur ex afflatu Dei; ſed ſæpe de ſuo; ſed quæ dicunt de ſuo, non ſunt de regula fidei, nec vera, nec infallibilia, ergo &c. Min. patet, nam quę dicunt de ſuo, non faciunt fidem niſi humanam, & ſunt fallibilia, quia *omnis homo mendax*. Prob. maj. nam, ut notat Eraſmus, plures errores ſaltem leves, irrepſerunt in ſcripturam, & plura minutiora, & indigna revelatione Dei continet, ut de cauda canis Tobiæ, [2] de penula, de qua loquitur Apoſtolus, 2. Tim. 4. de hoſpitio parando: Epiſt. ad Philemonem, & aliis ſimilibus, ad quæ non videtur attendiſſe Spiritus S. ergo &c.

Reſp.

[1] *Ro.* 10. [2] *Tob.* 11.

Reſp. neg. 1. min. & 2. maj. & 3. ant. & conſ. ult. nam errat ipſe Eraſmus ſic temere loquens; audiat Auguſtinum dicentem, [1] *omnem falſitatem abeſſe ab Evangeliſtis; non ſolum eam, quæ mentiendo promitur, ſed etiam eam, quæ obliviſcendo* .... ſc. non errant neque loquendo, neque ex oblivione. [2] *Solis illis ſcripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam.*

Quoad minutias vero reſpondet Chryſoſt. [3] *nec illas quidem, quæ tenues eſſe putantur, ſententias prætermittamus; nam & ipſæ de ſpiritus gratia ſunt.* Et Hieron. [3] *ſinguli ſermones, ſyllabæ, apices, puncta, in divinis ſcripturis plena ſunt ſenſibus*; ſc. nihil ibi vacat myſterio.

CONCLUSIO II.

S*Ola ſcriptura ſacra non ſufficit, ſeu non eſt unica, & ſola regula fidei.* Eſt etiam de fide contra hæreticos Calviniſtas, & Socinianos, qui non agnoſcunt aliam regulam fidei præter verbum Dei ſcriptum.

Prob. 1. ex Scoto infra citando, quatenus dicit plura eſſe in Scriptura, quæ ſunt *obſcuriora, & indigent explicatione: & plura jam credi in Eccleſia, quæ expreſſe non ſunt in Scriptura*; ergo ex Scoto Scriptura ſacra ſe ſola non eſt ſufficiens regula fidei.

Prob. 2. nam, ut dicebamus ex Scoto, poſt Auguſtinum, ipſi S. ſcripturæ libri non faciunt fidem, nec admittuntur, ut regulæ fidei, niſi prout recepti ſunt ab Eccleſia, ut verbum Dei. Et de facto plures olim non admittebantur, ut vere canonici, qui tractu temporis, & dirigente Spiritu ſancto admiſſi ſunt ab Eccleſia; ergo præter Scripturam S. neceſſaria eſt alia regula infallibilis proponens, & determinans, quænam ſit illa vera Scriptura. Ant. patet ex Hiero-

[1] *de conſ. Evangel.*
[2] *l.2.c.12.Ep.19.* [3] *ho.1.pop.*
[4] *c.3.Epheſ.*

Hieronymo, Xyxto Senenſi, & aliis interpretibus, & controverſiſtis.

Confir. quia non ſolum de libris Canonicis, ſed etiam de ipſarum ſcripturarum ſenſu oriuntur controverſiæ etiam in rebus gravioribus. Quippe plurima Scripturæ loca ſunt obſcura, & difficilia, & diverſi diverſe explicant; ergo neceſſaria eſt alia regula infallibilis, ad quam recurratur in illis controverſiis, quæque determinet de vero ſenſu talium locorum, alioqui Deus non ſufficienter providiſſet Eccleſiæ ad fidei puritatem, & unitatem ſervandam. Ant. prob. ex hiſtoria hæreſum omnium, quæ ex ſcripturis male intellectis graſſatæ ſunt, tam in Synagoga, quam in Eccleſia. Nam ſinguli fautores prætendebant fundamentum in ſcripturis, quarum textus corrumpebant, aut verum ſenſum pervertebant, & detorquebant in ſui erroris favorem.

Prob. denique ex dicendis infra de Traditionibus, de decretis Eccleſiæ, &c. Nam ſi hæc ſint de regulis fidei, ſequitur ſcripturam ſolam, & de ſe non eſſe ſufficientem.

Objectiones propoſitas, & ſolutas habes ſupra de propoſitione, & proponente objecta fidei. Et infra de aliis regulis. Nam ſi ſcriptura per ſeipſam, & independenter ab ullo infallibili proponente manifeſtaret ſeipſam, diceretur etiam ſe ſola ſufficiens.

Objic. præterea. Deus ad ſolam legem, & ſcripturam mittebat Judæos, ut ad ſolam legem, aut regulam fidei; ergo &c. Prob. ant. dicebat enim, [1] *ſcrutamini ſcripturas*, &c. Et Deus prohibet illis quidquam addere ſcripturis. [2] *Non addetis aliquid ad verbum, quod loquor vobis*. Et Apoſtolus dicit,[3] *omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, arguendum, & corrigendum*. Sed ſi ſola ſcriptura non eſſet de ſe ſufficiens regula fidei, aliqua eſſent addenda verbo Dei; nec ſufficeret ſcrutari ſcripturas; nec ſola utilis eſſet ad docendum; nec ſola eſſet lex, vel teſtimonium; ergo ſe ſola ſufficit.

Reſp.neg.min. nam hæc, & ſimilia loca remittunt quidem fideles ad ſcripturas, ſed non excludunt alias regulas. In 1. textu damnat Deus recurſum ad Pythoniſſas,& Ariolos, ut prævideant futura,volens, ut

[1] *Iſa.*28. [2] *Jo.*5. [3] *Deuter.*4.

ut conſulant legem, & Prophetas, ut patet ex toto textu. Idem prohibuerat in Deuteronomio. In 2. remittit Judæos ad ſcripturas veteris teſtamenti, [1] in quibus habent figuras, & prædictiones de Chriſto venturo. *Illæ ſunt*, inquit, *quæ teſtimonium perhibent de me*, ſed non rejicit alia teſtimonia, imo allegat teſtimonium Joannis, & miraculorum, atque operum ſuorum, & patris ſui dicens, [2] *vos miſiſtis ad Joannem*. Et, *teſtimonium perhibuit veritati*.

Objic. 2. ſola Scriptura eſt verbum Dei, cætera ſunt verba hominum; ergo illa eſt ſola regula fidei Theologicæ.

Reſp. diſt. ant. ſola eſt verbum Dei ſcriptum, con. verbum Dei ſimpliciter, & abſolute, neg. ant. nam Traditiones, & Decreta Eccleſiæ ſunt etiam verbum Dei, non ſcriptum, ſed traditum, & inſpiratum Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, & depoſitariæ doctrinæ.

QUÆSTIO II.

De traditionibus: an præter ſcripturam ſint admittendæ, ut regulæ, & objecta fidei.

TRaditio generaliſſime ſignificat doctrinam, ſeu cognitionem ab alio acceptam, quales erant traditiones, quas in Phariſæis non approbat Chriſtus. 2. quancumque doctrinam bonam quomodocumque ab aliis acceptam, tam ſcripto, quam verbo. Sic lex Moyſis dicitur traditio. [3] *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam*. 3. Proprie pro doctrina ſacra, quæ ab initio tradita eſt verbis; licet poſtea ſcriptis mandata ſit. Hoc ſenſu de traditionibus hic loquimur cum Theologis; ſc. de iis, quæ Apoſtoli a Chriſto immediate acceperunt, quæque tamen ipſi non ſcripſerunt, ſed ſimiliter verbis tradiderunt poſteris, & tandem ab ipſis poſteris ſcripta ſunt, & ab Eccleſia, ut doctrina Chriſti, & Apoſtolorum recepta, & approbata ſunt, ut verba Dei non ſcripta: quæ ab ore Chriſti emanata immediate, dicuntur *Traditiones Divinæ*. Quæ vero immediate ab Apoſtolis emanarunt, dicuntur *Apoſtolicæ*.

[1] *Deuter.* 12. [2] *Jo.* 5.
[3] 2. *Theſſal.* 2.

licæ, licet non minus ſint divinæ, quia non minus illis inſpiratæ ſunt a Deo, & per illos traditæ ſunt Eccleſiæ. Ambæ etiam dicuntur *Traditiones Eccleſiaſticæ*: quia illarum depoſitaria eſt Eccleſia.

Rurſus, *Traditiones* Eccleſiaſticæ aliæ ſunt *univerſales*, quia ſervantur in univerſa Eccleſia Catholica, & ubique: Aliæ *particulares*, quæ ſervantur in aliquibus tantum Eccleſiis unius Regni, Provinciæ, aut Civitatis. De univerſalibus præcipue hic agimus, & quærimus, an illæ ſint admittendæ inter objecta, & regulas fidei.

CONCLUSIO

Est *affirmativa*; *ſc. admittendas eſſe traditiones approbatas ab Eccleſia, ut divinas, & Apoſtolicas*. Eſt de fide contra Lutheranos, & Calviniſtas, qui illas rejiciunt, ut humanas conſtitutiones. Aliqui antiquiores etiam eas rejiciebant, ut Maximus, & Marcion apud Auguſtinum, & Tertullianum.

Prob. 1. ex Scoto ex Script. [1] *multa credimus*, inquit, *quæ non reperimus ſcripta in libris Canonicis; v. g. Chriſtum deſcendiſſe ad inferos non docetur in Evangelio, & tamen tenendum eſt, ut articulus fidei. Ita multa alia de ſacramentis Eccleſiæ non ſunt expreſſa in Evangelio, & tamen Eccleſia tenet illa eſſe tradita certitudinaliter ab Apoſtolis.... nec Chriſtus in Evangelio docuit omnia pertinentia ad diſpenſationem ſacramentorum. Dixit enim diſcipulis ſuis, adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; ergo multa docuit eos Spiritus S. quæ non ſunt ſcripta in Evangelio*; ergo ex Scoto, & ſcriptura, admittendæ ſunt Traditiones, ut regulæ fidei.

Prob. iterum ex Script. nam toto tempore legis naturæ, ſc. per 2491. annos, & uſque ad an. 120. Moyſis, religio fidelium nitebatur traditionibus, remedia contra peccatum originale, & actualia, ritus ſacrificiorum, & cæremoniæ, denique totus cultus Dei, & omnia credenda habebantur ex traditionibus. *Juſtitia*

[1] 1. *d.* 11. *q.* 1. *D.*

fuit tempore Abel, & Enoch, (ait Epiphan. [1]) *quia non erat lex ſcripta, ſed naturalis tantum intelligentia, & traditio per ſucceſſionem ex patribus ad filios*. Imo & tempore legis ſcriptæ plures erant traditiones, ſc. plura, quæ Moyſes audiverat immediate a Deo, & non ſcripſerat, ſed ore tenus tradiderat 70. ſapientibus electis ad cuſtodiam legis, prohibens, ne ſcriberent ea, *ſed ſucceſſoribus ſuis viva voce revelarent; tum iſti poſteris ſuis*. Ut ſcribit Eſdras apud Xyxtum Senenſem. Idem notant Origenes, & Hilarius, & Galatinus, *Judæi dogmatum genus duplex habent, unum quidem, quod vocant legem ſcriptam, alterum ore traditum*; ergo in omni ſtatu traditiones extiterunt regulæ fidei.

Porro iſtæ traditiones longe aliæ fuerunt ab illis, quas improbabat Chriſtus Phariſæis, quæque erant prophanæ; de quibus dicit Hieron. [2] *quantæ traditiones Phariſæorum ſint, & quam aniles fabulæ, evolvere nequeo*. De aliis vero dicit ſapiens: [3] *Non te prætereat narratio ſeniorum. Ipſi enim didicerunt a patribus ſuis*. Et David, *Deus auribus noſtris audivimus, patres noſtri annuntiaverunt nobis*; ſc. hæc non erant ſcripta in libris legis, ſed tradita a patribus in filios.

Similiter in novo teſtamento multa facta, & dicta Chriſti non ſunt ſcripta, ſed tradita Apoſtolis, & ab Apoſtolis ad alios, donec tandem ſcripta ſunt ab eorum ſucceſſoribus. Apoſtoli pauca ſcripſerunt de iis, quæ coram eis fecit, & dixit Chriſtus [4] per 40. dies poſt paſſionem apparens eis, & *loquens de regno Dei*. Joannes id fatetur. [5] *Multa alia fecit Jeſus, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, arbitror mundum capere non poſſe libros*. & Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribit, [6] *ſtate traditionibus, quas didiciſtis, & accepiſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*. Et monet Corinthios, quod quæ non ſcripſit, docebit ore. *Cætera, cum venero, diſponam*.

Prob. 3. ex Concil. nam in Niceno II. [7] *fatemur unanimiter Eccleſiaſticas traditiones, ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentes, & decretas retineri velle*; de qua-

[1] *con. Manich.* [2] *Ep.* 151. *q.* 10.
[3] *Eccl.* 8. [4] *act.* 1. [5] *Jo. ult.*
[6] *Theſſ.* 2. [7] *ſeſſ.* 4.

quarum numero eſt imaginum figuratio. Et in Conſtant. IV. & noviſſime in Tridentino *traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Chriſto, ve. a Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſervatas, pari pietatis affectu, & reverentia ſuſcipit*. Idem ſtatuerant alia plura Concilia Provincialia.

Confir. ex variis conſtitutionibus Apoſtolicis, quas ad longum citant Controverſiſtæ, & maxime Cardinalis noſter de Laurea, [1]

Prob. 4. ex SS. Patribus Græcis, & Latinis ab initio *uſque in præſens, quos citant iidem*.

Probatur denique ratione, quia verbum Dei ore prolatum non minus eſt verum, & infallibile, quam ſcriptum; ergo non minus eſt regula fidei. ant. patet ex Apoſt. cit. *cum accepiſſetis a nobis verbum auditus fidei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed, ſicut vere eſt, verbum Dei*. nota, Ly, *auditus*, ut ſignificet, quod Theſſalonicenſes non crediderant ſcriptis, [2] non enim adhuc ſcripſerat illis, ſed verbis ore prolatis, non *lectis*, ſed *auditus*, & quod tam iſta, quam illa ſunt verba Dei. Similiter nondum ſcripſerat de Sacramento Euchariſtiæ, ſed verbo tenus tradiderat, quod audiverat a Spiritu S. *accepi a Domino, quod & tradidi vobis*: Et cum ſcribebat, *tradidi enim vobis, quod & accepi*.

Confir. quia ſcriptura nihil addit ſupra verba Dei ore prolata, niſi ſtabilitatem contra lapſum memoriæ, & commoditatem, ut percipiatur ab abſentibus; ergo tam valet ad fidem traditio vera Dei, quam ſcriptura.

Confir. 2. Niſi enim hæretici fateantur plurima a nobis credenda eſſe, quæ non continentur in libris Canonicis ſcripturæ ſacræ, numquam poterunt oſtendere, cur ea credant nobiſcum, vel ubi reperiantur ſcripta. Quomodo convincent Ebionitas negantes Epiſtolas Pauli, ut divinas, vel alios non admittentes Evangelium Matthæi, aut Marci, aut Lucæ? Unde probant Evangelium Joannis fuiſſe ab eo ſcriptum, &c.

Dices ex ipſo Joanne id probari, quia ſub finem dicit ſe illud ſcripſiſſe.

[1] *diſp.* 14. *con.* 20. [2] 1. *Theſſ.* 2.

DISPUTATIO IV.

De regulis fidei.

QUÆ huc uſque diximus, & maxime tota diſputatione præcedenti, lucem accipient ex dicendis in iſta de regulis neceſſariis, ut certò, & ſine metu erroris aſſentiamur iis, quæ proponuntur credenda, ut ſunt Scriptura S. ſeu verbum Dei ſcriptum in libris Canonicis, item Traditiones, & Decreta, ſeu definitiones Eccleſiæ, & ipſamet Eccleſia, & exiſtentia, & veritas ejus, item Romanus Pontifex, &c. de his pauca, & breviter diſſeremus, quantum materiæ gravitas permittet.

QUÆSTIO I.

De ſcriptura ſacra, an ſit vera, & unica regula fidei.

QUia verbum Dei eſt de objecto fidei, & illud non habemus niſi ex libris, & ſcripturis ab ipſo Deo inſpiratis ſcriptoribus ſacris, ver. gr. Moyſi, Prophetis, Salomoni, Davidi, Euangeliſtis, aliquibus Apoſtolis, & aliis; videndum eſt, an, & quomodo verbum illud ſit regula fidei noſtræ infallibilis.

Nomine regulæ fidei intelligimus eam, per quam certò, & infallibiliter dignoſcuntur credenda à non credendis. Ideò 1. eſt quid diſtinctum ab auctoritate Dei loquentis, & ab ipſa ejus veracitate, quæ eſt formalis ratio credendi, regula autem nobis applicat cauſam illam credendi: Et hoc præſtat cum infallibilitate, ita ut non poſſit errorem cauſare. Hæc autem infallibilitas eſt 2. conditio regulæ fidei. 3. eam infallibilitatem non habet ex ſe, ſed ex promiſſione Dei permanenter, alioqui non poſſet nos dirigere ad ſeligenda cum certitudine credenda. 4. debet eſſe generalis, ſeu communis omnibus, & defectu hujus conditionis proponens non dicitur propriè *regula fidei*.

Sup-

Suppono autem neceſſariam eſſe aliquam talem regulam in Eccleſia, ut colligitur ex Concilio Tridentino. Nam unitas Eccleſiæ pendet ab unitate fidei, & unitas fidei pendet ab aliqua certa, & communi regula, quam omnes, & ſinguli fideles ſequi teneantur. Et ſi talis regula deeſſet Eccleſiæ, non videretur eſſe tam prudenter inſtituta, & gubernata. Certè ſine tali regula ſinguli ſequerentur judicium ſuum particulare, & ſic eſſent *quot capita, tot ſenſus*.

2. Nomine *ſacræ ſcripturæ* intelligitur Bibliorum Codex, ſeu volumen 72. librorum, in quibus per ſcriptores divinitus afflatos traduntur ea, quæ ab ipſo Deo ipſis ſcriptoribus immediatè revelata ſunt, & nobis per ipſos, ut illa credamus.

Solet autem bipartiri, ſc. in *vetus*, & *novum teſtamentum*: illud continet ea, quæ ante Chriſti adventum revelata, geſta, & ſcripta ſunt; iſtud verò, quæ poſt Chriſtum natum, & in utroque continentur, ut dicebam, 72. libri, qui dicuntur *canonici*, quia ſunt in Canone, ſeu regula credendorum, ut definitur in prædicto Concilio; in quo per ordinem numerantur, & habentur in volumine, quod dicitur *Biblia vulgata*. Quia ibi latino idiomate tranſlati leguntur illi omnes libri ex aliis linguis, v. g. Hebraica, Syriaca, Græca &c. in quibus linguis originaliter conſcripti fuerant. Dicuntur etiam *Canonici*, ut diſtinguantur ab Apocryphis, qui falsò proponebantur, aut proponi poſſent, ut regulæ, & ut continentes revelata.

Quæritur ergo hìc an talis ſcriptura ſit certa, & infallibilis regula fidei, ita ut omnia, quæ in illis libris continentur, ſint à Deo revelata, & à nobis credenda. 2. An extra illam nihil ſit abſolutè credendum, ita ut ſcriptura illa ſacra ſit totalis, & unica regula fidei noſtræ.

CONCLUSIO I.

S*criptura ſacra eſt vera, & certiſſima regula fidei.* Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto probante, [1] quòd *ſacra Scriptura ſufficienter continet doctrinam neceſſariam viatori*, id inquam per 8. vias, ſeu media, & locos, de quibus diximus ſuprà; ergo ſcriptura eſt vera regula fidei.

Prob. 2. ex Trident. cit. dicente, *veritatem ſalutarem, & morum diſciplinam contineri in libris ſcriptis... & quod omnes libros tam veteris, quàm novi teſtamenti veneratur; cum utriuſque ſit author Deus*. Et poſtquam ſingulos numeravit per ordinem, addit, *ſi quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in vulgata latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, Anathema ſit*. Tum graviter prohibet, *ne quis in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus illam rejicere præſumat*.

Prob. 3. ex ſcriptura ipſa: nam Chriſtus ipſe dicit ibi non poſſe inveniri mendacium, & monet nos eas ſcrutari, ut in eis diſcamus veritatem miſſionis, & divinitatis ſuæ; ergo docet ſcripturas ſacras eſſe infallibilem regulam fidei; alioqui non deberet ad eas nos mittere. Prob. ant. dixit enim, *non poteſt ſolvi Scriptura:* & ad Judæos incredulos, [2] *ſcrutamini Scripturas, illæ enim teſtimonium perhibent de me*. Et ut inſtruat diſcipulos triſtes de morte, & dubitantes de reſurrectione ſua, [3] *incipiens à Moyſe, & prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant*: Et S. Paulus, [4] *omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum*, &c. Et iterum [5] *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, &c. Et dum Salvator inſtruit Judæos, agit ex ſcripturis. [6] *Nunquam legiſtis in ſcripturis?* Errores eorum tribuit ignorantiæ ſcripturarum, [7] *erratis non ſcientes Scripturas*. S. Petrus ſuam concionem contexuit ex ſcripturis, ut legenti patet. Et S. Paulus [8] diſputabat in *ſynagogis de ſcripturis, & quotidie ſcrutabatur Scripturas*. Et eas conſulebat, & citabat,

[1] *q.2.prol.E.* [2] *Jo.10.c.5.*
[3] *Luc.24.* [4] *2.Tim.3.* [5] *Ro.15.*
[6] *Matth.2.* [7] *Matth.22.*
[8] *act.2.& 8.& 17.*

bat, [1] *quid dicit Scriptura.... dicit enim ſcriptura*, &c. Confir. ex Patribus, qui omnia myſteria, & veritates probant regulariter ex ſcripturis, & in Conciliis omnia definiunt, & decernunt ex iiſdem, ut legentibus patet, & talis eſt perpetua praxis Eccleſiæ.

Prob. denique; non enim poteſt dari certior regula credendorum, quam libri, in quibus ex revelatione ipſa Dei continentur veritates, & præcepta morum, ac voluntates ejus circa nos. Ideo dicitur *teſtamentum* ejus, qua ſc. ibi teſtata ſit mens ejus, & diſpoſitiones voluntatis ejus, pactaque, & fœdera inita cum hominibus.

Objic. 1. Ad actus fidei veræ ſufficit verbum Dei, & propoſitio ejus; ſed utrumque haberi poteſt ſine ſcriptura; ergo hæc non eſt regula ſaltem neceſſaria fidei. Prob. min. primi Patriarchæ, & ante Moyſen, qui primus ſcripſit libros verbi Dei, habuerunt veram fidem, nam *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, & ſic de aliis; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam ſequitur tantum, quod ſcriptura non ſit ſola regula fidei, & quod ſine ipſa poſſit eſſe fides, ut cum Deus loquitur immediate per ſe, aut per ſuos Angelos, ut loquebatur Patriarchis, & Prophetis, ac ſcriptoribus ſacris, ſed non ſequitur, quin ipſa ſit bona, & ſufficiens, imo etiam principalis credendum regula.

Objic. 2. regula fidei bebet eſſe verax, & infallibilis; ſed utrumque deeſt illis libris, quos dicimus ſcripturam ſacram; ergo &c. Prob. min. Scriptores Canonici non ſemper loquuntur ex afflatu Dei; ſed ſæpe de ſuo; ſed quæ dicunt de ſuo, non ſunt de regula fidei, nec vera, nec infallibilia, ergo &c. Min. patet, nam quę dicunt de ſuo, non faciunt fidem niſi humanam, & ſunt fallibilia, quia *omnis homo mendax*. Prob. maj. nam, ut notat Eraſmus, plures errores ſaltem leves, irrepſerunt in ſcripturam, & plura minutiora, & indigna revelatione Dei continet, ut de cauda canis Tobiæ, [2] de penula, de qua loquitur Apoſtolus, 2. Tim. 4. de hoſpitio parando: Epiſt. ad Philemonem, & aliis ſimilibus, ad quæ non videtur attendiſſe Spiritus S. ergo &c.

Reſp.

[1] *Ro.* 10. [2] *Tob.* 11.

Reſp. neg. 1. min. & 2. maj. & 3. ant. & conſ. ult. nam errat ipſe Eraſmus ſic temere loquens; audiat Auguſtinum dicentem, [1] *omnem falſitatem abeſſe ab Evangeliſtis; non ſolum eam, quæ mentiendo promitur, ſed etiam eam, quæ obliviſcendo* .... ſc. non errant neque loquendo, neque ex oblivione. [2] *Solis illis ſcripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam.*

Quoad minutias vero reſpondet Chryſoſt. [3] *nec illas quidem, quæ tenues eſſe putantur, ſententias prætermittamus; nam & ipſæ de ſpiritus gratia ſunt.* Et Hieron. [3] *ſinguli ſermones, ſyllabæ, apices, puncta, in divinis ſcripturis plena ſunt ſenſibus*; ſc. nihil ibi vacat myſterio.

CONCLUSIO II.

Sola ſcriptura ſacra non ſufficit, ſeu non eſt unica, & ſola regula fidei. Eſt etiam de fide contra hæreticos Calviniſtas, & Socinianos, qui non agnoſcunt aliam regulam fidei præter verbum Dei ſcriptum.

Prob. 1. ex Scoto infra citando, quatenus dicit plura eſſe in Scriptura, quæ ſunt *obſcuriora, & indigent explicatione: & plura jam credi in Eccleſia, quæ expreſſe non ſunt in Scriptura*; ergo ex Scoto Scriptura ſacra ſe ſola non eſt ſufficiens regula fidei.

Prob. 2. nam, ut dicebamus ex Scoto, poſt Auguſtinum, ipſi S. ſcripturæ libri non faciunt fidem, nec admittuntur, ut regulæ fidei, niſi prout recepti ſunt ab Eccleſia, ut verbum Dei. Et de facto plures olim non admittebantur, ut vere canonici, qui tractu temporis, & dirigente Spiritu ſancto admiſſi ſunt ab Eccleſia; ergo præter Scripturam S. neceſſaria eſt alia regula infallibilis proponens, & determinans, quænam ſit illa vera Scriptura. Ant. patet ex Hiero-

[1] *de conſ. Evangel.*
[2] *l.2.c.12.Ep.19.* [3] *ho.1.pop.*
[4] *c.3.Epheſ.*

Hieronymo, Xyxto Senenſi, & aliis interpretibus, & controverſiſtis.

Confir. quia non ſolum de libris Canonicis, ſed etiam de ipſarum ſcripturarum ſenſu oriuntur controverſiæ etiam in rebus gravioribus. Quippe plurima Scripturæ loca ſunt obſcura, & difficilia, & diverſi diverſe explicant; ergo neceſſaria eſt alia regula infallibilis, ad quam recurratur in illis controverſiis, quæque determinet de vero ſenſu talium locorum, alioqui Deus non ſufficienter providiſſet Eccleſiæ ad fidei puritatem, & unitatem ſervandam. Ant. prob. ex hiſtoria hæreſum omnium, quæ ex ſcripturis male intellectis graſſatæ ſunt, tam in Synagoga, quam in Eccleſia. Nam ſinguli fautores prætendebant fundamentum in ſcripturis, quarum textus corrumpebant, aut verum ſenſum pervertebant, & detorquebant in ſui erroris favorem.

Prob. denique ex dicendis infra de Traditionibus, de decretis Eccleſiæ, &c. Nam ſi hæc ſint de regulis fidei, ſequitur ſcripturam ſolam, & de ſe non eſſe ſufficientem.

Objectiones propoſitas, & ſolutas habes ſupra de propoſitione, & proponente objecta fidei. Et infra de aliis regulis. Nam ſi ſcriptura per ſeipſam, & independenter ab ullo infallibili proponente manifeſtaret ſeipſam, diceretur etiam ſe ſola ſufficiens.

Objic. præterea. Deus ad ſolam legem, & ſcripturam mittebat Judæos, ut ad ſolam legem, aut regulam fidei; ergo &c. Prob. ant. dicebat enim, [1] *ſcrutamini ſcripturas*, &c. Et Deus prohibet illis quidquam addere ſcripturis. [2] *Non addetis aliquid ad verbum, quod loquor vobis*. Et Apoſtolus dicit, [3] *omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, arguendum, & corrigendum*. Sed ſi ſola ſcriptura non eſſet de ſe ſufficiens regula fidei, aliqua eſſent addenda verbo Dei; nec ſufficeret ſcrutari ſcripturas; nec ſola utilis eſſet ad docendum; nec ſola eſſet lex, vel teſtimonium; ergo ſe ſola ſufficit.

Reſp. neg. min. nam hæc, & ſimilia loca remittunt quidem fideles ad ſcripturas, ſed non excludunt alias regulas. In 1. textu damnat Deus recurſum ad Pythoniſſas, & Ariolos, ut prævideant futura, volens, ut

[1] *Iſa.* 28. [2] *Jo.* 5. [3] *Deuter.* 4.

ut conſulant legem, & Prophetas, ut patet ex toto textu. Idem prohibuerat in Deuteronomio. In 2. remittit Judæos ad ſcripturas veteris teſtamenti, [1] in quibus habent figuras, & prædictiones de Chriſto venturo. *Illæ ſunt*, inquit, *quæ teſtimonium perhibent de me*, ſed non rejicit alia teſtimonia, imo allegat teſtimonium Joannis, & miraculorum, atque operum ſuorum, & patris ſui dicens, [2] *vos miſiſtis ad Joannem*. Et, *teſtimonium perhibuit veritati*.

Objic.2. ſola Scriptura eſt verbum Dei, cætera ſunt verba hominum; ergo illa eſt ſola regula fidei Theologicæ.

Reſp.diſt.ant. ſola eſt verbum Dei ſcriptum, con. verbum Dei ſimpliciter, & abſolute, neg. ant. nam Traditiones, & Decreta Eccleſiæ ſunt etiam verbum Dei, non ſcriptum, ſed traditum, & inſpiratum Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, & depoſitariæ doctrinæ.

QUÆSTIO II.

De traditionibus: an præter ſcripturam ſint admittendæ, ut regulæ, & objecta fidei.

TRaditio generaliſſime ſignificat doctrinam, ſeu cognitionem ab alio acceptam, quales erant traditiones, quas in Phariſæis non approbat Chriſtus. 2. quancumque doctrinam bonam quomodocumque ab aliis acceptam, tam ſcripto, quam verbo. Sic lex Moyſis dicitur traditio. [3] *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam*. 3. Proprie pro doctrina ſacra, quæ ab initio tradita eſt verbis; licet poſtea ſcriptis mandata ſit. Hoc ſenſu de traditionibus hic loquimur cum Theologis; ſc. de iis, quæ Apoſtoli a Chriſto immediate acceperunt, quæque tamen ipſi non ſcripſerunt, ſed ſimiliter verbis tradiderunt poſteris, & tandem ab ipſis poſteris ſcripta ſunt, & ab Eccleſia, ut doctrina Chriſti, & Apoſtolorum recepta, & approbata ſunt, ut verba Dei non ſcripta: quæ ab ore Chriſti emanata immediate, dicuntur *Traditiones Divinæ*. Quæ vero immediate ab Apoſtolis emanarunt, dicuntur *Apoſtolicæ*,

[1] *Deuter.* 12. [2] *Jo.5.*
[3] *2.Theſſal.2.*

licæ, licet non minus ſint divinæ, quia non minus illis inſpiratæ ſunt a Deo, & per illos traditæ ſunt Eccleſiæ. Ambæ etiam dicuntur *Traditiones Eccleſiaſticæ*: quia illarum depoſitaria eſt Eccleſia.

Rurſus, *Traditiones* Eccleſiaſticæ aliæ ſunt *univerſales*, quia ſervantur in univerſa Eccleſia Catholica, & ubique: Aliæ *particulares*, quæ ſervantur in aliquibus tantum Eccleſiis unius Regni, Provinciæ, aut Civitatis. De univerſalibus præcipue hic agimus, & quærimus, an illæ ſint admittendæ inter objecta, & regulas fidei.

CONCLUSIO

E*St affirmativa; ſc. admittendas eſſe traditiones approbatas ab Eccleſia, ut divinas, & Apoſtolicas.* Eſt de fide contra Lutheranos, & Calviniſtas, qui illas rejiciunt, ut humanas conſtitutiones. Aliqui antiquiores etiam eas rejiciebant, ut Maximus, & Marcion apud Auguſtinum, & Tertullianum.

Prob. 1. ex Scoto ex Script. [1] *multa credimus*, inquit, *quæ non reperimus ſcripta in libris Canonicis; v. g. Chriſtum deſcendiſſe ad inferos non docetur in Evangelio, & tamen tenendum eſt, ut articulus fidei. Ita multa alia de ſacramentis Eccleſiæ non ſunt expreſſa in Evangelio, & tamen Eccleſia tenet illa eſſe tradita certitudinaliter ab Apoſtolis.... nec Chriſtus in Evangelio docuit omnia pertinentia ad diſpenſationem ſacramentorum. Dixit enim diſcipulis ſuis, adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; ergo multa docuit eos Spiritus S. quæ non ſunt ſcripta in Evangelio*; ergo ex Scoto, & ſcriptura, admittendæ ſunt Traditiones, ut regulæ fidei.

Prob. iterum ex Script. nam toto tempore legis naturæ, ſc. per 2491. annos, & uſque ad an. 120. Moyſis, religio fidelium nitebatur traditionibus, remedia contra peccatum originale, & actualia, ritus ſacrificiorum, & cæremoniæ, denique totus cultus Dei, & omnia credenda habebantur ex traditionibus. *Juſtitia*

[1] 1. d. 11. q. 1. D.

quarum numero eſt imaginum figuratio. Et in Conſtant. IV. & noviſſime in Tridentino *traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Chriſto, ve. a Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſervatas, pari pietatis affectu, & reverentia ſuſcipit*. Idem ſtatuerant alia plura Concilia Provincialia.

Confir. ex variis conſtitutionibus Apoſtolicis, quas ad longum citant Controverſiſtæ, & maxime Cardinalis noſter de Laurea. [1]

Prob. 4. ex SS. Patribus Græcis, & Latinis ab initio *uſque in præſens, quos citant iidem*.

Probatur denique ratione, quia verbum Dei ore prolatum non minus eſt verum, & infallibile, quam ſcriptum; ergo non minus eſt regula fidei. ant. patet ex Apoſt. cit. *cum accepiſſetis a nobis verbum auditus fidei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed, ſicut vere eſt, verbum Dei*. nota, Ly, *auditus*, ut ſignificet, quod Theſſalonicenſes non crediderant ſcriptis, [2] non enim adhuc ſcripſerat illis, ſed verbis ore prolatis, non *lectis*, ſed *auditis*, & quod tam iſta, quam illa ſunt verba Dei. Similiter nondum ſcripſerat de Sacramento Euchariſtiæ, ſed verbo tenus tradiderat, quod audiverat a Spiritu S. *accepi a Domino, quod & tradidi vobis*: Et cum ſcribebat, *tradidi enim vobis, quod & accepi*.

Confir. quia ſcriptura nihil addit ſupra verba Dei ore prolata, niſi ſtabilitatem contra lapſum memoriæ, & commoditatem, ut percipiatur ab abſentibus; ergo tam valet ad fidem traditio vera Dei, quam ſcriptura.

Confir. 2. Niſi enim hæretici fateantur plurima a nobis credenda eſſe, quæ non continentur in libris Canonicis ſcripturæ ſacræ, numquam poterunt oſtendere, cur ea credant nobiſcum, vel ubi reperiantur ſcripta. Quomodo convincent Ebionitas negantes Epiſtolas Pauli, ut divinas, vel alios non admittentes Evangelium Matthæi, aut Marci, aut Lucæ? Unde probant Evangelium Joannis fuiſſe ab eo ſcriptum, &c.

Dices ex ipſo Joanne id probari, quia ſub finem dicit ſe illud ſcripſiſſe.

[1] *diſp.* 14. *con.* 20. [2] 1. *Theſſ.* 2.

Contra. Nam quoties ſcriptores ſub ementito aliorum nomine ſcribunt? Quomodo ipſi Calviniſtæ, & Lutherani probabunt ex ſcriptura ſe melius illuſtratos, ut expungant ex Canone libros, quos Eccleſia Catholica recipit, vel ut aſſequantur melius germanum ſenſum ſcripturæ in locis obſcurioribus, & quem non admittimus? Ex qua ſcriptura probabunt eos, quos nobiſcum admittunt, ut Canonicos? Forte ex ſpiritu privatim ſingulos illuminante? ergo ſatebuntur hanc fundamentalem veritatem de libris Canonicis non haberi ex ſcriptura; ergo nec omnia credenda ibi adſunt; ergo idem eſt de aliis multis.

Objic. 1. Scriptura S. continet omnia neceſſaria ad fidem, & ſalutem; ergo fruſtra recurritur ad traditiones. Prob. ant. niſi ea contineret, male Apoſt. diceret, (1) *ſi nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, Anath. ſit*; ergo nihil credendum præter Script. S.

Reſpondeo neg. ant. & conſ. prob. nam contrarium patet ex quæſt. præced. & locus Apoſtoli non eſt ad rem. 1. quia tunc nondum prædicaverat Galatis, nec multis aliis legerat Evangelia, nec Scripturas, ſaltem novi teſtamenti, quæ nondum extabant, ſaltem omnes. 2. poſt iſtam ſcripſit ad Romanos, ad Coloſſenſes, ad Hebræos, ut notat Baronius, (2) Lucas ſcripſit audita ex Paulo, & aliis; ergo ex traditione. 3. Libri Evangeliorum, & alii non tam cito promulgati prodierunt, quam ſcripti, & tamen fides longe, lateque diſſeminabatur. 4. vox *præter*, in verbis Pauli, ſignificat, *contra*, & ſic ſenſus eſt, ne audiamus eos, qui contraria docebunt. Traditiones autem docent quidem aliqua, quæ non ſunt expreſſe in Evangelio, quod ipſe prædicavit, ſed non ſunt contraria doctrinæ ipſius.

Inſt. 1. ex eodem Apoſtolo; *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt;* ergo ſcripturæ librorum Canonicorum ſufficiunt ad doctrinam fidei; ergo inutiles ſunt traditiones.

Reſp. 1. diſt. ant. ad noſtram doctrinam, id eſt, eruditionem quoad principaliora, & ſubſtantialia explicite, aut implicite, con. ad plenam doctrinam, ita ut nihil

[1] *Gal.* 1. [2] *an.* 50.

nihil explicite debeamus ſcire, & credere præter ſcripta, neg. ant. alioqui non juberet, *tenete traditiones, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*. (1)

Reſp. 2. neg. conſ. nam licet erudiamur per Epiſtolas, & ſcripturas, non ſequitur omnia doceri per illas, ita ut non doceamur etiam per traditiones.

Inſt. 2. Chriſtus omnia, ſaltem neceſſaria, dixerat Apoſtolis; ergo fruſtra fuiſſent eis traditiones. Prob. ant. *Omnia, quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis*; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. imo hinc probatur intentum noſtrum; nam omnia, quæ dixit Chriſtus Apoſtolis, non ſunt ſcripta, nec ab illo, nec ab Apoſtolis, ſed plura ipſi dixerunt ſucceſſoribus ore tenus, & iſta dicimus traditiones divinas, & Apoſtolicas.

Reſp. 2. Ly, *omnia* non poſſe ſumi in toto rigore; quis enim hominum ſcire poſſet omnia, quæ Chriſtus audivit, & didicit a patre? ut notat S. Auguſtinus. (2) Item non potuiſſet poſtea dicere, *Spiritus ſanctus docebit vos omnia*, &c. Nec etiam, (3) *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*. Igitur omnia, quæ conveniebat vos ſcire, & *quæcumque audivi a patre*, vobis dicenda &c.

Inſt. 3. lex Domini dicitur (4) *perfecta, & immaculata, convertens animas*; ſed non eſſet perfecta, nec immaculata, ſed imperfecta ad convertendas animas, niſi omnia ſcitu neceſſaria contineret; ergo omnia docet, & fruſtra ſunt omnes traditiones.

Reſp. diſt. maj. perfecta ſecundum omnia, quæ continet, quatenus ſunt vera, & ſancta, con. ſimpliciter, & abſolute; ita ut nihil ſcitu dignum, aut neceſſarium ſit præter illa, quæ docet, neg. maj. & conſ. nam lex, de qua ibi loquitur David, eſt lex vetus, ſeu Moſaica; & tamen extra illam admittimus plures alios libros, v. g. librum Pſalmorum, & Salomonis, & Prophetarum, & totum novum teſtamentum.

Objic. 2. Chriſtus mittit Judæos docendos, non ex traditionibus ſuis, quas potius improbat, ſed ad ſolas ſcripturas; ergo traditiones non ſunt admittendæ.

Reſp. diſt. ant. ad ſcripturas, ut ſufficientes ad teſtifi-

[1] 2. *Theſſal*. 2. [2] *tr*. 86. *Jo*.
[3] *Jo*. 6. [4] *pſ*. 118.

candum de illo, con. ut ſufficientes ad omnia ſimpliciter, & abſolute, neg. ant. ſcripturæ, ad quas eos mittit, ſufficienter probant ejus divinitatem, & miſſionem. Nam de hoc agebatur, cum hæc dixit: *Scripturæ teſtimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me.*

Inſtabis. idem Evangeliſta dicit, [1] *hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quod J. eſt filius Dei, & credentes vitam habeatis*; ergo ad ſalutem ſufficit credere, quæ ſcripta ſunt.

Reſp. 1. neg. conſ. nam ſequitur tantum illa ſufficere ad ſtabiliendam fidem de divinitate Chriſti, non autem de aliis omnibus credendis; alioqui ſuperfluerent omnes alii libri Canonici, qui poſt illud Evangelium ſcripti ſunt.

Inſt. 2. Lucas dicit [2] ſe ſcribere omnia ſcitu neceſſaria, ergo &c. Prob. ant. dicit, *viſum eſt & mihi aſſecuto omnia a principio diligenter ſcribere, ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.*

Reſpondeo neg. ant. & conſ. prob. quia ipſe ſcribit audita ex traditione; [3] *ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt.* 2. quia ipſemet præter hoc Evangelium ſcripſit librum actuum Apoſtolorum, qui eſt etiam Canonicus, & multa continet credenda, quæ non ſunt in Evangelio; ergo illud *omnia*, non ſumitur ſtricte, ſed tantum pro omnibus, quæ ipſe audiverat ab aliis Apoſtolis.

Mitto alia plura, quæ balbutiunt Hæretici ex ſcriptura, quia leviſſima ſunt.

Objic. 3. ex Patribus, qui in omnibus dubiis omnia decidunt ex Scriptura, & non ex traditionibus: ergo has non admittunt. Prob. ant. nam, inquit Origenes, *ſenſus noſtri, & narrationes ſine his teſtibus non habent fidem.* Et Baſilius, *ſufficiunt ſanctæ, & divinitus inſpiratæ ſcripturæ ad veritatis annuntiationem.* Et Chryſoſt. *ſi quid vel diſcere, vel ignorare opus ſit, ex ſcriptura addiſcemus.* & Cyrill. Alex. *ſi quis ſuperbierit, quod non ſcriptura divina docuerat, nullam aliam debere tertiam ſcripturam ad auctoritatem ſententiæ ſuſcipi; ſed igni tradamus, quod ſupereſt.* Denique Auguſtin. *in iis, quæ in ſacra ſcriptura poſita ſunt, inveniun-*

[1] *Jo.*20. [2] *Luc.*1. [3] *Ibid.*

veniuntur omnia illa, quæ continent fidem, moreſque vivendi; ergo ex Patribus ſuperfluæ ſunt traditiones, & alia omnia præter ſcripturam.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam Patres in his, & ſimilibus verbis volunt tantum teſtimonia ex ſcriptura in his, quæ ſpectant ad fidem, omnibus prævalere, & eam præ omnibus conſulendam, quia in eis habemus præcipua objecta fidei; ſed nullibi negare intendunt auctoritatem traditionum in iis, quæ clare non ſunt in ſcriptura. Imo earum tenaciſſimi fuerunt. Nam, inquit Ambroſ. [1] *dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus a doctrina ſcripturarum prodita, quædam rurſus ab Apoſtolorum traditione in myſterio, id. in occulto tradita recipimus*. Et Chryſoſtom. [2] in illa verba Pauli; *tenete traditiones*, &c. *Hinc perſpicuum eſt, quod Apoſtoli non omnia per Epiſtolam tradiderunt, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque ſunt fide digna*. (Nota axioma) *eſt traditio, nihil quæras amplius*. Et Cyrillus: (3) *Sequamur SS. Patrum, & Apoſtolorum, ac Evangeliſtarum traditiones*. Et ſic de aliis, qui unanimiter agnoſcunt traditiones, ut regulas fidei.

Inſt. ex Cypriano. (4) *Fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem vobis opponunt; quaſi conſuetudo ſit major veritate, aut non ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod in melius fuerit a Spiritu S. revelatum*; ergo potius recurrendum ad rationes, & revelationes, quam ad traditiones, quia ſunt puræ conſuetudines.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus: nam traditiones, quas hic ſuſtinemus, ſunt divinæ revelationes, ſed non ſcriptæ, ut patet ex dictis. Cyprianus autem loquitur de traditionibus humanis. (5) *Quæ obſtinatio*, inquit, *quæve præſumptio, humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere?*

Objic. 4. traditiones ſunt inutiles ad fidem aſtruendam; ergo &c. Prob. ant. non ſunt de fide divina; ergo &c.

Reſp. neg. ant. utrumque: nam hic loquimur de Divinis, & Apoſtolicis, quæ a Deo acceptæ ſunt originaliter.

(1) *de ſpir. S. 27.* (2) *ho. 2. Philipp.*
(3) *Ep. ad Neſtor.* (4) *Ep. 74.* (5) *Ibid.*

Inſt. 1. SS. Patres in controverſiis fidei cum hæreticis non recurrebant ad traditiones, ſed ad ſcripturam; ergo non putabant traditiones eſſe utiles ad fidem tuendam. ant. patet ex hiſtoriis Conciliorum, & diſputationum, & ex eorum ſcriptis.

Reſp. diſt. ant. ad ſcripturam, quando clare loquebatur de rebus controverſis, & diſputabant cum admittentibus ſcripturam, con. quando ſcriptura erat obſcurior, aut ſilet de controverſis, aut adverſarii non admittebant ſcripturam, neg. ant. & prob. ejus; imo contrarium conſtat ex illis hiſtoriis, & ſcriptis: ut mox dicebamus ex Patribus cit. *traditio eſt, nihil quæras amplius*, ajebant. Et Tertull. [1] *ſi nulla ſcriptura determinavit, certe conſuetudo roboravit, quæ ſine dubio de traditione manavit*.

Inſt. 2. traditiones ſunt verba humana; ergo non juvant fidem divinam. Prob. ant. habent originem ab hominibus; ergo &c.

Reſp. neg. utrumque ant. nam illæ, quas hic propugnamus, veniunt a Deo revelante, licet per homines ad nos devenerint, Eccleſia approbante eas, ut divinas ex ipſius Dei inſpiratione, per quam illa regitur, ne erret.

Patet igitur 1. traditiones eſſe neceſſarias, ut habeamus completam credendorum, & agendorum notitiam, inquit Trident. cit. (2) & ut agnoſcantur veri libri Canonici, & alia, quæ Deus revelavit quidem Prophetis, Patriarchis, & Apoſtolis, & aliis etiam ſcriptoribus ſacris, ſed quæ non ſunt ab eiſdem ſcripta immediate, & aliquanto poſt. Ideo ſcribebat Innocent. I. (3) *Id, quod a principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, & nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari*.

Ex traditione etiam rejiciuntur libri, & ſcripturæ Apocryphæ; ut patet ex Gelaſio in Concil. Romano, & habetur c. *Sancta Romana*, ut erant; (4) *itinerarium Petri Apoſtoli; actus Philippi Apoſtoli; Actus Petri; actus Thomæ; Evangelium Thaddæi, Bartholomæi*, & ſimilia ſcripta, quæ juvante traditione rejecit Eccleſia, ut illis falſo adſcripta. Imo nec ullam ſcripturam Canonicam habemus niſi ex traditione. Nam Evangelia, & aliæ veritates prius publicata

[1] *de cor. mil. 3.* [2] *ſeſſ. 4.* [3] *Ep. 1.* [4] *diſp. 15.*

cata ſunt verbis, & prædicata, quam ſcripta. Euangelium Matthæi, quod primum eſt, ad minus 20. annis ſcriptum eſt poſt Aſcenſionem Chriſti, & ſic de aliis, ut notant Hieronymus, Euſebius, & alii.

Patet 2. eaſdem traditiones juvare ad firmanda, vel probanda fidei & morum dogmata, ut conſtat ex eodem Concilio Trid. (1) & aliis, ubi ex traditione probatur fides de peccato originali, & doctrina de juſtificatione, *quam Chriſtus D. & Apoſtoli tradiderunt.* Et dum Canones de ſacramentis condidit: (2) *inhærendo ſacrarum ſcripturarum doctrinæ, & Apoſtolicis traditionibus.* Idem monet agens de Extrema Unctione; (3) ſc. *ex Apoſtolica traditione per manus acceptâ Eccleſia didicit*, &c. ex traditione Patrum, docet non præcipi laicis communionem ſub utraque ſpecie, nec ad eam teneri parvulos, & Canonem Miſſæ (4) ex Chriſti verbis, Apoſtolorum traditionibus, & piis SS. Pontificum inſtitutionibus conſtare, & quæ dicit de Miſſa, vocat (5) *fidem veterem in ſacroſancto Euangelio, & Apoſtolorum traditionibus.* Et de ejuſdem Miſſæ ſacrificio, illud *oſtendunt ſacræ litteræ, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.* Et de SS. Ordinibus; *ex ſacris litteris, & Apoſtolica traditione, ac patrum omnium conſenſu*, &c. Sic de Matrimonio, quod ex eadem traditione ſit inter ſacramenta reponendum, &c.

Patet 3. quòd non tantum ex traditionibus iſtis habemus, quæ credenda ſunt ex fide, ſed etiam quæ ſpectant ad mores, & uſum Sacramentorum. Ut docet idem Concilium. (6)

Patet 4. quòd omnia, quæ nobis per Eccleſiam credenda, vel agenda proponuntur ex neceſſitate ſalutis, quæque in ſcripturis ſacris non reperiuntur (ſaltem expreſſe) cenſenda ſunt haberi ex Divina, & Apoſtolica traditione; eſtque regula S. Auguſtini, (7) *illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, dantur intelligi, vel ab Apoſtolicis ipſis, vel a plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retinentur.* Idem patet ex Tertulliano cit. & aliis.

[1] *ſeſſ.4. & 5. & 6.* [2] *ſeſſ.7.* [3] *ſeſſ.22.*
[4] *ſeſſ.23.* [5] *ſeſſ.21.* [6] *ſeſſ.4.* [7] *Ep.118.*

QUÆSTIO III.

De Decretis Eccleſiæ in Conciliis: An ſint regulæ, & objecta fidei.

JAm monuimus, *Eccleſiæ* nomine intelligi non ædificium materiale, in quod conveniunt fideles ad opera religionis exercenda, & ſacramenta recipienda, ſed cœtum omnium fidelium; vel pro cœtu Clericorum, qui ſingulariter dicuntur Eccleſiaſtici; quia ſpecialiter miniſterio ſpirituali Eccleſiæ deſtinantur; vel adhuc preſſiùs pro cœtu, & collectione eorum, qui in ſpiritualibus præſunt fidelibus: & hic cœtus ſub uno capite adunatur; ut in Conciliis. Dicitur autem per antonomaſiam, & ſpecialiter *Eccleſia*. Et in hoc ſenſu Eccleſiam conſtituebant Apoſtoli, cum dixit illis Chriſtus: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram*, &c. Et de illa hoc eodem ſenſu hìc loquimur; ſc. prout conſtat cœtu, & adunatione Patrum, ſeu Prælatorum, Paſtorum, & Doctorum, ac Seniorum ſub uno capite, ut decernant, ac definiant motu, & lumine Spiritus S. quæ ſpectant ad fidem, & mores fidelium.

Hæc tempore veteris legis vocabatur *Concilium Synedricum*, in quo de ſpiritualibus definiebatur. Jam verò in Eccleſia, & lege Euangelica vocatur abſolutè *Concilium*, vel *Synodus*.

Rurſus *Eccleſia*, ſeu *Concilium*, aliud eſt Diœceſanum, quod ſpecialiter dicitur *Synodus* (licèt hoc nomen aliis etiam tribuatur) in quod cum Epiſcopo conveniunt preſbyteri unius diœceſis. Aliud provinciale, in quod conveniunt cum Archiepiſcopo Epiſcopi comprovinciales, ſeu Suffraganei. Aliud *nationale*, in quod conveniunt cum Patriarcha Epiſcopi unius Nationis, & Regni.. Aliud *Oecumenicum*, ſeu *Generale*, ſeu *Univerſale*, in quod conveniunt Prælati ex toto terrarum orbe cum ſummo Pontifice, vel ejus Legato. In ſingulis Synodis fieri ſolent Decreta, ſeu Canones, ſeu regulæ quædam ſpectantes ad fidem quoad credenda, & ad mores quoad agenda; & hæc Decreta, *ſeu* ſtatuta obligant ſubditos, vel Diœceſanos, vel provinciales, vel nationa-

les,

les, vel generaliter omnes fideles reſpectivè. Sed quæritur an omnia obligent ad fidem, ita ut illorum decreta ſint regulæ infallibiles fidei?

CONCLUSIO.

D*Ecreta Conciliorum Diæceſanorum, nec Provincialium, neque nationalium, non ſunt regulæ infallibiles fidei; niſi confirmentur ab Eccleſia univerſali, vel à Summo Pontifice Romano*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſolius Eccleſiæ Catholicæ definitiones agnoſcit tenendas. *Ex quo Eccleſia Catholica declaravit hoc eſſe tenendum, ſicut de ſubſtantia fidei tenendum eſt, quòd Spiritus S. procedat ab utroque*. Idem diceret in aliis decretis, ſc. non agnoſcit auctoritatem Eccleſiarum particularium in deciſionibus fidei. Et alibi (2) ſtabilitatem Eccleſiæ refundit in caput, *uſque ad conſummationem generis humani ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtra hæreticis circumlatrantibus .... culmen auctoritatis obtinuit*. Et affert promiſſum Chriſti ad Petrũ: (3) *ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.*

Prob. 2. quia ſoli Eccleſiæ univerſali, & capiti ejus promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus S. ſed Decreta Eccleſiæ non habent infallibilitatem niſi ex aſſiſtentia illa; ergo Decreta Eccleſiarum inferiorum non habent infallibilitatem in regulis fidei.

Confir. quia illæ Eccleſiæ in ſuis Conciliis pluries errarunt maximè tempore Victoris Papæ, ut in Pontico, Gallico, Oſroeno, Aſiatico circa celebrationem Paſchæ, & plura alia Concilia memorat Cardinalis Laurea (4) ſic errantia, & correcta.

Confir. 2. quia Concilia Provincialia, imò & nationalia a plenariis Conciliis emendantur, ait Auguſtinus; (5) ergo illa inferiora non ſunt infallibilia.

Probatur 3. quia regulæ fidei debent eſſe generales, & generaliter ligant omnes fideles; alioqui Eccleſia, & fides non eſſet una. Sed Concilia inferiora non poſſunt ligare generaliter, nec condere fidei regu-

[1] 2.*d*.11.*q*.1.*A*.*n*.2. [2] *q*.2.*prol*.*a*.7.*n*.9.
[3] *Luc*.12. [4] *diſp*.5.*n*.7.
[5] *de Bapt*.*c*.2.*&* 3.

regulas: ergo &c. Prob. min. non habent juriſdictionem extra ſuas Diœceſes, vel Provincias, vel Regna; & *extra territorium jubenti non paretur impunè*; ergo &c.

Confir. 1. ex Auguſtino cit. nam conſtat talium Eccleſiarum, & Conciliorum Decreta ſæpius fuiſſe emendata, nec vim habuiſſe in omnes fideles, donec fuerint confirmata per generalia, aut per Papam: 2. Quia talia Concilia ſolent congregari pro reformatione morum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & ut loquitur Tridentinum, (1) *pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliſque ex SS. Canonibus permiſſis*, &c.

Dixi, *niſi confirmentur*, &c. Quia ab illa ſumma, & infallibili auctoritate illa decreta habent ſuam certitudinem, ut dicemus.

Objic. 1. Eccleſiæ inferiores decreta fidei fecerunt, & præceperunt ab omnibus recipi ſub pœna anathematis; ergo habent poteſtatem condendi regulas infallibiles fidei. Prob. ant. in Concilio Eliberitano, An. 242. Privatus declaratur hæreticus. In Arabico an. 249. opinio de mortalitate animæ definitur hæretica. In Antiocheno I. an. 260. definitur contra Paulum Samozatenum, quod Chriſtus quoad divinitatem fuit ante Mariam. In Alexandrinis I. & II. an. 315. ſententia Arii declaratur Hæretica. Et ſic de aliis, ut notat Laurea cit. ergo Eccleſiæ minores poſſunt condere Canones fidei.

Reſpondeo diſt. ant. & conſ. prob. Canones, qui obligent ſubditos proprios ex obedientia, con. qui obligent generaliter omnes ex fide Theologica, nego ant. & conſ. nam ſi Eccleſiæ illæ particulares dixerunt Anathema contradicentibus, id valuit pro ſubditis earum, non pro aliis, donec illa decreta fuerint approbata ab univerſali Eccleſia in Concilio Generali, vel a Papa. Ad ſingula reſpondet Cardinalis cit.

Objic. 2. aſſiſtentia divina tam promiſſa eſt Eccleſiis minoribus, quam univerſali; ergo tam ſunt regulæ infallibiles fidei. Prob. ant. ex verbis Chriſti: (2) *ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram; de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis* .... Et, *ubi duo, vel tres*.

[1] *Seſſ. 24. refor. c. 2.*
[2] *Matth. 18.*

tres congregati fuerint in nomine meô, in medio eorum ſum. Hæc ad omnes dicta ſunt; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nec enim ille textus eſt ad rem de infallibilitate; alioqui in illa generalitate tam faveret heterodoxis, quam Orthodoxis. Promittit ergo Chriſtus ibi, quod quæ petentur concorditer in nomine ejus, obtinebuntur, modo ſint ſalutaria, & decentia.

Inſt. ex cap. *ad abolendam*, de hæret. Lucius III. docet, eos, qui a Clericis declarati ſunt hæretici, tales haberi; ergo definitiones Eccleſiarum minorum ſunt regulæ fidei.

Reſp. neg. conſ. poſſunt quidem Epiſcopi declarare hæreticos illos, qui contumaciter tenent doctrinas oppoſitas definitis, ſed non poſſunt iſtas definire, hoc ſpectat ad ſolam Eccleſiam univerſalem, ſeu ad Papam.

Obiic. 3. an. 381. ſub Damaſo coactum eſt Concilium Conſtantinopolitanum contra Macedonium, & licet fuerit nationale, vocatur tamen Oecumenicum, & ejus Decreta proponuntur generaliter toti Eccleſiæ; ergo Concilium nationale eſt regula fidei.

Reſp. diſt. ant. coactum auctoritate Papæ, con. auctoritate Patriarchæ nationalis, neg. ant. & conſ. nam, ut notant hiſtorici, coactum eſt, ut per nationales reciperentur decreta Concilii generalis Romani contra Macedonii errores de æqualitate Spiritus ſancti cum Patre, & Filio, & Papa vocat illud Oecumenicum, quia cum Romano, & Aquilejenſi faciebat ad idem, ut patet ex Epiſtola Synodica hujus Concilii ad Damaſum, teſte Theodoreto. [1]

CONCLUSIO II.

Concilium generale, & legitimum, & a Papa confirmatum eſt regula infallibilis fidei, & decreta ejus ſunt objecta fidei. Eſt communis, & de fide. Concilium autem dicitur legitimum, ſi ex Papæ juſſu, aut conſenſu convocetur, & hic ei adſit per ſe, aut per legatos, aut ejus acta approbet.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] nam talia Concilia repreſen-

[1] *l. 5. hiſt. c. 4.* [2] *Ibid.*

ſentant Eccleſiam, prout de illa hic loquimur; ergo ſi ulla ſit infallibilitas in Eccleſia, aut fidei regula, maxime eſt in talibus Conciliis, ubi illa eſt per capita, & cum ſummo ejus principe.

Confir. Nam ſi Papa ſe ſolo eſt regula infallibilis fidei, a fortiori erit in Concilio generali; ſed ſe ſolo eſt talis regula, ut patebit ex dicendis; ergo &c.

Prob. 2. ex uſu, & praxi perpetua ab Apoſtolis uſque ad nos. Nam in omni ævo congregata ſunt Concilia generalia, in quibus definita ſunt dubia circa fidem, & mores, & quæ ſic definita ſunt, recipiuntur, & creduntur ab omnibus, ut patet ex profeſſionibus fidei tam Summorum Pontificum, quam Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum totius Eccleſiæ, ut legitur in cap. [1] *ſancta octo*, & in formulis talium profeſſionum, quæ præſcribuntur pro ſingulis promovendis ad doctoratum, & dignitates, ex Pio IV. [2] in his enim profitentur ſe tenere, & credere omnia, quæ in Conciliis generalibus ſancita ſunt.

Prob. 3. ex Patribus, nam Ambroſius profitetur ſe velle ſequi omnia, quæ in Conciliis erant definita. Auguſt. [3] proteſtatur ſe cuſtodire, quæ tradita ſunt *vel ab Apoſtolis, vel a plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas*. Et alibi, *Evangelio* [4] *non crederem, niſi me Eccleſiæ teneret auctoritas.* & Cyril. Alex. [5] *ſi quis fidem illam a magna, & ſancta Synodo divino afflata ſpiritu expoſitam dicere voluerit baſim animarum noſtrarum, fundamentumque inconcuſſum .... fidelis, & verus adorator relucebit* &c. Idem eſt de aliis.

Imo in ipſis Conciliis hoc definitum eſt. Nam in VIII. Synodo, quæ eſt IV. [6] Conſtantinopolitana, profitentur Patres, *regulas, quæ S. Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ tam a ſanctiſſimis Apoſtolis, quam ab orthodoxorum univerſalibus Conciliis ſunt traditæ, profitemur*.

Prob. 4. ex Edictis plurium Imperatorum, qui in Cod. Juſtin. tit. de SS. Trinit. damnant ut deſertores fidei eos, qui Nicænæ fidei contradicunt. Et Gratianus, Valentin. Theodoſ. jubent Epheſinam fidem tenendam. Valentin. & Marcianus ſanciunt fidem

[1] *diſt. 16.* [2] *conſt. 38.* [3] *de fide proœm.*
[4] *Ep. 1. 8. con. Ep. fund. 5.* [5] *Dial. 1.* [6] *Can. 1.*

dem Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem tenendam, & ſic de aliis ibidem.

Prob. denique. Ea ſunt regulæ, & objecta fidei, quæ Deus revelat per regulam infallibilem cum aſſiſtentia Spiritus S. ſed tales ſunt definitiones, & Decreta Conciliorum iſtorum; ergo &c. Prob. min. Nam Chriſtus promittit mittere Spiritum S. qui *docebit omnem veritatem*; nam hæc promiſſio impletur dum ſpiritus ille divinus *Eccleſiæ ſuæ omnem veritatem in dies ſuggerit*. Ut loquitur Trident. & Apoſtolus, dum vocat (1) *illam columnam, & firmamentum veritatis*; ergo &c.

Objic. 1. Non magis promittitur infallibilitas Conciliis iſtis, quam aliis: ſed alia nolumus eſſe infallibilia; ergo nec iſta dicenda ſunt infallibilia. Probat. maj. nam Scriptura non diſtinxit inter illa, & iſta.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. nihil diſtinxit explicite, con. implicite, neg. ant. nam hæ promiſſiones factæ ſunt Eccleſiæ univerſali, & hæ ſolæ illam repræſentant.

Inſt. explicatur per ipſoſmet Patres Conciliorum de iſtis; ergo non faciunt fidem, ſaltem divinam, quia ſunt homines, & judices in propria cauſa.

Reſp. n. ant. & prob. ejus; nam illud teſtimonium patrum iſtorum eſt potius a Spiritu S. cujus nomine loquuntur. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, inquiunt.

Objic. 2. Objecta fidei debent cognoſci certo, & infallibiliter, alioqui non obligarent ad credendum, ſed decreta Conciliorum non poſſunt ita cognoſci; ſed tantum per ſcriptores humanos, qui falli, & fallere poſſunt: Imo & ſcripturæ poſſunt falſificari, ut ſæpe contingit; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. debent cognoſci certo moraliter, con. phyſice, neg. maj. & conſeq. nam ad hoc ut obligent, ſufficit, quod per Epiſcopos, & Parochos, qui fideles ſunt, nobis illa proponantur, ſicut & ipſæ ſcripturæ ſacræ, & alia objecta fidei cum motivis ſuæ probabilitatis, ut dictum eſt.

Reſp. 2. neg. min. & prob. ejus; nam hoc ipſo, quod decreta illa recipiuntur a Papa, & ab Eccleſia, certiſſi-

[1] 1. *Tim*. 3.

tiſſima ſunt, & in eis decipi non poſſumus, quia Papa, & Eccleſia in proponendis objectis fidei ſunt infallibiles.

Objic. 3. Ut Concilii decreta ſint infallibilia, debet illud eſſe legitimum, & hoc conſtare debet certo: ſed hæc legitimitas non poteſt conſtare certo, ergo nec ejus decretorum valor. Prob. min. ut Concilium ſit legitimum, & id conſtet certo, debet conſtare de fide omnium patrum, de illorum bona electione, &c. Si enim eſſent hæretici, aut intruſi, Concilium non facerent legitimum, nec juridica decreta; ſed hæc nobis certo non poſſunt conſtare, maxime fides, quæ ſoli Deo nota eſt; ergo &c.

Reſp. pro nunc, (nam idem dicitur de Papa) neg. utramque min. nam, ut mox dicebam, hoc ipſo, quod Papa, vel Eccleſia univerſalis recipit aliquod Concilium, vel Decreta ejus, certi eſſe debemus illud eſſe legitimum, & decreta ejus. Quia Eccleſia univerſalis, nec Papa in his errare non poſſunt, ideo quidquid proponunt, ut credendum, eſt certe tale.

Objic. 4. Plura Concilia etiam legitima de facto erfarunt; ergo Concilia legitima non ſunt infallibiles regulæ fidei. Prob. ant. Ariminenſe ſub Liberio, in quod 400. Epiſcopi convenerant, decrevit contrarium decretis Concilii Nicæni I. de conſubſtantialitate filii cum patre; ſed illud fuit legitimum, & tale decretum erat hæreticum; ergo &c.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. min. fuit legitimum ab initio, con. circa finem, quando ſic decreverunt, neg. min. nam ab initio conſtabat 400. Epiſcopis, qui decreverunt nihil eſſe mutandum, vel addendum de fide Nicæna. Sed cum hoc decretum diſpliceret 50. Epiſcopis Arianis, iſti ab aliis 350. receſſerunt, & alibi in conciliabulum convenerunt, in quo ſic turpiter, & malitioſe erraruut. Sic primo fuit legitimum, & deinde illegitimum. Quamvis ex primis aliqui ex timore, vel tædio a bonis defecerint, & hæreticis adhæſerint, non ideo tamen evaſit legitimum, quia deerat Vincentius Capuæ Epiſcopus, & Papæ Legatus; nec ejus decreta unquam fuerunt confirmata, ſed potius damnata. Vide Cabaſſut.(1) de hoc Concilio.

Inſt.

(1) *notit. Concil.* P. 149.

Inſt. Auguſt. docet, [1] *plenaria Concilia ſæpe priora emendari a poſterioribus, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat*. Et diſputans contra Maximinum dicit; *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicaturus præferre Concilium*. Sc. non audet diſputare ex auctoritate Conciliorum in rebus fidei; ergo non cenſet decreta Conciliorum eſſe regulas certas fidei.

Reſp. neg. conſ. nam in 1. loco loquitur quidem de Conciliis generalibus, & abſolute, ſed non de decretis a Papa confirmatis. Nos vero non dicimus illa eſſe regulas certas fidei ante confirmationem. In 2. autem non contemnit auctoritatem Concilii Nicæni in illa controverſia, ſed prætendit ſe illa non indigere, & ſibi ſufficere Scripturam S. ad confundendum adverſarium Scripturarum, [2] *auctoritatibus*, inquit, *non quorumcumque propriis, ſed utriuſque communibus teſtibus* concertando.

CONCLUSIO III.

Ut *Decreta Concilii legitimi ſint infallibilia, & certæ regulæ fidei, neceſſaria eſt Papæ auctoritas, quæ præcedat, vel ſequatur per confirmationem*. Eſt etiam communior.

Prob. 1. ex Scoto ſæpe cit. [3] qui firmitatem Eccleſiæ refundit in SS. Pontifices: nam *uſque ad conſummationem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſionem Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit*, & citat illud Chriſti, *Ego pro te rogavi Petre*, &c. ergo firmitas, & infallibilitas Eccleſiæ pendet a capite.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat aſſiſtentiam Dei ad non errandum in fide promiſſam eſſe Petro, ut capiti Eccleſiæ, ut dicebat Scotus. Nam illi dicebat Chriſtus, [4] *Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, imo *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Vide firmitatem promiſſam Petro, & confirmationem illi commiſſam pro cæteris. Quod et-

[1] 2. *de Bapt*. 3. [2] *Ibid.* [3] *q.* 2. *prol.*
[4] *Luc.* 22.

etiam colligitur ex aliis verbis. [1] *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, *& portæ inferi non prævalebunt* &c. ſc. propter hoc fundamentum; ergo firmitas Eccleſiæ, & fidei ejus eſt a Papa Succeſſore Petri.

Prob. 3. ex traditione, & praxi Eccleſiæ, & Conciliorum, nam decreta ſua ſtatuerunt, vel ex inſtructione SS. Pontificum, vel iſtorum confirmationem petierunt. Ut Nicænum I. ſub S. Sylveſtro [2] *Beatiſſime Papa Urbis Romæ ... quidquid conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur*. In Conſtantinop. I. hæreſis Macedonii damnata eſt influxu Papæ Damaſi, & ab eodem confirmata, ut ſcribit Photius, & S. Gregorius: in Epheſino, ubi definita eſt unitas perſonæ Chriſti, confirmatio Papæ acceſſit. Idem eſt de Chalcedonenſi ſub Leone in condemnatione Euthychiis; nam Patres petunt confirmationem. Idem eſt de Conſtantinopolitano II. ſub Vigilio, & de III. in cauſa Monothelitarum ſub Agathone, & de Nicæno II. quod fuit VII. generale, ubi agebatur de imaginibus ſub Adriano &c.

Confir. ex ipſorum Conciliorum definitione; nam in Florent. ſub Eugenio IV. Patres dicunt: [3] *Definimus S. Apoſtolicam Sedem*, *& Romanum Pontificem in univerſum orbem habere primatum ..... totiuſque Eccleſiæ caput*, *& omnium chriſtianorum Patrem*, *& Doctorem exiſtere*, *& ipſi in B. Petro paſcendi*, *& regendi*, *& gubernandi univerſam Eccleſiam a Domino N. I. C. traditam eſſe poteſtatem plenam*, *quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum*, *& in ſacris Canonibus continetur*; ergo ſicut ſine capite nihil poteſt corpus reliquum, nec alia membra, nec ſine doctore diſcipuli; ita nec Concilia quidquam decernere niſi influxu Papæ capitis, patris, & Doctoris ſui.

Idem patet ex noviſſimo Concilio generali, ſcil. Trident. [4] ubi confirmatio *omnium*, *quæ decreta*, *& definita ſunt*, *nomine ſanctæ hujus Synodi per Apoſtolicæ ſedis Legatos*, *& præſidentes a Beatiſſimo Romano Pontifice petitur*.

Con-

[1] *Matt. 16.* [2] *l. 6. Ep. 125.* [3] *ſ. ult.*
[4] *ſ. 25.*

Confir.2. ex SS. Patribus, nam inquit Auguſt. [1] *quod univerſa tenet Eccleſia, nec in Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Idem eſt de aliis.

Objic. 1. Concilium generale, etiam ſine inſtructione, & confirmatione Papæ, repræſentat totam Eccleſiam; ſed hæc Eccleſia eſt *columna, & firmamentum veritatis*; ſeu habet infallibilitatem in definiendis rebus fidei, & morum: ergo decreta Conciliorum non pendent a Papa, ut ſint regulæ certæ fidei. Prob. maj. nam hæc Concilia ſic repræſentant Eccleſiam, ut, ſi mille Epiſcopi deeſſent, adhuc valeret Concilium, & repræſentaret Eccleſiam; ergo ita eſt de Papa, ſi abeſſet.

Reſp. neg. maj. & conſ.prob. nam aliud eſt de capite, quam de membris. Sine capite totum corpus moritur, nec ullam habet vitalem operationem; bene vero ſine aliis membris.

Objic.2. ex ſcript. cit. *ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum*. Sed id verum eſt de Concilio Epiſcoporum ſine Papa; ergo & Deus ibi aſſiſtit, ne errent in ſuis Decretis.

Reſp.diſt.min. de congregatis ad orandum, & petendas gratias particulares, con. ad decidendas res fidei, & deciſiones illas proponendas toti Eccleſiæ infallibiliter, neg. min. alioqui infallibilitas pertineret ad quoſcumque fideles adunatos in nomine Chriſti. Diximus autem ſupra, quis ſit verus ſenſus illius loci.

Inſt. Concilia inferiora, & particularia poſſunt certo cognoſcere veritates fidei, & definire, & ſæpe definierunt, ita ut tota Eccleſia receperit eorum definitiones, licet illa non habuerint inſtructionem, nec expectarint judicium Papæ; ergo &c. prob. ant.ex hiſtoriis plurium talium Conciliorum, in quibus definita ſunt plura dogmata, & damnati plures hæretici, ut in Concilio Conſtantienſi ante electionem veri Papæ damnatus eſt Hus, & Uvicleff; & ſic de pluribus aliis; ergo &c.

Reſp.neg. utramque conſ. non enim negamus, quin plura Concilia minora definierint veritatem Deo aſſlan.

[1] *de Bapt.*25.

afflante, ſed negamus illas definitiones propoſitas fuiſſe toti Eccleſiæ, ut ab omnibus tenendas, niſi acceſſerit Papæ auctoritas, & de hoc quæſtio procedit.

Inſt. 2. ipſi Romani Pontifices tribuunt Conciliis generalibus infallibilitatem, & obligant fideles, ut illis obediant; ergo hæc illam habent de ſe ſine Papa. Prob. ant. nam, inquit, Hormiſda, (1) *in Concilio generali Spiritus Sanctus loquitur*, non Papa. Et Vigilius, (2) *conciliis eſt præſens Spiritus Sanctus; eiſque a Deo promiſſa eſt aſſiſtentia*. Et Agapitus, & alii jubent eorum decreta ſervari ſub pœna Anathematis; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam tales juſſiones, & declarationes ſunt confirmationes, & per illas obligantur omnes fideles ad obediendum decretis talium Conciliorum.

Obiic. 3. verbum Dei non eget confirmatione Papæ; ſed definitiones Conciliorum antecedenter ad confirmationem Papæ ſunt verbum Dei; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. non eget confirmatione, ut ſit verum, & verbum Dei, conc. ut agnoſci debeat ut verbum Dei, neg. maj. & conſ. quia non obligamur agnoſcere dicta Conciliorum ut verbum Dei, niſi proponantur nobis ut talia per infallibilem regulam, qualis eſt Papa ex Cathedra loquens.

Plura videbimus infra, ubi de Papa, an ſit ſupra Concilium.

QUÆSTIO IV.

De Eccleſia Romana, ſeu de Summo Pontifice. An, & quomodo ſit regula infallibilis fidei.

AB hac quæſtione, quæ hodie famoſiſſima eſt, me, quam breviſſime potero, expediam, quippe volumina integra extant de infallibilitate Papæ, deque ejus comparatione ad Concilium quoad ſuperioritatem, quæ ideo ingentem exigerent tractatum, cujus diſcuſſionem controverſiſtis relinquo, paucis contentus, quæ ſufficiant Tyronibus noſtris, quibus ſcribo.

No-

[1] *Ep. 9. & 11.* (2) *Ep. 6.*

Noto interim ex Eminentiſſimo Brancato, quod nomine Eccleſiæ *Romanæ* poteſt intelligi 1. tota Eccleſia Chriſti, quæ per Antonomaſiam dicitur *Romana* ex capite ſedente *Romæ*, & ideo Catholici dicuntur ab hereticis *Papiſtæ*, aut *Romani*. 2. Eccleſia *Latina*, ſeu occidentalis, prout diſtinguitur a Græca, ſeu *orientali*, quæ ab illa differt, non quoad ſubſtantiam fidei, nec quoad caput (de Schiſmaticis hic non ago) ſed quoad aliquos ritus, ſicut & quoad linguam. 3. pro *clero* Urbis Romæ cum ſuo Epiſcopo Petri Succeſſore, & Chriſti Vicario viſibili, & Epiſcopo univerſali; & quæ etiam antonomaſtice dicitur *Apoſtolica, & mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum, & apex omnis Epiſcopatus, caput Religionis, cuſtos fidei, &c.* De ipſa in hoc ſenſu hic agimus, maxime de illius Epiſcopo, qui dicitur *Papa*, & *Summus Pontifex*, licet hoc nomen *Papæ* olim eſſet commune omnibus Epiſcopis, imo & aliquando parochis, ſaltem apud Græcos.

2. Hæc Eccleſia, ſeu Papa, in decretis fidei, & morum ſolet procedere, vel cum Concilio Epiſcoporum occidentalium omnium, vel aliquot a ſe delectorum, vel aſſiſtentium, vel Cardinalium, vel ſe ſolo, aut ſaltem conſultis aliquot viris probis, & doctis in Theologia, vel canonibus, & ſic decernere, quæ judicat vera quoad fidem, vel mores; & ut talia proponit fidelibus omnibus credenda, vel obſervanda, & de his decretis, quæ aliquo ex his modis publicantur, quæritur, an ſint objecta, vel regulæ fidei.

3. Papa loquitur ut Papa, ſeu ut Doctor univerſalis, & Vicarius Chriſti, ſeu *ex Cathedra*, quando proponit, vel determinat credenda ab omnibus fidelibus tanquam revelata a Deo, & tunc quæritur, an ſit infallibilis? Aliquando vero ut homo, ut Doctor particularis, ex propria mente, & tunc non dubitatur, quin ſit fallibilis, ut alii Doctores, & homines.

Suppono autem 1. D. Petrum inter Apoſtolos fuiſſe vere Chriſti Vicarium, & totius Eccleſiæ ſupremum caput viſibile, juxta illud, [1] *Tu es Petrus*, &c. Et, *tibi dabo claves regni cœlorum*: Nam, in-

[1] *Matth.* 16.

inquit Hieron. ſecundum metaphoram petræ, rectè dicitur ei, [1] *ædificabo Eccleſiam meam ſuper te*. Idem patet ex aliis verbis; *paſce oves meas*. Nam, inquit Aug. *oves ipſas paſcendas, ideſt docendas, regendaſque committit*.

Suppono 2. quod ille principatus nòn fuit privilegium perſonale in Petro, quaſi vero cum ipſo ceſſarit, ſed officium in Eccleſia in ſucceſſores tranſmittendum, ut per eos Chriſtus, ſicut per Petrum, Eccleſiam ſuam gubernaret, & oves, [2) *quarum curam tum Petro, tum ſucceſſoribus Petri committebat*, inquit Chryſoſtom. *itaque ſicut permanet id, quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet id quod in Petro Chriſtus inſtituit, cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit*. Ait S. Leo; ergo Summus Pontifex hodie regnans, ſicut & prædeceſſores, & ſucceſſores, eſt Chriſti Vicarius, & Succeſſor Petri, & caput Eccleſiæ univerſalis. Ideo Concilia vocant eum, [3] *Summum Papam, & ſummi Apoſtolorum principis ſucceſſorem*, ut loquitur VI. Synodus, & cujus ſedes [4] *per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit*. inquit VII. Synodus. Et Concil. Lateran. ſub Innocent. III. ait, *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinaria poteſtate obtinet principatum, utpote univerſorum Chriſti fidelium mater, & magiſtra &c.*

Hæc veritas conſtat ex SS. Patrum, & omnium fidelium conſenſu, & ſæculorum uſu a tempore naſcentis Eccleſiæ uſque in præſens.

His ita ſuppoſitis, quærimus an, & quomodo SS. Pontifex ſit infallibilis fidei regula? An ſi ſolus ipſe ex Cathedra loquatur? An vero tantum ſi cum Concilio generali, aut particulari? Si loquitur cum generali, nullus fidelis dubitat, quin ſit infallibilis; alioqui nulla eſſet infallibilitas in Eccleſia, quandoquidem nequidem unita ſuo capiti non poſſet infallibiliter definire credenda. Si autem loquatur extra Concilium, quidam id negant, ut Jo. Gerſon. Almainus, Adrianus, & alii.

CON-

[1] *Io.* 21. [2] *ſer.* 2. *anniverſ.* [3] *act.* 18. (4) *act.* 2.

CONCLUSIO I.

S*Vmmus Pontifex non ſolum cum Concilio generali, ſed etiam extra concilium docens, et definiens ex cathedra, eſt infallibilis regula credendorum.* Hanc plures Theologi graves putant eſſe de fide; alii contrariam ſententiam dicunt temerariam, alii erroneam, alii prope hæreticam, alii improbabilem: ego cenſuras qualificatoribus relinquo.

Prob. 1. ex Scoto cit. qui agnoſcit in Eccleſia, & Petro *ſummam auctoritatem approbandi, et auctorizandi libros* (Euangeliorum) *et contenta in eis*, & reprobandi alios, qui non ſunt Canonici; ut Euangelium Nazareorum, dicente Auguſt. *Euangelium Nazareorum non admittam; quia non admittitur ab Eccleſia.* Et alibi [1] agnoſcit in Papa vicariatum Chriſti, *cui omnes fideles ſunt ſubditi*. Et quod *eſt unus tantum in Eccleſia ut primus Hierarcha*; Et quod *Papa eſt ſucceſſor principis Apoſtolorum habens eandem poteſtatem, quam et Petrus*; ergo ex Scoto, ſicut nemo poteſt negare Petro infallibilitatem in proponendis rebus fidei, nec in regulanda fide, ita nec poteſt negari in Papa pro tempore regnante.

Prob. 2. ex Script. ubi Petrum ad Vicariatum ſuum deſtinans ait Chriſtus, *tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* &c. Et, *ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua* &c. Et, *tibi dabo claves regni cœlorum* &c. Sed Divus Petrus, ut vicarius Chriſti, & caput viſibile, & Rector Eccleſiæ habebat infallibilitatem in regulanda fide, ſive in Conciliis, ſive extra Concilia; & Papa ejus ſucceſſor habet eandem dignitatem, & poteſtatem, eandem occupat ſedem &c. ergo & eandem habere debet infallibilitatem circa doctrinam fidei. Maj. patet; nam ſi Divus Petrus ut Chriſti vicarius potuiſſet errare in his, quæ credenda proponebat Eccleſiæ, non fuiſſet *inconcuſſum Eccleſiæ fundamentum*, nec *petra ſolida, nec invincibilis contra portas inferi*, quia potuiſſet vinci a ſpiritu erroris, & mendacii. Prob. min. ex dictis ſupra ex Scoto, & aliis, ſcil. quod Pa-

[1] *d.32.q.2.n19.*

Papa eſt verus Petri ſucceſſor, & vicarius Chriſti.
Confir. Chriſtus per illa verba promittit Petro, & ſucceſſoribus duo privilegia in Cathedra Eccleſiæ. 1. ut ipſe non deficiat a fide. 2. ut in ea fide confirmet alios; ſed nec Petrus, nec ſucceſſor ejus neutrum poſſent facere, niſi eſſent infallibiles per aſſiſtentiam illam promiſſam; ergo &c. Prob. min. nam poſſet errare, & in errorem inducere alios, & ſaltem illos relinquere dubios, & timidos in his, quæ proponeret credenda; ergo &c.
Confir. 2. nam ipſa Eccleſia, quæ a Papa regitur, non eſſet *columna veritatis*; quia non eſſet firmior ſuo capite,& rectore;ſi enim *cæcus cæcum ducat,ambo in foveam cadent*. Quia hic Doctor, & Rector ejus poſſet illi proponere doctrinas falſas; ergo niſi Papa ſit infallibilis, non erit certitudo fidei in Eccleſia.
Prob.4. ex praxi, & traditione perpetua Eccleſiæ, Conciliorum, & Patrum, nam in tribus primis ſæculis non celebrabantur Concilia, ſaltem cum hodierna ſolemnitate, & tamen tunc damnatæ ſunt plures hæreſes; ut Apollinianorum, Marcioniſtarum, Valentinianorum, Pelagianorum &c. Et ex eo tempore plurimi etiam errores per alios Pontifices extra cōcilia damnati ſunt, & poſt illa decreta habitæ ſunt definitiones pro hereſibus, nec unquam Eccleſia reclamavit contra illas definitiones; ergo ex praxi perpetua Eccleſiæ agnoſcitur in Papa infallibilitas, quoties loquitur ex Cathedra,ſive in conciliis, ſive extra. Ant. patet ex innumeris exemplis, quæ habes apud controverſiſtas, & Cardinalem noſtrum de Laurea, & quod nunquam deprehenſi ſunt in his erraſſe, patebit ex objectionibus.
Apud eoſdem habebis auctoritates Conciliorum, & Patrum.
Dices, has Pontificum definitiones ideo dici infallibiles, quia Eccleſia eas acceptavit, & approbavit.
Contra;nam ipſa Eccleſia tenetur,& credit ſe teneri eas acceptare; ergo illarum infallibilitas non pēdet ab Eccleſię acceptatione,ſed ab authoritate Papę.Ant. patet ex ipſius Eccleſię,& Conciliorum praxi, & confeſſione, non enim peterent confirmationem ſuarum definitionum, ſi ab iſtis penderent definitiones ipſius Papæ,ſi hæc confirmatio non daret illis firmitatem.
Con-

Confir. nam Papæ auctoritas definiendi dubia circa fidem eſt eadem, quæ fuit in Petro: Sed in Petro non veniebat ab Eccleſia; ergo nec in Papa. Probat. maj. nam Chriſtus Petro immediatè dixit, *quodcumque ligaveris* &c. Et, *non dixit, hanc petram ædificabo, vel firmabo ſuper Eccleſiam*, ſed è contra *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam*. Non dixit ovibus, *paſcite Petrum*, ſed Petro, *paſce oves meas*. Nec dicitur, *paſce oves meas ſic, & quomodo, & quibus paſci voluerint*, ſc. cibis, & doctrinis, quas probaverint, nec ullibi habetur, quod reliquerit judicio Eccleſiæ acceptare cibos, & doctrinas ſibi per talem paſtorem appoſitas; ergo falſum omnino eſt, & gratis dicitur doctrinæ fidei acceptabilitatem, & certitudinem pendere ab acceptatione Concilii, & Eccleſiæ poſt deciſionem Petri, & ſucceſſorum ejus.

Prob. denique ex declarationibus ipſorum Pontificum, pro quibus ſufficiat Eugenii IV. (1) Conſtitutio receptiſſima. *Definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam, ... plenam poteſtatem traditam eſſe*; ergo Papa in ſuis decretis, & cùm ex Cathedra loquitur, habet eandem infallibilitatem, quam Petrus accepit à Chriſto; ſed hanc Petrus habuit independenter à Concilio, & omni Eccleſia; ergo & Papa habet.

Objectiones, quibus prætenditur Pontifices plures erraſſe, & quæ ſunt principales contra concluſionem, ſolutas habebis in ſequenti.

[1] *d. 17. lateran. §. 8.*

QUÆSTIO V.

An aliquis aliquando Papa erraverit in fide. Ubi ſolvuntur objectiones contra præcedentem concluſionem.

ADverſarii infallibilitatis Papæ prętendunt plures Summos Pontifices in ſuis definitionibus contra fidem, & mores erraſſe; ergo non ſunt infallibiles regulæ fidei; ſed poſſunt in his errare; nam *à facto ad poſſe valet conſequentia*; non autem à poſſe ad factum. Nam plura poſſumus, quæ non facimus. Videamus an ex aliquo facto poſſit colligi hæc fallibilitas in Papa.

CONCLUSIO.

N*Ullus unquam Papa ex Cathedra loquens, ſive ut Doctor Univerſalis Eccleſiæ, erravit in fide.*

Prob. breviter, quia ſi ullus unquam ſic erraſſet, maximè illi, aut aliquis eorum, quos objiciunt adverſarii; ſed nullus eorum erravit; ergo nullus omninò. Prob. min. reſpondendo de ſingulis, ſaltem principalioribus.

Objic. 1. Plurimi Summi Pontifices erraverunt à fide; ergo non ſunt infallibiles. Prob. ant. 1. nam ipſe Petrus negavit Chriſtum, & à S. Paulo dicitur, quod erat reprehenſibilis. 2. Marcellinus thurificaſſe dicitur idola. 3. Zephyrinus à Praxea dicitur fuiſſe ſeductus, & in hæreſim Montani lapſus. 4. Liberius ſubſcripſit formulæ fidei Arianæ Conciliabuli Sirmienſis, & condemnationi S. Athanaſii veræ fidei defenſoris. 5. Felix II. Acacii opera intruſus dicitur in Sedem Apoſtolicam vivente Liberio, & fuit Arianus. 6. Anaſtaſius II. contra decreta prædeceſſorum ſuorum communicavit cum Acacio ab eis excommunicato, & declarato hæretico, ita ut Clerus Romanus ab ejus communione receſſerit. 7. Honorius I. damnatus eſt ob hæreſim Monothelitarum. 8. Joannes XXII. docuit nullam animam, quantumvis purgatam videre Deum ante generalem reſurrectionem, & animas non eſſe immortales. 9. Nicolaus IV. aliqua

qua docuit minùs ſana circa Chriſti paupertatem; v. g. quòd nihil habuerit, nequidem in communi. Denique de 40. Pontificibus prætenditur, quod erraverint in fide; ergo &c.

Reſp. 1. generaliter potuiſſe hos, & alios errare, ut perſonas, & Doctores privatos, non autem ut Summos Pontifices, & Doctores univerſales ex Cathedra loquentes, & id fortè contigit aliquibus iſtorum. Non enim negamus eos errare, & opinari poſſe falſum, ut Doctores privatos. Dico, *forte contigiſſe*; nec enim id poſitivè admitto, quia id adhuc ſub lite jacet.

Reſp. 2. cum Hieronymo ad Rufinum dicentem in libris Pontificum vitioſa reperiri: [1] *ſi me cauſas vitiorum reſpondere neſcire, non ſtatim illos hæreticos judicabo; fieri enim poteſt, ut vel ſimpliciter erraverint, vel alio ſenſu ſcripſerint, vel à librariis imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint, vel certè, antequàm in Alexandria quaſi dæmonium meridianum Arius naſceretur, innocenter quædam, & minùs cautè locuti ſint: & quæ non paſſione perverſorum hominum calumniam declinarent.* Sic etiam reſpondent cum Hieronymo plures alii, non ſine fundamento, quoad poſteriores.

Reſp 3. ad ſingulos. 1. negatio Petri fuit quidem peccatum grave, ſed non infidelitatis internæ, benè verò externæ, quia coram hominibus negavit ſe diſcipulum Chriſti, licèt eum internè agnoſceret. Præterea nondum acceperat claves Eccleſiæ, nec erat vicarius Chriſti, qui adhuc præſens aderat. Si Chriſtus ſtatim [2] *dediſſet ei claves, nunquam pravæ confeſſionis error inveniſſet locum*, inquit Hieronymus.

Quantùm ad correptionem Pauli, ſyncera quidem fuit, non ſimulata, ut volunt aliqui, ſed non propterea peccaverat Petrus ex infidelitate, vel errore, ſed ex quadam condeſcédétia leviore, ex qua oriebatur ſcandalum parvulis. *Converſationis fuit vitium, non prædicationis*. Ait Tertull. unde [3] *nec Petrus peccavit, nec Paulus pertinaciter eum arguit .... Petrus benè ſenſit de abolitione legis, ſed ſimulavit præ timo-*

Aa 2 re

[1] *l.2.Apolog.* [2] *in* 16. *Matt.*
[3] *præſcrip.* 23.

re Judæorum, ne occaſione gentium à fide recederent. Vide interpretes de illa hiſtoria. Auguſtinus dicit, quod *Apoſtoli poſt adventum Spiritus S. peccaverunt venialiter*, non mortaliter, quia erant perfecti, & confirmati in gratia. Ego dicerem utrumque innocentem, & Petrum, qui ex probabiliſſima conſcientia permittebat adhuc aliquas obſervantias legis Judaicæ, ut paulatim Judæos converteret, & aſſueſaceret legi Euangelicæ, & maximè in illis circumſtantiis, in quibus videbat illos; Paulus verò, qui hanc condeſcedentiam improbat, id facit ex alia probabili conſcientia, ex aliis motivis, & circumſtantiis, quas ferventior zelus reſpiciebat. Certè altercationes illæ piæ non dedecent Apoſtolos; imò nec ipſos Angelos, ut cùm princeps, ſeu Angelus regni Perſarum reſtitit Angelo Danielis (1) 21. *diebus*. Judaizatio illa in oculis Petri ex circumſtantiis, quas meliùs noverat, ut expertus poterat eſſe licita, & bona, & in mente Pauli ex aliis motivis, & circumſtantiis, qui non erat expertus aliàs, poterat eſſe mala, ſed quidquid ſit, nullus hìc error in fide, nec gravis quoad mores.

Inſt. reprehenſio Pauli fuit gravis; ergo & error Petri fuit gravis; alioqui graviter peccaſſet Paulus in illo exceſſu correctionis erga Prælatum.

Reſp. neg. conſ. nam ex ferventiori zelo Paulus potuit excandeſcere timens graviores ſequelas ex illa indulgentia Petri, neſciens motiva, & rationes ejus. Levioribus malis ſæpe medicinæ fortiores adhibentur, ne ingraveſcant. Interim Petrus patienter tulit reprehenſionem etiam duriorem, tùm ex humilitate, tùm ex conſideratione ferventioris zeli, quem amabat in Paulo.

2. Marcellinus graviter quidem peccavit per thurificationem illam externam, & ſimulatam ex nimia timiditate, ſed non ex errore interno.

3. Zephyrinus dedit illas litteras communicatorias in favorem Montani, antequam detecta eſſet Priſcę, & Maximillæ hypocriſis, ſed meliùs informatus litteras illas revocavit, & Montanum damnavit. Et ſic non erravit circa fidem, ſed circa perſonas, nihil antea audierat Papa de errore Montani, nihil iſte contra fidem

[1] *Daniel.* 10.

fidem apertè docuerat; nihil dicebatur de Montaniſtis præter quædam miracula, & Prophetias apparentes, & in his potuit Papa decipi cum pluribus aliis, & ut homo privatus, & ſic facile fuit hypocritis illis ab eo ſub falſis prætextibus litteras ſubripere communicationis cum illo Hæreſiarcha occulto; ſed nihil in hoc contra fidem peccavit, ſed ad ſummum contra prudentiam, ex nimia credulitate in rebus facti.

4. Formula, cui Liberius ſubſcripſit, nihil continebat contra fidem, ſed tota videbatur catholica, ſed aliam, quæ loco illius doloſè, & fraudulenter producitur, nunquam admiſit, prior illa rejiciebat quidem vocabulum ſubſtantiæ in Deo, *quia ſimpliciùs à patribus poſitum, & à populis ignoratur, & ſcandalum affert, eò quòd in ſcripturis non contineatur, placuit, ut de medio tollatur, & nullam poſthac de Dei ſubſtantia mentionem eſſe faciendam; eò quòd ſcripturæ ſacræ non meminere ſubſtantiæ patris, & filii. Illum tamen patri per omnia ſimilem dicimus, quemadmodùm ſacræ litteræ dicunt, & docent;* ergo Liberius in hac formula admittit quoad rem omnem conſubſtantialitatem patris cum filio, quam docet recta fides, non autem quoad vocem, propter novitatem vocabuli; ergo hæc formula quoad rem eſt vera, & catholica, & in ea non erravit Liberius contra fidem.

Confir. nam in Epiſtola ſua ad Urſatium dicit Anathema Arianis, & iis, qui à pace, & concordia orthodoxorum Epiſcoporum diſſenſerint.

Non nego tamen, quin peccaverit ſic diſſimulans fidem ſuam ſub illis verbis, & à formula Nicænæ Synodi recedens quoad voces, & ore, non mente.

Quantum ad damnationem Athanaſii, ibi non agebatur de fide, ſed de crimine conſpirationis contra Imperatorem Conſtantinum; quodque crimen illi falſo imponebatur ab Arianis, & ideò Imperator ejecit eum Alexandria, & ſententiam ſub tali prætextu latam ſubſcribi curabat ab omnibus Epiſcopis, inter quos fuit Liberius, injuſtè quidem, ſed non ex infidelitate.

Inſt. Hieronymus poſitivè dicit Liberium ſubſcripſiſſe hæreſim, *cum Arianis communicavit*, & ideò Romani eum, ut hereticum, ejecerunt, & ejus loco

Felicem II. elegerunt; ergo licet in facto Athanaſii non erraſſet; tamen in alio erravit à fide.

Reſp. neg. conſeq. nam ſic locutus eſt Hieronymus, quia poſt Concilium Nicænum, quicumque non admittebat vocem *conſubſtantialitatis*, qua uſum fuerat iſtud Concilium, cenſebatur favere Arianis, licet æquivalentibus verbis uteretur, v. g. *identitatis*, aut *ſimilitudinis omnimodæ* cum patre. Ideò videbatur Liberius communicaſſe in aliquibus cum illis hereticis, ſaltem in verbis, ſed non in mente, & doctrina.

Nec verum eſt Felicem fuiſſe electum à clero in locum Liberii, ſed ab hæretico Imperatore in majorem injuriam Liberii, ut notat Baron. an. 355. & clerus hunc Antipapam recepit coactè, & ex metu ejuſdem Imperatoris. Imò Theodoretus ſcribit, quod ægrè adeò abſentiam Liberii ferebant, & intruſionem Felicis, *ut ex habitatoribus Romæ nullus in Eccleſiam, dum ibi* Felix *erat, ingredi voluerit*. Peccavit ergo Liberius apparenter favens Arianis, & leviter ſubſcribens iniquæ condemnationi Athanaſii; nam ex illa puſillanimitate ſcandalizavit quidem Eccleſiam, ſed non admiſit hæreſim.

5. Felix quidem ab Imperatore fuit intruſus in Sedem Petri, factione Acacii, & aliorum Arianorum, vivente adhuc Liberio, imò & ab Epiſcopis Arianis ordinatus, & ſic cum hæreticis communicavit, ſed nunquam eorum erroribus adhæſit. Imò & poſt mortem Liberii factus legitimus Pontifex, Martyr occubuit pro fidei Nicænæ confeſſione, à qua defeciſſe accuſabatur. Et licet tempore Antipapatus fuiſſet Arianus, id nihil facit contra nos, ſufficit, quod ſemper fuit catholicus, & infallibilis, ut verus Papa, & re vera talis extitit, quia Conſtantium damnavit, & ideò martyrium paſſus eſt.

Dices. S.Hieron. (1) dicit eum fuiſſe Arianum, & Auguſt. eum non reponit inter Pontifices, ſed immediate poſt Liberium ponit Damaſum; ergo ideò omiſſus eſt, quia putatur Hæreticus.

Reſp. 1. quod ſi hoc ſit verum, facit pro nobis, quia hinc probaretur papatum verum incompatibilem eſſe cum hæreſi, & fallibilitate.

Reſp. 2. neg. conſ. nam ſi omiſſus eſt propter ſuſpicio-

(1) *de ſcript. Eccleſ. in Acacio.*

tionem hæreſis, ſequitur tantum, quòd non fuit verus Papa: non autem quòd ut Papa erraverit in fide; vel ſequitur tantùm, quod erraverit, non ut Papa, ſed ut privatus homo; ergo non errorem docuit ex cathedra, quam non poſſidebat.

6. Idem eſt de Anaſtaſio, caſu quo verè communicaverit cum Acacio per Photium etiam Arianum; nam id feciſſet ex amicitia, vel zelo privati hominis, qui amicum volebat revocare ad fidem, & in hoc non video peccatum, ſed charitatem. Sed multi dubitant de hoc facto; nam ipſemet precatur Imperatorem, ut nomen Acacii taceatur in dipticis Eccleſiaſticis, propter ſcandalum datum Eccleſiæ, & ſic decreta prædeceſſorum ſuorum potiùs confirmavit, quàm violaverit. Item notant multi, quod tempore papatus Anaſtaſii jam obierat Acacius; & ſic non potuit cum eo communicare ut Papa.

Dices: approbavit baptiſmos, & ordinationes ab Acacio factas; ſed hoc eſt hæreticum; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam horum ſacramentorum collationes ab hæreticis, præciſè ex hoc capite, non ſunt invalidæ, ſed tantùm illicitæ, ut videbimus ubi de ſacramentis.

7. Honorius à plurimis etiam Pontificibus, & Conciliis accuſatur de hæreſi Monothelitarum, qui in Chriſto unicam voluntatem, & operationem aſſerebant, & ut talis damnatus eſt non ſemel. Ut ſcribunt Cardinalis de Laurea, & Dominicus à S. Trinit. to. 3. ſuæ Bibliothecæ, ſed longè plures eum excuſant. Ut breviter dicam: ex ejus Epiſtolis colligitur tantùm, quod ex quadam humana prudentia molliter naſcentem Monothelitarum hæreſim repreſſit, imò quaſi arbiter inter veram, & falſam ſententiam voluit abſtineri à vocibus duarum voluntatum, & operationum, ut partes adverſas conciliaret, ſed tamen ipſe non dubitabat de duabus voluntatibus magis, quam de duabus naturis, quas verè agnoſcebat in Chriſto, contra Eutychem; ſed à dualitate voluntatum abſtinebat, ne videretur favere Neſtorio, qui propter dualitatem naturarum, & voluntatum perſonas etiam diſtinguebat. Denique nunquam identitatem, vel unitatem phyſicam voluntatum, vel operationum docuit. Dico, *phyſicam*, bene verò

moralem, quæ conſiſtit in ſumma conformitate voluntatis humanæ cum divina, propugnavit, & inde ſuſpicionem Monotheliſmi incurrit apud Orthodoxos illius temporis, qui omnem umbram unitatis in illa controverſia tunc ferveſcente abhorrebant, ne hæreticis favere viderentur.

Hæc patebunt legenti Epiſtolam hujus Papę ad Sergium Patriarcham, ubi ſcribit vitandas eſſe voces unitatis, aut dualitatis; *ne aut duarum operationum vocabulo ſectantes Neſtorianos, nos veſana ſapere arbitrentur*, aut certè ſi rurſus *unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur, &c. ..... ſimpliciter itaque, & veraciter confitentes Dominum Jeſum Chriſtum, unum operatorem divinæ, atque humanæ naturæ electius arbitrantes* &c. ergo Honorius in re ſentiebat juxta fidem duarum voluntatum, ſicut duarum naturarum, ſed à ſolis vocibus abſtinendum monebat. In quo certè timidior, aut mollior fuit, quam decebat erga Monothelitas; ſed non erravit cum ipſis.

Idem colligitur ex alia Epiſtola, quam fertur ſcripſiſſe ad Cyrum Alexandrinum. *Utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas cum alterius communicatione operantes, & humanam, quæ carnis ſunt, exequentem, nec diviſè, neque confuſè, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum converſam edocentes; ſed naturarum differentias integras confitentes*, &c. Sed differentiæ naturarum divinæ, & humanæ in Chriſto non eſſent integræ, niſi unaquæque haberet ſuam propriam voluntatem, nec aliter hoc dicere potuit Doctus Pontifex; ergo verè agnovit in Chriſto duas voluntates, & non adhæſit Monothelitis.

Dices, Concilium VI. decrevit contrarium, verè, & explicitè dicendas eſſe in Chriſto duas voluntates; imò & illi, ad quos ſcribebat Honorius, nempè Sergius, & Cyrus ibi condemnati ſunt; ergo vel illud Concilium, vel Papa Honorius, qui volebat abſtineri ab illis vocibus, erravit.

Reſp. diſt. ant. contrarium quoad voces, con. quoad ſenſum, & rem, neg. ant. & conſ. nam Honorius putabat quidem, quando hæc ſcribebat, ſic eſſe temporizan-

rizandum cum illis: Concilium verò, quando ſic decrevit, putavit nihil ampliùs diſſimulandum. In illa temporizatione peccabat Honorius, ſed non contra fidem: unde contrarietas non eſt in re, ſeu doctrina, ſed in modo.

Reſp. 2. probabiliter aliquem malignum falsò in actis inſeruiſſe nomen Honorii, ut involveretur in damnatione Monothelitarum, ut probat Cardinalis citatus.

Inſt. Adrianus II. in Concilio VIII. conqueritur de Patribus Concilii VI. quòd damnarint Honorium; ergo verè ibi damnatus eſt ut hæreticus, alioqui Adrianus illi Concilio imponeret falſum, & ipſemet erraret in facto.

Reſp. neg. ant. nam de hoc non queritur Adrianus contra patres illos, ſed contra Photium, qui impudenter damnaverat Nicolaum falsò accuſatum, nec aliud dicit de Honorio, niſi quod exemplum ejus non favebat Photio; quia ſimilis accuſatio dederat quidem occaſionem examinandi accuſationem, & cauſam Honorii, quod ille non fecerat erga Nicolaum, & de hoc querebatur Adrianus.

Dices 2. Leo II. qui immediatè ſucceſſit Honorio, & ſanctitate floruit, ſcribens ad Conſtantinum Imperatorem execratur Honorium, quaſi ſanctam Sedem contaminaverit. Idem dicitur de Agathone in actis ejuſdem Concilii VI. contra Monothelitas; ergo Honorius adhæſit illis.

Reſp. neg. ant. nam illa Epiſtola Leonis eſt commentitia, ut probat Baron. an. 583. & ſimiliter acta illa VI. Synodi à Græcis falſificata ſunt, ut probat Dom. à S. Trinitate.

8. Joannes XXII. communiter creditur accuſatus de illis erroribus, ut dicit Okam in ſuo opere 90. dierum, ſed incertum eſt, an illis poſitivè adhæſerit, & magis, an illa propoſuerit Eccleſiæ ut credenda. Potiùs videtur illa dixiſſe ut Doctor privatus, & opinando; nam quando res propiùs examini traditæ ſunt ſive in Conciliis, ſive extra, ſuſpendit judicium ſuum, nec unquam reperitur tales errores definiiſſe.

9. Plures tribuunt tales definitiones Nicolao IV. circa Chriſti paupertatem, ut ſtatueret, qualis debeat

eſſe illa, quam nos Fr. Minores vovimus in regula: ut videri poteſt in *extra v. exiit*, dicit enim, quod [1] *abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in ſpeciali, quam in communi, propter Deum, meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit*. Hoc autem dicitur hæreticum à Joanne 22. c. *cum inter*, at ſi bene intelligatur mens Nicolai, non erit contraria ſcripturæ, nec damnata per Joannem 22. nam cum ille negavit Chriſtum quidquam habuiſſe, nequidem in communi, locutus eſt de Chriſto quoad ſe, & pro ſe, quatenùs ad ſui ſuſtentationem non egebat ſubſidio temporali, ſi voluiſſet, ſed non negat, quin de facto poſſederit aliqua in communi cum Apoſtolis. Et hanc interpretationem admittit ipſe Joannes 22. [2] c. *quia quorumdam*, nam inquit, *Idem Nicolaus videtur ſenſiſſe, quod Chriſtus, & Apoſtoli etiam quoad proprietatem habuerint aliquid in communi* &c. ergo iſtæ conſtitutiones malè intelliguntur ab his, qui putant eas dicere contraria, & Nicolaum erraſſe in ſua, & fuiſſe damnatum à Joanne.

Pluribus aliis imputantur plures errores ab adverſariis S. Sedis, ut ſunt hæretici, imò & à Catholicis adverſariis infallibilitatis Papæ, quos longum eſſet examinare. Vide citatos Doctores, maximè Cardinalem noſtrum.

Nobis hæc ſufficiant pro inſtituto, ut concludamus Papam, ſeu Eccleſiam Romanam cum ſuo capite, & in illo eſſe regulam infallibilem fidei, quando ille loquitur ex Cathedra, ſive ut Doctor univerſalis, ita ut non poſſit errare, quando proponit aliqua, ut credenda ab omnibus fidelibus.

QUÆSTIO VI.

Utrum Papa ſine omni Concilio, vel conſultatione poſſit, aut debeat definire credenda.

Vidimus Papam non ſolùm in Concilio, & cum Concilio generali poſſe infallibiliter definire credenda, nec in his definitionibus ullum unquam erraſſe, imò nec errare potuiſſe: videndum, an hæc in-

[1] verb. ſignif. [2] Ibid.

infallibilitas ſit ita illi ſoli propria, ut non egeat Concilio, & conſultatione patrum, ſeu Epiſcoporum, Cardinalium, aut Doctorum, antequam definiat validè, aut licitè, aut decenter.

CONCLUSIO.

Poſſet quidem abſolutè, & per ſe loquendo, Papa definire credenda ſine Concilio, & aſſenſu aſſiſtentium. Id tamen regulariter non facit, nec facere expedit, ſine matura rerum diſcuſſione ex ſcriptura, traditione, & ſuffragiis Theologorum, & Canoniſtarum.

Prob. 1. p. quia poteſtas clavium data Petro, & ſucceſſoribus ejus, nec promiſſio aſſiſtentiæ Spiritus Sancti contra tenebras erroris, non fuit facta dependenter ab ullo Concilio; ergo abſolutè, & per ſe loquendo, Papa poſſet definire res fidei ſe ſolo. Prob. ant. ſoli enim Petro dixit Chriſtus, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*. &c. Et, *paſce oves meas*. Et, *tu aliquando confirma fratres tuos*; ergo &c.

Prob. 2. virtus Dei, & Spiritus Sanctus non dependet ab ullo Concilio, vel adjutorio humano, ut illuminet aliquem ad detegendas veritates, & ſicut ſe ſolo ſcripturas primò revelavit ſcriptoribus, v. g. Moyſi, Davidi, Salomoni, & Prophetis, ita poſſet credenda ſe ſolo, & immediatè illuminare Papam de omni ſenſu ſcripturarum, & de omnibus, quæ à fidelibus credenda ſunt; ergo quandoquidem promiſit Eccleſiæ ſuæ, & Paſtori ejus Petro, & ſucceſſoribus aſſiſtentiam ſuam, quam non alligavit ulli adjutorio humano; ita & poſſet Papa ſic definire omnia cum tali aſſiſtentia.

Confir. nam ſolus Petrus pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus accepit plenitudinem poteſtatis paſcendi, & dirigendi Eccleſiam; ergo ſe ſolo poterat ea poteſtate uti, & ſimiliter ſucceſſores ejus. Prob. ant. ex SS. Canonibus, in quibus tribuitur Sedi Apoſtolicæ *plenitudo illa poteſtatis*. Ut cap. *decreto noſtro*. Et cap. *multos*; & ut ſcribit Nicolaus I. *Sedes hæc ſancta, atque præcipua in omnibus mundi partibus, rectitudinis ſuæ diſpoſitione ſalubri, cuncta ordinare, perficereque divino freta procurat auxilio; & quod ſingulari etiam au-*

ctoritate perficere valet, multorum ſacerdotum decernit definire conſilio; ergo ſi adhibet conſiliarios in ſuis decretis, id non facit ex abſoluta neceſſitate.

Prob. denique ex praxi. Nam licèt Petrus ſæpè in decernendis rebus fidei, aut morum adhiberet Concilium ſacerdotum, & ſeniorum; tamen ſuas Epiſtolas Canonicas ſe ſolo ſcripſit, & in eis plura decernit circa doctrinam, & mores.

Prob.2.p.ex Script.nam ab initio naſcentis Eccl.Pōtifices ordinariè utebantur Conſilio aliorum, ut patet in electione Diaconorum, quam celebrarunt Apoſtoli capitulariter, ſcil. *convocantes multitudinem diſcipulorum* &c. Et quando Paulus, & Barnabas conſuluerunt Petrum ſuper neceſſitate circumciſionis, quam prætendebant Judæi, *convenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc, & ſurgens Petrus definivit quæſtionem.*

Prob. 2. ex praxi Pontificum,qui ſæpiſſimè congregaverunt concilia generalia, aut provincialia, in quibus decreverunt de rebus fidei, & morum, & ordinariè utuntur Concilio Cardinalium, & Sacerdotum, & peritorum, ut ſcribit Siricius, quando Jovinianum, & ſocios damnavit: (1) *Facto presbyterio conſtitit doctrinæ noſtræ,ideſt chriſtianæ contraria eſſe dogmata.* Et Nicol. I. ſcribit ſe [2] *de aliorum conſilio negotia definire.* Et alii Pontifices in ſuis Bullis,& conſtitutionibus ſolent dicere, *de fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu.* Et ſæpius addunt ſe *audiviſſe ſententiam Theologorum, & peritorum.*

Prob. 3. p. ſcilic. *quod non expediat aliter procedere.* Nam in omnibus quilibet tenetur prudenter agere; ergo à fortiori Papa in rebus tanti momenti, quales ſunt res fidei, & ſalutis æternæ; ſed non ageret prudenter, ſi ſine maturis deliberationibus, & conſultationibus, & ſtudiis definiret res fidei: nam conſultatio eſt actus prudentiæ, ut patet ex Philoſopho; [3] ergo non debet Papa procedere ad definitionem credendorum ſine conſultationibus. maj. patet ex Script. [4] *attendite,ut ſciatis prudentiam. Et eſtote prudentes, & vigilate in orationibus.* Item, (5) *oportet Epiſcopum eſſe prudentem,* & ſpecialiter hæc pru-

[1] *Ep.* 2. [2] *Ep.* 70. [3] 6. *Ethic.* 7.
[4] *Prov.* 4. [5] 1. *Petr.* 4.

prudentia exigit, ne quidquam fiat ſine conſilio. [1] *Qui autem omnia regunt cum Concilio, reguntſapientia ...... erit ſalus ubi multa concilia .... in multitudine ſta, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire.*

Prob. 2. non omnes SS. Pontifices ſunt ſufficienter verſati in ſcripturis, neque in Theologia, neque in ſcientia Canonum, ut ſecundum has regulas prudenter definiant dubia circa illorum intelligentiam emergentia, & tamen juxta hæc omnia ſunt definienda; ergo ut prudenter definiant, debent conſulere peritos in his facultatibus, ne videantur tentare Deum fidentes nimium prudentiæ propriæ.

Confir. ex cap. *de quibus cauſis*. Ubi ſtatuitur, quod ſi deciſio non reperitur in ſcripturis, nec in Euangeliorum libris, nec in ſcriptis Græcis, nec in Canonibus Sedis Apoſtolicæ, congregandi ſunt ſeniores. Quia, inquit Innocent. I. *Facilius invenitur, quod à pluribus ſenioribus quæritur. Verus enim proviſor Dominus ait, ſi duo, vel tres convenerint;* &c. Præterea moraliter impoſſibile eſt, ut unus Papa tot negotiis univerſalis Eccleſiæ ex toto terrarum orbe implicitus, tot per ſe ſolum examinet, ac percurrat libros, & quæſtiones; ergo ne imprudenter, & præcipitanter decernat, debet adhibere peritos, qui ſtudeant, & examinent quæſtiones &c.

Confir. 2. ex praxi tam Pontificum, quam Conciliorum ipſorum generalium, ad quæ vocantur non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Docti Theologi, & Canoniſtæ, quibus committitur examen quæſtionum, & quorum audiuntur placita, priuſquam definiantur: & Romæ inſtituuntur congregationes Cardinalium, & Conſultorum, in quibus agenda, & ſtatuenda examinātur ſerio; ergo Papa non ſe gereret prudenter, ſi eodem modo non procederet in definiendis rebus fidei.

Et re vera non ſolùm humanam omnem adhibet diligentiam in his occaſionibus, ſed etiam longas, & publicas, & privatas orationes ad divinam implorandam lucem, & aſſiſtentiam adhibere ſolet.

Objic. con. 1. p. Conciliorum convocatio eſſet ſuperflua; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo Papa ſine illis non poteſt certo, & recte definire. Prob. maj. nam Pa-

[1] *Prov.* 2. & 8. 13. & 24.

Papa ſolus poſſet tam certo definire ſe ſolo, quàm cum Concilio; & fruſtra ſit per plura, quod fieri poteſt per pauciora: ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. ſufficeret de potentia abſoluta, con. de via ordinaria, & ad melius eſſe, neg. ant. nam ad confringendam efficaciùs hæreticorum pervicaciam, & ad fidelium ædificationem, & ſatisfactionem pleniorem adhibendæ ſunt humanæ diligentiæ, quas prudentia dictat. Fideles fortiùs moventur ad credendum, quando adhibentur motiva credibilitatis, & quando lites dirimuntur partibus auditis ad ſatietatem. Quod magis ex ſequenti patebit.

QUÆSTIO VII.

An infallibilitas, & certitudo definitionum Papæ pendeat ab aliqua Eccleſiæ univerſalis acceptatione, vel conſenſu.

PLures Philoſophi, & Theologi volunt, quod, ut lex obliget, debet non ſolum promulgari, ſed etiam a ſubditis acceptari; nos vero iſtud ſecundum non putavimus verum in tr. de legibus. ſimiliter quidam volunt decreta fidei, licet promulgata, & per Papam edita, non eſſe infallibilia, nec irreformabilia, nec invincibiliter ligare, donec acceptentur per conſenſum univerſalis Eccleſiæ, quam non putant ſufficienter repræſentari, niſi in Concilio generali. Non negant tamen, quin omnes, & ſingulæ inferiores Eccleſiæ ſtare debeant judicio Papæ, quamdiù non reformatur.

Porro longe diſpar eſt ratio de decretis Canonicis in ſpiritualibus, & de legibus civilibus in temporalibus. Nam quia princeps, ſeu legislator habet ut plurimum ſuam poteſtatem ab electione ſubditorum, ita & auctoritatem legislativam; potuit iſta limitari, ita ut leges in executione pendeant a populi acceptatione, & conſenſu: ſed non ita eſt de legislatoribus ſpiritualibus, ſc. de Papa, qui non habet hanc poteſtatem à ſubditis; ſed a Deo, qui illimitate dixit Petro; *quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo*. Sed quoad alias Eccleſias adhuc controvertitur.

CONCLUSIO.

INfallibilitas decretorum Papæ loquentis ex Cathedra, & definientis credenda eſt de ſe certa, & firma independenter ab acceptatione Eccleſiæ, benè vero infallibilitas concilii dependet ab approbatione Papæ.

Prob. 1. p. ex Scoto. Qui, ut diximus, totam Eccleſiæ infallibilitatem refundit in caput ejus, ut ſummum Hierarcham.

Prob. 2. quoad utramque p. tanta infallibilitas, & auctoritas competit Papæ, quanta data eſt Petro; eſt enim verus ſucceſſor ejus in tota Eccleſia Chriſti: & ſicut ille repræſentabat Chriſtum, ut caput viſibile totius Eccleſiæ, ita & iſte: ſed B. Petro data eſt poteſtas infallibiliter regendi, & docendi Eccleſiam de rebus fidei ſine conditione acceptationis ex parte Eccleſiæ; ergo independenter a tali acceptatione Eccleſiæ decreta fidei a Papa ex Cathedra loquente ſunt infallibilia, & non viciſſim. Maj. patet ex dictis, & admittitur a Catholicis: prob. min. etiam ex dictis; nam ſoli Petro dixit Chriſtus, *Quodcumque ligaveris*, &c. Item, *paſce oves meas.* Item, *pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Et, *confirma fratres tuos*; non autem Eccleſiæ, *confirma caput, vel paſce paſtorem tuum* .... Item, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Non e contra ædificabo petram ſuper Eccleſiam. Sed hæc dicerentur, ſi firmitas fidei, & decretorum Papæ penderet ab Eccleſia, eſſet enim ordo inverſus; ergo &c.

Confirmatur. Nam Petrus, ſeu Papa repræſentat totam Eccleſiam, ut caput ejus, & Summus Hierarcha, & non viciſſim Ecleſia repræſentat caput, ſi præſcindatur ab illo, & ſic tribuimus Papæ, quidquid ſcriptura tribuit Eccleſiæ, & non è contra, ſed ſcriptura dixit firmitatem Eccleſiæ fundari in petra, ſuper quam ædificatur; eſt illa firmitas eſt in fide; ergo firmitas fidei Eccleſiæ eſt ab infallibilitate Papæ, ſine quo fides Eccleſiæ non eſt firma.

Confir. 2. eodem ſenſu, & modo datus eſt Petro principatus, & claves Eccleſiæ, quo ipſe reſpondit, & confeſſus eſt divinitatem Chriſti, dicens, *Tu es Chriſtus filius Dei.* Sed hoc confeſſus eſt nomine omnium, in quibus tunc tota Eccleſia conſiſtebat, ſc. in ipſo, &

cæ-

cæteris Apoſtolis præſentibus; ergo &c. prob. min. nam Chriſtus interrogat illos ſolos, & non exteros, qui diverſe de ipſo errabant, dicentes eum eſſe aut *Joannem, aut Jeremiam*, &c. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Reſpondet pro omnibus Petrus, *Tu es Chriſtus* &c. ergo ut caput, & ut repræſentans totam Eccleſiam accipit plenitudinem poteſtatis.

Confirmatur 3. ex Auguſtino, [1] qui ſicut in Juda putat omnes malos fuiſſe repræſentatos, ita & in Petro omnes bonos. *Non unus eſt Judas, unus malus; corpus malorum ſignificat, quomodo Petrus corpus bonorum;* imo corpus Eccleſiæ. Nam ſi in Petro non eſſet Eccleſiæ *ſacramentum, non ei diceret Dominus, tibi dabo claves .... quæcumque ligaveris .... ſi hoc Petro tantùm dictum eſt; non facit hoc Eccleſia,* (ſc. non ligat, nec ſolvit infallibiliter) *ſi autem in Eccleſia ſicut quæ in terra ligantur, in cœlo ligantur .... Petrus, quando claves accepit, Eccleſiam ſignificavit;* ergo Eccleſia in Petro, & per Petrum, ſeu Papam habet poteſtatem clavium ſcientiæ, & juriſdictionis, & non ſine ipſo.

Idem colligitur ex eodem dicente, [2] *inconſutilis eſt* (veſtis Eccleſiæ) *ne aliquando diſſuatur, & ad unum pervenit, ut in uno colligantur omnes, ſicut in Apoſtolis, cùm eſſet etiam ipſe numerus duodecim, id eſt quadripartitus inter eos, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit.... & ei dicitur, tibi dabo claves.... tanquam ligandi, & ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem .... ideò unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus.* Scicut ergo Chriſtus reſponſum fidei a ſolo Petro datum immediate confirmavit, non expectata aliorum confeſſione, aut aſſenſu; ita hodie ſolius Papæ, ut Petri ſucceſſoris reſponſa confirmat Deus, non expectata aliorum membrorum Eccleſiæ ſententia. Quia quæ in his caſibus reſpondet ſucceſſor, & ſedes Petri, *caro & ſanguis non revelavit, ſed pater cæleſtis* ex qua revelatione reſponſa habent totam firmitatem, non autem ab ullo conſenſu humano. Certe conſenſus Eccleſię eſt quidem ſignum aliquod firmitatis eorum, quaſi a poſteriori, ſed non eſt cauſa ejus a priori.

Idem colligitur ex Chryſoſt. [3] *Petrus omnium Apo-*

[1] *tr.50.Jo.* [2] *tr.118.Jo.* [3] *ho.55.Matth.*

Apoſtolorum es vertex conſortii totius . . . . . . cum omnes interrogati eſſent , ipſe ſolus reſpondit . . . . quando Chriſtus de ſententia vulgi petebat , omnes reſponderunt (ſc. ſinguli , quæ audierant , narrabant) *cum verò de ſua eos rogaret* (ſententia) *Petrus confeſtim proſilivit , ac præveniens ait , tu es Chriſtus* , &c. ergo Petrus , ut os , & caput totius Eccleſiæ reſpondet , ac definit quæſtionem non expectato ullius aſſenſu . Et alibi Petrum vocat , [1] *Apoſtolorum Doctorem , firmam fidei petram , ſenilis Eccleſiæ ſapientiam* , &c. Idem eſt de aliis patribus .

Prob.3. ex ipſorum conciliorum declaratione ; nam ferè omnia ſupremam Papæ auctoritatem agnoſcunt verbis , aut factis , ut cùm non niſi ejus auctoritate congregata ſunt , aut illi ſua decreta ſubmiſerunt , aut eorum decreta quædam caſſata , &c. Lege Epiſtolam Concilii Chalcedonenſis ad S. Leonem : *Rogamus igitur , & tuis decretis noſtrum honora judicium , & ſicut nos capiti in bonis adjecimus conſonantiam , ſic & ſummitas tua filiis , quod decet , adimpleat .* Si patres illi ſe credidiſſent ſuperiores , & infallibiliores , aut decretorum ejus approbatores , quomodo rogaſſent ſuorum judiciorum confirmationem per ejus decreta ? De talibus exemplis habes volumina integra .

Quoad 2. de Conciliorum correctione , & caſſatione patet ex facto Concilii Ariminenſis , Epheſini II. & Conſtantinop. an. 574. ubi cultus SS. Imaginum damnatus fuerat de idololatria , & ſe *magnam ſanctam , & univerſalem Synodum* jactabat , & tamen à Stephano Papa reprobatum eſt , & ſic de aliis .

Prob. 3. quia plura Concilia voluerunt audire decreta Pontificis Romani , antequam aliquid definirent circa quæſtiones , ut ſeſe illis conformarent ; ergo tantùm abeſt , ut ſe eſſe ſupra Papam prætenderint , vel ſe habere jus decreta illius reformandi , quin potiùs ſuperioritatem ejus , & infallibilitatem agnoverunt . Prob. ant. ex Concil. Chalcedon. ubi poſt lectionem fidei Nicænæ lecta eſt Epiſtola Leonis per legatos ejus , & poſt lectionem omnes clamaverunt , *hæc patrum fides , omnes ita credimus : Petrus per Leonem ita locutus eſt* , &c. In Conſtantinop.

[1] *ſer. de SS. Pe. & Paulo.*

nop. III. cum legati Agathonis legiſſent decretum e-
jus contra Monothelitas, acclamaverunt omnes, & definitionem receperunt, ut oraculum *à Petro prolatum*, *& ab antiſtite univerſalis Eccleſiæ*, ut a fidei petra, ut à ſummo Apoſtolorum vertice, & ut divinitus præſcriptum, & ſic de aliis, ut refert ſæpe citatus Cardinalis de Laurea.

Prob. 4. ex variis titulis, ſub quibus Papa ab univerſali Eccleſia decoratur. 1. ex titulo *magiſtri*, & *Doctoris*, qui non debet doceri, vel argui, aut reformari à diſcipulis. 2. *principis*, & judicis ſupremi, cujus deciſiones, & judicia non patiuntur appellationes. 3. *Epiſcopi Apoſtolici*, vel *Sedis Apoſtolicæ*. Nam Apoſtolorum decreta, ſeu pronuntiata non erant reformabilia, obligabant ſtatim omnes ad credendum. Dixerat illis Chriſtus, *docete omnes gentes, qui vobis non crediderit, condemnabitur*. 4. Papam Concilia vocant *Apoſtolicum vas Catholicum*, *Tubam Euangelii*, *præconem juſtitiæ*, &c. His, & ſimilibus titulis pleni ſunt SS. Canones etiam Conciliorum; ergo decreta Papæ non ſunt ab eis reformabilia.

Prob. 5. quia cum rara, & difficillima ſit Conciliorum adunatio, incertæ, & indeciſæ manerent innumeræ quæſtiones graviſſimæ, quæ quotidiè ſuſcitantur contra fidem, quod eſt magnum inconveniens, & ſic Deus non videretur ſufficienter providiſſe Eccleſiæ ſuæ, quod impium eſt imaginari; ergo dicendum eſt, Papæ definitiones eſſe de ſe certas, & independenter ab approbatione Eccleſiæ, ſeu Conciliorum; ſed potiùs decreta iſtorum approbanda eſſe ab ipſo Papa.

Objic. 1. decreta Conciliorum non ſtatim recepta ſunt univerſaliter ab Eccleſia, etiam confirmata à Papa, niſi conſentientibus fidelibus; ergo idem eſt à fortiori de Papæ decretis. Prob. ant. de decreto Aniceti, Pii, & Victoris circa celebrationem Paſchæ, quod Aſiatici celebrabant more judaico; nam S. Polycarpus S. Joannis diſcipulus ad hoc venit Romam, nec potuit adduci ad deſerendum morem illum. Idem eſt de decretis Vigilii, quæ occidentales diù admittere noluerunt. Denique plura decreta Concilii Trident. quantumvis confirmata, nondum ab omnibus acceptantur; nec tamen renuentes ſubjiciuntur anathemati, nec dicuntur peccare; ergo &c.

Reſp.

Reſp. diſt. ant. non ſunt recepta ex aliquali conſenſu Eccleſiæ, vel tolerantia, vel ex errore, aut ignorantia, vel illicitè, con. licitè, & ſine peccato, neg. ant. 1. 2. & conſ. 3. nam qui non ſtatim paruerunt, fortè aliqui hoc fecerunt ex ignorantia, vel errore putantes, ſc. ſe adhuc non obligari, & talis erat S. Polycarpus, credens ritum celebrandi Paſcha præſcriptum eſſe à S. Joanne, & ideò Anicetus tolerabat eum, ſicut & alios Coepiſcopos in illo uſu, donec Victor id poſtea prohibuit ſub Anathemate, & tunc omnes paruerunt. Occidentales pariter credebant decretum Vigilii præjudicare Concilio Chalcedonenſi, & ideò detrectarunt obedire, donec ſub Gregorio I. veritatem agnoverunt. Ad Tridentinum dico, quoad omnia, quæ concernunt fidem, eſſe ubique obſervatum, non autem quoad ea, quæ concernunt diſciplinæ exterioris reformationem; an autem licitè id fiat, non eſt meum dicere hìc, ubi ſufficit nobis de decretis fidei reſpondere.

Objic. 2. S. Cyprianus non acceptavit decretum Stephani Papæ de non rebaptizandis baptizatis ab hæreticis, nec tamen habebatur ut hæreticus; ſed non excuſaretur ab hęreſi ex defectu acceptationis talis decreti, niſi hæc acceptatio eſſet neceſſaria ad valorem ejus; ergo decreta Papæ, ut obligent, debent acceptari.

Reſp. neg. min. non enim excuſatur Cyprianus ab hæreſi ob defectum acceptationis, ſed quia Stephanus ab initio id non jubebat, ut definitum, nec ut articulum fidei, ſed ut merum præceptum; ſaltem ita putabatur, ut ſæpè contingit. Cyprianus autem non reſiſtebat præcepto, ſed rationi, quam præ ſe ferebat decretum. Nam Papa allegabat traditiones, quas dicebat Canonicas, & in Eccleſia receptas, Cyprianus verò traditiones ſuæ propriæ Eccleſiæ; ſed tandem veritate comperta obedivit, & meruit martyrio coronari.

Quæſtio præcipuè procedit de definitionibus dogmaticis, & circa credenda ex neceſſitate fidei, & ſalutis, non autem de agibilibus, & in materia diſciplinæ exterioris. Nam in his fortè Papa, nec Concilia non intendunt ita graviter obligare, ſicut in credendis. Quanta enim videmus contraria, & minùs neceſſaria in moribus aliquarum nationum, & in juribus

bus aliquorum Regnorum? Quod fortè contingit de decretis reformationis circa diſciplinam exteriorem in Gallia. Sed de hoc nihil ad nos.

QUÆSTIO VIII.

An ſit de fide Romanum Pontificem pro tempore regnantem eſſe verum Papam.

NOn ſufficit ſcire, & credere, quòd in Eccleſia militante ſit aliqua regula infallibilis fidei, cujus eſt proponere fidelibus, quæ credenda ſunt, & quòd illa infallibilitas eſt in Pontifice Romano loquente ex cathedra, & ut doctore, ac paſtore univerſali; adhuc requiritur, ut certi ſimus, quis ille ſit, ſeu, an ille, à quo emanant decreta fidei, ſit verè Papa? Nam dum ille dubius erit, dubitabitur etiam de veritate, & infallibilitate decreti, & de veritate propoſitionis definitæ.

Queritur ergo, quonam actu credere debeamus hunc numero hominem, v.g. Innocentium XII. hodie regnantem, eſſe verum Papam? An ex fide, itaut qui non crederet, cenſeretur hæreticus? An ut veritatem Theologicam ſequentem ex una præmiſſa de fide, & altera ex lumine tantum naturali nota.

Suppono, ut certum, & de fide credendum, neceſſarium eſſe in Eccleſia Papam, ſeu hominem, qui ſit caput ejus viſibile, & vicarius Chriſti. Id definitum eſt in Concilio Conſtantienſi contra Huſſitas: *Sc. non poſſe regi Eccleſiam ſine Papa*. Et, *ideò Papæ officium ſemper fuiſſe in Eccleſia, & ab ejus initio*. Quippe eadem certitudine, qua creditur dari Eccleſiam in terris, debemus credere dari in ea hominem, qui ſit caput ejus, alioqui eſſet corpus truncum, & ſine capite. Idem conſtat ex aliis conciliis, ut Chalcedonenſi, & Florentino. Et ex Scriptura; *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et, *paſce oves meas.* Et id verum eſt de ſucceſſoribus ejuſdem Petri. Reſtat videndum, quis ſit iſte.

CONCLUSIO.

PRobabilius eſt credendum eſſe ex fide, quod hic numero homo canonicè electus, & ab Eccleſia com- *mu-*

muniter recepius, & pacifice illam regens, eſt verus Papa, Vicarius Chriſti, & Petri ſucceſſor.

Prob. 1. ex Concilio Conſtantienſi cit. in quo Martinus V. ſtatuit, ut ille, qui vult redire ab hæreſi ad fidem, profiteatur *ſe credere, quod Papa canonice electus, qui pro tempore electus fuerit, ejus proprio nomine expreſſo, ſit ſucceſſor B. Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia*. Idem ſtatuit profitendum ab omnibus promovendis ad doctoratum, & ad dignitates Eccleſiaſticas. Et patet ex SS. Conſtitutionibus noſtris Urbanis, in forma profeſſionis fidei, a miniſtris generalibus, & provincialibus emittenda; ergo hunc eſſe Papam credimus ex fide, ſicut & alios articulos ejuſdem formulæ.

Prob. 2. credendum eſt ex fide, quod tota Eccleſia Romana ſic credit; ſed tota Eccleſia Romana credit ex fide Innocentium XII. eſſe legitime electum, & verum Papam, & ita eſt de quovis ſimiliter electo, & regnante; ergo &c. Min. patet ex præcedenti.

Prob. 3. & confir. præcedens argum. ſi enim in his circumſtantiis dubitaretur de legitimitate Papæ hujus, & ſic de aliis, dubitaretur etiam de legitimitate omnium conciliorum, & ſic de veritate omnium definitionum, & decretorum Eccleſiæ; ſed conſ. eſt abſurdum, & contra omnes Catholicos; ergo &c. Prob. maj. ut decreta conciliorum faciant rem de fide credendam, debent eſſe, & credi legitima; ſed Concilia non poſſunt eſſe, nec credi legitima, niſi ſint legitime congregata, & confirmata; nec legitime congregata, & confirmata ſunt, niſi a legitimo, & vero Papa; ergo ſi iſte Papa eſſet dubius in particulari, ita & legitimitas, & decreta omnium Conciliorum &c. Patet maj. nam ut credamus vera eſſe ſcripta in Evangelio Lucæ, v. g. debemus credere, quod Evangelium, quod nobis proponitur ſub nomine Lucæ, eſt vere ſcriptum a Luca, & quod iſte vere fuit ſcriptor Canonicus. Min. etiam patet ex dictis.

Confir. ex illis Conciliis, quæ, ut vidimus, pro veris Pontificibus eos agnoverunt; qui tunc præerant, & quorum convocationem, & confirmationem expetiverant, vel acceptarunt, & paruerunt; ergo &c.

Confir. 2. ex praxi Eccleſiæ, quæ non ſolum agno-

ſcit

ſcit papam pro tempore ſedentem, ſed etiam ejus de-creta, & definitiones recipit ut firmas; ſed hæc non faceret, ſi dubitaret de ejus legitimitate; ergo &c.

Confir. 3. nam quod Eccleſia generaliter credit, debet illi eſse revelatum a Deo; alioquin Eccleſia univerſalis erraret, & Chriſti promiſſio non eſſet vera, *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*.

Prob. deniq; niſi eſſet de fide, quod papa regnans, v.g. Innocentius, eſt verus papa, & Petri ſucceſſor, caput, & paſtor Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius, non eſſet de fide, quod Petri ſucceſſor, caput, & paſtor Eccleſiæ ſit verus papa, nec quod aliquis ſit verus papa; ſed conſ. eſt falſum & hæreticum; ergo &c. Prob. maj. verus paſtor, & caput Eccleſiæ eſt aliquis homo determinatus, & ſingularis exiſtens in Eccleſia, non autem vagus, & indeterminatus; ergo ſi nullus in ſingulari, & determinatus, v. g. ſi Innocentius XII. non eſt verus papa in particulari, nullus erit in Eccleſia.

Objic. 1. Nihil eſt credendum ex fide divina, niſi ſit revelatum in generali, vel particulari, vel formaliter, & explicite, vel virtualiter, & implicite; ſed neutrum dici poteſt de hoc papa Innocentio, & ſic de aliis; ergo non tenemur credere ex fide, quod iſte in particulari ſit papa. Prob. min. quia nullibi conſtat de tali ulla revelatione; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. quia continetur in his oraculis: *Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis*. Et, *tu es Petrus* &c. Et, *portæ inferi non prævalebunt* &c. Nam ex his infertur, quod non errat, cum agnoſcit Innocentium XII. ut legitimum ſuum caput, & verum papam: ſi enim in hoc erraret, poſſet errare in omnibus aliis, ut dicebamus, & non ſciret ſe habere caput, & paſtorem verum, nec ſufficienter dirigeretur a Spiritu S. in re ſummi momenti; & ſic Deus non ſtaret promiſſis, neque Chriſtus ipſe &c. Quæ omnia ſunt contra fidem.

Inſt. Theologi communiter docent Deum nihil revelare corpori Eccleſiæ niſi in capite: nam Spiritus Sanctus eſt *ſicut unguentum in capite* &c. ſed hunc hominem eſſe verum caput Eccleſiæ, non revelatur per Papam: nam prius eſt hunc eſſe papam, quam aliquid illi revelari ut papæ; ergo nulla revelatio docet hunc eſſe papam.

Reſp.

Reſp.diſt.maj. quando exiſtit legitime electus,& eſt in ſede, con. ante electionem canonicam, neg. maj. nam, ut Eccleſia in Concilio, vel conclavi repræſentata rite eligat, dirigitur a Spiritu S. in quo congregatur, & ipſe aſtat in medio, juxta promiſſum ſuum, quod maxime verum eſt, quando Concilia congregantur tempore ſchiſmatis, ut determinent, quis ſit verus papa, vel ut eligant, ut contigit in Concilio Conſtantienſi.

Inſt.2.ut credam Innocentium XII. eſſe verum papam, debeo credere illum eſſe vere baptizatum,& ordinatum; alioqui non eſſet eligibilis; ſed neutrum poteſt certo ſciri,aut credi; ergo &c. Prob. min. non poteſt credi,niſi reveletur aliquo modo; ſed nulli,nec ullo modo id revelatur; ergo &c.Prob. min.cui enim, & quomodo, & quando revelatum eſt?

Reſp.neg. utramque min. & ad ant. dico,quod hoc ipſo, quod Deus permittit illum rite eligi, & ut legitime electum agnoſci ab Eccleſia, virtualiter revelat eum eſſe legitimum, & habere omnia requiſita in vero Papa, quæcumque illa ſint.

Objic.2.concluſioTheologica non eſt objectum fidei Theologicæ; ſed,quod Innocentius ſit verus Papa, eſt ſolum concluſio Theologica; ergo non eſt de fide. Maj.patet ex Logica. Prob. min. hæc propoſitio non colligitur ex duabus premiſſis revelatis, ſed tantum ex iſtis: omnis homo rite electus, & agnitus ab Eccleſia in papam eſt vere talis: ſed Innocentius XII. talis eſt; ergo &c. Major eſt quidem revelata, & de fide, non autem minor, eſt enim res puri facti, & nullibi revelata; ergo &c.

Reſp.1.diſt.1.maj. concluſio Theologica contingenter ſe habens ad præmiſſas, con. neceſſario ſequens ex præmiſſis,neg.maj.alioqui vix poſſet dici aliquam propoſitionem eſſe de fide, niſi eſſet immediate revelata; nam ipſa exiſtentia revelationis eſt res facti: v. g. definitio, & legitimitas Conciliorum ſunt res facti, &c.

Reſp.2.& melius,neg.min.1.& diſt.2.nam hoc ipſo, quod hæc propoſitio, *hic homo fuit rite electus*, creditur a tota Ecelefia, habetur pro revelata, ſaltem virtualiter,& implicite, ſeu tacite, quatenus Deus permittit eam credi a tota Eccleſia; nam id non permit-

quotidie accidant, ideo decet divinam providentiam, ut non permittat iſtum errorem.

Dixi autem, *probabilius*. Nam multi graves Theologi putant hanc propoſitionem eſſe tantum veram Theologice, non autem de fide: & rationes eorum ſunt ſatis apparentes.

QUÆSTIO IX.

An Papa, vel Eccleſia poſſit errare in rebus facti? v. g. in canonizatione ſanctorum.

HÆc quæſtio nuper evaſit famoſa occaſione cenſuræ propoſitionum Cornelii Janſenii, quas quia damnavit Papa, ut aſſertas, & extractas ex libro dicti Authoris, & in ſenſu, quo eas poſuit, & quæ ſunt circumſtantiæ facti, & contingentes, quidam conſulere volentes famæ ejus, ſuppoſuerunt illas propoſitiones non eſſe Janſenii, & dubitarunt, an Papa potuerit definire tales propoſitiones eſſe Janſenii: quia non putant Papam eſſe infallibilem in definitione rerum facti; propterea

Diſtingui ſolent quæſtiones *juris*, & *facti*. 1. dicitur ea, in qua quæritur de aliqua propoſitione, an ſit in ſe vera, aut falſa: 2. in qua quæritur, an illa exiſtat in ſcriptis, aut dictis alicujus authoris, vel de mente, & ſenſu verborum illius. Ut cum quæritur, an illæ quinque propoſitiones damnatæ ab Innocentio X. reperiantur in libro dicti Janſenii; an ab eo dictæ fuerint in ſenſu, in quo damnatæ ſunt: & ſic, an recte dixerit Papa, illas eſſe hæreticas in ſenſu ab authore intento; nam cum aliqua propoſitio patitur plures ſenſus, potuit author intendere bonum, aut malum ſenſum, & difficile videtur definire certo, utrum intenderit; quidquid ſit de caſu, & cauſa Janſenii; quærimus, an poſſit definiri, quod ſenſus hereticus alicujus propoſitionis fuerit intentus ab ejus authore.

Ob eandem rationem dubitatur de Canonizatione Sanctorum, in qua declaratur B. Petrum eſſe in numero Sanctorum in Cœlo, & ut talem poſſe publice coli, & invocari, & talem credere debeamus ex fide.

Porro Canonizatio eſt publicum Eccleſiæ Apoſtolicæ judicium, & teſtimonium de vera gloria, & ſanctitate alicujus hominis defuncti; & quo judicio decernuntur illi in tota Eccleſia honores debiti iis, qui regnant feliciter in Cœlo. Beatificatio vero dicitur conceſſio Apoſtolica facta alicui provinciæ, aut Religioni, ut poſſit aliquis defunctus vocari beatus, & aliquo cultu publico honorari, & hæc eſt via ad canonizationem, ſoletque illam præcedere.

Dico, *Eccleſiæ Apoſtolicæ*. Nam licet olim Eccleſiæ particulares, & Epiſcopi canonizarent, & beatificarent, & ſic canonizati, & beatificati in eorum Provinciis, & diœceſibus colerentur; hoc tamen hodie ſoli Romanæ Eccleſiæ, & ſummo ejus paſtori eſt reſervatum.

Horum autem decretorum ſcopus eſt: 1. ut ſervorum Dei memoria celebretur: 2. ut martyrum, & piorum virorum exempla fidelibus proponantur imitanda: 3. ut videant fideles, quos invocare poſſint in ſuis neceſſitatibus, ut advocatos apud Deum, & ſibi faciant propitios, quos ſciunt eſſe amicos Dei, & illi aſſidentes.

CONCLUSIO I.

Eccleſia, ſeu Papa eſt infallibilis in rebus juris, & facti, quas ut credendas proponit: v. g. cum declarat aliquem ſenſum alicujus propoſitionis, vel authorem ejus eſſe hæreticum, ita ut fideles teneantur id credere. Eſt communis inter Theologos recentiores. Apud antiquos vero non reperitur diſputatum, quod viderim.

Prob. 1. ex Scriptura, qua conſtat Apoſtolos ita damnaſſe plures; ut cum D. Paulus ſcribit ad Timotheum: (1) *quidam naufragarunt circa fidem, ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander, quos* tradidi ſatanæ. Et Joannes laudat Epiſcopum Epheſinum, quia, inquit, (2) *odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*. Nam in utroque textu eſt damnatio tam doctrinæ, ſeu *juris*, quam *facti*, & *perſonarum*: ita ut credere debeamus tam doctrinam Hymenæi, & Alexandri, & Nicolaitarum, quam ipſoſmet hæreticos fuiſſe. Sed

[1] 1. *Tim.* 1. [2] *Apoc.* 6.

Sed Eccleſia etiam hodie habet eandem auctoritatem; ergo tam poteſt infallibiliter definire jus, & factum.

Prob. 2. ex perpetua praxi, & uſu Eccleſiæ, quæ ordinarie damnat errores, & hæreſes cum ipſis hæreticis, ut in Nicæno I. damnatur error, quo dicitur, *filius Dei factus ex nihilo* &c. Et illi, qui hoc dicebant, ut Ariani. In Conſtantinop. I. *ſtatuerunt patres*. ... *Anathematizari omnem hæreſim, ſpecialiter Eunomianorum, ſeu Eudoxiorum, Arianorum* &c. ſcilicet damnantur hæreſes; & hæretici, nec minus credere debemus Arium, & Eunomium fuiſſe hæreticos, quam illas doctrinas eſſe hæreticas. Et in Epheſino: (1) *Sic credimus anathematizantes omnes hæreſes, & Arii, & Eunomii, & Neſtorii, & illos, qui dicunt carnem Chriſti fuiſſe e Cœlo*. Et quia Theodorus nolebat dicere Anathema Neſtorio, id facere jubetur, vel ipſemet habebitur hæreticus; ergo cenſuit de fide eſſe non ſolum errare eos, qui hæc dicebant, ſed etiam Neſtorium hæc dixiſse, & hæreticum eſſe. ſic in Conſtantinop. II. (2) *ſi quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium* .... *& alios omnes hæreticos, qui condemnati ſunt:* & ſic de aliis, quos vide apud Lauream, ſicut & dogmaticas definitiones SS. Pontificum, in quibus non diſtinxerunt inter res juris, & facti.

Confir. ex Concil. Conſtantienſi, ubi Martinus V. jubet, ut Catholici profiteantur ſe credere, quod *condemnationes Joannis Hus, Wicleff, & Hieronymi de Praga factæ de perſonis, eorum libris, & documentis per Concilium generale, fuerint rite, & juſte factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ*. Denique fere ſemper cum erroribus condemnantur eorum authores, nec diſtinguuntur quæſtiones juris a quæſtionibus facti; ſed utramque ſimul definiunt a fidelibus credendam.

Prob. 3. Quia non magis limitatur divina veracitas, nec Spiritus Sancti aſſiſtentia in rebus facti, quam juris; plenæ ſunt Scripturæ utriuſque teſtamenti revelationibus rerum facti, & maxime libri hiſtoriales, & Evangelia; ergo quando determinatio facti habet connexionem cum jure, ſeu cum doctrinis, tum Spi-

[1] *Seſſ. 1. act. 4.* [2] *collat. 2. d. 6. a. n. 241. & d. 5. n. 5.*

ritus S. aſſiſtit Eccleſiæ, ut utramque definiat infallibiliter.

Dices, facta nota ſunt naturali evidentia; ergo non ſunt objecta fidei: nam hæc debent eſse obſcura.

Contra; cum facta connexa ſunt cum jure, non minus integrant objecta fidei, licet ipſa ſint naturaliter nota: v. g. Cœlum exiſtere notum eſt evidentia naturali, & tamen de fide eſt Cœlum fuiſse creatum. Quia creatio Cœli eſt revelatio obſcura. Sic licet nomina Neſtorii, Arii, & aliorum hæreticorum non ſint explicite revelata, non minus credendi ſunt hæretici, & hæc revelata ſunt implicite, cum dicitur, [1] *pſeudoChriſti, & pſeudoPropheta*. [2] Et, *erunt in vobis magiſtri, exurgent mendaces, qui introducent ſectas perditionis* &c. [3] Et, *erit tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt* &c. [4] Et, *oportet hæreſes eſſe &c.*

Confir. quoad declarationem ſenſuum, non enim minus neceſsaria eſt infallibilitas, & aſſiſtentia Spiritus S. ut in obſcuris, & ęquivocis diſcernatur verus ſenſus a falſo, & qualis intenditur a loquente, quam ut habeatur alia ulla veritas doctrinæ; ergo tam Deus providit Eccleſiæ unam infallibilitatem, quam aliam; ergo Papa, & Eccleſia tam certo definit ſenſum verum a falſo, quam ullas alias veritates. Prob.ant.hęc propoſitio, *pater major me eſt*, in ſenſu intento per Chriſtum eſt veriſſima, quia ibi loquitur de patre ſuo, comparative ad ſuam humanitatem; & in ſenſu Arii eſt heretica, quia hic hereſiarcha illam intelligit de patre comparative ad perſonam Chriſti, quę eſt ipſa perſona verbi, in qua eſt ęqualis patri; ergo verus ſenſus propoſitionum obſcurarum, vel ęquivocarum tam neceſsario debet diſcerni a falſo, quam alia ulla veritas.

Confir.2. ex facto Pii V. & Gregorii XIII. in cauſa Baii, cujus 75. propoſitiones damnatę ſunt; nam decreta illa ſic concludunt, *quamquam nonnullæ* (propoſitiones) *aliquo pacto ſuſtineri poſſint; in rigore tamen, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, ut hæreticas . . . damnamus* &c. ergo &c.

Objic.1. Hec propoſitio, hec doctrina Baii, *vel in ſenſu Baii eſt hæretica* continens iſtas duas, *Hæc doctrina eſt Baii*. Et 2. *hæc doctrina eſt hæretica*: & 1. eſt

eſt facti: & 2. eſt juris. In 1. aſseritur, quod Baius hoc dixit: in 2. quod hoc dictum hæreticum eſt; ſed 1. illa pars non eſt de objecto fidei, ſed ſola 2. ergo decreta Eccleſiæ, vel Papæ in rebus facti non ſunt infallibilia, nec de fide. Prob. min. nam illa 1. pars non eſt revelata, nec ejus aſsenſus, vel determinatio fundatur in revelatione, ſed in evidentia facti per lecturam ſcriptorum, vel auditionem ſenſibilem verborum ejus; ergo non eſt de objecto fidei.

Reſp. diſt. min. non eſt de objecto fidei ſeorſim ab alia, con. conjunctim cum 2. p. neg. min. & conſ. prob. nam ambæ ſimul faciunt unicam propoſitionem, in qua vox *doctrina*, eſt ſubjectum idem quoad utramque partem; nomen Baii eſt connotatum ejuſdem prædicati, & vox *hæretica*, quæ eſt prædicatum, cadit in utrumque ſimul, ſcilicet in doctrinam, & Bajum; ſed directe in doctrinam, & indirecte in Baium, & ſic tota ſimul eſt de fide, & ut talis eſt definita.

Objic. 2. Si decretum determinaret de ſenſu auctoris, eſset de re dubia; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. nam illæ propoſitiones, quæ damnantur, ſunt æquivocæ, & tam potuerunt dici in bono, quam malo ſenſu, ut in iſta, *Chriſtus eſt minor patre*, id dicerem in ſenſu Chriſti, æque ac in ſenſu Arii, & nulla revelatione conſtat me loqui in uno magis, quam in alio; ergo decreta in rebus facti ſunt de rebus dubiis.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. 1. quia ex antecedentibus, & conſequentibus ſatis apparet, in quo ſenſu hæc dicantur: 2. quia Deus ſpecialiter aſſiſtit Eccleſiæ, ne in his erret magis, quam in aliis, quando id res exigunt, & cum damnentur ſemper propoſitiones in ſenſu malo, quem habent, vel habere poſſunt: ita & authores earum, quatenus eas docent in malo ſenſu. Ideo concomitanter damnantur cum propoſitionibus.

Inſt. Papa non ita definit niſi ex relatione Theologorum, & aſſiſtentium ſuorum, quibus committit examen doctrinarum; ſed iſti poſſunt errare ex ignorantia, vel malitia, & pravo in authores affectu; ergo & Papa.

Reſp. neg. maj. licet enim Papa non definiat niſi poſt examen, non tamen ex pura, & ſola relatione Theologorum ſe determinat, ſed principaliter ex afflatu

Spiritus Sancti, ut ſemper ſolet proteſtari in ſuis decretis.

Hinc ergo fit, ut cum Papa ex Cathedra judicat aliquem, ut hæreticum, talis omnino eſt credendus, ut patet ex allatis exemplis de Concilio Conſtantienſi in Jo.Hus,& Wicleff,& Hieronymo de Praga,& aliis.

CONCLUSIO II.

P*Apa errare non poteſt in canonizatione ſanctorum*. Eſt communis contra Wicleff, Calviniſtas, & Lutheranos.

Prob. 1. ex Conciliis; nam definiunt ſanctos eſſe colendos, & eos, qui contradicunt, damnant ut hæreticos; ergo de fide eſt eos agnoſcendos eſſe ſanctos, quos tales declarat; alioqui male juberentur coli. Prob. ant. nam inquit Concilium VI. unuſquiſque Chriſtianus *ſolo Deo adorato, invocat ſanctos, ut pro ſe intercedere dignentur*. Et Concil. VII. *cum timore omnia agamus poſtulantes interceſſiones incontaminatæ Deiparæ, SS. Angelorum, omniumque Sanctorum*. Et Chalced. *Flavianus poſt mortem vivus martyr pro nobis oret*. Et Cabilon. I. de S. Vincentio, & Senonenſe: (1) *Sancti ſunt honorandi, & eorum feſta celebranda, & contrarium dicens eſt hæreticus*. Et Trident. (2) *eos qui negant ſanctos æterna felicitate fruentes in cœlo invocandos eſse .... damnat ut hæreticos*; ergo Concilia cenſent, de fide eſſe, eos, qui declarantur ſancti, ut fit per canonizationem, eſſe vere ſanctos, alioqui non dicerent eos eſſe colendos, quia nullus in particulari deberet coli, quia incertum eſſet de omnibus in particulari, an deberent credi ſancti.

Prob. 2. ex profeſſione fidei, quam exigit Eccleſia ab Epiſcopis, Prælatis, & Doctoribus, & aliis promotis ad dignitates Eccleſiaſticas; *profiteor*, inquiunt, *ſanctos, una cum Chriſto regnantes venerandos* &c. Et talis eſt praxis Eccleſiæ ab initio uſque nunc, ut præſcribat illos, quos ſanctos declarat eſse colendos, ut patet ex bullis canonizationum.

Idem docent SS. Patres, & Pontifices omnes, quos longum eſset recenſere. Vide controverſiſtas, & præ-

[1] *cap.* 13. [2] *Seſſ.* 25. *de invoca. vit.*

præcipue Concilium [illegible] cultu, & [illegible]

Prob. [illegible] miter credendum [illegible] ipſo, quæ [illegible] ſequens [illegible] nullum [illegible] errores; [illegible] poſſet præcipere [illegible] aut cultum.

Confirmatur [illegible] Deum [illegible] fidei, [illegible] gulis morum, [illegible] quos [illegible] in eis [illegible] tam fidei, quam [illegible] Deus [illegible]

Confirmatur [illegible] rat, quod [illegible] jus ductum N. [illegible] adſcribendum, [illegible] &c.

Objic. 1. Quidquid [illegible] definitum, [illegible] ſed hunc hominem [illegible] tur revelatum [illegible] tali revelatione, [illegible] omnia neceſſaria [illegible] juxta illud Cardi. [illegible] (2) *docebit vos omnem veritatem*, &c.

Reſp. neg. [illegible] tione divina ex [illegible] quæ Deus manifeſtat [illegible] exterius, & per internas [illegible] bus illuminavit caput [illegible] cernit. Nam, inquit S. Auguſt. [illegible] *vel per occultas revelationes, [illegible] monitiones; ſive per [illegible] fraternas ſermocinationes*. [illegible] [4] noſter, Deus promiſit [illegible]

[1] *d.6.s.n.6.* [2] [illegible]
[3] 1.*Trin.*3. [4] [illegible]

ſcit papam pro tempore ſedentem, ſed etiam ejus decreta, & definitiones recipit ut firmas; ſed hæc non faceret, ſi dubitaret de ejus legitimitate; ergo &c.

Confir.3. nam quod Eccleſia generaliter credit, debet illi eſſe revelatum a Deo; alioquin Eccleſia univerſalis erraret, & Chriſti promiſſio non eſſet vera, *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*.

Prob. deniq; niſi eſſet de fide, quod papa regnans, v.g. Innocentius, eſt verus papa, & Petri ſucceſſor, caput, & paſtor Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius, non eſſet de fide, quod Petri ſucceſſor, caput, & paſtor Eccleſiæ ſit verus papa, nec quod aliquis ſit verus papa; ſed conſ. eſt falſum & hæreticum; ergo &c. Prob. maj. verus paſtor, & caput Eccleſiæ eſt aliquis homo determinatus, & ſingularis exiſtens in Eccleſia, non autem vagus, & indeterminatus; ergo ſi nullus in ſingulari, & determinatus, v. g. ſi Innocentius XII. non eſt verus papa in particulari, nullus erit in Eccleſia.

Objic. 1. Nihil eſt credendum ex fide divina, niſi ſit revelatum in generali, vel particulari, vel formaliter, & explicite, vel virtualiter, & implicite; ſed neutrum dici poteſt de hoc papa Innocentio, & ſic de aliis; ergo non tenemur credere ex fide, quod iſte in particulari ſit papa. Prob. min. quia nullibi conſtat de tali ulla revelatione; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. quia continetur in his oraculis: *Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis*. Et, *tu es Petrus* &c. Et, *portæ inferi non prævalebunt* &c. Nam ex his infertur, quod non errat, cum agnoſcit Innocentium XII. ut legitimum ſuum caput, & verum papam: ſi enim in hoc erraret, poſſet errare in omnibus aliis, ut dicebamus, & non ſciret ſe habere caput, & paſtorem verum, nec ſufficienter dirigeretur a Spiritu S. in re ſummi momenti; & ſic Deus non ſtaret promiſſis, neque Chriſtus ipſe &c. Quæ omnia ſunt contra fidem.

Inſt. Theologi communiter docent Deum nihil revelare corpori Eccleſiæ niſi in capite: nam Spiritus Sanctus eſt *ſicut unguentum in capite* &c. ſed hunc hominem eſſe verum caput Eccleſiæ, non revelatur per Papam: nam prius eſt hunc eſſe papam, quam aliquid illi revelari ut papæ; ergo nulla revelatio docet hunc eſſe papam.

Reſp.

Reſp.diſt.maj. quando exiſtit legitime electus,& eſt in ſede, con. ante electionem canonicam, neg. maj. nam, ut Eccleſia in Concilio, vel conclavi repræſentata rite eligat, dirigitur a Spiritu S. in quo congregatur, & ipſe aſtat in medio, juxta promiſſum ſuum, quod maxime verum eſt, quando Concilia congregantur tempore ſchiſmatis, ut determinent, quis ſit verus papa, vel ut eligant, ut contigit in Concilio Conſtantienſi.

Inſt.2.ut credam Innocentium XII. eſſe verum papam, debeo credere illum eſſe vere baptizatum,& ordinatum; alioqui non eſſet eligibilis; ſed neutrum poteſt certo ſciri,aut credi; ergo &c. Prob. min. non poteſt credi,niſi reveletur aliquo modo; ſed nulli,nec ullo modo id revelatur; ergo &c.Prob. min.cui enim, & quomodo, & quando revelatum eſt?

Reſp.neg. utramque min. & ad ant. dico,quod hoc ipſo, quod Deus permittit illum rite eligi, & ut legitime electum agnoſci ab Eccleſia, virtualiter revelat eum eſſe legitimum, & habere omnia requiſita in vero Papa, quæcumque illa ſint.

Objic.2.concluſioTheologica non eſt objectum fidei Theologicæ; ſed,quod Innocentius ſit verus Papa, eſt ſolum concluſio Theologica; ergo non eſt de fide. Maj.patet ex Logica. Prob. min. hæc propoſitio non colligitur ex duabus premiſſis revelatis, ſed tantum ex iſtis: omnis homo rite electus, & agnitus ab Eccleſia in papam eſt vere talis: ſed Innocentius XII. talis eſt; ergo &c. Major eſt quidem revelata, & de fide, non autem minor, eſt enim res puri facti, & nullibi revelata; ergo &c.

Reſp.1.diſt.1.maj. concluſio Theologica contingenter ſe habens ad præmiſsas, con. neceſsario ſequens ex præmiſſis,neg.maj.alioqui vix poſset dici aliquam propoſitionem eſse de fide, niſi eſset immediate revelata; nam ipſa exiſtentia revelationis eſt res facti: v. g. definitio, & legitimitas Conciliorum ſunt res facti, &c.

Reſp.2.& melius,neg.min.1.& diſt.2.nam hoc ipſo, quod hæc propoſitio, *hic homo fuit rite electus*, creditur a tota Ecceleſia, habetur pro revelata, ſaltem virtualiter,& implicite, ſeu tacite, quatenus Deus permittit eam credi a tota Eccleſia; nam id non permit-

quotidie accidant, ideo decet divinam providentiam, ut non permittat iſtum errorem.

Dixi autem, *probabilius*. Nam multi graves Theologi putant hanc propoſitionem eſſe tantum veram Theologice, non autem de fide: & rationes eorum ſunt ſatis apparentes.

QUÆSTIO IX.

An Papa, vel Eccleſia poſſit errare in rebus facti? v. g. in canonizatione ſanctorum.

HÆc quæſtio nuper evaſit famoſa occaſione cenſuræ propoſitionum Cornelii Janſenii, quas quia damnavit Papa, ut aſſertas, & extractas ex libro dicti Authoris, & in ſenſu, quo eas poſuit, & quæ ſunt circumſtantiæ facti, & contingentes, quidam conſulere volentes famæ ejus, ſuppoſuerunt illas propoſitiones non eſſe Janſenii, & dubitarunt, an Papa potuerit definire tales propoſitiones eſſe Janſenii: quia non putant Papam eſſe infallibilem in definitione rerum facti; propterea

Diſtingui ſolent quæſtiones *juris*, & *facti*. 1. dicitur ea, in qua quæritur de aliqua propoſitione, an ſit in ſe vera, aut falſa: 2. in qua quæritur, an illa exiſtat in ſcriptis, aut dictis alicujus authoris, vel de mente, & ſenſu verborum illius. Ut cum quæritur, an illæ quinque propoſitiones damnatæ ab Innocentio X. reperiantur in libro dicti Janſenii; an ab eo dictæ fuerint in ſenſu, in quo damnatæ ſunt: & ſic, an recte dixerit Papa, illas eſſe hæreticas in ſenſu ab authore intento; nam cum aliqua propoſitio patitur plures ſenſus, potuit author intendere bonum, aut malum ſenſum, & difficile videtur definire certo, utrum intenderit; quidquid ſit de caſu, & cauſa Janſenii; quærimus, an poſſit definiri, quod ſenſus hereticus alicujus propoſitionis fuerit intentus ab ejus authore.

Ob eandem rationem dubitatur de Canonizatione Sanctorum, in qua declaratur B. Petrum eſſe in numero Sanctorum in Cœlo, & ut talem poſſe publice coli, & invocari, & talem credere debeamus ex fide.

Porro Canonizatio eſt publicum Eccleſiæ Apoſtolicæ judicium, & teſtimonium de vera gloria, & ſanctitate alicujus hominis defuncti; & quo judicio decernuntur illi in tota Eccleſia honores debiti iis, qui regnant feliciter in Cœlo. Beatificatio vero dicitur conceſſio Apoſtolica facta alicui provinciæ, aut Religioni, ut poſſit aliquis defunctus vocari beatus, & aliquo cultu publico honorari, & hæc eſt via ad canonizationem, ſoletque illam præcedere.

Dico, *Eccleſiæ Apoſtolicæ*. Nam licet olim Eccleſiæ particulares, & Epiſcopi canonizarent, & beatificarent, & ſic canonizati, & beatificati in eorum Provinciis, & diœceſibus colerentur; hoc tamen hodie ſoli Romanæ Eccleſiæ, & ſummo ejus paſtori eſt reſervatum.

Horum autem decretorum ſcopus eſt: 1. ut ſervorum Dei memoria celebretur: 2. ut martyrum, & piorum virorum exempla fidelibus proponantur imitanda: 3. ut videant fideles, quos invocare poſſint in ſuis neceſſitatibus, ut advocatos apud Deum, & ſibi faciant propitios, quos ſciunt eſſe amicos Dei, & illi aſſidentes.

CONCLUSIO I.

Eccleſia, ſeu Papa eſt infallibilis in rebus juris, & facti, quas ut credendas proponit: v. g. cum declarat aliquem ſenſum alicujus propoſitionis, vel authorem ejus eſſe hæreticum, itaut fideles teneantur id credere. Eſt communis inter Theologos recentiores. Apud antiquos vero non reperitur diſputatum, quod viderim.

Prob. 1. ex Scriptura, qua conſtat Apoſtolos ita damnaſſe plures; ut cum D. Paulus ſcribit ad Timotheum: (1) *quidam naufragarunt circa fidem, ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander, quos* tradidi ſatanæ. Et Joannes laudat Epiſcopum Epheſinum, quia, inquit, (2) *odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*. Nam in utroque textu eſt damnatio tam doctrinæ, ſeu *juris*, quam *facti*, & *perſonarum*: ita ut credere debeamus tam doctrinam Hymenæi, & Alexandri, & Nicolaitarum, quam ipſoſmet hæreticos fuiſſe.

Sed

[1] 1. *Tim.* 1. [2] *Apoc.* 6.

Sed Eccleſia etiam hodie habet eandem auctoritatem; ergo tam poteſt infallibiliter definire jus, & factum.

Prob. 2. ex perpetua praxi, & uſu Eccleſiæ, quæ ordinarie damnat errores, & hæreſes cum ipſis hæreticis, ut in Nicæno I. damnatur error, quo dicitur, *filius Dei factus ex nihilo* &c. Et illi, qui hoc dicebant, ut Ariani. In Conſtantinop. I. *ſtatuerunt patres....* *Anathematizari omnem hæreſim, ſpecialiter Eunomianorum, ſeu Eudoxiorum, Arianorum* &c. ſcilicet damnantur hæreſes, & hæretici, nec minus credere debemus Arium, & Eunomium fuiſſe hæreticos, quam illas doctrinas eſſe hæreticas. Et in Epheſino: (1) *Sic credimus anathematizantes omnes hæreſes, & Arii, & Eunomii, & Neſtorii, & illos, qui dicunt carnem Chriſti fuiſſe e Cœlo*. Et quia Theodorus nolebat dicere Anathema Neſtorio, id facere jubetur, vel ipſemet habebitur hæreticus; ergo cenſuit de fide eſſe non ſolum errare eos, qui hæc dicebant, ſed etiam Neſtorium hæc dixiſse, & hæreticum eſſe. ſic in Conſtantinop. II. (2) *ſi quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium.... & alios omnes hæreticos, qui condemnati ſunt:* & ſic de aliis, quos vide apud Lauream, ſicut & dogmaticas definitiones SS. Pontificum, in quibus non diſtinxerunt inter res juris, & facti.

Confir. ex Concil. Conſtantienſi, ubi Martinus V. jubet, ut Catholici profiteantur ſe credere, quod *condemnationes Joannis Hus, Wicleff, & Hieronymi de Praga facta de perſonis, eorum libris, & documentis per Concilium generale, fuerint rite, & juſte factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ*. Denique fere ſemper cum erroribus condemnantur eorum authores, nec diſtinguuntur quæſtiones juris a quæſtionibus facti; ſed utramque ſimul definiunt a fidelibus credendam.

Prob. 3. Quia non magis limitatur divina veracitas, nec Spiritus Sancti aſſiſtentia in rebus facti, quam juris; plenæ ſunt Scripturæ utriuſque teſtamenti revelationibus rerum facti, & maxime libri hiſtoriales, & Evangelia; ergo quando determinatio facti habet connexionem cum jure, ſeu cum doctrinis, tum Spi-

[1] *Seſſ. 1. act. 4.* [2] *collat. 2. d. 6. a. n. 241. & d. 5. n. 5.*

ritus S. aſſiſtit Eccleſiæ, ut utramque definiat infallibiliter.

Dices, facta nota ſunt naturali evidentia; ergo non ſunt objecta fidei: nam hæc debent eſse obſcura.

Contra; cum facta connexa ſunt cum jure, non minus integrant objecta fidei, licet ipſa ſint naturaliter nota: v. g. Cœlum exiſtere notum eſt evidentia naturali, & tamen de fide eſt Cœlum fuiſse creatum. Quia creatio Cœli eſt revelatio obſcura. Sic licet nomina Neſtorii, Arii, & aliorum hæreticorum non ſint explicite revelata, non minus credendi ſunt hæretici, & hæc revelata ſunt implicite, cum dicitur, [1] *pſeudoChriſti, & pſeudoProphetæ*. [2] Et, *erunt in vobis magiſtri, exurgent mendaces, qui introducent ſectas perditionis* &c. [3] Et, *erit tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt* &c. [4] Et, *oportet hæreſes eſſe &c.*

Confir. quoad declarationem ſenſuum, non enim minus neceſsaria eſt infallibilitas, & aſſiſtentia Spiritus S. ut in obſcuris, & ęquivocis diſcernatur verus ſenſus a falſo, & qualis intenditur a loquente, quam ut habeatur alia ulla veritas doctrinæ; ergo tam Deus providit Eccleſiæ unam infallibilitatem, quam aliam; ergo Papa, & Eccleſia tam certo definit ſenſum verum a falſo, quam ullas alias veritates. Prob.ant.hęc propoſitio, *pater major me eſt*, in ſenſu intento per Chriſtum eſt veriſſima, quia ibi loquitur de patre ſuo, comparative ad ſuam humanitatem; & in ſenſu Arii eſt heretica, quia hic hereſiarcha illam intelligit de patre comparative ad perſonam Chriſti, quę eſt ipſa perſona verbi, in qua eſt ęqualis patri; ergo verus ſenſus propoſitionum obſcurarum, vel ęquivocarum tam neceſsario debet diſcerni a falſo, quam alia ulla veritas.

Confir.2. ex facto Pii V. & Gregorii XIII. in cauſa Baii, cujus 75. propoſitiones damnatę ſunt; nam decreta illa ſic concludunt, *quamquam nonnullæ* (propoſitiones) *aliquo pacto ſuſtineri poſſint; in rigore tamen, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, ut hæreticas . . . damnamus* &c. ergo &c.

Objic.1. Hec propoſitio, hęc doctrina Baii, *vel in ſenſu Baii eſt hæretica* continens iſtas duas, *Hæc doctrina eſt Baii*. Et 2. *hæc doctrina eſt hæretica*: & 1. eſt

eſt facti: & 2. eſt juris. In 1. aſſeritur, quod Baius hoc dixit: in 2. quod hoc dictum hæreticum eſt; ſed 1. illa pars non eſt de objecto fidei, ſed ſola 2. ergo decreta Eccleſiæ, vel Papæ in rebus facti non ſunt infallibilia, nec de fide. Prob. min. nam illa 1. pars non eſt revelata, nec ejus aſſenſus, vel determinatio fundatur in revelatione, ſed in evidentia facti per lecturam ſcriptorum, vel auditionem ſenſibilem verborum ejus; ergo non eſt de objecto fidei.

Reſp. diſt. min. non eſt de objecto fidei ſeorſim ab alia, con. conjunctim cum 2. p. neg. min. & conſ. prob. nam ambæ ſimul faciunt unicam propoſitionem, in qua vox *doctrina*, eſt ſubjectum idem quoad utramque partem; nomen Baii eſt connotatum ejuſdem prædicati, & vox *hæretica*, quæ eſt prædicatum, cadit in utrumque ſimul, ſcilicet in doctrinam, & Bajum; ſed directe in doctrinam, & indirecte in Baium, & ſic tota ſimul eſt de fide, & ut talis eſt definita.

Objic. 2. Si decretum determinaret de ſenſu auctoris, eſſet de re dubia; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. nam illæ propoſitiones, quæ damnantur, ſunt æquivocæ, & tam potuerunt dici in bono, quam malo ſenſu, ut in iſta, *Chriſtus eſt minor patre*; id dicerem in ſenſu Chriſti, æque ac in ſenſu Arii, & nulla revelatione conſtat me loqui in uno magis, quam in alio; ergo decreta in rebus facti ſunt de rebus dubiis.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. 1. quia ex antecedentibus, & conſequentibus ſatis apparet, in quo ſenſu hæc dicantur: 2. quia Deus ſpecialiter aſſiſtit Eccleſiæ, ne in his erret magis, quam in aliis, quando id res exigunt, & cum damnentur ſemper propoſitiones in ſenſu malo, quem habent, vel habere poſſunt: ita & authores earum, quatenus eas docent in malo ſenſu. Ideo concomitanter damnantur cum propoſitionibus.

Inſt. Papa non ita definit niſi ex relatione Theologorum, & aſſiſtentium ſuorum, quibus committit examen doctrinarum; ſed iſti poſſunt errare ex ignorantia, vel malitia, & pravo in authores affectu; ergo & Papa.

Reſp. neg. maj. licet enim Papa non definiat niſi poſt examen, non tamen ex pura, & ſola relatione Theologorum ſe determinat, ſed principaliter ex afflatu

Spiritus Sancti, ut ſemper ſolet proteſtari in ſuis decretis.

Hinc ergo fit, ut cum Papa ex Cathedra judicat aliquem, ut hæreticum, talis omnino eſt credendus, ut patet ex allatis exemplis de Concilio Conſtantienſi in Jo. Hus, & Wicleff, & Hieronymo de Praga, & aliis.

CONCLUSIO II.

P*Apa errare non poteſt in canonizatione ſanctorum*. Eſt communis contra Wicleff, Calviniſtas, & Lutheranos.

Prob. 1. ex Conciliis; nam definiunt ſanctos eſſe colendos, & eos, qui contradicunt, damnant ut hæreticos; ergo de fide eſt eos agnoſcendos eſſe ſanctos, quos tales declarat; alioqui male juberentur coli. Prob. ant. nam inquit Concilium VI. unuſquiſque Chriſtianus *ſolo Deo adorato, invocat ſanctos, ut pro ſe intercedere dignentur*. Et Concil. VII. *cum timore omnia agamus poſtulantes intercesſiones incontaminatæ Deiparæ, SS. Angelorum, omniumque Sanctorum*. Et Chalced. *Flavianus poſt mortem vivus martyr pro nobis oret*. Et Cabilon. I. de S. Vincentio, & Senonenſe: (1) *Sancti ſunt honorandi, & eorum feſta celebranda, & contrarium dicens eſt hæreticus*. Et Trident. (2) *eos qui negant ſanctos æterna felicitate fruentes in cœlo invocandos eſſe .... damnat ut hæreticos*; ergo Concilia cenſent, de fide eſſe, eos, qui declarantur ſancti, ut fit per canonizationem, eſſe vere ſanctos, alioqui non dicerent eos eſſe colendos, quia nullus in particulari deberet coli, quia incertum eſſet de omnibus in particulari, an deberent credi ſancti.

Prob. 2. ex profesſione fidei, quam exigit Eccleſia ab Epiſcopis, Prælatis, & Doctoribus, & aliis promotis ad dignitates Eccleſiaſticas; *profiteor*, inquiunt, *ſanctos, una cum Chriſto regnantes venerandos* &c. Et talis eſt praxis Eccleſiæ ab initio uſque nunc, ut præſcribat illos, quos ſanctos declarat eſſe colendos, ut patet ex bullis canonizationum.

Idem docent SS. Patres, & Pontifices omnes, quos longum eſſet recenſere. Vide controverſiſtas, & præ-

[1] *cap.* 13. [2] *Seſſ.* 25. *de invoca. vit.*

præcipue Cardinalem de Laurea. (1) De illorum cultu, & invocatione dicemus in tr. de incarnatione.

Prob. denique, non enim ſolum pie, ſed etiam firmiter credendum eſt aliquem eſse vere ſanctum hoc ipſo, quod Eccleſia eum talem declarat, & per conſequens illam in his errare non poſse; alioqui ſicut nullum in particulari poſsemus colere ſine formidine erroris; ita omnibus poſsemus negare cultum; nec poſset præcipere Eccleſia ullius feſti celebrationem, aut cultum.

Confirmatur, nam eadem certitudine,qua credimus Deum aſſiſtere Eccleſiæ, ne erret in definiendis rebus fidei, debemus etiam credere, quod illi aſſiſtit in regulis morum, & maxime religionis: ſed quod illi, quos illa canonizat, ſint vere ſancti, & quod Deus ſit in eis colendus, eſt res maximi momenti in materia tam fidei, quam religionis, & morum; ergo tam Deus illi in his decretis aſſiſtit, quam in aliis.

Confirmatur hoc, nam in his decretis Papa declarat, quod ſequens Dei voluntatem, & luminis ejus ductum N. ſanctum eſse, ac ſanctorum catalogo adſcribendum, fideliter, & firmiter decernit; ergo &c.

Objic. 1. Quidquid creditur de fide, & infallibiliter definitum, debet eſse revelatum ſaltem virtualiter; ſed hunc hominem eſse ſanctum, nullo modo reperitur revelatum; ergo &c. Prob. min. nullibi conſtat de tali revelatione, nec dantur novæ revelationes: quia omnia neceſsaria ad fidem revelata ſunt Apoſtolis; juxta illud Chriſti de Spiritu S. *docebit vos omnia*. Et (2) *docebit vos omnem veritatem*, &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. nam conſtat de revelatione divina ex virtutum operibus, ex miraculis, per quæ Deus manifeſtat talium hominum ſanctitatem exterius, & per internas revelationes confirmat, quibus illuminavit caput viſibile Eccleſię ſuæ,cum ſic decernit. Nam, inquit S. Auguſt. [3] Deus hæc *revelat vel per occultas revelationes, inſpirationes, atque admonitiones; ſive per manifeſta eloquia ſua, ſive per fraternas ſermocinationes*. Et ut loquitur Lyranus [4] noſter, Deus promiſit Eccleſiæ, *vobiſcum ſum*

 uſque

[1] *d.6.a.n.6.* [2] *Jo.* 14.
[3] 1.*Trin.*3. [4] *Matth.ult.*

uſque ad conſumationem ſæculi; *ſc. aſſiſtit Eccleſiæ*, *ſemper ipſam dirigendo per occultos inſtinctus Spiritus S. ut ſic non deficiat* (in ea) fides Petri, igitur quæcumque tractu temporum definiuntur in Eccleſia, fuerunt revelata Apoſtolis implicite, vel explicite, ut diximus. Sanctitas autem, & glorificatio ſanctorum reperitur revelata in promiſſionibus generalibus gloriæ, pro ſingulis operibus virtutum; v. g. humilitatis, dicens, *Beati pauperes ſpiritu*, &c. *Quicumque humiliaverit ſe*, &c. aut miſericordiæ; *beati miſericordes*, &c. Et ſic de aliis, &c. Unde qui poſt exactiſſimas inquiſitiones cum aſſiſtentia divini luminis reperiuntur floruiſſe ſanctitate talium virtutum, declarantur re vera ſancti, quæ declarationes fundantur in talibus revelationibus.

Confir. ex Bullis canonizationum, in quibus ſic loquitur papa, *de ipſius ſanctitate tantis certificati miraculis, divinumque ſecuti judicium, per quod ejus glorificatio nobis tam evidentibus innotuit argumentis* &c. Ut loquitur Honorius III. [1] & Xyſtus IV. [2] in ſancto Bonaventura, *nos Dei nutum, & voluntatem ſequentes*, &c.

Inſt. ut aliquid implicite, & virtualiter fiat objectum fidei, debet inferri neceſſario, & evidenter ex revelatione formali a viro docto per legitimam conſequentiam; ſed hoc non occurrit in caſu canonizationis; ergo &c. Prob. min. nam, quod quis ſancte vixerit, colligitur per miracula in ejus ſanctitatis teſtimonium facta; ſed hæc ſunt res facti, & contingenter ſe habent ad ſanctitatem oſtendendam; nec ſequitur ex principiis generalibus fidei per ullam conſequentiam neceſſariam; ergo &c.

Reſpondeo neg. min. nam hoc ipſo, quod Deus dixit, *beati mundo corde*, v. g. & *a fructibus eorum cognoſcetis eos*; *non enim poteſt arbor mala bonos fructus facere*; & quod Deus per miracula per talem hominem facta id teſtatur de illo, ſequitur neceſſario neceſſitate conſequentiæ, & evidentiæ, quod ille eſt ſanctus.

Reſp. 2. neg. maj. abſolute; nam licet cum aliqua obſcuritate unius præmiſſarum inferatur conſequentia de ſanctitate *Antonii* v. g. adhuc revelatio interna

[1] *conſtit.* 7. [2] *conſtit.* 21.

terna Dei facta Papæ, dum definit eum eſſe ſanctum, ſufficeret ad fidei firmitatem, ſuppoſita certitudine talis aſſiſtentiæ divinæ ex promiſſione pariter infallibili ejuſdem Dei.

Objic. 2. decreta canonizationis alicujus nituntur teſtimoniis humanis, non autem revelatione divina: ſed illa teſtimonia non faciunt fidem Theologicam; ergo nec illa decreta. Prob. maj. nam Papa novit Antonium ſic vixiſſe, aut feciſſe talia miracula, vel ex viſu proprio, vel ex auditu, ex informationibus factis per deputatos commiſſarios, & iſti hæc norunt ex populorum relatione; ſed hæc media non faciunt fidem Theologicam, nec ſunt infallibilia; ergo &c.

Reſpondeo diſt. utramque maj. nituntur teſtimoniis humanis remotè, & diſpoſitivè, con. proximè,& principaliter, neg. maj. nam rumor, & opinio, & relationes hominum de ſanctitate ſervorum Dei, atque opera virtutum, & miracula, quæ publicantur, & concurſus populorum ſunt quidem motiva Eccleſiæ ad exactiùs inquirendum de illorum vita, & geſtis; & teſtimonia, quæ colliguntur de illorum virtutibus, & miraculis, multùm juvant ad inducendum Papam cum ſuo Concilio, ut decernat illis honores ſanctitatis; ſed proximum, ac principale motivum determinans ad canonizationem eſt voluntas divina, quam agnoſcit per ſpeciales inſpirationes, quas obtinet à Deo juxta promiſſiones aſſiſtendi ſibi, ne portæ inferi prævaleant adverſus Eccleſiam; ut de facto prævalerent, ſi talem aſſiſtentiam non concederet.

Objicies 3. Papa non dicitur infallibilis, niſi in his quæ ſpectant neceſſario ad fidem, & mores Eccleſiæ univerſalis: Sed quod Petrus v. g. vel Paulus ſit ſanctus, non ſic ſpectat ad univerſam Eccleſiam; ergo in his non eſt infallibilis. Prob. min. nam plurimi canonizati a pluribus ignorantur: & olim canonizatio fiebat etiam ab Epiſcopis, qui non dicuntur infallibiles; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. & min. neceſſariò ſaltem ſecundum quid, con. maj. & neg. min. neceſſario ſimpliciter, & abſolutè tantû, neg. maj. & conſ. quod ſancti agnoſcantur, & honorentur, non eſt quidem neceſſarium Ec-

cleſiæ univerſali ſimpliciter, & abſolutè, ſed eſt utiliſſimum, & ſic neceſſarium ſaltem ſecundum quid: 1. quia in eis honoratur, & colitur Deus. 2. in illis ſibi facit Eccleſia & populis patronos apud Deum. 3. per illos gratias, & auxilia obtinemus. 4. eorum exemplis, & gloria excitamur ad virtutem; *ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat*. Ideò monet ſapiens, [1] *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros*, &c.

Objic. 4. qui non crederet ſanctum aliquem canonizatum eſſe in cœlo, non eſſet hæreticus; ergo canonizatio non facit rem de fide Theologica. Prob. ant. tum quia res eſt purè facti, tum quia D. Thomas dicit, piè credendum eſt, quod nec in his judicium Eccleſiæ poſſit errare; ſed quod piè creditur, non creditur ex debito fidei divinæ; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. 1. prob. quia ille cenſetur contemnere Eccleſiæ auctoritatem in ſuis decretis, & in ſua directione ad viam ſalutis. Et quod ſit res facti, non impedit, quin cadere poſſit ſub objectum fidei, ut patet ex dictis. Ad S. Thomam dico illum fortè per vocem piè intelligere religioſè, & ſic potuiſſe loqui cum multis, qui cenſent, quod canonizatio non facit rem de fide divina credendam, & in hoc liceat nobis ab illo diſſentire.

QUÆSTIO X.

An Eccleſia, vel Papa condere poſſit novos articulos fidei præter illos, qui continentur in ſymbolo Apoſtolorum.

SIc etiam proponitur hæc quæſtio; *an ſucceſſivè, & a tempore Apoſtolorum, creverint objecta materialia fidei*: Vel, *an omnia credenda contineantur in ſymbolo illo*. Imo & examinant hoc aliqui ab initio mundi, an ſc. inter fideles varietas aliqua acciderit in credendis, ſaltem quoad ſubſtantiam. Nomine autem ſymboli fidei intelligo ſummam quandam, in qua colliguntur præcipua fidei capita, & tale ſymbolum triplex dicitur: 1. quod eſt *Apoſtolorum*, quia creditur per Apoſtolos immediatè traditum, & in totidem articulos diſtinctum, quot numerantur Apoſtoli,

[1] *Eccl.* 44.

ſtoli, licet D. Thomas illud dividat in quatuordecim capita. Imò & Scotus [1] illud in 14. ratione contentorum, & in 12. ratione collectorum, ſc. Apoſtolorum. 2. eſt *Conſtantinopolitanum*, ſeu *Nicænum*; quia primo Nicææ fuit editum paulo breviùs; tum Conſtantinopoli, ubi quædam explicatiùs poſita ſunt: v. g. *& in Spiritum ſanctum Dominum*: propter hæreſim Macedonii, qui eum dicebat creaturam filii; ideo ibi addita fuit particula, quæ illius deitatem, & proceſſionem exprimit. Et in Concilio Lugdunenſi, & Florentino additum propter Græcos: *filioque*, & iſtud in Miſſa publicè recitari ſolet. 3. dicitur *Athanaſii*, quia dicitur à S. illo Præſule conſcriptum; non quidem juridicè, quaſi illud univerſæ Eccleſiæ proponeret credendum, ſed ut Romanum Pontificem de ſuæ fidei ſanctitate certificaret. Sed deinde placuit Pontifici illud proponere toti Eccleſiæ recitandum; quia explicatiùs continet myſteria, quæ ſuccinctè magis continentur in aliis. Igitur in his ſymbolis, ut dicebam, præcipua fidei noſtræ capita continentur, ex quibus reliqua omnia, quæ nobis credenda proponit Eccleſia, eruuntur.

Porro. Jam notavimus quædam contineri in ſcripturis (idem eſt de ſymbolis) implicitè, & virtualiter, ſeu obſcurè; quædam clarè, explicitè, & formalibus verbis, quæ ſtatim intelliguntur. Ideo Chriſtus Judæis dicebat, [2] *ſcrutamini ſcripturas, quia ipſæ teſtimonium perhibent de me*; aliæ quidem clarius, aliæ obſcurius ſub figuris, ut cum legitur; [3] *orietur ſtella ex Jacob*, aut, *orietur virga de radice Jeſſe*, & S. Petrus [4] de Paulo dicit, quòd *ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit in omnibus Epiſtolis, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas.* Quod confitetur Auguſtinus. *Sacra ſcripturæ obſcuritas eſt utilis, quia plures ſententias veritatis parit..... Sacra ſcriptura utitur verbis metaphoricis de Deo, ut omnibus conſulat: ut perterreat ſuperbientes, & excitet negligentes, exerceat quærentes, & alat intelligentes.*

Fides ergo explicita eſt, qua credimus ipſū objectū clarè, & diſtinctè apprehenſum. Sic creditur Myſte-

[1] 3.d.25.q.1.n.3. [2] *Jo.*5. [3] *Iſa.*3. [4] 1.*Pe.*3.

rium Trinitatis explicitè, quando dicimus, *credo in unum Deum Patrem, & filium, & Spiritum S. qui ſunt tres perſonæ in una eſſentia*. Implicita verò, qua credimus aliquem articulum, in quo involvuntur plura alia, quæ non apprehendimus diſtinctè, ut cum dico, *Credo in Deum infinitum*. Nam ſub illa infinitate continentur omnia attributa, & tres perſonæ, & omnes perfectiones poſſibiles, licet nullam in particulari apprehendam præter infinitatem.

Illa autem implicantia venire poteſt 1. ex parte objecti formalis, ut cùm dico, *credo Trinitatem Dei, quia ipſe dixit, & verax eſt in verbis ſuis*. Sic enim ſequitur me credere omnia, quæ Deus dixit. Sicut in hoc actu, *Deteſtor peccatum mendacii, quia diſplicet Deo;* in hoc actu implicatur odium omnis peccati, quia omne peccatum diſplicet Deo. 2. ex parte objecti materialis, vel quia creduntur plura confusè, & ſub una propoſitione univerſali contenta, licèt illa plura non apprehendantur, ut ſi dico, *Credo, quidquid Deus revelavit credendum*, vel, *quidquid credit Eccleſia Romana*, vel quia una propoſitio explicitè credita habet neceſſariam connexionem cum alia per identitatem, aut ſequelam, licèt iſta non apprehendatur. *Ut credo in Deum infinitum*, nam ſic credo implicitè Trinitatem, omnipotentiam, ſapientiam, &c. quia hæc omnia connectuntur neceſſariò, & indiviſibiliter cum infinitate.

Suppono autem 1. quod tempore Innocentiæ multa Deus revelavit Adamo credenda, quæ ſcripta non ſunt, ſed non omnia ei revelavit, quæ tractu temporis, & poſt peccatum ei revelavit. Ita eſt de Patriarchis toto tempore legis naturæ uſque ad Moyſem. Multa etiam Moyſi a tempore legis ſcriptæ, quæ non dixerat Patriarchis, & multa loquutus eſt per prophetas, quæ non dixerat per Moyſem, & ita ſucceſſivè uſque ad Chriſtum. Quæ tamen omnia ſunt credenda ex fide; quia eandem habent veritatem, & credibilitatem in veracitate Dei. Sic nemo dubitat, quin ſucceſſivè totis illis temporibus per 5229. annos uſque ad Chriſti nativitatem creverint ſucceſſivè objecta fidei.

Suppono 2. quod ex tempore, quo Chriſtus prædicare cepit, uſque ad Aſcenſionem ſucceſſivè, etiam creverunt

verunt revelata, & credenda materialiter, neque enim ſemper eadem, & ſimul omnia credenda, & facienda prædicavit, nequidem Apoſtolis. Nam licet eis dixerit,[1]*omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, ſc. pro nunc dicenda; nam poſtea declaravit eiſdem, *adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ille me clarificabit, & annuntiabit vobis omnia*, &c. ſcilicet vel nova dicendo, quæ ipſe non revelavi explicitè, vel explicando, quæ obſcuriora dixi. Denique acta ipſius Chriſti, quæ narrant Euangeliſtæ, non eodem temporis momento acta, vel ſcripta ſunt, nec credenda fuerunt; ergo à tempore prædicationis Chriſti, & Aſcenſionis ejus, objecta fidei materialia, ſaltem formaliter, & explicitè, creverunt, & quæ dixerat ſub parabolis, clariùs expoſita ſunt.

Suppono 3. quòd ab adventu Spiritus S. & poſt prædicationes, & Epiſtolas Apoſtolorum, etiam plura ſucceſſivè creverunt eodem modo, non enim ſimul, & ſtatim omnia, quæ narrantur de actibus eorum, & quæ credenda ſunt, nec ſimul, nec eodem tempore credenda fuerunt, ſicut nec eodem tempore facta ſunt, ſed ſucceſſive, nec ad credendum obligarunt.

Reſtat videndum, an ab illis ultimis temporibus, in quibus ceſſarunt Apoſtoli prædicare, & ſcribere, creverint illa objecta materialia in Eccleſia, ita ut vel Papa, vel Concilia potuerint, vel poſſint proponere novos aliquos articulos credendos, quos non revelaverit Chriſtus per ſe, vel per Apoſtolos verbo, vel ſcripto, ſaltem implicitè, & quoad ſubſtantiam.

CONCLUSIO.

Eccleſia, vel Papa nullum articulum proponit, vel decernit de novo credendum, qui non contineatur ſaltem implicitè in ſcripturis, vel traditionibus Apoſtolicis. Infallibiliter tamen iſtos proponit, & decernit. Eſt communis quoad utramque partem. Pauci tamen volunt abſolutè, quod novos articulos proponat, &c. & ſic in dies creſcant objecta fidei.

Prob.

[1] *Jo. 15. & 16.*

Prob.1.ex Scoto [1] docente, quod Eccleſia declarando aliquam propoſitionem de fide contra hæreſes inſurgentes non facit illam veram ſua declaratione, ſed erat jam de fide in ſeipſa, & continebatur implicite in revelatis, licet non ſic explicite declarata, nec credenda. *Nam Spiritus S. multa docuit Apoſtolos, quæ non ſunt ſcripta in Evangelio, & illa multa, quædam per ſcripturam, quædam per conſuetudinem tradiderunt*, ſc. ipſi Apoſtoli, & ideo *diverſa ſymbola diverſis temporibus ſunt edita contra diverſas hæreſes de novo orientes*, quia tunc declaranda erat illa veritas, *quæ, etſi prius erat de fide, non tamen erat prius tam declarata, ſicut tunc declaratur contra illum errorem*, &c. ergo ex Scoto, omnia, quæ a tempore Apoſtolorum declarantur credenda, jam tunc erant credenda, & objecta fidei, & implicite continebantur in ſcripturis, & traditionibus, & non fiunt de novo, ſed tantum declarantur credenda per definitiones Eccleſiæ, vel Papæ.

Prob.2.ex Script.nam Chriſtus promittit Apoſtolis: [2] *Spiritus S. docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis;* ſaltem quoad ſubſtantialia fidei, & explicite, vel implicite, & virtualiter; ergo ſubſtantialia omnia ad fidem pertinentia, & neceſſaria habentur revelata Apoſtolis, & iſti ea nobis tradiderunt, *ſive libris ſcriptis, ſive ſine ſcripto, traditionibus, quæ ab ipſo Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, ab ipſis Apoſtolis, Spiritu S. dictante, quaſi per manus tradita ad nos uſque pervenerunt*, ait Concilium Trident.

Prob.3.ex praxi Eccleſiæ, quæ definitiones ſuas omnes quæſtionum de novo emergentium eruit ex oraculis ſcripturæ, & traditionum Apoſtolicarum, quas attente ſcrutatur, antequam decernat quidquam: ſed fruſtra ſcrutaretur, niſi putaret omnes veritates in eis contineri; ergo omnia credenda in eis continentur, nec aliud facit, quam explicare juxta verum ſenſum, ſecundum quem illæ veritates in illis continentur.

Confir. non enim probabile eſt Deum voluiſſe, ut aliqua veritas neceſſaria lateret eos, quos primos, & uni-

[1] 1.*diſt.*11.*quæſt.*1.*D.n.*5.
[2] *Jo.*16.*v.*13. *SS.*4.*de ſcript.*

univerſales magiſtros, & miniſtros Eccleſiæ ſuæ deſtinabat. Alioqui non tam vere Doctrina tota Eccleſiæ diceretur Apoſtolica, nec Chriſtiana, quia non haberemus eam ab Apoſtolis, nec a Chriſto.

Prob.2.p.experientia, qua quotidie publicantur nova decreta fidei, tum ex Conciliis, tum a Papa, quibus decretis damnantur plures errores in fide, & aſtruuntur veritates oppoſitæ, & magis explicatur fides: Et quidem ex ſcripturis ab hæreticis male intellectis; ergo &c. prob. ant. ex Concil. Trid. in quo tot novæ, aut renovatæ hæreſes profligantur, & veritates oppoſitæ definiuntur credendæ, & maxime in rebus facti, ut in Canonizatione Sanctorum, & quod Papa pro tempore exiſtens ſit verus Chriſti Vicarius, ſucceſſor Petri, caput viſibile Eccleſiæ, & quod Concilium aliquod ſit legitimum, &c.

Objic. 1. con.1. p. Nullibi in ſcripturis, vel traditionibus, ne quidem implicite, legitur Innocentium XII. eſſe verum Papam: nec Concilium Trident.fuiſſe legitimum, nec S. Paſchalem nuper Canonizatum eſſe vere ſanctum, & ſic de aliis. Sed hæc, & ſimilia ſunt novi articuli fidei; ergo objecta fidei creſcunt, &c.

Reſpond. diſt. maj. Nullibi explicite, & formaliter, con. implicite, & virtualiter, neg. maj. & conſeq. nam ſufficit, quod hæ & ſimiles veritates colligantur ex ſcripturis, & traditionibus per legitimas, & neceſſarias conſequentias, & ex principiis generalibus fidei, quæ in eis traduntur, ut dictum eſt.

Objic. 2. Non poteſt negari in Papa, vel Eccleſia poteſtas ſtatuendi decreta nova fidei; ergo & de facto ſtatuunt aliqua; nam fruſtra eſſet potentia illa, ſi non reduceretur ad actum aliquando, nec recte diceretur regula fidei.

Reſp. diſt.ant.poteſtas ſtatuendi explicando verum ſenſum ex ſcripturis, vel traditionibus, & in caſibus particularibus, vel ſi fiant in eis novæ revelationes, con. abſolute, & pronuntiando nova oracula, ſeu veritates, quæ non ſic contineantur in revelatis, neg. ant. Non repugnat quidem Deum revelare Papæ, & per illum ex cathedra loquentem novas veritates, ſed non ita fit, ſaltem regulariter, & de via ordinaria.

Suſ-

Sufficit, quod poſſit ex regulis generalibus ſcriptis,aut traditis definire, quæ occurrunt declaranda, & definienda ex illis fontibus.

Conſtat igitur quædam objecta fidei, quæ in ſcripturis, & traditionibus Apoſtolicis latebant obſcurius, fuiſſe ex illis fontibus explicata, qualia ſunt plura, quæ pendent ab effectibus contingentibus, quorum applicatio tempore Apoſtolorum erat futura, & poſtea fuit præſens, ut convocatio Conciliorum, & Papæ electiones, & canonizationes Sanctorum, &c.

Quæres, *an fides ſit eadem materialiter hodie, quæ fuit ab initio mundi, aut ſaltem a tempore Apoſtolorum*.Dico,*materialiter*,nam *formaliter* non poteſt eſſe diverſa; ſemper omnis fides nititur eodem formali motivo, ſc. veritati Dei revelantis, ſed materiæ, ſeu objecta revelata poſſunt eſſe diverſa.

Reſp. quod poteſt aliquo ſenſu dici eadem, ſc. quoad ſubſtantialia, & aliquo ſenſu diverſa, ſc. accidentaliter, quoad articulos explicitos, & formales.

Ratio 1.p.eſt, quia in omnibus viatoribus fuit ſemper eadem fides, ſicut & eadem Eccleſia ſubſtantialiter; eadem ſanctitas; tendentia ad eundem finem; dependentia ab eodem redemptore; ſed identitas horum omnium fundatur in unitate fidei; nam in iſta fundatur Eccleſia, ex ea eſt initium ſanctitatis, & ſalutis, & per eam nobis applicantur merita redemptoris; ergo &c.

Id longe verius eſt in nova Eccleſia fundata per Chriſtum,& Apoſtolos,& de fide per ipſos prædicata.

Confir. nam tota fides explicata ab initio mundi uſque in præſens fundatur in his duobus principiis. 1. quod *Deus eſt*, & 2. quod *remunerator eſt*: ergo quoad ſubſtantiam fuit ſemper eadem, ſcilic. in ſuis principiis materialibus. Prob.ant. nam omnia revelata pertinent ad Deum, ut in ſe exiſtentem, ut quod ſit unus in eſſentia, & trinus in perſonis, æternus, omnipotens, &c. Vel ad Deum, ut reſpicientem creaturas, ut quod ſit creator, redemptor, glorificator, & ad media,per quæ providet creaturis ad finem beatitudinis. Sed hæc omnia reducuntur ad illa duo principia; ergo &c.

Ratio 2.p. eſt, quia, ut docet Scotus, ante incarna-

nationem Chriſtus, ſine cuius fide nullus ſalvatur, credebatur ut futurus, ſicut & redemptio: poſt nativitatem ſuam credebatur, ut præſens, & poſt paſſionem redemptio creditur, ut facta. Ante adventum Chriſti erat contingens, & pendebat ex Dei voluntate, & jam neceſſaria eſt, & non poteſt non eſſe; ergo &c.

Confir. nam innumera, quæ ab initio erant involuta in illis duobus principiis, ſucceſſive ſunt explicata, ut patet; ergo quoad hæc fides diverſa eſt.

DISPUTATIO V.

De habitu fidei.

JAm diximus, quod fides eſt habitus ſupernaturalis, & per ſe infuſus, ſed pauca reſtant examinanda circa illum habitum, ut plenius natura fidei percipiatur. Tum deſcendemus ad ejus actus, qui, & quales eſſe debeant, ut ſint recti, in ſequenti diſputatione.

QUÆSTIO I.

An detur habitus fidei, & qualis ſit. An practicus, vel ſpeculativus.

SIcut hæretici negant, quod gratia juſtificans ſit quid intrinſece nobis inhærens, & purificans animam, ſed extrinſeca Dei condonatio, & amor in ipſo ſolo exiſtens, ſic etiam non admittent alios habitus ſupernaturales virtutum, qui pariter nobis inhæreant, & elevent, & ad actus earum eliciendos concurrant effective, ut communiter docent Orthodoxi, & nos probavimus ſupra de virtutibus Theologicis. (1)

Diximus etiam illos habitus concurrere effective, & partialiter ad actus fidei, ſpei, & charitatis cum intellectu, voluntate, non autem dare ſimpliciter credere, ſperare, & amare, ut cauſas totales, quaſi potentiæ illæ nihil agant, ſed ſe habeant mere paſſive, recipiendo in ſe illos actus, ut volunt aliqui, quod erro-

[1] *d.3.q.1.conſ.2.*

roneum cenſuimus, & maxime de gratia actuali.

Reſtat ergo videre de habitu fidei, 1. an ſit virtutis Theologicæ, 2. an ſit practicus, vel ſpeculativus. 3. an diſcurſivus, vel ſimplex. 4. An unus, aut multiplex, &c.

CONCLUSIO I.

Fides eſt prima virtutum, primitate naturæ, non dignitatis. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſic comparat virtutes inter ſe. *Prudentia quodammodo eſt regula aliarum virtutum, ipſa, vel actus ejus præcedit generatione habitum, & actum virtutis moralis .... & hæc prioritas apud philoſophum videtur concludere rationem regulæ, & menſuræ, & in hoc dignitatem; ſed non ſequitur; ergo ſimpliciter dignior*; ergo quem locum tenet prudentia inter virtutes morales, eundem habet fides inter Theologicas. Scilicet proponit agenda circa Deum; ergo ſicut illa eſt prior ordine naturæ, quia prius eſt cognoſcere, quam velle; ita eſt de fide, quia ſicut voluntas non fertur in incognitum; ita prius eſt cognoſcere Deum ſumme bonum per fidem, quam velle illum amare ſumme per charitatem.

Prob. 2. ex Script. & Conciliis; nam D. Paulus primam in ordine adducit fidem, & majoritatem dat charitati. [2] *Major horum eſt charitas*. Et fides ab eodem deſcribitur, [3] *ſperandarum rerum ſubſtantia*; ideſt, *fundamentum*, inquit Gloſſa. Et ex Trident. [5] *fides eſt initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*. Et juſtificandi .... *fidem ex auditu concipientes incipiunt credere*; tum ſperare, & diligere Deum, ſc. gradatim operantur, & diſponuntur ad juſtificationem; ergo ordine naturæ, & generationis fides prima eſt.

Prob. 2. fides poteſt haberi ſine ſpe, & charitate, non iſtę ſine illa; ergo hæc eſt prior illis in ordine eſſendi. Prob. ant. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentē ad Deum*; ergo fides eſt primus gradus, quo aſcendimus ad Deum. Et ut loquitur Sym-

[1] *3. diſt. 33. M. n. 15.*
[2] *1. corinth. 13.* [3] *Hebr. 11.*
[4] *ſ. 6. c. 6.*

Symbolum, *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat fidem*. Et Chriſtus ab iis, qui petebant aliquas gratias, primo exigebat fidem. *Creditis, quia hoc poſſum?* ajebat: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Et denique *in juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia infuſa accipit homo; fidem, ſpem, & charitatem* .... Vides fidem primam eſſe ordine generationis.

Prob.2.p. ex eadem Script. nam 1. *major horum eſt charitas*, inquit Apoſtol. ergo charitas dignitate præcedit fidem. 2. quia charitas eſt ipſa forma juſtificans, ex Concilio Tridentino .... 3. quia hæc eſt *vinculum perfectionis*, & nos unit perfecte Deo, & *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Non ita eſt de fide, quæ manet in peccatore. 4. ex Philoſopho, *quæ ſunt priora generatione, ſunt poſteriora perfectione*; ſed fides eſt prior generatione, ut patet; ergo &c. 5. Quia fides eſt in intellectu, & charitas perficit voluntatem, quæ eſt nobilior potentia, & ideo *videtur habere nobiliorem actum*, inquit Doctor.

Objic.con.1.p. fides non agit niſi ex motu charitatis: non enim credimus niſi ex pio affectu, qui eſt motus charitatis; ergo charitas præcedit fidem natura.

Reſp. neg. ant. & 2. p. prob. nam pius ille affectus, quo primo movemur ad credendum, eſt actus, & effectus gratiæ actualis, non habitualis, nec charitatis.

Objic. 1. cont.2. regulans eſt prior, & dignior regulato; ſed fides eſt regula ſpei, & charitatis; oſtendit enim eis ſperanda, & amanda; & eſt *rerum ſperandarum ſubſtantia*; ergo eſt prior dignitate æque, ac origine.

Reſp. diſt. maj. regula præceptiva, ſeu imperativa, con. maj. & nego min. pure directiva, neg. maj. & conſ. fides enim dirigit quidem oſtendendo ſperanda, & amanda, ſed non imperat, quod eſt munus charitatis, ſcil. imperare ipſimet intellectui, ut ſeſe ſubjiciat fidei obſcuro lumini.

Objic. fides operatur in nobis ſalutem æque, ac charitas; & hæc ſine fide non placet Deo ex Apoſtolo; ergo fides eſt dignior. Prob. ant. ex Scriptur.

ptur. [1] *arbitramur hominem juſtificari per fidem*. Item, *juſtificati gratis ex fide*: Et de Abraham, *qui credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Et denique, *juſtus ex fide vivit*: ergo fides juſtificat, & ſalvat, æque ac charitas.

Reſp. neg. utrumque ant. abſolute, vel ſic diſt. operatur ſalutem initiative, & ut diſpoſitio remota, con. perfecte, & ut diſpoſitio proxima, neg. ant. textus illi intelliguntur de diſpoſitione remotiori, non de proxima, quippe fides ſine operibus *mortua eſt*. Cum dicitur, *juſtus ex fide vivit*, ideſt incipit vivere. Et [2] *Abraham ex operibus juſtificatus eſt*: Ait S. Jacobus.

CONCLUSIO II.

H*Abitus fidei eſt ſimpliciter practicus*.

Prob. 1. ex Scoto. [3] Qui non tantum id docet de tota Theologia, ſed etiam ſpecialiter de fide, *ſcil. quod non ſit habitus ſpeculativus. Nec credere eſt actus ſpeculativus; nec viſio ſequens eſt viſio ſpeculativa, ſed practica*.

Prob. 2. ex eodem: habitus practicus eſt illa cognitio, ſeu facultas intellectiva, quæ ex ſe tendit ad directionem praxis; ſed talis eſt fides, tam habitualis, quam actualis; ergo eſt ſimpliciter practica. Maj. patet ex dictis in prologo de Theologia: prob. min. nam tota fides tendit per ſe ad dirigendam voluntatem in amore, & cultu Dei, qui eſt objectum ejus; nam ut dicebamus ex S. Jacobo: (4) *fides ſine operibus mortua eſt*. Nec aliud intendit quam *ut diligamus Deum in veritate*. Alioqui cognitio ejus nobis eſſet in condemnationem, ſi cognoſcentes Deum, *non ſicut Deum glorificaremus*: denique ſola illa fides nobis prodeſt, *quæ per dilectionem operatur*.

Objic. 1. habitus practicus reſpicit objectum operabile; ſed objectum fidei, ſcil. Deus, non eſt objectum operabile; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quatenus docet operari circa illud, conc. quatenus illud ipſum operatur, & producit in eſſe, neg. maj. & conſ. nam fides docet operari circa

ca

[1] *Rom. 3. & 5.* [2] *Rom. 1.* [3] *Jac. 1.*
[4] *q. 5. prol. O. n. 31. & 41.* [5] *Jac. 2.*

ca Deum per dilectionem, & ſpem, & in hoc conſiſtit vera praxis, & munus habitus practici.

Inſt. fides, qua creditur Deus, & Trinitas, & incarnatio, aliter ſe habet, quam quæ reſpicit præcepta decalogi, & ſacramentorum; ſed quoad hæc reſpicit operabilia, & dicitur practica; ergo quoad illa eſt pure ſpeculativa; ergo eſt partim ſpeculativa.

Reſp. diſt. maj. aliter quoad objectum materiale partiale, & minus principale, con. quoad finem, & operabilitatem, neg.maj. nam fides reſpicit Deum trinum, & præcepta, ut revelata, formaliter, & ſub hac formalitate Deus, & præcepta ſunt objecta fidei; imo nec ipſa præcepta operatur fides, in ſenſu adverſariorum, ſed illa ſupponit exiſtentia per Dei voluntatem, & imperium. Operatur tantum juxta illa, ſicut operatur circa Deum per dilectionem, obedientiam &c.

QUÆSTIO II.

An fides ſit unus habitus, ſeu de unitate fidei.

Objecta credibilia per habitum fidei ſunt multiplicia, ut patet ex dictis; & quia habitus ſumunt unitatem ab objectis, videtur fidem etiam multiplicem eſſe debere, ut inclinet ad aſſenſum circa ſingula tam diverſa. Quippe alia ſunt ſubſtantialia, alia accidentalia, alia neceſſaria, alia contingentia, alia creata, alia increata: omnia tamen in hoc conveniunt, quod ſunt revelata, & ſub hac formalitate reſpiciuntur per fidem, & ſunt quid unum. Item conveniunt omnia in ſuo principio effectivo, qui eſt Deus, & in unitate ſubjecti, in quo reſidet habitus, ſcil. anima, vel intellectus.

Certum eſt autem 1. fidem hanc habere aliquam unitatem, nam dicitur [1] *una fides, & unus ſpiritus, unū baptiſma.* Et ab una fide dicitur eſſe una Eccleſia.

Certum eſt 2. quod habet unitatem ſpecificam ratione omnium fidelium, & in omnibus illis per rationem ſuam intrinſecam, ſecundum quam in eis multiplicatur numerice, ſicut & ipſi ſunt plures nu-

[1] *Epheſ.4.*

numero. Nam in ſe habet eſſentiam ſpecie diſtinctam ab aliis habitibus infuſis, ſcil. ſpe, & charitate: ſola difficultas eſt de unitate, aut multiplicitate, quam habet ab objectis.

Certum eſt 3. Aliam eſſe unitatem, quam habere poteſt habitus fidei in tanta credibilium multitudine, & aliam, quam indidem habent ſcientiæ, quia objecta omnia, quæ tractantur in ſcientiis, ſic continentur in objecto principali, ut ſint vel partes, vel proprietates ejus, ita ut principali perfecte, & diſtincte cognito, facile veniatur in cognitionem omnium aliorum: ideo dicuntur contineri virtualiter in illo principali. Sed non ita eſt de omnibus credibilibus. Nam licet omnia ſint referibilia in Deum aliquo modo, ſcil. ut in cauſam, vel in finem: non ſic tamen connectuntur quantum ad cognoſcibilitatem, quia Deus eſt ens ſumme neceſſarium, & magna pars credibilium eſt de contingentibus. Quam enim connexionem habet peccatum Adæ cum deitate? v. g.

CONCLUSIO.

F*Ides habitualis infuſa eſt una ſpecie atoma reſpectu omnium credibilium formaliter.*

Prob. 1. ex Scoto, nam (1) *teneri poteſt, quod ſit una fides omnium credibilium, quia non reſpicit credibilia ſub propriis rationibus eorum, ſed ut ſunt revelata a Deo, & credit omnia revelata ab ipſo, tanquam vera eſſe ab eodem habitu, quo credit revelantem eſſe veracem*. Et infra; *non poteſt dici, quod fides infuſa habeat unitatem ex objecto primo, ſcil. Deo, quia Deus non movet in ratione objecti ad cognitionem omnium credibilium .... Ideo oportet dicere, quod habeat unitatem ab unitate revelantis omnia credibilia: quia omnia reſpiciuntur a fide ut revelata a Deo; & hæc formalis ratio eſt in omnibus* &c.

Prob. 2. omnis virtus ſpecificatur ab objecto ſuo formali; ſed revelatio divina quatenus verax eſt objectum formale, ſub quo reſpiciuntur omnia credibilia, & eſt una reſpectu omnium, & quidem unitate ſpecifica atoma; ergo & habitus fidei, qui ab hoc

(1) 3.*d*.23.*D*.*n*.5.

hoc habet unitatem. Maj. patet ex dictis de aliis virtutibus, quæ licet reſpiciant idem objectum materiale, ſcilic. bonum honeſtum, tamen ſpecie diſtinguuntur propter diverſitatem rationum formalium, ſub quibus reſpiciunt idem bonum; ergo quia fidei habitus inclinat ad credenda omnia ſua objecta, ſub una, & eadem ratione credibilitatis, ſcil. ut revelata a Deo veraci, ita debet eſſe unus ſpecie. Min. etiam clara eſt, ut patet ex dictis ſupra de obiecto formali fidei. Quod autem iſta unitas ſit atoma, patet, quia illa ratio formalis revelationis, & veracitatis non diverſificatur in ſe, eſt enim ubique, & ſemper eadem veritas infallibilis, & invariabilis; ergo ex hoc capite unitas illa eſt infimæ ſpeciei: nec enim aſſignari poteſt cauſa ulla ulterioris diverſitatis præter numericam.

Objic. 1. ex Apoſtolo; ſic eſt *una fides, ſicut unum baptiſma*. Sed unitas baptiſmi non eſt ſpeciei atomæ, ſed eſt genericæ; ergo & unitas fidei. Prob. min. nam aliud eſt baptiſma flaminis, aliud fluminis, & aliud ſanguinis; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. aliud materialiter, con. aliud formaliter, & quoad eſſentiam, finem, intentionem, & effectum, neg. ant. nam baptiſma flaminis, & ſanguinis non ſunt proprie baptiſmata, niſi quoad effectum, quem ſupplent, ex defectu baptiſmi fluminis in caſu neceſſitatis, & impotentiæ, qui iſte adeſt ſemper in voto.

Inſt. Gloſſa explicat unitatem illam fidei de generica; *una fides, non numero, ſed genere; quia ſimilis in omnibus*; ergo unitas fidei non eſt in ſpecie atoma.

Reſp. neg. conſ. quia Gloſſa ibi ſumit fidem materialiter, ſc. pro objectis materialibus, quæ ſunt plura genere. *Alia enim ſunt, quæ creduntur, & alia fides, qua creduntur*, inquit. Lyranus autem dicit: *una fides, quia licet articuli multi in fide catholica; tamen omnes innituntur veritati divinæ, propter quam aſſentimur eis, quæ eſt una*.

Reſp. 2. neg. eandem conſ. quia nomen *generis* ibi ſumitur late pro omni diverſitate majori credibilium, quam ſit numerica.

Objic. 2. credibilitas explicita, & implicita differunt

ſpecie, ſed aliqua in fide ſunt credibilia implicite, & alia explicite; ergo & habitus iſti. Prob. min. nec enim omnia ſunt credibilia explicite.

Reſp. diſt. maj. differunt ſpecie ex parte credibilium, & materialiter, con. formaliter, & ratione credibilitatis, neg. maj. nam credibilitas in omnibus eſt eadem, quia fundatur in veracitate Dei revelantis, quæ eſt una in omnibus, ſive credantur implicite, ſive explicite.

Objic. 3. ſi unitas fidei peteretur ex unitate revelationis, & veritatis revelantis, non ſolum eſſet ſpecifica, ſed etiam numerica; ſed hoc eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. nam revelatio Dei eſt una numero: *ſemel locutus eſt Deus*. Et veritas Dei eſt etiam una numero, ſicut ipſe Deus: ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. revelatio, & veritas eſt una numero entitative, & in Deo, con. terminative, & in nobis, neg. ant. locutio Dei activa, & in Deo eſt Deus ipſe; ſed paſſive eſt quid creatum, & multiplex pro multiplicitate ſubjectorum. [1) *Multifariam, multiſque modis Deus loquens* &c.

Inſt. fidei unitas eſt realis; ergo non poteſt ſpecificari a revelatione, vel veritate Dei, quia eſt forma rationis, & denominatio extrinſeca in objectis revelatis, & in nobis audientibus; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. nam denominationes extrinſecæ ſunt vere reales, ſi accipiantur, prout ſunt, ſcil. prout connotant formas extrinſecas. Nam a parte rei verum eſt hanc veritatem eſſe revelatam a Deo.

QUÆSTIO IV.

De ſubjectis habitus, & actuum fidei quoad potentias, & perſonas.

HÆretici, qui fidem Theologicam confundunt cum *fiducia*, quæ eſt actus ſpei, non mirum quod eam ponant in voluntate, ſed catholici, qui fiduciam diſtinguunt a fide, ſingulis ſuum proprium ſubjectum aſſignant, & ideo quærimus, an fides ſit immediate in intellectu, an in voluntate.

Quod

[1] *Hebr. 1.*

Quoad perſonas autem, an fides quoad habitum, vel quoad actum poſſit eſſe in viatoribus, vel beatis; an damnatis, & peccatoribus, & hæreticis; an in pueris ante uſum rationis &c.

Porrò quoad actum, ſatis evidens eſt eam repugnare cum clara Dei viſione, & per conſequens animam beatam, vel Angelum in Cœlis non poſſe elicere actum fidei ſimul cum actuali viſione beata, & quidem minùs cum actu ſcientiæ de eadem re.

CONCLUSIO I.

Fides infuſa eſt habitus intellectualis, ſeu ſubjectatur immediatè in intellectu. Eſt communior inter Catholicos.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quod Chriſtus reformando, ſicut perficit voluntatem per *charitatem, ſic intellectum per fidem, ut illum ſanet, & perficiat ſupernaturaliter ad aſſentiendum revelatis*; ergo fides ſubjectivè eſt intellectu, quem perficit.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ actum fidei appellat viſionem. [2] *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate.* Intellectus autem eſt oculus animæ. Et [3] *fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Et quod per fidem [4] *captivatur intellectus in obſequium Chriſti*: ſc. credendo, quod non eſt evidens rationi; item quia fides eſt lumen, quo Chriſtus [5] *illuminat omnem hominem*. Lumen ſpirituale eſt in intellectu, ſicut materiale eſt in oculis corporeis. Et David petens hoc donum orat, [6] *illumina oculos meos, ne videant vanitatem.* Et Zacharias; [7] *illuminare his, qui in tenebris*, &c. ergo ex ſcriptura fides eſt habitus intellectualis.

Confir. nam ut diximus fides in virtutibus Theologicis reſpondet prudentiæ inter morales; ſed hæc eſt in intellectu; ergo & fides.

Prob. 3. ex Patribus, nam inquit Auguſt. [8] *credere eſt cum aſſenſione cogitare*: ſed cogitare eſt actus intellectus; ergo & credere.

Objic. 1. *Corde creditur ad juſtitiam.* Et increduli-

[1] 3.d.23.F.n.14. [2] 1.cor.13. [3] Hebr. 11.
[4] 2.cor.10. [5] Jo.1. [6] pſ.12.
[7] Luc.2. [8] 1.præd.ſſ.2.

tas Pharaonis dicitur duritia cordis; ſed in Scriptura, *cor* ſumitur pro voluntate; ergo ex Scriptura fides eſt in voluntate.

Reſp. neg. conſ. nam nomine cordis ſæpiùs etiam dicitur intellectus, ſeu facultas cogitativa, ut cum dicitur, *cogitatio cordis intenta in malum*. Item, *cogita in corde tuo*. Item, *non dedit vobis Deus cor intelligens*. Et cum *Anna cogitabat in corde ſuo*. Et hinc

Reſp. 2. diſt. min. quando loquitur de actibus, qui ſpectant ad voluntatem, con. de actibus, qui ſpectant ad intellectum, neg. min. ut patet de actibus allegatis: nam actus credendi aliquando tribuitur cordi ab Apoſtolo, nomine cordis intelligit intellectum, quia credere ad ſolum intellectum ſpectat, licèt imperari poſſit à voluntate.

Inſt. fides eſt practica; ſed praxis eſt in voluntate, ex Scoto; ergo & fides.

Reſp. diſt. maj. eſt practica, id. directiva praxis, con. eſt praxis formaliter, neg. maj. praxis formaliter eſt actus voluntatis, ut diximus in logica; practicum autem dicitur de habitu directivo praxis.

Objic. 2. Intellectus non credit ſine concurſu, & imperio voluntatis; ſed voluntas non ſic concurrere poteſt ſine habitu fidei; ergo iſte eſt etiam in voluntate ſaltem partialiter. Prob. min. ille concurſus, & imperium eſt actus ſupernaturalis æquè, ac ipſum credere; ſed ad credere neceſſarius eſt habitus in intellectu; ergo & ad velle credere requiritur habitus fidei in voluntate.

Reſp. neg. min. & diſt. 2. maj. eſt ſupernaturalis ex concurſu gratiæ actualis excitantis, & juvantis, conc. ex concurſu habitus fidei, neg. maj. & conſ. nam ex Concil. Trid. dum excitamur (1) *divina gratia, & adjuvamur, fidem ex auditu concipientes liberè movemur in Deum credentes* &c. Poteſt etiam imperari ab habitu charitatis in juſtificatis.

Inſt. actus fidei eſt meritorius, ſicut infidelitas eſt peccatum; ſed ſola voluntas eſt meriti capax, non intellectus; ergo fides eſt in voluntate, ſaltem principaliter.

Reſp. diſt. maj. eſt meritorius, prout eſt liberè impera-

(1) *ſſ. 6. cap. 6.*

ratus à voluntate, con. ita ut eliciatur à voluntate, neg. maj. & conſ. nam meritum accipit ab illo imperio, & pia affectione voluntatis.

Inſt. 2. fides per dilectionem operatur; ſed dilectio eſt in voluntate; ergo & fides.

Reſp. diſt. maj. per dilectionem imperantem, con. per dilectionem elicientem fidei actum, neg. maj. & conſeq. ſicut dilectio operatur per fidem dirigentem: ita & fides per dilectionem moventem, & imperantem, & ſic duæ illæ virtutes ſeſe mutuò fovent, & juvant.

CONCLUSIO II.

PRobabile eſt fidem infuſam fuiſſe in Angelis in ſtatu viæ, & in protoparentibus ante peccatum.

Prob. 1. ex Scoto, (1) quoad parentes, nam de Angelis non invenio quid ſenſerit. *Dico, quod fides infuſa fuit neceſſaria homini ſalvando pro omni ſtatu, quia ſicut anima non eſt accepta Deo, niſi perficiatur, & ornetur per charitatem, quoad voluntatem, ita non acceptatur à Deo, niſi perficiatur habitu ſupernaturali quoad intellectum*. Idem docet de fide actuali. Quoad Angelos autem dicit quidem eos habuiſſe in via ab inſtanti creationis ſpeciem repræſentantem diſtinctè deitatem, & perſonas, ſed non ita eſt de aliis contingentibus, v. g. de incarnatione, quam non potuerunt cognoſcere niſi per ſpecialem revelationem, & ſic per fidem.

Prob. 2. de utriſque ex Scriptura, quæ dicit, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: Et, *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*: Et, *fides eſt ſperandarum rerum ſubſtantia*, ſc. fundamentum omnis meriti, & ſpei. Sed hoc tam verum eſt de Angelis viatoribus, quàm de hominibus in ſtatu innocentiæ, ut docet S. Thom. ergo probabile eſt fidem infuſam fuiſſe Angelis in ſtatu viæ, & homini in ſtatu Innocentiæ.

Confir. non enim potuerunt ſperare in Deum pro vita æterna obtinenda ſine fide, nec eum potuerunt diligere, ut finem ultimum, niſi cognoverint; ſed non potuerunt eum ſic cognoſcere ſine fide: ergo &c.

[1] 3.d.23.q.1.A,n.2.

Confir. 2. nam Angeli, & Adam innocens habuerunt gratiam ſanctificantem, & charitatem habitualem, ita & ſpem, ſed hæc non infunduntur ſine fide: ergo &c. Prob. min. ex Scoto cit. nam intellectus Angeli, & hominis tunc non erant minùs perfectibiles per habitum fidei, nec fides erat ibi minùs neceſſaria ad cognitionem myſteriorum, & ad meritum, quàm voluntas per habitus ſpei, & charitatis, non enim aliter cognoſcebant myſteria, quàm per fidem; ergo &c.

Objic. 1. Angelorum cognitiones fuerunt evidentes; ergo non egebant fide, quæ eſt obſcura. Prob. ant. cognoſcebant enim Deum, omnia ſibi revelare. Unde inquit S. Bonaventura, (1) cognitionem aliquam habuerunt de articulis pertinentibus ad trinitatem, quæ tamen non meretur dici fides, ſed potiùs cognitio contemplationis propter obſiſtentiam ænigmatis, ſeu obſcuritatis.

Reſp. diſt. evidens in atteſtante, con. ex parte objectorum, neg. ant. & conſ. nam ad fidei eſſentiam ſufficit obſcuritas objecti, quod non attingitur, nec creditur, niſi prout eſt revelatum, & in revelatione, non autem in ſe, licet evidenter ſciatur Deum illud revelare. Et hoc ſufficit S. Bonaventuræ. Nam fides Angelorum, & Adæ fuit longè clarior noſtra, quæ ex utroque capite eſt obſcura, illa vero tantum obſcura erat ex parte objectorum.

Objic. 2. Fides eſt cognitio imperfecta; ergo non decebat Angelos, nec Adamum ante peccatum, quia nihil tunc habebant imperfectum.

Reſp. diſt. ant. imperfecta comparativè ad viſionem, con. in ſua ſpecie, & in ſe abſolutè, neg. ant. & conſ. nam in ſe erat tam perfecta, quam poſſet haberi in ſtatu illo.

CONCLUSIO III.

Probabilius eſt fidem non manere in Beatis nequidem quoad habitum, nec in damnatis, vel dæmonibus. Eſt communis.

Prob. de Beatis ex Scoto. (2) *Nullus habitus ponendus*

[1] 3. *diſt.* 23. *ar.* 2. *quæſt.* 3.
[2] 3. *d.* 31. *A. n.* 2. *&* *d.* 25. *q.* 121. *&* 36. *R.*

dus eſt ibi manere fruſtra; ſed fruſtra eſſet ibi habitus, cujus inclinatio eſſet tunc impoſſibilis: fides autem ex ratione ſua inclinat in verum latens; ſeu obſcurum. In patria autem erit verum patens. Item *fidei habituali ſuccedet lumen gloriæ, & actuali ſuccedet viſio*; ergo fides, & viſio non ſunt ſimul in Beatis. Prob. de damnatis, ſeu Dæmonibus. *Licet credant, tamen actus credendi eſt in eis malus, quia oderunt illud creditum, & non credunt, propter quem credendum eſt*, &c. & ſic non eſt in eis vera fides; ergo ex Scoto non eſt habitus fidei in beatis, nec in damnatis.

Prob. 2. ex Script. nam inquit Apoſtolus: *Ex parte nunc cognoſcimus, & ex parte, prophetamus, cum venerit autem, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt*. Item, *nunc manent fides, ſpes, charitas*; ſed hæc eſt inter hæc diſparitas, *quod charitas numquam excidit*. Id inquit Hieron. *ipſa ſola permanet in futuro*, & Chryſ. [1] *nam ceſſat quidem fides, & ſpes, quando advenerint bona, quæ fuerunt credita, & ſperata*, &c. ergo in beatis non manent fides, & ſpes.

Prob. 3. ratione, nam Beati omnia vident clarè, & intuitivè in eſſentia ipſa divina, vel in verbo; ergo fruſtra eſſet habitus fidei, quia non inclinat niſi ad aſſentiendum veritatibus obſcuris, in Deo autem, & in verbo omnia, etiam creata, magis patent, quàm in ſe ipſis.

Confir. nam Beatitudo eſt *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*, cum excluſione omnium defectuum, & malorum; ergo ſtatus beatitudinis excludit omnem obſcuritatem fidei, quæ eſt quædam privatio hominis, & claritatis in objecto.

Confir. 2. quia lumen gloriæ, & habitus fidei inclinant ad actus oppoſitos: illud enim inclinat ad actus evidentes, iſte ad obſcuros, illud exigit perpetuitatem, & permanentiam, iſte ſucceſſionem, & amiſſibilis eſt, & ſæpe amittitur; ergo lumen fidei non ſolum eſt inutilis in Beatis, ſed etiam videtur impoſſibilis.

Prob. 2. p. eadem ratione; nam habitus fidei in damnatis eſſet fruſtra, cum ita ſint in termino, ut non poſſint mereri, nec demereri; ergo &c. prob. conſ.

[1] *ho.* 34. 1. *cor.*

nam fides eſt *ſperandarum rerum ſubſtantia*: oſtendit quæ ſperanda ſunt: ſed damnatis nihil reſtat ſperandum; ergo fruſtra eſſet in eis fides.

Confir. 1. ex patribus dicentibus, quod in damnatis nihil remanet boni, nec virtutis, nequidem moralis; ergo multò minùs remanent virtutes ſupernaturales, quæ ſunt maxima dona Dei, cui fiunt perpetuo inimici. (1) *In inferno non eſt aliquis ad virtutes recurſus*, ait S. Hieron. & ut docet Gerſon. (2) Damnati turpiſſimis vitiorum *habitibus ſœdabuntur; dicente ſcriptura, ibi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. Et Auguſt. *ſicut illi, qui cum Chriſto regnabunt, nullas in ſe malæ voluntatis reliquias habebunt: ita illi, qui ſunt in ſupplicio ignis æterni, ſicut nullam ulterius habebunt requiem, ſic nullatenùs bonam voluntatem*. Sed fides ſaltem actualis non eſt ſine bona voluntate; ergo ibi nulla fides.

Objic. 1. con. 1. p. ex patribus, nam inquit Irenæus: *Paulus ait; omnibus evacuatis manere fidem, ſpem, dilectionem*. Idem docet Tertull. (3) *merito charitas nunquam excidit; cætera evacuabuntur: Exhaurientur linguæ, ſcientia, prophetia; permanent fides, ſpes, dilectio*; ergo ex Patribus manet fides in Beatis.

Reſp. neg. conſ. nam patres volunt eas virtutes manere non in ſe, ſed in effectibus, ad quos tendunt, & qui eis ſuccedunt, ſc. viſio beata eorum, quæ crediderunt, & poſſeſſio eorum, quæ ſperaverunt.

Objic. 2. Si quid probaret non manere fidem in beatis, eſſet inutilitas; ſed hæc ratio non valet; ergo &c. prob. min. nam licet videant omnia in Deo, quæ faciunt ad ſubſtantiam beatitudinis, tamen poſſunt eis revelari multa, quæ ſunt accidentalia; ut ea, quæ fiunt in terris, & fient; ſed hæc poſſunt credere ex fide, & propter Deum revelantem; ergo fides non eſt fruſtra, & ratio fruſtraneitatis fidei in Beatis non valet.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. propter Deum revelantem claré, & evidenter in ſplendore luminis gloriæ, con. in obſcuritate fidei, neg. maj. & min. nam illa omnis cognitio in eo ſtatu eſſet in illo ſplendore, quocumque modo aliqua eis revelaret.

Reſp.

[1] *Eccle. Ser. 2. de SS.* [2] *Job. 1.*
[3] *l. 4. c. 25. de pat. fin.*

Reſp. 2. neg.abſolutè maj. ſaltem de via ordinaria, Deus enim eis non poteſt revelare quidquam, quod non videant, aut videre poſſint in verbo ex vi luminis gloriæ.

Objic. 1. con.2. p. Ex Script. *Dæmones credunt, & contremiſcunt*; ergo habent fidem infuſam, nam de illa loquitur Jacobus, ut oſtendat eam non ſufficere ſine operibus, ſine quibus mortua eſt. Et de facto Dæmones credebant Chriſtum eſſe filium Dei, & id confitebantur; ergo fides remanet in Dæmonibus, & damnatis, & id patet ex colloquio divitis cum Abraham.

Reſp.diſt. conſ. Fides naturalis, & coacta, conced. virtuoſa, & ſupernaturalis, neg. conſ. nam carent omni dono gratuito, & ſupernaturali. Credunt ex convictione juſtitiæ, & potentiæ Chriſti, quam ſentiunt, cùm ejicit eos ex corporibus. Et Epulo experiebatur in tormentis. Ità eſt de damnatis, qui ex pœnis ſuis agnoſcunt juſtitiam, & omnipotentiam Dei non ex fide, ſed experientia, & lumine naturali.

Objic.2. Fides habitualis non perditur niſi demeritoriè ob peccatum infidelitatis, ſed plures damnati non ſic peccarunt; ergo non amiſerunt fidem.

Reſp. diſt. maj. in ſtatu viæ, con. in termino, neg. maj. & conſeq. nam viator non privatur habitu fidei, quia inſervit ei ad reſurgendum ab aliis peccatis, & ideo miſericorditer Deus hunc illi relinquit; ſed in damnatis inutilis eſt, quia non poſſunt pœnitere utiliter.

Inſt. damnati retinent plures cognitiones viæ; nam dives recordatur fratrum, & periculi ſalutis eorum; ergo retinent eamdem fidem.

Reſp.diſt. ant. ex conſervatione ſpecierum, con. ex influxu habitus ſupernaturalis fidei, per quem eas habuerunt in via, neg. ant. & conſ. remanente ergo ſpecies naturales cognitionum habitarum in via, ut diximus aliàs, & tales fuerunt in illo divite; ſed non ex habitu fidei, neque in eumdem finem.

Inſt. 2. Remanet in eis eadem ſynterefis, & vermis conſcientiæ pro peccatis, & eadem inclinatio charitatis, ut in divite pro fratrum ſalute, dum vult ad eos mitti Lazarum monitorem; ergo & eadem fides.

Reſp. neg. ant. nam illi motus veniunt ex principiis merè naturalibus, & ad majorem pœnam, ex recordatione bonorum, quæ ipſi amiſerunt, unde magis cruciantur.

Dixi autem, *probabilius*, nam ſententia tenens habitum hunc manere in Beatis, non eſt improbabilis, maxime propter auctoritatem gravium Theologorum, qui hoc tenent, ut Vulpes noſter, & Cardinalis de Laurea, (1) qui hoc computat verum quoad objecta fidei ſecundaria, & de contingentibus, quæ poſſunt ſpecialiter revelari. Id patet ex Scoto in reportatis. [2] *Fides*, inquit, *poteſt manere in beatitudine, quia in nullo derogat ſtatui illorum.*

CONCLUSIO IV.

H*Abitus fidei perſeverat in animabus purgatorii, & in peccatoribus poſt amiſſam gratiam ſanctificantem, & charitatem, niſi ſit peccatum infidelitatis.* Eſt communis.

Prob.1.ex Scoto: [3] *manet modo fides informis ſine charitate, & in patria manebit charitas ſine fide... ſicut etiam in peccatore manent ſpes, & fides ſine charitate*. Quantùm ad animas purgantes colligitur mens ejus, quatenus non valent pro illis rationes, quas allegat pro Beatis, & damnatis: non enim ibi eſt incompatibilitas viſionis Beatorum, nec inutilitas tota, & privatio donorum ſupernaturalium, qualis eſt in damnatis.

Prob.2.1.p. ex Concil. Senon. in quo de his animabus inter alia dicitur, *ſemper interim ſalvis remanentibus in eo, fide, ſpe, & charitate ſecurus*, ſecuritas autem illa non eſt ſine fide, qua purgans ſcit morientes in gratia non poſſe damnari. Item ex Leone X. qui damnat propoſitionem Lutheri negantis animas purgatorii ſecuras eſſe de ſua ſalute; ergo ſperant, & credunt.

Prob. 3. nam, ut dicebam, non eſt eadem ratio de animabus purgatorii, ac de Beatis, nec de damnatis; ergo nec dubitandum, quin fides in eis maneat.

Prob.

[1] *P. 3. tom. 2. diſt. 38. a. 4.*
[2] *D. 9. n. 445. diſt. 31. n. 8.*
[3] *3. diſt. 25. A. n. 2. n. 36. K.*

Prob. ant. 1. non eſt illis inutilis, imò eſt utiliſſima; quia quod nondum vident per lumen gloriæ, credunt lumine fidei, licet iſta non ſit amplius meritoria, eſt tamen conſolatio, & levamen in pœnis. Item non carent donis ſupernaturalibus, ut damnati, &c. ergo nulla eſt ratio negandi in eis fidem.

Prob.2.p.De peccatoribus ex Concil. Trident. [1] docente amitti fidem peccato infidelitatis, non per aliud, *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem .... Anath. ſit.*

Confirmatur ex Script. & Patribus. Nam D. Paulus ſatis docet fidem haberi poſſe ſine charitate, & cum peccato, cum dicit, [2] *ſi habuero omnem fidem ..... Et charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Et S. Jacobus, [3] *fides ſine operibus mortua eſt*, non dicit nullam eſſe; ſed dicit eam inutilem, ſi ſit ſola, & non operetur per charitatem. *Fides ſine charitate poteſt eſſe, ſed non prodeſſe*, ait Auguſt. [4] Et Bernardus. *Sicut corporis hujus vitam ex motu ſuo dignoſcimus; ita & fidei vitam ex bonis operibus.*

Probatur 3. ratione 1. quia fides non opponitur peccato phyſicè, nec moraliter; ergo non amittitur per peccatum. 2. Quia ex Conciliis, & experientia homo ante acceptam gratiam juſtificantem, & remiſſionem peccati credit, ſperat, & per hæc ſe ſe diſponit ad juſtificationem, & in ſtatu peccati experitur ſe inclinatum ad aſſentiendum myſteriis fidei ſibi propoſitis, ſicut ante peccatum; & eodem modo recitat Symbolum fidei, & afficitur erga ſingulos ejus articulos. 3. Ex parte Eccleſiæ, quæ non ſolet excitare peccatores Catholicos ad fidem, ſed ad pœnitentiam, & charitatem. 4. fruſtra peccatores recitarent ſymbolum, ſi non haberent habitum fidei, quo aſſentirent articulis ejus; ergo &c.

Dixi *niſi ſit peccatum infidelitatis*. Nam, ut dicemus infra, qui evadit infidelis, nolendo credere alicui articulo fidei, amittit habitum fidei.

Objic.1. Vera fides eſt donum Dei, quo homo con-

[1] *S. S. 6. c. 15. & can. 23.* [2] *1. Cor.*
[3] *Jac. 2.* [4] *1. Tr. Ser. 2. reſur.*

fidit firmiter dimiſſa eſſe ſibi peccata; ergo vera fides non ſtat cum peccato.

Reſp. neg. ant. nam, ut jam diximus, fiducia illa pertinet ad ſpem, non ad fidem.

Objic. 2. Fides conſiſtit in Dei cognitione: Sed Chriſtus non communicat ſui cognitionem peccatoribus, quia non communicat illam niſi per Spiritum S. qui eſt charitas; ergo fides non ſtat cum peccato, & ſine charitate.

Reſp. diſt. min. & per Spiritum S. illuminantem, per gratias actuales, con. per gratiam habitualem, neg. min. de facto, & regulariter fides habitualis non infunditur niſi cum charitate, ſed ſemel infuſa poteſt conſervari ſine illa, nec ſemper Spiritus Sanct. ceſſat illuminare chriſtianos, quoties retrahit charitatem.

Inſtab. *Corde creditur ad Juſtitiam*; ergo fides conſiſtit in affectu cordis potiùs, quàm cerebri, ſeu intellectus, ait Calvinus, ergo fides non eſt in peccatore.

Reſp. ex dictis ſupra neg. conſ. nam nomine cordis intelligitur mens æquè, ac voluntas. 2. Ita loqui poteſt Apoſtolus de corde propter piam affectionem, quæ concurrit ad actum credendi; & quia juſti credunt ex affectu charitatis in Deum. 3. loquitur de fide prout diſponit ad juſtificationem, quæ fit per infuſionem charitatis.

Objic. 3. Homo mortuus non eſt verus homo: Sed fides in peccatore eſt mortua: *eſt informis*, ajunt Theologi; ergo non eſt vera fides. Prob. min. ex S. Jacobo cit. (1) *fides ſine operibus mortua eſt*. Et D. Paulus, (2) *neque circumciſio, neque præputium aliquid valet, ſed fides, quæ per dilectionem operatur*. Et ut loquitur Auguſtin. (3) *fides debet eſſe Chriſtianorum, non Dæmoniorum*, ſeu peccatorum; ergo ſicut fides Dæmonis non eſt vera fides, ita nec peccatoris.

Reſp. diſt. min. eſt mortua, & informis, ideſt ſine vita, & forma gratiæ ſanctificantis, con. id. ſine vita, & forma ſua ſpecifica talis virtutis, & doni, neg. min. & conſ. prob. nam Scriptura, & patres loquuntur de forma, & vita gratiæ, qua fiat meritoria, non de forma eſſentiali, & ſpecifica, qua conſtituitur in eſſe talis doni, & virtutis. Inſt.

[1] *Jac.* 2. [2] *Gal*, 5, 15. [3] *Tr.* 28.

Inſt. alii Patres dicunt fidem ſine operibus bonis non eſſe veram; ergo in peccatore non eſt vera fides. Probat. antec. ex SS. Cypriano L. de ſimplicitate,& Gregorio hom. 29. & Beda in cap. 2. Jacobi. Et ſic de aliis.

Reſp. ut ſupra diſt. ant. & prob. ejus, non eſt vera, ideſt meritoria, nec formata, & forma, & vita gratiæ, con. non eſt vera, & formata, & propria forma ſpecifica, neg. ant. & conſ. nam Patres loquuntur de vita, & forma, quæ reddat eam meritoriam.

CONCLUSIO V.

IN hæreticis non eſt vera fides habitualis, ſed hæc amittitur per actum infidelitatis etiam unicum. Eſt communis.

Prob. 1. ex Soto. [1] *Si aliquis baptizatus credens omnes articulos poſt ea errret circa unum tantùm, tamen ſentit ſe firmiter adhærere omnibus aliis credibilibus .... ſed ſine fide infuſa ...... quia fides infuſa corrumpitur, cum hæreſis generatur, alias ſtaret ſimul fides, & hæreſis*, &c.

Prob. 2. ex Trident. (2) *dicente, quod infidelitate fides ipſa amittatur.*

Confir. ex Patribus: nam inquit Chryſoſt. cum Apoſtolo, [3] *de his, qui bonam conſcientiam repellentes circa fidem naufragarunt*, nam ſicut ille, qui naufragátur, *amiſſis omnibus, nudus evadit, ita is, qui ex fide excidit, nihil ſibi ex Dei donis, ac virtutibus retinet amplius*; ergo &c.

Prob. 3. nam errans pertinaciter in uno articulo fidei non eſt fidelis; ergo amittit fidem. Prob. ant. Eſt hæreticus; ergo non eſt fidelis; alioqui fides, & hæreſis eſſent ſimul in eadem anima.

Confir. nam habitus infuſi ſunt in eſſentia ſua indiviſibiles, non autem aggregati ex pluribus habitibus partialibus heterogeneis correſpondentibus diverſis actibus, ad quos inclinant, ut ſunt habitus acquiſiti tam ſcientiarum, quam virtutum moralium; v. g. idem indiviſibilis habitus fidei, qui inclinat ad credendum articulum Trinitatis perſonarum in unitate eſſentiæ, inclinat ad credendam incarnationem:

[1] 3. d. 23. B. n. 4. [2] ſ. 6. c. 15. [3] 1. Tr. 1. hom. 4.

ergo per incredulitatem unius articuli amittitur totus habitus fidei infuſæ.

Objic. 1. Hæreticus errans tantum in uno puncto fidei; v.g. negans purgatorium, vel Euchariſtiam, experitur in ſe eandem inclinationem, & facilitatem credendi alios articulos, v. g. totum ſymbolum, quam ſentiebat ante lapſum; ergo retinet eundem habitum fidei; non enim poteſt aliunde inclinari.

Reſp. ex Scoto cit. neg. conſ. & ant. nam eadem inclinatio poteſt venire ab habitu fidei naturalis, & acquiſitæ per frequentes actus credendi tales alios articulos ſymboli.

Objic. 2. Si per unum peccatum infidelitatis perderetur habitus fidei infuſæ, hoc fieret phyſice, aut moraliter; ſed neutrum dici poteſt; ergo. prob. min. 1. non phyſice, quia actus infidelitatis de purgatorio non opponitur phyſice habitui, vel actibus de Trinitate, vel incarnatione; ergo non expellit eos phyſice: 2. non moraliter, ſeu demeritorie, nam iſtud peccatum non eſt gravius odio Dei; ſed propter odium Dei non aufertur habitus fidei; ergo nec propter incredulitatem de purgatorio.

Reſp. neg. min. nam perditur ille habitus demeritoriè, & neg. etiam conſ. prob. nam qui non credit uni puncto fidei, tam offendit Deum in ſua veritate, quam qui renuit credere omnibus; nam ſi Deus falleret in uno, fallere poſſet in omnibus, & abſolutè non eſſet verax.

Inſt. in aliis poteſt amitti habitus ad unam conclusionem, & retineri quoad aliam; v. g. medicus poteſt retinere habitum circa corpus naturale, & amittere circa ſanabile, aut circa unam partem corporis, & non circa alias; ergo ita eſt de habitu fidei, poteſt amitti inclinatio credendi Trinitatem, & non circa incarnationem.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas patet ex dictis, habitus naturales ſunt diviſibiles, acquiruntur, & deſtruuntur ſucceſſivè, non ita eſt de infuſis, qui toti ſimul, & indiviſibiliter dantur, & tolluntur à Deo.

Igitur habitus fidei eſt in omnibus, & ſolis catholicis viatoribus, ſeu, qui non ſunt in termino beatitudinis, aut damnationis, quod addo propter dicta

de

de animabus purgatorii, in quibus manet, donec conſequantur viſionem Dei.

Dixi; *habitualem fidem*. Nam per auxilia gratiæ ſupernaturalis Catechumeni poſſunt habere actus fidei; ut docet Tridentinum [1] de his, qui ſe diſponunt ad juſtificationem. Quippe, *Divina gratia excitati, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum credentes vera eſſe; quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt.*

QUÆSTIO IV.

De cauſa efficiente habitus fidei; à quo, & quomodo producatur, & deſtruatur.

JAM vidimus de cauſa materiali, & ſubjectiva fidei, in qua potentia immediate, & in quibus perſonis ſubjectetur. Vidimus etiam de cauſa formali, quæ eſt veritas Dei in loquendo. De finali nihil occurrit diſputandum. Certum eſt enim eam eſſe hominis juſtificationem, & ſalutem juxta illud *reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum*. Reſtat, ut de cauſa efficiente dicamus.

1. Certum eſt habitum fidei eſſe Dei donum, & ab illo immediate infundi ex meritis Chriſti. [2] *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex nobis, nequis glorietur; donum enim Dei eſt*. Et ratio eſt, quia ut ait idem Apoſtolus, [3] *omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Et ita docet Scotus, [4] nam, inquit, *fides infuſa eſt perfectior habitus ſimpliciter quocumque habitu acquiſito, eo quod, ratione ſuæ perfectionis, non poteſt conſervari niſi à Deo in ratione cauſæ*; ergo fides, quæ hominis intellectum ſanat, & perficit, & elevat ad attingendum Deum velut ultimum finem noſtrum conſequendum, & media, per quæ ad illum perveniatur, non poteſt eſſe niſi a Deo.

2. Certum eſt illum habitum produci per creationem, eſt enim eadem ratio, ac de gratia, & charitate, & ſpe; neque hic eſt immorandum.

Reſtat quærendum, an ſimul infundatur cum illis aliis habitibus, & hoc inſeparabiliter, ut nequeat

[1] *Seſſ.6.c.6.* [2] *Epheſ.2.*
[3] *Ro.1.* [4] *3.d.23.1.*

CONCLUSIO II.

Fides habitualis poteſt amitti, & amittitur per infidelitatem, non phyſicè, ſed moraliter, ac demeritoriè.

Prob. 1. ex Scoto ſupra cit. [1] *Fides non corrumpitur in nobis effectivè, ſed demeritorie. Et quidem per illud, quod ex ratione ſua opponitur fidei, ut eſt infidelitas, ſive error circa credibilia.* Habes hic totam concluſionem.

Prob. 2. ex Script. [2] *periit fides, & ablata eſt de ore eorum.* Nam, inquit Gloſſa. [3] *loquitur de fide chriſtianorum.* Et Apoſtolus dicit, [4] *habens fidem, & conſcientiam bonam, quam quidam repellentes circa fidem naufragarunt; ideſt fidem perdiderunt,* ait eadem Gloſſa. Et Chriſtus. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua,* quod fruſtra dixiſſet, ſi non potuiſſet perdere fidem, ſicut potuit peccare.

Confir. ex Trid. [5] aſſerendum eſt; *non modo de infidelitate, per quam amittitur fides...& ſi quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & ſemper amitti fidem;* ergo aliquando perditur fides per aliquod peccatum; non per quodcumque.

Prob. 3. ex dictis in præcedenti quæſt. de beatis, & damnatis.

Prob. 2. p. ex iiſdem dictis ſupra de peccato infidelitatis, quæ non vacat repetere. Item ex dictis de gratia; nam idem eſt de habitibus infuſis virtutum, ac de gratia; ergo ſicut gratia non amittitur niſi demeritorie, ita nec habitus fidei, qui ſicut a ſolo Deo pendet in fieri, ita & in conſervari, & deſtrui.

Confir. ex Auguſtino. *Errare potero,* inquit, *ſed non ero hæreticus.* Et de facto plures Catholici ſimpliciores errant materialiter circa objecta fidei, nec tamen perdunt illum habitum; ergo actus erroris, & habitus fidei non opponuntur phyſice, nec phyſice illum expellunt, ſed demeritorie, quando ſunt peccaminoſi, & cum pertinacia, quia tunc pertinaciter, & vo-

[1] 3. *d.* 23. *L.* [2] *Jerem.* 7.
[3] 1. *Tim.* 4. [4] *Luc.* 22.
[5] *ſeſſ.* 6. *c.* 6. *& can.* 28.

voluntariè errans movet Deum ad retrahendum donum illud ſuum.

Objic.1.con.1.p. Non conſtat ex Scriptura, nec traditione fidem poſſe amitti; imò dicitur quod [1] *ſine pœnitentia ſunt Dei dona*; ergo non ammittitur.

Reſp. neg. ant. nam id conſtat ex teſtibus citatis ad probationem, hic locus Pauli malè applicatur, alioqui probaret neque charitatem amitti poſſe; quippe non minùs eſt Dei donum,quam fides. Senſus ejus eſt, quia Deus non revocat dona ſua ex pœnitentia,aut mutatione conſilii, quamvis peccator abutendo donis illis, mereretur ingratitudine ſua, ut de illis pœniteret, ſi poſſet.

Inſt. hæreticus experitur in ſe eandem inclinationem aſſentiendi articulis, circa quos non errat; ergo non amittit fidem circa illos.

Reſp.neg.conſ.nam.ut jam dixi, illa inclinatio, & facilitas venit ex habitu naturali, & acquiſito per actus credendi ante lapſum, ſive poſt.

Objic.con.2.p. Infidelitas phyſicè opponitur fidei: ergo phyſicè deſtruit habitum ejus. Prob. ant. diſſenſus revelatorum tam opponitur eorum aſſenſui, quam quivis actus injuſtitiæ ullis actibus juſtitiæ; ſed actus juſtitiæ, & injuſtitiæ opponuntur phyſicè; ergo & actus infidelitatis cum fide; ergo tam phyſicè hæc ſe deſtruunt, quàm illa.

Reſp. diſt.ant. & maj. infidelitas actualis cum fide actuali, & comparatione facta inter actus ipſos; con. actualis cum habituali, ſi actus comparentur ad habitum infuſum, neg.ant. & maj. nam habitus ſupernaturales, qualis eſt habitus fidei, non pendent in fieri, nec in conſervari ab actibus, benè verò habitus acquiſiti, ut habitus juſtitiæ, qui cum acquiratur per actus juſtitiæ, & per eos intendatur; ita per actus injuſtitiæ remittitur, & tandem deſtruitur. Non ita eſt de actibus virtutum infuſarum ob rationem allatam de diverſitate, & inæqualitate ordinis.

Objic.2. Si infidelitas non deſtrueret phyſicè fidem, poſſent eſſe ſimul; ſed conſ. eſt falſum, & repugnans; ergo &c. Prob. maj. nam actus demeritorius debet præcedere pœnam, & ſæpiùs eam

præ-

[1] *Ro.*11.

Reſp. neg. ant. nam illi motus veniunt ex principiis merè naturalibus, & ad majorem pœnam, ex recordatione bonorum, quæ ipſi amiſerunt, unde magis cruciantur.

Dixi autem, *probabilius*, nam ſententia tenens habitum hunc manere in Beatis, non eſt improbabilis, maxime propter auctoritatem gravium Theologorum, qui hoc tenent, ut Vulpes noſter, & Cardinalis de Laurea, (1) qui hoc computat verum quoad objecta fidei ſecundaria, & de contingentibus, quæ poſſunt ſpecialiter revelari. Id patet ex Scoto in reportatis. [2] *Fides*, inquit, *poteſt manere in beatitudine, quia in nullo derogat ſtatui illorum*.

CONCLUSIO IV.

Habitus fidei perſeverat in animabus purgatorii, & in peccatoribus poſt amiſſam gratiam ſanctificantem, & charitatem, niſi ſit peccatum infidelitatis. Eſt communis.

Prob.1.ex Scoto: [3] *manet modo fides informis ſine charitate, & in patria manebit charitas ſine fide ... ſicut etiam in peccatore manent ſpes, & fides ſine charitate*. Quantùm ad animas purgantes colligitur mens ejus, quatenus non valent pro illis rationes, quas allegat pro Beatis, & damnatis: non enim ibi eſt incompatibilitas viſionis Beatorum, nec inutilitas tota, & privatio donorum ſupernaturalium, qualis eſt in damnatis.

Prob.2.1.p. ex Concil. Senon. in quo de his animabus inter alia dicitur, *ſemper interim ſalvis remanentibus in eo, fide, ſpe, & charitate ſecurus*, ſecuritas autem illa non eſt ſine fide, qua purgans ſcit morientes in gratia non poſſe damnari. Item ex Leone X. qui damnat propoſitionem Lutheri negantis animas purgatorii ſecuras eſſe de ſua ſalute; ergo ſperant, & credunt.

Prob. 3. nam, ut dicebam, non eſt eadem ratio de animabus purgatorii, ac de Beatis, nec de damnatis; ergo nec dubitandum, quin fides in eis maneat.

Prob.

[1] *P. 3. tom. 2. diſt. 38. a. 4.*
[2] *D. 9. n. 445. diſt. 31. n. 8.*
[3] *3. diſt. 25. A. n. 2. n. 26. K.*

Prob. ant. 1. non eſt illis inutilis, imò eſt utiliſſima; quia quod nondum vident per lumen gloriæ, credunt lumine fidei, licet iſta non ſit amplius meritoria, eſt tamen conſolatio, & levamen in pœnis. Item non carent donis ſupernaturalibus, ut damnati, &c. ergo nulla eſt ratio negandi in eis fidem.

Prob. 2. p. De peccatoribus ex Concil. Trident. [1] docente amitti fidem peccato infidelitatis, non per aliud, *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem .... Anath. ſit.*

Confirmatur ex Script. & Patribus. Nam D. Paulus ſatis docet fidem haberi poſſe ſine charitate, & cum peccato, cum dicit, [2] *ſi habuero omnem fidem ..... Et charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et S. Jacobus, [3] *fides ſine operibus mortua eſt*, non dicit nullam eſſe; ſed dicit eam inutilem, ſi ſit ſola, & non operetur per charitatem. *Fides ſine charitate poteſt eſſe, ſed non prodeſſe*, ait Auguſt. [4] Et Bernardus. *Sicut corporis hujus vitam ex motu ſuo dignoſcimus; ita & fidei vitam ex bonis operibus.*

Probatur 3. ratione 1. quia fides non opponitur peccato phyſicè, nec moraliter; ergo non amittitur per peccatum. 2. Quia ex Conciliis, & experientia homo ante acceptam gratiam juſtificantem, & remiſſionem peccati credit, ſperat, & per hæc ſe ſe diſponit ad juſtificationem, & in ſtatu peccati experitur ſe inclinatum ad aſſentiendum myſteriis fidei ſibi propoſitis, ſicut ante peccatum; & eodem modo recitat Symbolum fidei, & afficitur erga ſingulos ejus articulos. 3. Ex parte Eccleſiæ, quæ non ſolet excitare peccatores Catholicos ad fidem, ſed ad pœnitentiam, & charitatem. 4. fruſtra peccatores recitarent ſymbolum, ſi non haberent habitum fidei, quo aſſentirent articulis ejus; ergo &c.

Dixi *niſi ſit peccatum infidelitatis*. Nam, ut dicemus infra, qui evadit infidelis, nolendo credere alicui articulo fidei, amittit habitum fidei.

Objic. 1. Vera fides eſt donum Dei, quo homo con-

[1] *S. S. 6. c. 15. & can. 23.* [2] *1. Cor.*
[3] *Jac. 2.* [4] *1. Tr. Ser. 2. reſur.*

fidit firmiter dimiſſa eſſe ſibi peccata; ergo vera fides non ſtat cum peccato.

Reſp. neg. ant. nam, ut jam diximus, fiducia illa pertinet ad ſpem, non ad fidem.

Objic. 2. Fides conſiſtit in Dei cognitione: Sed Chriſtus non communicat ſui cognitionem peccatoribus, quia non communicat illam niſi per Spiritum S. qui eſt charitas; ergo fides non ſtat cum peccato, & ſine charitate.

Reſp. diſt. min. & per Spiritum S. illuminantem, per gratias actuales, con. per gratiam habitualem, neg. min. de facto, & regulariter fides habitualis non infunditur niſi cum charitate, ſed ſemel infuſa poteſt conſervari ſine illa, nec ſemper Spiritus Sanct. ceſſat illuminare chriſtianos, quoties retrahit charitatem.

Inſtab. *Corde creditur ad Juſtitiam*; ergo fides conſiſtit in affectu cordis potiùs, quàm cerebri, ſeu intellectus, ait Calvinus, ergo fides non eſt in peccatore.

Reſp. ex dictis ſupra neg. conſ. nam nomine cordis intelligitur mens æquè, ac voluntas. 2. Ita loqui poteſt Apoſtolus de corde propter piam affectionem, quæ concurrit ad actum credendi; & quia juſti credunt ex affectu charitatis in Deum. 3. loquitur de fide prout diſponit ad juſtificationem, quæ fit per infuſionem charitatis.

Objic. 3. Homo mortuus non eſt verus homo: Sed fides in peccatore eſt mortua: *eſt informis*, ajunt Theologi; ergo non eſt vera fides. Prob. min. ex S. Jacobo cit. (1) *fides ſine operibus mortua eſt*. Et D. Paulus, (2) *neque circumciſio, neque præputium aliquid valet, ſed fides, quæ per dilectionem operatur*. Et ut loquitur Auguſtin. (3) *fides debet eſſe Chriſtianorum, non Dæmoniorum*, ſeu peccatorum; ergo ſicut fides Dæmonis non eſt vera fides, ita nec peccatoris.

Reſp. diſt. min. eſt mortua, & informis, ideſt ſine vita, & forma gratiæ ſanctificantis, con. id. ſine vita, & forma ſua ſpecifica talis virtutis, & doni, neg. min. & conſ. prob. nam Scriptura, & patres loquuntur de forma, & vita gratiæ, qua fiat meritoria, non de forma eſſentiali, & ſpecifica, qua conſtituitur in eſſe talis doni, & virtutis. Inſt.

[1] *Jac.* 2. [2] *Gal.* 5, 15. [3] *Tr.* 18.

Inſt. alii Patres dicunt fidem ſine operibus bonis non eſſe veram; ergo in peccatore non eſt vera fides. Probat. antec. ex SS. Cypriano L. de ſimplicitate,& Gregorio hom. 29. & Beda in cap. 2. Jacobi. Et ſic de aliis.

Reſp. ut ſupra diſt. ant. & prob. ejus, non eſt vera, ideſt meritoria, nec formata, & forma, & vita gratiæ, con. non eſt vera, & formata, & propria forma ſpecifica, neg. ant. & conſ. nam Patres loquuntur de vita, & forma, quæ reddat eam meritoriam.

CONCLUSIO V.

IN hæreticis non eſt vera fides habitualis, ſed hæc amittitur per actum infidelitatis etiam unicum. Eſt communis.

Prob. 1. ex Soto. [1] *Si aliquis baptizatus credens omnes articulos poſt ea erret circa unum tantùm, tamen ſentit ſe firmiter adhærere omnibus aliis credibilibus .... ſed ſine fide infuſa ...... quia fides infuſa corrumpitur, cum hæreſis generatur, alias ſtaret ſimul fides, & hæreſis*, &c.

Prob. 2. ex Trident. (2) *dicente, quod infidelitate fides ipſa amittatur*.

Confir. ex Patribus: nam inquit Chryſoſt. cum Apoſtolo, [3] *de his, qui bonam conſcientiam repellentes circa fidem naufragarunt*, nam ſicut ille, qui naufragatur, *amiſſis omnibus, nudus evadit, ita is, qui ex fide excidit, nihil ſibi ex Dei donis, ac virtutibus retinet amplius*; ergo &c.

Prob. 3. nam errans pertinaciter in uno articulo fidei non eſt fidelis; ergo amittit fidem. Prob. ant. Eſt hæreticus; ergo non eſt fidelis; alioqui fides, & hæreſis eſſent ſimul in eadem anima.

Confir. nam habitus infuſi ſunt in eſſentia ſua indiviſibiles, non autem aggregati ex pluribus habitibus partialibus heterogeneis correſpondentibus diverſis actibus, ad quos inclinant, ut ſunt habitus acquiſiti tam ſcientiarum, quam virtutum moralium, v. g. idem indiviſibilis habitus fidei, qui inclinat ad credendum articulum Trinitatis perſonarum in unitate eſſentiæ, inclinat ad credendam incarnationem:

Cc 6 er-

[1] 3. *d.* 23. *B. n.* 4. [2] *ſ.* 6. *c.* 15. [3] 1. *Tr.* 1. *hom.* 4.

ergo per incredulitatem unius articuli amittitur totus habitus fidei infuſæ.

Objic. 1. Hæreticus errans tantum in uno puncto fidei; v.g. negans purgatorium, vel Euchariſtiam, experitur in ſe eandem inclinationem, & facilitatem credendi alios articulos, v. g. totum ſymbolum, quam ſentiebat ante lapſum; ergo retinet eundem habitum fidei; non enim poteſt aliunde inclinari.

Reſp. ex Scoto cit. neg. conſ. & ant. nam eadem inclinatio poteſt venire ab habitu fidei naturalis, & acquiſitæ per frequentes actus credendi tales alios articulos ſymboli.

Objic. 2. Si per unum peccatum infidelitatis perderetur habitus fidei infuſæ, hoc fieret phyſice, aut moraliter; ſed neutrum dici poteſt; ergo. prob. min. 1. non phyſice, quia actus infidelitatis de purgatorio non opponitur phyſice habitui, vel actibus de Trinitate, vel incarnatione; ergo non expellit eos phyſice: 2. non moraliter, ſeu demeritorie, nam iſtud peccatum non eſt gravius odio Dei; ſed propter odium Dei non aufertur habitus fidei; ergo nec propter incredulitatem de purgatorio.

Reſp. neg. min. nam perditur ille habitus demeritoriè, & neg. etiam conſ. prob. nam qui non credit uni puncto fidei, tam offendit Deum in ſua veritate, quam qui renuit credere omnibus; nam ſi Deus falleret in uno, fallere poſſet in omnibus, & abſolutè non eſſet verax.

Inſt. in aliis poteſt amitti habitus ad unam concluſionem, & retineri quoad aliam; v. g. medicus poteſt retinere habitum circa corpus naturale, & amittere circa ſanabile, aut circa unam partem corporis, & non circa alias; ergo ita eſt de habitu fidei, poteſt amitti inclinatio credendi Trinitatem, & non circa incarnationem.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas patet ex dictis, habitus naturales ſunt diviſibiles, acquiruntur, & deſtruuntur ſucceſſivè, non ita eſt de infuſis, qui toti ſimul, & indiviſibiliter dantur, & tolluntur à Deo.

Igitur habitus fidei eſt in omnibus, & ſolis catholicis viatoribus, ſeu, qui non ſunt in termino beatitudinis, aut damnationis, quod addo propter dicta de

de animabus purgatorii, in quibus manet, donec conſequantur viſionem Dei.

Dixi; *habitualem fidem*. Nam per auxilia gratiæ ſupernaturalis Catechumeni poſſunt habere actus fidei; ut docet Tridentinum [1] de his, qui ſe diſponunt ad juſtificationem. Quippe, *Divina gratia excitati, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum credentes vera eſſe; quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt.*

QUÆSTIO IV.

De cauſa efficiente habitus fidei; à quo, & quomodo producatur, & deſtruatur.

JAM vidimus de cauſa materiali, & ſubjectiva fidei, in qua potentia immediate, & in quibus perſonis ſubjectetur. Vidimus etiam de cauſa formali, quæ eſt veritas Dei in loquendo. De finali nihil occurrit diſputandum. Certum eſt enim eam eſſe hominis juſtificationem, & ſalutem juxta illud *reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum*. Reſtat, ut de cauſa efficiente dicamus.

1. Certum eſt habitum fidei eſſe Dei donum, & ab illo immediate infundi ex meritis Chriſti. [2] *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex nobis, nequis glorietur; donum enim Dei eſt*. Et ratio eſt, quia ut ait idem Apoſtolus, [3] *omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Et ita docet Scotus, [4] nam, inquit, *fides infuſa eſt perfectior habitus ſimpliciter quocumque habitu acquiſito, eo quod, ratione ſuæ perfectionis, non poteſt conſervari niſi à Deo in ratione cauſæ*; ergo fides, quæ hominis intellectum ſanat, & perficit, & elevat ad attingendum Deum velut ultimum finem noſtrum conſequendum, & media, per quæ ad illum perveniatur, non poteſt eſſe niſi a Deo.

2. Certum eſt illum habitum produci per creationem, eſt enim eadem ratio, ac de gratia, & charitate, & ſpe; neque hic eſt immorandum.

Reſtat quærendum, an ſimul infundatur cum illis aliis habitibus, & hoc inſeparabiliter, ut nequeat

[1] *Seſſ.6.c.6.* [2] *Epheſ.2.*
[3] *Ro.1.* [4] *3.d.23.1.*

queat ſeorſim infundi. Loquor autem de fide ſupernaturali, non de acquiſita; & naturali; nam habitus naturales acquiruntur per actus ſpecificos, & ſeorſim.

CONCLUSIO I.

Fides regulariter non infunditur primo ſine aliis virtutibus Theologicis, ſpe, & charitate, poſſet tamen infundi ſine illis. Eſt communis.

Probatur 1. ex Scoto. (1) *Dico, quod virtutes Theologicæ non ſunt connexæ inter ſe, cui patet in patria, ubi manebit habitus, & actus charitatis ſine habitu, & actu fidei, & ſpei.... ſed numquid in fieri, vel infuſione ſunt connexæ? R. quæcumque ſeparari poſſunt in eſſe, poteſt Deus ſeparare in fieri. Et ideo, quantum eſt ex ſe, non neceſſario connectuntur in infuſione; ſed ex liberalitate divina connectuntur; quia Deus totum hominem perficit*. Habes utramque partem concluſionis.

Prob. 2. ex Concil. ut ex Viennenſi dicente, quod probabilius eſt in baptiſmo *infundi gratiam, & virtutes* etiam parvulis. Et Trident. (2) dicit, quod *cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem*. & rationem dat ibidem, quia *fides ſine ſpe, & charitate non unit perfecte cum Chriſto*. Quod etiam probat Doctor (3) ex cap. *ſunt plures*. Ubi dicitur quod Deus neminem ſanat unquam, *quem ex integro non fecerit ſanum*.

Probatur 2. p. 1. ex Script. (4) & Patribus, nam legimus, quod aliqui *ex principibus crediderunt in Chriſtum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*: ergo illi habebant fidem ſine ſpe, nec charitate. Et Auguſtinus de Catechumenis dicit; *in quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum .... ſiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles*; ergo aliquando datur fides ſine charitate juſtificante.

Prob.

[2] *3.d.36.R.n.3.* [2] *Seſſ.6.cap.7.*
[3] *Ibid.d.3.de pænit.* [4] *Jo.12.*

Probatur 2. tum quia nulla eſt in hoc repugnantia; tum quia fieri poteſt aliquando, ut aliquis adultus ſit diſpoſitus ad gratiam fidei, & non ad gratiam charitatis; ergo tunc ille reciperet habitum fidei ſine charitate. Nam Deus in ordine gratiæ, ſicut & naturæ inducit formas ſecundum diſpoſitiones, quas deſiderat in ſubjectis; ergo &c. Prob. ant. quia fieri poteſt, ut Catechumenus ſit diſpoſitus, & credat omnes articulos fidei, dum illi proponuntur, & ſic ſuſcipiat baptiſmum; ſed cum impedimento ad gratiam juſtificationis: ergo tunc ille recipiet characterem, & habitum fidei ſine habitu charitatis, & ſpei; quia eſſet diſpoſitus ad illum, & non ad iſtos. Prob. ant. ex dicendis de ſacramentis, & maxime de baptiſmo, quod poſſit eſſe validus, & informis.

Objic. 1. Fides ſine charitate non eſſet virtus; ergo &c. Prob. ant. tum quia charitas dicitur forma virtutum: tum quia ex Apoſtolo, [1] fides ſine charitate nihil eſt; &c.

Reſpondeo neg. 1. ant. & diſt. 2. eſt forma extrinſeca, con. intrinſeca, & eſſentialis, neg. ant. ſed de hoc infra. ad 3. pariter diſt. nihil eſt quoad meritum, con. nihil eſt quoad eſſe virtutis, neg. ant. ſenſus Apoſtoli eſt, quod charitas dat formam, & vitam fidei, ut ſit meritoria ſalutis; non negat tamen, quin juvet, & diſponat ad meritum, & juſtificationem.

Objicies 2. ex Auguſt. [2] *Charitas eſt in homine, ſicut ſanitas: fides tanquam ſenſus: charitas colligit, & vivificat omnia membra Eccleſiæ*, &c. ergo ſicut ſenſus nihil eſt ſine vita, & ſanitate, ita nec fides ſine charitate.

Reſpondeo neg. conſ. imo ſequitur contrarium; nam ſanitas non eſt forma eſſentialis ſenſuum, ſed accidentalis, ita & charitas reſpectu aliarum virtutum, ſed de hoc alias. Auguſtinus non loquitur de charitate quoad alias virtutes in rigore phyſico, vel metaphyſico, ſed morali, quatenus Deus non acceptat opera aliarum virtutum ad meritum gratiæ, & gloriæ, niſi operentur cum charitate.

CON-

[1] 1.*Cor*.13. [2] *de ſadnt.docum.c*.52.

CONCLUSIO II.

Fides habitualis poteſt amitti, & amittitur per infidelitatem, non phyſicè, ſed moraliter, ac demeritoriè.

Prob. 1. ex Scoto ſupra cit. [1] *Fides non corrumpitur in nobis effectivè, ſed demeritorie. Et quidem per illud, quod ex ratione ſua opponitur fidei, ut eſt infidelitas, ſive error circa credibilia.* Habes hic totam concluſionem.

Prob. 2. ex Script. [2] *periit fides, & ablata eſt de ore eorum.* Nam, inquit Gloſſa. [3] *loquitur de fide chriſtianorum.* Et Apoſtolus dicit, [4] *habens fidem, & conſcientiam bonam, quam quidam repellentes circa fidem naufragarunt; ideſt fidem perdiderunt,* ait eadem Gloſſa. Et Chriſtus. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua,* quod fruſtra dixiſſet, ſi non potuiſſet perdere fidem, ſicut potuit peccare.

Confir. ex Trid. [5] aſſerendum eſt; *non modo de infidelitate, per quam amittitur fides...& ſi quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & ſemper amitti fidem;* ergo aliquando perditur fides per aliquod peccatum; non per quodcumque.

Prob.3. ex dictis in præcedenti quæſt. de beatis, & damnatis.

Prob.2. p. ex iiſdem dictis ſupra de peccato infidelitatis, quæ non vacat repetere. Item ex dictis de gratia; nam idem eſt de habitibus infuſis virtutum, ac de gratia; ergo ſicut gratia non amittitur niſi demeritorie., ita nec habitus fidei, qui ſicut a ſolo Deo pendet in fieri, ita & in conſervari, & deſtrui.

Confir. ex Auguſtino. *Errare potero,* inquit, *ſed non ero hæreticus.* Et de facto plures Catholici ſimpliciores errant materialiter circa objecta fidei, nec tamen perdunt illum habitum; ergo actus erroris, & habitus fidei non opponuntur phyſice, nec phyſice illum expellunt, ſed demeritorie, quando ſunt peccaminoſi, & cum pertinacia, quia tunc pertinaciter, & vo-

[1] 3. *d.*23. *L.* [2] *Jerem.* 7.
[3] 1. *Tim.* 4. [4] *Luc.* 22.
[5] *ſeſſ.* 6.*c.*6 *& can.* 28.

voluntariè errans movet Deum ad retrahendum donum illud ſuum.

Objic.1.con.1.p. Non conſtat ex Scriptura, nec traditione fidem poſſe amitti; imò dicitur quod [1] *ſine pœnitentia ſunt Dei dona*; ergo non ammittitur.

Reſp. neg. ant. nam id conſtat ex teſtibus citatis ad probationem, hic locus Pauli malè applicatur, alioqui probaret neque charitatem amitti poſſe; quippe non minùs eſt Dei donum, quam fides. Senſus ejus eſt, quia Deus non revocat dona ſua ex pœnitentia, aut mutatione conſilii, quamvis peccator abutendo donis illis, mereretur ingratitudine ſua, ut de illis pœniteret, ſi poſſet.

Inſt. hæreticus experitur in ſe eandem inclinationem aſſentiendi articulis, circa quos non errat; ergo non amittit fidem circa illos.

Reſp.neg.conſ.nam.ut jam dixi, illa inclinatio, & facilitas venit ex habitu naturali, & acquiſito per actus credendi ante lapſum, ſive poſt.

Objic.con.2.p. Infidelitas phyſicè opponitur fidei: ergo phyſicè deſtruit habitum ejus. Prob. ant. diſſenſus revelatorum tam opponitur eorum aſſenſui, quam quivis actus injuſtitiæ ullis actibus juſtitiæ; ſed actus juſtitiæ, & injuſtitiæ opponuntur phyſicè; ergo & actus infidelitatis cum fide; ergo tam phyſicè hæc ſe deſtruunt, quàm illa.

Reſp. diſt.ant. & maj. infidelitas actualis cum fide actuali, & comparatione facta inter actus ipſos; con. actualis cum habituali, ſi actus comparentur ad habitum infuſum, neg.ant. & maj. nam habitus ſupernaturales, qualis eſt habitus fidei, non pendent in fieri, nec in conſervari ab actibus, benè verò habitus acquiſiti, ut habitus juſtitiæ, qui cum acquiratur per actus juſtitiæ, & per eos intendatur; ita per actus injuſtitiæ remittitur, & tandem deſtruitur. Non ita eſt de actibus virtutum infuſarum ob rationem allatam de diverſitate, & inæqualitate ordinis.

Objic.2. Si infidelitas non deſtrueret phyſicè fidem, poſſent eſſe ſimul; ſed conſ. eſt falſum, & repugnans; ergo &c. Prob. maj. nam actus demeritorius debet præcedere pœnam, & ſæpiùs eam præ-

[1] *Ro.*11.

præcedit etiam duratione; & judex poteſt pœnam differre, ſicut & præmium poteſt differre poſt meritum; ſed infidelitas ſe haberet ut culpa, & privatio habitus fidei ut pena; ergo ſi opponerentur tantum moraliter, poſſent eſſe ſimul.

Reſp. diſt. maj. de potentia abſoluta, con maj. & neg. min. de via ordinaria, neg. maj. & conſ. nam Deus poſſet nolle deſtruere habitum fidei in hæretico, ſicut poſſet nolle privare gratia peccatorem, ut diximus de oppoſitione gratiæ cum peccato.

QUÆSTIO V.

An fides importet duos habitus, unum in intellectu, & alium in voluntate.

INter intellectum, & voluntatem eſt mutua dependentia; ille proponit huic objecta, & viciſſim iſta applicat intellectum ad hæc, vel illa conſideranda, imò & inclinat, & determinat illum ad aſſenſum, vel diſſenſum, quando veritas non eſt evidens, ſed obſcura, ut in rebus fidei: denique hæc determinat illum vel ad ſpecificationem in obſcuris, *vel ſaltem* ad exercitium in evidentibus, ut ſuppono ex Philoſophia.

Quia ergo objecta fidei ſunt obſcura, nec ſatis determinant intellectum ad aſſenſum, imò ſæpè fugiunt, & ſuperant captum ejus, & ideò *captivandus eſt in obſequium Chriſti*; ideò debet determinari à voluntate per *piam in Deum affectionem*, ut vocant. Et quærimus, an hæc pia *affectio voluntatis* proveniat ab aliquo habitu infuſo in voluntate, ut ſic inclinet, & determinet intellectum, ſicut admittitur habitus in intellectu, quo elevatur ad aſſenſum, & illa affectio ſit ſupernaturalis: & ſic dicendum erit fidem Theologicam importare duos habitus infuſos, unum in intellectu, & alterum in voluntate.

Quæritur denique, an omnis aſſenſus fidei ſit liber, ita ut cuicumque articulo ejus qualitercumque propoſito poſſit viator aſſentiri, vel diſſentire, aut ſaltem non aſſentiri ex libertate voluntatis, quæ poſſit pro libitu determinare intel-

lectum

lectum ad unam partem, vel aliam: & unde proveniat, quod in bonam partem inclinet: an ab aliquo habitu infuſo ipſi voluntati, qui dicatur pia illa affectio pertinens ad virtutem fidei.

CONCLUSIO I.

Omnis actus fidei Theologicæ pendet à voluntatis motione, vel imperio, & ſic eſt liber libertate exercitii, imò & ſpecificationis, ſaltem ordinariè. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui malè citatur in contrarium, *quia proponens credibile intellectui non demonſtrat, ita ut cogat intellectum ad aſſentiendum: ideò non credit niſi volens*. Hic habes 1. partem. *Quamvis autem voluntas habeat imperium ſuper actum credendi, non tamen habet imperium ſuper actum oppoſitum ſtante fide, ut intellectus diſſentiat* (poſitivè) *credibili propoſito per imperium voluntatis; ſed ſolum poteſt impedire intellectum, ne exeat in actum credendi elicitum circa credibilia propoſita*. Hunc textum non legerat Gonetus, cùm citavit Scotum in contrarium. Hæc autem ultima verba videntur contraria 2. parti, in qua aſſerimus libertatem ſpecificationis; ſed hanc defendit Hiquæus in commentario q.2.n.11.

Prob. 1. ex Scriptura: nam Chriſtus exprobrat Apoſtolis duritiam ad credendum, [2] *ò ſtulti, & tardi corde ad credendum*. [3] Et, *exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis*. Et credere tribuitur obedientiæ: [4] *Multa turba ſacerdotum obediebat fidei*. Et, *non omnes obediunt Euangelio*. Et qui credunt, dicuntur [5] *captivantes intellectum in obſequium Chriſti*: quod non fit, niſi per voluntatem ex pio affectu.

Prob. 3. ex Concil. Arauſic. quo definitur, [6] *ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, eſſe per gratiæ donum*, ideſt per inſpirationem *Spiritus Sancti corrigentis noſtram voluntatem, ab infidelitate ad fidem*. Et Trident. dicit, quòd [7] *liberè movemur in Deum credentes* &c. ergo actus credendi eſt liber, ſeu pendet à motu voluntatis libero.

Prob. 4.

[1] *3.d.25.q.1.kn.11.* [2] *Luc. ult.* [3] *Marc. ult.* [4] *Act. 6.* [5] *Rom. 10.* [6] *cap. 5.* [7] *Seſſ. 6. c. 6.*

Prob.4. ex Patribus, nam inquit Irenæus; [1] *non tantum in operibus, ſed etiam in fide liberum & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſervavit Deus*. Et Ambroſius: *credere, aut non credere voluntatis eſt*. Et Auguſt. [2] *intrare quis in Eccleſiam non volens, credere autem non poteſt niſi volens*.

Prob.denique: quia omnis actus veræ fidei eſt meritorius; ergo eſt liber, non elicitivè, quia elicitur ab intellectu, ſed directivè, aut imperativè, quatenus voluntas non impedit, ſed inclinat, & determinat eum ad aſſentiendum veritati propoſitæ ut revelatæ.

Confir. quia objectum fidei ex ſe non ſufficienter convincit intellectum, ut credat; ergo debet determinari aliunde, ſed motu libero; alioqui non eſſet meritorius: ſed non poteſt determinari aliunde, niſi à voluntate; ergo &c. prob.ant. quia objectum fidei eſt ſemper obſcurum; ergo non convincit ſufficienter intellectum, ut ſe ſolo determinet eum, ut credat. Prob. conſ. Nam ſi ſufficienter determinaret intellectum, iſte crederet independenter, & nolente voluntate, ſicut aſſentitur objecto evidenti ipſa nolente, & ſicut oculus apertus videt neceſſariò lucem; ergo &c.

Prob. 2. p. 1. quia regulariter objecta fidei non ſic proponuntur cum motivis credibilitatis tam evidentibus, ut nulla appareat ratio, vel prætextus diſſentiendi; ergo regulariter actus fidei eſt liber quoad ſpecificationem, & quoad exercitium · patet conſ. nam in his caſibus intellectus eſt indeterminatus ex objecto ad utrumque. Prob. ant. 1. experientia hæreticorum, quibus proponuntur articuli, quos non credunt cum omnibus motivis credibilitatis, quibus fideles meliùs affecti convincuntur, & tamen illi diſſentiunt, & iſti credunt: 2. experientia de rudioribus, qui cùm ſint minus capaces diſcurſus, plus moventur authoritate ex affectu in Deum, & religionem, quàm ex vi rationum: 3. denique authoritates allatæ ex Scriptura, & Patribus tam valent pro libertate ſpecificationis, quàm exercitii; ergo &c.

Prob.2.

[1] *l.4.c.62*
[2] *tr.26.Joan.5.conſid.6.*

Prob. 2. ex aliis Scripturis, quibus notatur malitia, & obduratio Judæorum, & aliorum, qui non crediderunt habentes eadem motiva, eadem miracula, quibus alii converſi ſunt. Nam dicebat Chriſtus, [1] *ſi non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*, &c. Item, *ſi mihi non vultis credere, operibus credite*, &c. ergo Judæi, qui obdurati ſunt, habebant ſufficientia motiva credendi, ſicut ipſi Apoſtoli, & alii fideles, qui crediderunt; ergo ſub iiſdem motivis fidei intellectus poteſt aſſentiri, & diſſentiri objectis fidei; ergo fides libera eſt quoad ſpecificationem, & exercitium dependenter a voluntate.

Dixi (*ſaltem ordinarie*) Nam poteſt fieri, ut intellectus ſic convincatur de veritate myſterii, ut non poſſit diſſentiri, quamvis poſſet non elicere actum aſſenſus quoad exercitium; ſed a voluntate applicaretur alteri objecto, & diſtraheretur ab objecto illo fidei. Sed hæc raro accidunt.

Objic. 1. ex Philoſ. *poſſumus, imaginari, cum volumus, opinari autem non ita*: ſed credere, vel non credere eſt opinari; ergo credere non pendet a voluntate, nec eſt actus liber.

Reſp. diſt. maj. *imaginari* per applicationem potentiæ ad objectum, & *opinari* in rebus evidentibus, conſuppoſita applicatione ad objectum obſcurum, vel dubium, neg. maj. & conſ. nam Philoſophus loquitur de *imaginari* quoad applicationem, & *opinari* in rebus evidentibus: in his non eſt liberum opinari quoad ſpecificationem, bene vero quoad exercitium, ut diximus in Philoſophia.

Inſt. 1. Dæmones credunt ſine pia affectione, vel bono motu voluntatis, quia non ſunt capaces talium motuum; ergo &c.

Reſp. ex dictis diſt. ant. credunt ex fide naturali, con. ex fide Theologica, neg. ant. & conſ. nam vera hæc fides non eſt in damnatis, ut probatum eſt.

Inſt. 2. Intellectus non eſt liber, ſed agit naturaliter ſuppoſita præſentia objecti; ergo non eget determinari a voluntate, nequidem circa veritatem ſufficienter præſentem; ſed ſufficienter applicatur veri-

[1] *Jo. 15. & 17.*

ritatibus fidei per motiva credibilitatis; ergo ſuppoſitis his motivis, actus fidei non eſt liber, etiam quoad exercitium.

Reſp. diſt. ant. non eſt liber in ſe, & quoad ſpecificationem, con. quoad exercitium, & dependenter a voluntatis imperio, vel motione, neg. ant. & diſt. pariter ſubſ. ſufficienter applicatur, ut determinetur moraliter ad credendum, nec poſſit diſſentire poſitive pręciſe ſub his motivis, con. determinatur ad exercitium, ſeu ad eliciendum hic & nunc aſſenſum, neg. ſubſ. nam ſuppoſita quacumque convictione, adhuc poteſt diſtrahi per voluntatem ab objecto credibili, & alteri applicari.

Objic. 2. In tantum poſſet voluntas determinare intellectum ad credendum, quatenus illi redderet objectum verius, aut evidentius; ſed neutrum pendet a voluntate; ergo nec actus credendi. Prob. maj. intellectus non movetur, nec determinatur niſi a veritate objecti; ergo voluntas non poteſt determinare intellectum, niſi faciat apparere objectum verius, & evidentius, v.g. applicando intellectum, ut attentius attendat ad motiva credendi: nam ſic objecta fidei redduntur credibiliora.

Reſp. neg. maj. & ant. Nam abſolute voluntas habet imperium in intellectum, ita ut, ſuppoſita prima apprehenſione objecti phyſice, aut moraliter non evidentis, applicet illum ad aſſenſum, aut ſuſpendat actum ejus in contrarium, vel ut aſſentiatur propoſitioni revelatæ, quæ non eſt evidenter falſa.

Objic. 3. ex Scoto. [1] *Contradictionem non video, quin intellectus, ſi fieret mere per ſe & objectum præſens, poſſet intelligere, vel credere ſibi præſentato*; ergo intellectus non eget motu voluntatis, ut credat; nec actus credendi eſt liber ex illo motu.

Reſp. neg. conſ. quia Doctor ibi non agit de hac quæſtione, ſed an ut voluntas inclinet, & determinet intellectum ad credendum, egeat habitu ſupernaturali ſibi inhærente, ſicut eſt in intellectu, ut credat; & opponit rationibus D. Thomæ non implicare, quin intellectus ſibi relictus poſſit credere objecto ſibi præſentato ſine ullo habitu ſupernaturali in voluntate, *modo tamen voluntas non moveat in-* con-

[1] *Ib. d. 7. 2. n. 1.*

contrarium: & addit, *eſto, quod requiratur motio voluntatis poſitiva, ſufficit voluntas ad hic movendum in puris naturalibus, ſuppoſito habitu ſupernaturali in intellectu* &c. Igitur hoc dicit, non ex propria mente, ſed ut probet argumentum D. Thomæ non eſſe efficax: quia ſcilicet poſſet aliter ſalvari ſubjectio intellectus à voluntate. De habitu autem illo in voluntate dicemus infra.

Objic.4. Ille actus voluntatis requireretur ut conditio applicans objectum intellectui, vel ut removens impedimentum aliquod, vel ut ponens aliquid prærequiſitum, vel ut concauſa actus credendi; ſed nihil horum dici poteſt; ergo ille motus voluntatis eſt ſuperfluus.

Reſp.neg.maj.nam voluntas non concurrit ad credere ullo ex his modis, ſed ſolum imperativè, & ab extra impellendo intellectum ad aſſentiendum veritati obſcuræ, qui influxus non pertinet ad ullum ex dictis in argumento.

Objic.5. Ad fidem humanam non requiritur motus ille voluntatis; ergo nec ad divinam, quia infallibilis eſt. Prob. ant. ut credam dicenti mihi Indos exiſtere, non egeo imperio voluntatis, quo movear ad id credendum; ergo &c.

Reſp. neg.utrumque ant.niſi enim quod mihi dicitur ab homine, ſit evidens phyſice, aut moraliter, ita ut non poſſet negari niſi proterviter, liberum erit mihi ſemper id credere: unde manavit proverbium, *credere eſt urbanitas*.

Reſp.2.neg.conſ.& diſparitas eſt, quod regulariter quæ ab homine narrantur, non ſunt ita ſupra captum noſtrum, ſicut myſteria fidei noſtræ; & ſic intellectus noſter minus eget adjutorio bonæ voluntatis, & affectus in Deum revelantem.

Objic.6. Vel objectum fidei proponitur ut verius oppoſito, vel ut minus verum, vel ut æquè verum: ſed in nullo caſu aſſenſus eſt liber; ergo &c. Prob.min. ſi apparet verius, non poſſum illi non aſſentiri: 2. ſi minus verum, debeo aſſentiri oppoſito ut veriori; ſaltem non poſſum aſſentiri minus vero: 3. ſi æque verum, hærebo anceps tam voluntate, quam intellectu; ergo &c.

Reſp.neg.maj. non enim comparanda ſunt objecta

fidei

Fidei cum erroribus contrariis penes majorem, æqualem, vel minorem veritatem, nequidem ex apparentia, ſed penes auctoritatem, & dignitatem dicentis. Nam veritas myſteriorum eſt ſemper obſcura. auctoritas verò, & dignitas Dei dicentis non admittit comparationem. Ideo objecta, quæ proponuntur ut credenda, ſemper ſupponuntur ſimpliciter, & abſolutè veriſſima; ſed hoc non apparet intellectui; ideò debet inclinari à voluntate ad credendum.

CONCLUSIO II.

Illa pia affectio voluntatis, quæ movet intellectum ad aſſenſum fidei, eſt quidem aliquo modo ſupernaturalis; ſed non ideò neceſſarius eſt in illa habitus ſupernaturalis, & ſpecialis in voluntate præter habitum fidei, qui eſt in intellectu, & præter gratiam actualem in eadem voluntate. Eſt communis quoad 1. p. & contra recentiores quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto: quia [1] *ſicut in inſtrumento artificiali ſufficit acuies ad hoc, ut virtus motiva moveat ipſum ad ſcindendum, nec requiritur ſimilis diſpoſitio in principali movente: ita hic ad hoc quod voluntas moveat intellectum ad credendum credibile, ſufficit diſpoſitio intellectus* &c. ergo ex Scoto non eſt neceſſarius habitus ſupernaturalis in voluntate præter habitum fidei, ut faciat credere.

Prob. 2. Nam ipſe actus fidei eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, & motio illa voluntatis imperantis actum illum eſt meritoria, & conducens ad ſalutem: ſed certum eſt, hominem nullum tale opus efficere poſſe ſine auxilio ſupernaturali; ergo illa motio, ſeu imperium voluntatis eſt ſupernaturale ex tali auxilio. Min. patet ex dictis de gratia: prob. maj. actus fidei non poteſt eſſe bonus, & meritorius, niſi prout eſt voluntarius, ſeu liber: ſed non poteſt eſſe liber, niſi ex motione, & imperio voluntatis, non autem prout elicitus ab intellectu, qui non eſt facultas libera; ergo &c.

Confir. ex Concil. Trident. cit. Nam pia illa affectio eſt motus in Deum, quo volumus credere revelata; & per illam fidem, & motum diſponimur ad juſti-

[1] *Ibid.* 7. 2. B. n. 2.

juſtificationem, & idem motus venit a gratia excitante, & adjuvante; ergo ille motus eſt ſupernaturalis, ſicut & ipſum credere, & ipſa gratia ſanctificans, ad quam diſponit.

Dixi autem, *aliquo modo*, nempe ex parte auxilii divini: non enim puto, piam illam affectionem, aut motionem eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia, ſicut eſt ipſe actus fidei, ſed ſufficit ſupernaturalitas ex parte illius gratiæ. Imo docent aliqui graves Scotiſtæ, ut Maſtrius, [1] & Biancatus, [2] quod fidelis aſſuetus aſſentiri myſteriis fidei non videtur egere imperio illo voluntatis, quæ determinet intellectum; ſed ſtatim propoſitis ſibi articulis illis, inclinatur, & determinatur per illummet habitum ad credendum. Sed puto, quod tales actus non erunt meritorii defectu libertatis, ſeu deliberationis, ſed tamen erunt actus veræ fidei.

Prob. 2. p. quia neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex traditione, vel Patribus colligitur neceſſitas ponendi talem habitum, ſed potius contrarium; ergo &c. Prob. ant. non enim ſolent numerare niſi tres illos, fidem, ſpem, & charitatem; ergo &c. quia non ſunt multiplicandi habitus ſine neceſſitate.

Prob. 2. quia non poteſt dici, ad quid inſerviret ille habitus; ergo gratis aſſeritur. Prob. ant. vel eſſet utilis, ut voluntas imperet intellectui credere, vel ut ipſe credat; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. non ut imperet; nam ad hoc ſufficit motio, & auxilium gratiæ actualis, ut fit ante juſtificationem in Catechumenis, & peccatoribus ante infuſionem habituum. 2. neque ut ipſe intellectus credat, nam ad hoc ſufficit ipſe habitus fidei in intellectu.

Confirm. quia non poteſt dici, ad quam virtutem pertineret talis habitus; ergo &c. Prob. ant. 1. non ad fidem, ſpem, & charitatem, qui ſoli habitus ſunt ſupernaturales per ſe, & in ſubſtantia: ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Poteſt aliquis converti ex paganiſmo, vel hæreſi ex motivo temporali, v.g. ad conſequendam hæreditatem, vel dignitatem, & ex illis motivis credere ſyncere; ſed tunc affectio credendi, ſeu imperium non erit meritorium, nec ſupernaturale;

[1] *d.6.n.247.* [2] *d.11.n.260.*

ergo neque in aliis: de his enim eſt eadem, imo & potior ratio, cum non ſint tardiores ad credendum.

Reſp. diſt. maj. credere externe, & apparenter, & fide naturali, con. fide interna, ſyncera, & ſupernaturali, neg. maj. & conſ. nam ad actum fidei internæ, maxime in Catechumenis, & venientibus ad veram fidem, neceſſaria eſt gratia ſupernaturalis illuminans intellectum, & movens, & adjuvans voluntatem.

Inſt. Affectus credendi poteſt eſſe ex malo fine, aut ex fine pure naturalis honeſtatis, ut cum quis baptizatur ex deriſione: ſed tunc nulla gratia concurreret ad talem fidem; ergo &c.

Reſp. ut ſupra: nam illud credere eſſet mere naturale, & apparens; ut cum Chriſtus dicebat Phariſæis, *quomodo poteſtis credere vos, qui gloriam ab invicem accipitis?* Et idem de ficte ſuſcipientibus ſacramenta; niſi enim ex recta intentione id fiat, nihil juvant, ſed nocent in damnationem.

Objic. 2. Si tale imperium eſſet ex gratia, ſupponeret aliam cognitionem etiam ſupernaturalem; ſed hoc dici non poteſt; ergo nec illud. Maj. patet: nam voluntas non imperat incognitum; non imperaret credere, niſi hoc illi proponeretur. Prob. min. nam ſic fides non eſſet prima virtutum, nec initium ſalutis; illa cognitio, & affectio præcederet in ratione virtutis, & meriti.

Reſp. neg. maj. nec enim requiritur, quod actus credendi, quem imperat, proponatur per aliam fidem, aut cognitionem ſupernaturalem; ſufficit, quod hoc fiat legendo librum, vel audiendo parochum, aut alium: tunc enim voluntas excitata, & adjuta per gratiam actualem impellit intellectum, ut propoſitis per lectionem, aut inſtructionem aſſentiatur.

Objic. 3. ex Scoto. [1] *Eſto, quod requiratur motio poſitiva voluntatis, etiam ſufficit ad ſic movendum in puris naturalibus; quia poſito vero ſupernaturali præſente intellectui, poſſet voluntas movere intellectum ad intelligendum illud, dummodo in intellectu eſſet habitus inclinans intellectum ad illud;* ergo ex Scoto voluntas ex puris naturalibus movet intellectum ad credendum.

Reſp.

[1] *Ibid. A. n. 2.*

Reſp. diſt. ant. in puris naturalibus quoad ſubſtantiam, & ſine aliquo habitu ſupernaturali, con. quoad modum, & ſine auxilio gratiæ actualis, neg. ant. & conſ. Nam Scotus ſic loquens intendit ſolum negare neceſſitatem ullius habitus ſupernaturalis in voluntate ad ſic movendum intellectum.

Inſt. Scotus [1] nequidem exigit motionem illam poſitivam, ſufficit, ut ſe habeat permiſſive, ſeu *ut non contra moveat;* nec plus requiritur; ergo multo minus exigit concurſum poſitivum gratiæ, nec motionem poſitivam.

Reſp. 1. neg. conſ. Nam Scotus ibi loquitur problematice, non reſolutive.

Reſp. 2. diſt. ant. ſuppoſito præcedenti influxu voluntatis ad fidem acquirendam, con. ſi non adſit fides, quæ elevet intellectum ad attingendum, & credendum objectum, neg. ant. *ſuppoſita fide acquiſita, poteſt intellectus per habitum infuſum credere credibili præſenti,* [2] quia tunc intellectus eſt ſufficienter inſtructus, & applicatus, ſed tamen adhuc illa permiſſio voluntatis, etiam negativa, non eſt ſine aliqua gratia: nam quod poſſit contramovere, & non contramoveat, virtutis eſt, *quæ potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſa* &c.

Objic. con. 2. p. Intellectus, ut credat ex fide, indiget habitu fidei; ergo & voluntas, ut imperet credere. Prob.conſ. imperium hoc voluntatis tam eſt ſupernaturale, quam illud credere; ſed credere eſt ex habitu fidei; ergo & illa volitio, ſeu imperium.

Reſp. neg. ant. & maj. quia credere eſt phyſice, & elicitive ab intellectu, qui ideo debet elevari, & inclinari ad actum ſuper ejus vires activas, & non eſt a voluntate per ullum influxum phyſicum, ſed moralem, & mediatum: nec enim voluntas efficit actum credendi, ſed mediate, & moraliter inclinat intellectum, ut credat.

Inſt. Qualitercumque voluntas concurrat, ſemper concurſus ejus eſt neceſſarius, & diſponit ad juſtificationem, & eſt ſupernaturalis æque, ac ipſum credere; ergo tam exigit habitum ſupernaturalem in voluntate. Prob. ant. intellectus non inquireret de veritate, nec de motivis credibilitatis, nec attenderet

[1] *Ibid.* [2] *Ibid.*

ad verbum Dei, denique non faceret ea, quæ juvant ad credendum, nec crederet, niſi ad illa omnia moveret voluntas, applicando ipſum, & inclinando in bonam partem; ergo voluntas non minus concurrit, quam intellectus.

Reſp. neg. conſequentias, & ſuppoſitum earum. Nam conſequentiæ ſupponunt, quod cum primo intellectus credit, & illa omnia facit, illa facit ex habitu, quod falſum eſt. Nam ante juſtificationem illa facit ex influxu gratiæ actualis, & ita eſt de voluntate; cum autem adeſt habitus fidei, jam ſufficiunt illi influxus gratiæ in voluntate, ut applicet intellectum ad objecta fidei, & inclinet eum ad credendum.

Objic. 2. In hoc imperio voluntatis, quo determinat intellectum ad credendum, eſt ſpecialis honeſtas pertinens ad aliquam virtutem; ergo eſt ab aliquo habitu virtutis, qui dicitur fides. Prob.ant. nam hic actus prorſus decet credentem, & Deum, cui credit ut veraci. Unde homines offenduntur, & graviter ferunt, ſi non credimus eis, quando loquuntur, quia ſic videntur reputari mendaces, aut ignorantes veritatem.

Reſp. 2. neg. conſ. nam aliud eſt, quod pia illa affectio ſit honeſta, & aliud, quod ſit ab aliquo ſpeciali habitu inhærente voluntati, illud dicimus, & iſtud negamus. Ut ſit actus honeſtus facit bonitas motivi, & concurſus gratiæ actualis moventis, & juvantis voluntatem, & hæc honeſtas pertinet ad virtutem credulitatis, ſeu ad fidem voluntatis, quia ordinatur ad fidem.

Objic. 3. Agens principale tam exigit diſpoſitionem proportionatam operi, quam inſtrumentale, aut minus principale; ſed in actibus fidei voluntas eſt agens principale, & intellectus eſt minus principale; ergo voluntas debet æque diſponi ad opus fidei, ac intellectus; ſed iſte ad fidei opera eget habitu ſibi inhærente; ergo & illa. Maj. patet: nam in fabro lignario ad opera fabrilia requiritur non tantum figura, & aliæ qualitates in ſecuri, ſed etiam in ipſo peritia, & habitus ſcindendi, & fabricandi; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſi utrumque agens eodem modo, & in-

& influxu agat in opus, con. ſi diverſo, neg. maj. & conſ. nam voluntas influit in actum fidei moraliter, & mediate; intellectus phyſice, & immediate: ideo non egent ſimilibus diſpoſitionibus, ſed ſufficiunt proportionatæ. Id patet in fabro, & ſecuri: in iſta ſufficit durities, acuties, & figura; in illo robur, & peritia, &c. ita eſt in propoſito. Non puto tamen contrariam ſententiam improbabilem; nec video inconveniens admittere aliquem talem habitum ſive acquiſitum, ſive infuſum, quo voluntas inclinetur ad tales motus, quibus determinet intellectum ad audiendum, & aſsentiendum veritatibus revelatis propter auctoritatem Dei revelantis, & infallibilitatem Eccleſiæ in his proponendis.

QUÆSTIO VI.

An fides ſit diſcurſiva.

HÆc quæſtio currit tam de actibus, quam de habitu fidei, & ſenſus ejus eſt, an fidelis poſſit diſcurrere circa objecta fidei, & judicare ex motivis credibilitatis, quæ ſibi proponuntur, an obligent ad credendum. Et non eſt dubium, quin ita poſset diſcurrere; imo & ita regulariter fit, ſaltem diſcurſu virtuali: an autem ſic diſcurrere debeant omnes, v.g. *quidquid revelatur a Deo, credi debet; ſed quod Deus ſit unus, & trinus, revelatur a Deo; ergo credendum eſt, Deum eſſe unum, & trinum.*

Porro diſcurſus iſte vel *formalis* eſt, quando ſc. ex præmiſſis ita realiter propoſitis infertur concluſio per illationem explicitam, & realem, ut in allato exemplo: & in hoc plures fiunt actus credendi, ſc. duo pro duabus præmiſſis propter ſe, & 3. pro concluſione propter præmiſsas; vel eſt tantum *virtualis*, quando ſc. unico reali actu aſsentimur objecto concluſionis, & præmiſsarum, ut ſi dicas, *credo myſterium Trinitatis, quia eſt revelatum*. Nam iſte actus æquivalet illis tribus, & hoc modo actus omnes fidei ſunt diſcurſivi; quia nituntur omnes revelatione divina, quæ eſt principale, ac immediatum motivum eorum. Aliqui addunt *diſcurſum objectivum*, qui videtur conincidere *cum virtuali*, & comple-

ctitur objecta, quæ ita inter ſe connectuntur, ut ex ſe petant terminare actus illos, qui componunt diſcurſum. *Formalis* iterum duplex eſt, 1. in quo concluſio nititur principiis intrinſecis objecti: v. g. *Petrus eſt riſibilis, quia eſt homo*: vel, *Pater eſt omnipotens, quia eſt Deus*; & de iſto non eſt quæſtio, quia pertinet ad ſcientiam. 2. in quo concluſio nititur principiis extrinſecis, nempe revelatione, ut ſi dicas, *Pater eſt omnipotens, quia Deus revelavit*; & hic proprie pertinet ad fidem.

CONCLUSIO

Non repugnat fidei, quod ſit formaliter diſcurſiva; non tamen id illi neceſſarium eſt. Hæc multos habet adverſarios in omni ſchola, ſed non minores, nec pauciores habet patronos, maxime inter Scotiſtas.

Scotum [1] pro nobis citant Vulpes, Maſtrius, & Brancatus, Fraſſen vero in contrarium. Sed Poncius in ſuo commentario dicit, quod ibi vult tantum Doctor, quod in diſcurſu fidei non aſſentimur uni propoſitioni propter aliam, v. g. concluſioni propter præmiſſas objective ex alia, ſed ſingulis immediate propter revelationem: non autem negat, quin objective, aut formaliter una ſequatur ex alia.

Probatur 1. p. Nam plures adverſarii admittunt in fide diſcurſum virtualem; ergo non repugnat formalis; patet ant. ex eorum ſcriptis: prob. conſ. non magis repugnat credere per plures actus, Deum eſſe Trinum, quia hoc ipſe revelavit, & quia eſt verax, quam per unicum æquivalentem tribus; ſed diſcurſus virtualis credit per unicum tribus æquivalentem, ergo &c.

Probatur 2. & confir. præcedens. Ex fide aſſentior huic veritati, *Deus eſt verax*, & huic, *Deus dixit, ſe eſſe Trinum in perſonis*, & huic, *Deus eſt Trinus in perſonis*: ſed hic eſt formaliſſimus diſcurſus; ergo diſcurſus formalis non repugnat fidei. Maj. patet experientia: nam ſingulis illis objectis poſſum aſſentiri ſeorſim, & ſucceſſive diſtinctis actibus. Prob. min. nam

[1] 3.d.24.q.1.n.14.D.25.n.428.

nam ibi ſunt omnes partes veri, & formalis ſyllogiſmi in materia fidei, ut patebit diſcurrenti per ſingulas, & maxime quia aſſentior ſingulis propter revelationem divinam: ergo &c.

Confirm. Ad verum, & formalem diſcurſum fidei requiritur, & ſufficit, quod diſtinctis actibus unum objectum credatur propter aliud, ex quo ſequitur; ſed in tali caſu, & ſimilibus unum ita creditur propter aliud: nam *credo Deum eſſe trinum*, quia ipſe hoc dixit, & eſt ſumme verax: & hæc credo diſtinctis actibus, ſicut illa mihi ſucceſſive proponuntur; ergo hic eſt verus, & formalis diſcurſus fidei.

Prob. denique: quia non apparet, unde hoc repugnet fidei; ergo gratis diceretur repugnare; nec enim hoc debet dici ſine gravi fundamento. Prob. ant. ex ſolutione objectionum, maxime in ſententia Thomiſtarum, qui concedunt ibi diſcurſum virtualem: non enim magis repugnat fidei, quod una veritas credatur propter aliam per duos, aut tres actus diſtinctos, quam unico tribus æquivalente.

Prob.2.p.experientia. Nam ſæpe uno ſimplici actu aſſentimur propoſitionibus fidei: non enim ſemper ſyllogizamus explicite, ſed pure credimus articulis propter Dei revelationem, & tamen ille actus eſt verus, & bonus actus fidei.

Probatur 2. quia rudiores pro maxima parte non capiunt vim diſcurſivam, nec ita ſciunt diſcurrere; & tamen veros actus fidei eliciunt. Unde ſi ab eis petas, cur credunt Deum eſſe unum, & trinum, reſpondent pure, quia Deus hoc dixit. Imo & ſi eis proponantur ſucceſſive tres partes ejuſdem ſyllogiſmi, v. g. 1. credis Deum eſſe veracem. 2. Deus dixit, ſe eſſe unum in eſſentia, & Trinum in perſonis. 3. credis Deum eſſe unum, & Trinum? ſingulis reſpondet *credo*; non advertens ad connexionem, quam illæ propoſitiones habent inter ſe; ſed perinde illas credit, ac ſi eſſent diſſolutæ prorſus, ſicut iſtæ; *Deus eſt creator*, *& Chriſtus reſurrexit*.

Objicies 1. con. 1. p. SS. Patres nolunt argumentationes, nec rationes in fide; ergo diſcurſus repugnat fidei. Prob. ant. ex Auguſt. [1] quem citat Scotus: *objecta fidei commendata ſunt nobis divinis eloquiis*,

[1] 18.*civ*.41.

quamviſper homines, non argumentationum concertationibus inculcata, &c. Et Damaſc. [1] dicit, *fidem non eſſe inquiſitivam*. Et S. Ambroſ. *Auferte hinc argumenta, ubi fides quæritur*. Et Tertull. [2] *nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Evangelium; cum credimus, nihil ultra deſideramus credere*, &c. ergo &c.

Reſpondeo neg. ant. & conſ. prob. Nam Patres reprobant argumentationes, & inquiſitiones ſcientificas ex principiis rerum intrinſecis, & ratiocinationes naturales non ex principiis fidei; & nos de iſtis loquimur, non de illis, quæ non generant aſſenſum fidei.

Inſt. 1. Fides æque immediate inclinat ad aſſentiendum objectis propter eorum veritatem ſibi propriam, non autem propter aliud; ergo non eſt diſcurſiva.

Reſpondeo neg. ant. Nam inclinat ad aſſentiendum objectis fidei eo ordine, quem habent inter ſe; & ſicut quædam habent connexionem cum aliis, ita & credenda ſunt ex aliis, & prout ſunt revelata.

Inſt. 2. Oculus eodem ſimplici actu reſpicit colorem, & lumen, licet ille non videatur ſine iſto; ergo ita eſt de aſſenſu fidei: ſc. eodem ſimplici actu reſpicit revelata, & revelationes.

Reſp. neg. paritatem: nam color, & lumen ſunt æque primo viſibilia, nec poſſunt videri ſeorſim, bene vero credibile, & revelatio, & veracitas. Nam res non eſt credibilis, niſi propter revelationem, nec iſta niſi propter veracitatem; & ſic unum pendet ab alio.

Objic. 2. Aſſenſus diſcurſivus non nititur veritate revelationis, ſed bonitate conſequentiæ; ergo non eſt actus fidei, ſed ſcientiæ, nec eſt liber, ſed neceſſarius; & ſic caret merito.

Reſpondeo 1. id valere tam contra diſcurſum virtualem, quem admittunt adverſarii, quam contra formalem. Nam parum intereſt, ut aſſenſus nitatur bonitate conſequentiæ formali, aut virtuali, niſi ſemper nitatur veritate revelationis, & veracita-

[1] 4. *fid.* 14.
[2] 1. *fid. præſcript.* 7.

citate revelantis, ſive id fiat uno, vel pluribus actibus.

Reſp. 2. diſt. ant. non nititur ſola revelationis veritate, con. veritate revelationis, & bonitate conſequentiæ, neg. ant. & conſ. Nam bonitas illius conſequentiæ oritur ex connexione cum utraque, ſc. veracitate, & revelatione: nam aſſenſus ille tam reſpicit conſequens, quam conſequentiam innixam revelatione præmiſſarum.

Inſt. 1. Si hoc dicatur, habitus fidei erit duplex; ſed hoc eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. Alius eſſet habitus inclinans ad aſſenſum præmiſſarum, & alius ad aſſenſum concluſionis, ſicut in ſcientiis alius eſt habitus, quo cognoſcuntur præmiſſæ, & alius, quo cognoſcitur concluſio; ergo habitus fidei eſſet duplex, unus, quo crederetur veracitas Dei loquentis, & alius, quo crederetur res revelata; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam in aſſenſu diſcurſus ſcientifici diverſa ſunt motiva, quibus attinguntur præmiſſæ, & concluſiones; aſſentimur præmiſſis propter ſe, ſeu propter evidentiam illarum, concluſioni autem propter ſequelam, & connexionem ejus cum præmiſſis: ſed in diſcurſu fidei revelatio eſt unicum, & totale motivum aſſenſus tam præmiſſarum, quam concluſionis.

Inſt. 2. Si aſſenſus fidei eſſet diſcurſivus, nihil differret a Theologico; ſed conſ. eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. non poteſt aſſignari alia differentia inter hos aſſenſus, niſi quia Theologicus eſt diſcurſivus, & iſte eſt pure adhæſivus; ergo &c.

Reſpondeo neg. maj. & ant. Nam 1. Theologicus eſt eſſentialiter diſcurſivus, non vero omnis aſſenſus fidei. 2. aſſenſus fidei circa concluſionem eſt directè de objecto ut revelato, & propter revelationem, non verò aſſenſus Theologicus; quia hæc concluſio non eſt revelata, nec nititur revelatione, ſed ſola connexione objecti revelati cum non revelato, ſeu nititur ſola vi conſequentiæ, non veritate conſequentis ex una propoſitione revelata, & alia non revelata.

Inſtabis 3. Sequeretur, idiotas, & rudiores non poſſe aſſentiri ulli veritati revelatæ; ſed conſ. eſt falſum,

ſum; ergo &c. Prob. maj. quia pauciſſimi rudiores penetrant vim conſequentiæ; ergo pauciſſimi aſſentirentur talibus veritatibus.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam nullus eſt, qui non videat neceſſitatem hujus conſequentiæ, niſi careat lumine rationis. Deinde ſicut nullus, quantumcumque rudis, poteſt habere aſſenſum fidei, niſi credat articulum propter revelationem Dei, ſic nullus eſt, qui non videre debeat connexionem veritatis objecti cum revelatione, & veritate Dei.

Objic. 3. Aſſenſus fidei eſt meritorius, & liber ex pia affectione credulitatis; ſed hoc non eſſet verum, ſi aſſenſus ille eſſet diſcurſivus; ergo &c. Prob. min. nam eſſet neceſſarius neceſſitate conſequentiæ, & ſpecificationis, imo & exercitii; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam ſicut aſſenſus præmiſſarum eſſet liber ex pia illa affectione, ita & aſſenſus concluſionis, qui de illa libertate participaret.

Objic. 4. Fides Angelorum non fuit diſcurſiva; ergo nec noſtra, quia illa eſt ejuſdem ſpeciei cum noſtra. Prob. ant. nam intellectus eorum non eſt diſcurſivus; ergo &c.

Reſp. 1. neg. utrumque ant. nam, ut diximus, intellectus eorum eſt diſcurſivus, ſaltem virtualiter.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam licèt fides Angelorum non eſſet diſcurſiva ex parte intellectus eorum, id non impediret, quin noſtra eſſet ejuſdem ſpeciei, quandoquidem differentia illa veniret non ex parte habitus fidei, ſed ſubjectorum.

Objic. 5. Tota vis ſyllogiſtica fundatur in hoc principio, *Quæ ſunt eadem uni tertio*, &c. ſed aſſenſus fidei noſtræ non poteſt niti hoc principio; ergo nec vi diſcurſiva. Prob. min. objectum formale fidei Theologicæ, ſeu motivum aſſenſus ejus eſt quid divinum; ſed illud principium non eſt quid divinum; ergo &c.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. non eſt quid divinum per identitatem formalem, vel per connexionem, ſeu dependentiam neceſſariam, con. per identitatem realem, & propriam, neg. min. nam omne revelatum habet neceſſariam connexionem, & dependentiam à veritate Dei, hoc ipſo quod exiſtit talis revelatio, vel talis propoſitio ut revelata.

Objic.

Objic. con. 2. p. Ad omnem actum fidei neceſſariò concurrunt ſaltem hi duo actus. 1. quo creditur aliquid eſſe revelatum, & 2. quo creditur illud eſſe verum: ſed ibi eſt diſcurſus formalis; ergo in omni actu fidei eſt diſcurſus formalis. min. patet: nam ibi ſunt plures actus diſtincti, quorum unus infertur ex alio. probat. maj. non poſſum credere, *Deum eſſe Trinum*, niſi ſciam, & credam, Deum hoc revelaſſe: ſed hæc non poſſunt credi, & ſciri, niſi per diſtinctos actus, quorum unus infertur ex alio; ergo &c.

Reſp. diſt. min. utramque: per actus plures virtualiter, con. plures formaliter, neg. min. nam ad hæc ſufficit unus actus virtualiter quidem multiplex, ut diximus.

QUÆSTIO VII.

An concluſio illata ex duabus præmiſſis de fide, vel ex una de fide, & alia evidenti naturaliter, ſit etiam de fide.

HÆc quæſtio ſequitur ex præcedenti: nam ſi fides eſt diſcurſiva, vel concluſio eſt in ſe formaliter revelata, ut in hoc ſyllogiſmo, *Omne revelatum à Deo eſt verum: Sed quod verbum caro factum eſt, revelatur a Deo; ergo verum eſt, quod verbum caro factum eſt*: vel concluſio non eſt in ſe explicitè revelata, ſed implicitè, & virtualiter continetur in præmiſſis explicitè revelatis: ut ſi dicas, *Omnes Apoſtoli acceperunt Spiritum S. ſed Petrus eſt Apoſtolus; ergo Petrus accepit Spiritum S.* hæc enim concluſio non videtur explicitè revelata, benè vero duæ præmiſſæ: vel 3. continetur in præmiſſis, quarum una eſt explicitè revelata, & alia eſt evidenter vera: ut ſi dicas, *Omnis homo eſt riſibilis; ſed Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus eſt riſibilis*. Major eſt naturaliter evidens; minor autem eſt explicitè revelata, non autem concluſio. Quæritur, an omnes iſtæ concluſiones ſint credendæ tanquam de fide? Et ſic reſolutio hujus quæſtionis eſt etiam de objecto fidei, an ſc. *quæ continentur implicitè in revelatis, ſint objecta fidei*; quod ſupra examinavimus.

CONCLUSIO.

Propoſitio illata ex præmiſſis revelatis eſt de fide, licèt in ſe non ſit explicitè revelata. Idem eſt probabiliter de illa, quæ immediatè infertur ex una revelata, & alia evidentia naturali nota. Eſt communior cum Scotiſtis quoad 1.p. non ita quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto docente, quod in ſcientiis alia eſt evidentia, quam habent concluſiones ex ſeipſis, & alia, quam habent præmiſſæ ex terminis ſuis: *ſed in creditis non aſſentitur propter evidentiam crediti, ſed propter veritatem revelationis, cui aſſentitur, & illa eſt eadem reſpectu primorum articulorum* (qui explicite, & in ſe ſunt revelati) *& aliorum explicatorum ex illis*, (ut concluſiones illatæ ex revelatis,) *& ideo non eſt alius habitus unius, & alterius*, (aſſenſus) *quia eſt idem objectum ſub eadem ratione formali*, ſc. revelationis.

Prob. 2. ex Patribus. Nam S. Gregor. Nazianzenus [1] probat, Spiritum S. eſſe Deum hoc argumento: *Datur Spiritus S. ſed Spiritus ille eſt Deus; ergo Spiritus S. eſt Deus*. Major revelatur his verbis D. Petri; [2] *cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui S.* minor ibidem revelatur; [3] *non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Inde concludit articulum fidei, *Spiritus S. eſt Deus*, licèt iſta non ſit explicite revelata; ergo concluſio illata ex duabus præmiſſis revelatis eſt de fide ex Nazianzeno, qui addit: *ſi te dicente bis quinque, decem ex tuis verbis colligerem, an tibi nugari viderer? nequaquam profectò, cùm tua dicerem*. Concluſio autem rite illata ex duabus præmiſſis de fide tam verè continetur in illis, & tam verè eſt revelata, ſaltem virtualiter, quàm numerus denarius aſſeritur ab eo, qui aſſerit bis quinarium.

Prob. 3. Illud eſt de fide, quod eſt revelatum; ſed concluſio rite illata ex duabus revelatis eſt revelata; ergo &c. prob. min. tota illa concluſio continetur in revelatis; ergo & ipſa eſt revelata. Prob. ant. ex axiomate prædicto; *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: ſed in præmiſſis extrema concluſionis re-

[1] *Orat. de Spir. S.* [2] *act. 5.*
[3] *Ibid.*

revelata identificantur in medio, ſc. ex revelatione; ergo & inter ſe identificantur ex eadem revelatione. Patet in hoc ſyllogiſmo, *Quælibet perſona divina eſt Deus; ſed Verbum eſt perſona divina; ergo Verbum eſt Deus*. Idē patet ex ſyllogiſmo prædicto de Apoſtolis.

Confir. Aſſenſus præmiſſarum eſt actus fidei; ergo & aſſenſus concluſionis. Prob.conſ. aſſenſus concluſionis eſt propter aſſenſum præmiſſarum, & in illo continetur, & eſt ex eodem motivo, ſc. revelationis; ergo &c.probat. in præmiſſis aſſentior unioni extremorum cum medio propter revelationem, ergo propter eandem aſſentior identitati ipſorum extremorum inter ſe.

Prob.2.p. Nam in tali caſu materia concluſionis eſt revelata in præmiſſa, quæ eſt revelata in ſe immediate; ergo tam hæc concluſio eſt de fide, quam illa præmiſſa. Prob. ant. nam in hoc ſyllogiſmo, *omnis homo eſt riſibilis; ſed Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus eſt riſibilis*, hæc concluſio eſt revelata in minori, *Chriſtus eſt homo*, licet major non ſit revelata, ſed naturaliter nota. Sic in iſto, *omnis homo peccavit in Adam, ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus peccavit in Adam*, hæc concluſio eſt de fide, quia continetur in majori, quæ eſt revelata, cum dicitur, *in quo omnes peccaverunt*; ergo &c.

Prob. 2. quia niſi concluſiones iſtæ eſſent de objecto fidei, non potuiſſet Eccleſia ſcrutando Scripturas plura definire, quæ ut credenda de fide ſtatuit; ſed conſ. eſt falſum, & contra experientiam; ergo &c. Min. patet ex anathematibus pronuntiatis contra diſſidentes. Prob.maj. nam pauciſſimæ veritates ſic definitæ non continentur expreſſe, nec in terminis in Scriptura, vel traditionibus, ſed tantum implicite; ergo &c.

Dixi autem 1. *concluſio, quæ immediate infertur ex una præmiſſa revelata*; nam quæ inferuntur remote, & poſt longos diſcurſus cum auxilio ſcientiarum naturalium, non ſunt proprie de fide, neque de ſcientia, ſed Theologicæ, quæ participant de utraque. Nam talis aſſenſus non tam nititur auctoritate revelationis divinæ, quam lumine rationis naturalis: ut ſi probes, quod *Deus eſt unus*, non immediate, quia Deus eſt, ſed ex aliis principiis naturali-

libus, ut demonſtrari ſolet; alioqui tota Theologia eſſet habitus fidei, quod nemo dixerit. Loquor ergo de ſolis propoſitionibus, quæ colliguntur immediatè ex natura ſubjectorum revelatorum, quamvis ſic deducantur ope aliqua ſcientiæ naturalis, quæ non tam eſt motivum aſſenſus, quàm conditio quædam applicans objectum credibile ad potentiam creditivam.

Dixi 2. *probabiliter*; non enim quoad 2. p. puto improbabilem ſententiam oppoſitam, quam tenent inſignes Scotiſtæ, ut Maſtrius, [1] & videtur ſatis conformis Scoto, [2] & aliis.

Objectiones con. 1. p. ex parte ſolutas habes in præcedenti: nam hoc ipſo, quòd dicimus, fidem eſſe diſcurſivam, ſequitur, concluſionem ductam ex principiis fidei eſſe de fide.

Objic. 1. contr. 1. par. Verus aſſenſus fidei nititur ſola revelatione; ſed aſſenſus concluſionis ex præmiſſis revelatis non nititur revelatione; ergo &c. Prob. min. nititur bonitate conſequentiæ, quæ eſt quid naturale; niſi enim conſequentia eſſet bona, negaretur; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. antec. nititur bonitate *conſequentiæ*, ut conditione applicante *objectum ut revelatum* implicite, con. ut motivo formali aſſenſus, neg. ant. nam utitur diſcurſu, ut magis applicetur intellectui ratio aſſentiendi, quæ eſt revelatio, quatenus illud conſequens continetur in revelatis, & ita aſſentimur illi propter revelationem præmiſſarum, in quibus continteur, & revelatur.

Inſt. Aſſentimur conſequenti, non ut revelato, ſed propter conſequentiam ejus ex revelatis; ergo revelatio non eſt formale motivum aſſenſus. Probat. ant. nam conſequens illud non eſt in ſe revelatum; ergo &c.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. non eſt in ſe revelatum explicitè, & formaliter, con. implicitè, & virtualiter, neg. ant. v. g. non eſt explicitè revelatum, quod Chriſti corpus ſit realiter in hoſtia nunc à me conſecrata, & tamen id ex fide credendum eſt; quia continetur in hac univerſali revelata; Chriſti corpus eſt in omni hoſtia ritè conſecrata: & ſic de cæteris.

Inſt.

[1] *diſp.* 6. *n.* 333. [2] 3. *d.* 24. *F.* *n.* 16.

Inſt.2. Poſſum aſſentiri concluſioni ex duplici motivo . 1. propter identitatem cum præmiſſis revelatis, & 2. propter conſequentiam ; ſed primum motivum facit , ut aſſenſus ſit actus fidei , non 2. ergo ille integer aſſenſus non eſt fidei puræ , ſed Theologicæ , ſcil. participans de fide , & ſcientia , vel opinione .

Reſp.neg.maj. Nam rationabiliter non debeo aſſentir – concluſioni , niſi ex motivo , quo aſſentior præmiſſis ; ſed non aſſentior præmiſſis, niſi propter revelationem ; ergo nec concluſioni ; & forma diſcurſus non eſt niſi quædam conditio applicativa , ut cognoſcam, quomodo concluſio contineatur, & ſit revelata in præmiſſis .

Objic.2. Per frequentes iſtos aſſenſus acquiritur habitus non fidei , ſed Theologiæ; ergo & illi ſunt actus Theologiæ , non fidei . Prob. ant. nam habitus fidei eſt per ſe infuſus , non vero acquiſitus .

Reſp.neg. utrumque ant. Nam per frequentes actus credendi acquiritur habitus , & augetur etiam moraliter habitus infuſus , ut diximus alias .

Objic.1.con.2.p. ex Scoto. (1) *In omni mixtione certitudo concluſionis eſt certitudo præmiſſæ minus certæ , ut ex majore de neceſſario , & minore de contingenti non ſequitur concluſio de neceſſario , ſed de contingenti , & ex præmiſſa de Scriptura non fit evidens* (concluſio) *ſed credita* : uno verbo , *concluſio ſequitur debiliorem partem* : ſed pars evidens naturaliter eſt debilior , & incertior præmiſſa revelata ; ergo concluſio illata ex præmiſſis revelata,& ſcientifica non eſt de fide , aut ſaltem eſt Theologica , ſc. partim obſcura , & partim evidens .

Reſp. diſt.maj.ſi concluſio ſequatur æque immediate ex utroque motivo aſſenſus præmiſſarum , con. ſi magis nitatur aſſenſu præmiſſæ revelatæ , neg. maj. & conſ. nam tunc certitudo , & obſcuritas prævalet ex aſſenſu præmiſſæ revelatæ . Nam ex eodem Scoto ſolutio habet tantam certitudinem , ex quanto procedet in accipiendo : quia ſi accipiatur de Scriptura, habet certitudinem , quam dixi , ſcilicet fidei ; & tunc altera præmiſſa , quæ eſt naturaliter evidens, non eſt motivum formale credendi , ſed pura conditio applicans præmiſſam revelatam , ut videas in illa contine-

(1) *Ibid.*

tineri concluſionem revelatam, ut patet in allato exemplo de peccato Adæ.

Objic.2. Si concluſio ducta ex una revelata, & altera de lumine naturali eſſet de fide, habitus, & actus Theologiæ, & fidei non diſtinguerentur; ſed conſ. eſt falſum, & contra nos; ergo &c. Prob. maj. ex communi explicatione habitus, & actus Theologiæ, quam conſtat ſic concludere ex una de fide; & alia de ſcientia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. antec. ſi concludat æque ex principiis ſcientificis, & revelatis, con. ſi principaliter innitatur principiis revelatis, neg. ant. & conſ. nam loquimur de illis concluſionibus, quas deducimus ex motivo, quo aſſentimur principaliter, & immediate præmiſſæ revelatæ, quatenus in ea continetur concluſio.

Inſt. Illa immediatio continentiæ concluſionis in præmiſſa revelata non impedit, quin aſſenſus ſit mixtus ex utroque motivo; ergo non eſt puræ fidei. Probat. antec. alioqui præmiſſa naturalis eſſet fruſtra, & nihil conferret ad concluſionem; ſed hoc falſum eſt; nam concluſio elicitur indiviſibiliter ex utraque, & in hoc conſiſtit forma ſyllogiſtica; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. nihil conferret, ut motivum formale aſſenſus, con. ut diſpoſitivum, & declarativum, ſeu applicativum revelati, neg. maj. & min. Nam, ut dicebamus in illo ſyllogiſmo, quod *Petrus ſit filius Adæ*, quæ erat præmiſſa naturalis, tantum applicat illi individuo veritatem revelatæ de peccato omnium filiorum Adæ.

Objic. 3. Per nos illatio mediata concluſionis ex præmiſſa revelata non ſufficit, ut ſit de fide, ergo nec immediata. Probat. conſ. quod deducatur mediate tantum, non impedit, quin vere contineatur in præmiſſa revelata; ergo neque impedit, quin talis concluſio ſi de fide ſit, vere deducatur ex præmiſſa revelata; ergo vel utraque eſt de fide, vel neutra, ſcil. tam quæ mediate, quam quæ immediate infertur.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. quia cum intellectus non ſtatim videat connexionem concluſionis cum præmiſſa revelata, ſed egeat ulteriori diſcuſſione cum

au-

auxilio ſcientiarum, & principiorum alienorum a fide, ſequitur, concluſiones poſteriores, & immediatiores magis dependere a ratiocinationibus, & principiis naturalibus, quam a lumine fidei, & a motivo revelationis, ſicut & talis concluſio: at concluſio, quæ immediate infertur ex præmiſſa revelata, ſtatim intellectus convincitur, quod concluſio continetur in illa, & ſic propter iſtam ut revelatam aſſentitur tali concluſioni.

QUÆSTIO III.

De certitudine fidei, qualis, & quanta ſit. An poſſit ei ſubeſſe falſum.

Certitudo eſt firmitas adhæſionis facultatis cognitivæ ad ſuum cognoſcibile; & triplex eſt. 1. *objectiva*, quæ eſt firmitas immobilis objecti ſive quoad eſſentiam, ſive quoad exiſtentiam, ut certitudo Dei, vel conſiſtit in connexione neceſſaria prædicati cum ſubjecto, ut *homo eſt animal rationale*. 2. *ſubjectiva*, quæ ſe tenet ex parte intellectus, quatenus firmiter adhæret alicui objecto. 3. *formalis*, quæ ſe tenet ex parte actus, & conſiſtit in illa firmitate adhæſiva cognitionis, quæ excludit omnem dubitationem.

Rurſus alia eſt *ſpeculativa*, qua intellectus firmiter aſſentitur alicui propoſitioni, in qua nullam advertit rationem dubitandi, ſed plene convictus motivis aſſentiendi aſſentitur: alia *adhæſiva*, quæ venit a voluntate determinante ad aſſenſum firmum ſine hæſitatione, vel formidine.

Unde ad certitudinem requiritur 1. ut intellectus firmiter adhæreat. 2. ut objectum, cui adhæret, ſit firmum, & ſtabile. 3. ut motivum, & ratio adhærendi ſit infallibilis. 4. ut illud motivum ſit debite applicatum.

CONCLUSIO.

Abſolute, & ſimpliciter loquendo, fides eſt certa, & certior omnibus aliis habitibus naturalibus ſpeculativis, & practicis. Eſt communis.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Fidei acquiſitæ actus non eſt ita perfecte verus, ſicut cum fide infuſa*: Item, *fides infuſa eſt perfectior habitus ſimpliciter quocumque habitu acquiſito, eo quod ratione ſuæ perfectionis non poteſt cauſari niſi a Deo*: 3. Item, (2) *actus credendi in ſe eſt perfectior, quam actus intelligendi elicitus ab habitu naturali perfecto primorum principiorum: quia eſt a principio perfectiori elicitus, & in objectum perfectius tendit*, ſcilicet Deum, qui eſt infinite certus: 4. alibi dicit, *habenti fidem, quod Deus inſpiravit totam Scripturam Sacram, & quod ipſe eſt veritas infallibilis, certius debet eſſe, quidquid ab ipſo in Scriptura eſt revelatum, quam illud, ad quod quicumque intellectus poteſt naturali lumine attingere*; ergo fides, ex Scoto, eſt omnimode certiſſima.

Prob. 2. ex Script. nam inquit S. Petrus, (3) *habemus firmiorem propheticum ſermonem, quam ſit viſio oculorum*, & magis credit his, quæ audivit in Thabore, quam his, quæ ibi vidit. Et Chriſtus de verbis ſuis dixit: [4] *Cælum, & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt*, ſcilicet objecta ſcientiarum naturalium tranſibunt, & ipſemet ſcientiæ, non autem objecta fidei, nec ipſa fides. Et certe (5) *ſi teſtimonium hominum accipitis, teſtimonium Dei maius eſt*. Et ait Paulus, *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus* &c. ergo fides certior eſt omnibus ſcientiis humanis.

Prob. 3. ex SS. Patribus: Nam inquit Baſilius, *fides ſupra rationales methodos animam ad aſſenſum trahit*. Et Chryſoſt. (6) *fides dici non poteſt, niſi circa ea, quæ non videntur amplius, quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit*; ergo certior eſt fides de non viſis, ſeu de oſcuris, quam ſcientia de viſis, & expertis. Et Auguſt. (7) *facilius dubitarem me vivere, quam eſſe veritatem, quam audivi in corde*.

Prob. 4. Major certitudo cognitionis petitur 1. ex certitudine objecti, 2. ex infallibilitate medii, ſeu luminis, 3. ex firmitate principii, ſeu habitus inclinantis, & elevantis intellectum; ſed hæc omnia in fide ſunt certiora omni habitu naturali, vel objecto,

[1] 3.*d*.23.*I*.*M*. [2] 4.*d*.14.*q*.3.*E*.*n*.5.
[3] 2.*pe*.2. [4] *Luc*.21. (5) 1.*Jo*.15.
[6] *hom*.12.*Heb*.7. (7) *Confeſſ*.20.

ſto, vel lumine ſcientiarum omnium humanarum; ergo fides eſt certior. Prob. min. objectum primarium fidei eſt Deus, & veritates ejus; motivum fidei eſt veritas, ſeu fidelitas, ſeu veracitas Dei in verbis ſuis, quæ undecumque eſt infallibilis; principium activum eſt habitus ſupernaturalis infuſus a Deo, qui non poteſt inclinare in falſum, nec in malum; ergo ex omnibus illis principiis fides eſt certiſſima ſuper omnes ſcientias humanas.

Confir. Nam etiam adhæſive fides certior eſt; chriſtianus firmius adhæret veritatibus fidei, quam ulli ſcientiæ, ut patet de tot myriadibus eorum, qui paſſi ſunt tot horribilia tormenta, & mortui pro fide iſta, cum nullus fuerit philoſophus, qui minimam jacturam, vel pœnam paſſus ſit pro tuendis ſuis opinionibus.

Objic. Poteſt dubitari de veritate nota per fidem, non autem de nota per ſcientiam, & demonſtrationem; ergo ſcientia eſt certior fide. Prob. ant. ex Scoto, qui non reſpondet objectioni dicenti, quod (1) *quantum ad non decipi non eſt certior fides infuſa, quam acquiſita*. Et alibi, quod *aliqua dubitatio ſtare poteſt cum fide*; ergo fides infuſa non excludit omnem dubitationem.

Reſp. diſt. ant. & prob. ejus, dubitatione imprudenti, & indeliberata, con. prudenti, & deliberata, neg. ant. utrumque. Nam inquit Scotus: habens talem notitiam revelatam a Deo non poteſt dubitare de veritate illius. Poteſt quidem tentante dæmone, aut ex præſumptione ſollicitari aliquibus dubiis indeliberatis; ſed ſtatim atque conſiderat, hæc eſſe revelata a Deo, nullam admittet dubitationem fides ejus. Scotus etiam lôquitur de dubitatione circa proponentem parochum, aut catechiſtam, aut circa exiſtentiam revelationis, quæ ſpectat ad fidem humanam, niſi forte occurrat Eccleſiæ authoritas. Forte etiam loquitur de dubio, non circa ſubſtantiam articuli, v.g. circa exiſtentiam Trinitatis, ſed circa quaſdam quæſtiones, quæ circa illam proponuntur, v.g. per quos actus generatur Verbum, & ſpiratur Spiritus S. &c. Denique Scotus ibi non loquitur reſolutive ex propria ſententia, ſicut cum dicit, (2) quod *fidei in-*

[1] *3.d.23.H.n.16.d.24.G.n.17.* [2] *Quodl.14.n.7.*

infuſæ non poteſt ſubeſſe falſum, quod *fides infuſa non poteſt inclinare in aliquod falſum; inclinat autem virtute luminis divini*, *cujus eſt participatio* &c.

Objic. 2. Aſſenſus propter evidentiam eſt certior aſſenſu propter revelationem; ſed aſſenſus ſcientiarum eſt propter evidentiam, & fidei aſſenſus eſt propter revelationem; ergo ille eſt certior. Prob. maj. aſſenſus propter evidentiam eſt neceſſarius ex determinatione naturæ, & aſſenſus fidei eſt voluntarius, & liber, & contingens; ergo &c.

Reſp. diſt.maj. ſi evidentia nitatur motivo firmiori, quam adhæſio, con. ſi non innitatur, neg. maj. & min. nam motivum aſſenſus fidei eſt longe certius, & firmius quocumque medio evidentiæ. Nulla evidentia naturalis æquivalet infallibilitati verbi divini, cui innititur aſſenſus fidei, & hæc non neceſſitat phyſice ad aſſenſum, bene vero moraliter.

Inſt. Homo poteſt non aſſentiri objecto fidei propoſito ſub motivo revelationis, non autem concluſioni ſcientificæ ergo hæc certior eſt. Ant.patet experientia tot apoſtatarum, & hæreticorum; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ex imprudentia, vel malitia, aut cęcitate, con. ceſſante malitia, vel imprudentia, aut cęcitate, neg. ant. & conſ. prob. nam qui deficiunt a fide, ut hæretici, excęcantur malitia, & pravo affectu, quæ impediunt, ne conſiderent vim talis motivi, nempe auctoritatis divinæ. Imo poteſt retorqueri hoc argumentum de tot martyribus, qui paſſi ſunt mille mortes potius, quam deſererent fidem; nam hoc arguit maiorem incomparabiliter firmitatem fidei.

Objic.3. Hæc veritas, *Deus eſt*, nota per demonſtrationem tam eſt certa, quam ut nota per fidem; ergo fides non eſt certior ſcientia. Prob. ant. nam eſt de eodem objecto, & tam certo; ergo &c.

Reſp.diſt. ant. objective, & materialiter, con. formaliter, & ex motivo, neg. ant. & conſ. uterque aſſenſus eſt de eodem objecto materiali, non autem ex eodem motivo formali: nam 2. nititur auctoritate Dei loquentis.

Objic. 4. Aſſenſus veritatis evidentis, & ſcientificus eſt intenſior aſſenſu fidei; ergo & certior, nam aſſenſus eo eſt certior, quo eſt intenſior.

Reſp.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus. Nam quia aſſenſus fidei pendet a voluntate, quæ modo intenſe, modo remiſſe agit, prout vult, intenſio præciſe non facit ad certitudinem majorem, aut minorem.

Inſt. Magis credimus viſui, quam auditui; ſed ſcientia eſt de viſis, & fides de auditis; ergo illa eſt certior.

Reſp. diſt. maj. magis credimus cæteris paribus, con. ſi ſint diſparia, neg. maj. viſus, & auditus de ſe ſunt duo ſenſus æque determinati circa ſua objecta, ſed ſi ea non attingant æqualibus mediis ſibi propriis, fiet, ut certior ſit auditus, prout medium erit certius. Et hoc accidit in fide, quæ nititur infallibilitate Dei.

CONCLUSIO II.

H*Abitus fidei de ſe adeo certus eſt, ut illi non poſſit ſubeſſe falſum, vel mendacium, vel deceptio.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *fides infuſa non poteſt inclinare in aliquid falſum:* quod pluries repetit alibi paſſim.

Prob. 2. ex Concil. Trident. (2) dicente, quod *fidei non poteſt ſubeſſe falſum*, &c.

Confir. ex Script. (3) Nam fides eſt *non in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Loquimur ſapientiam non hujus ſæculi .... ſed Dei ſapientiam* &c. (4) Sapientiæ autem Dei non poteſt ſubeſſe falſum. *Cum accepiſſetis a nobis verbum auditus fidei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed, ſicut eſt vere, verbum Dei:* ſed verbo Dei non poteſt ineſſe error, nec falſum, nec deceptio; ergo &c.

Prob. 3. Nulla virtus inclinat in malum; ergo neque in falſum: ſed fides infuſa eſt virtus, & quidem divina; ergo non inclinat in falſum: ant. patet ex definitione virtutis; eſt enim *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur*: conſ. prob. tam enim proprium eſt virtuti intellectuali, qualis eſt hæc fides, inclinare in verum, quam appetitivæ inclinare in bonum; ergo &c.

Con-

[1] *Quodl.* 14. *cit.* [2] *ſeſs.* 6. *c.* 9.
[3] 1. *cor.* 2. [4] 1. *Theſſal.* 2.

Confir. Nam fides eſt a ſolo Deo; ſed Deus non poteſt fallere,nec inclinare in falſum; ergo neq; fides.

Prob.denique: in tantum fides infuſa poſſet inclinare in falſum, quatenus inclinaret ad credendum aliquid ut revelatum, quod non eſſet revelatum; ſed fides infuſa non poteſt id facere; ergo nec fallere, nec inclinare in falſum. Maj. patet; quia non poſſet aliter fallere. Prob.min.nullus habitus fertur, aut inclinat extra objectum ſuum formale; ſed objectum formale fidei eſt veritas ut revelata, & omnis propoſitio non revelata eſt extra objectum formale fidei; ergo fides non poteſt inclinare in propoſitionem non revelatam; ergo &c.

Vide, quæ diximus de veritate Dei: nam hinc facile colliges, quod Deus non poteſt infundere habitum erroris, vel mendacii.

Objic.1.Fides non magis determinate reſpicit revelata, quam intellectus verum, & voluntas bonum; ſed intellectus poteſt aſſentiri falſo, & voluntas appetere malum; ergo & fides inclinare in falſum aſſentiens rei ut revelatæ, quæ non eſt revelata.

Reſp.neg.maj. quia intellectus habet pro objecto verum reale, aut apparens, & voluntas *ſimiliter* bonum reale, aut apparens; at virtus ſupernaturalis fidei non habet pro objecto, niſi primam veritatem ut revelantem, & hoc in ratione virtutis, *qua nemo male utitur*.

Inſt. Virtus moralis poteſt tendere in bonum apparens; ergo & fides ut virtus poteſt tendere in rem apparenter revelatam, ſed quæ non vere ſit revelata. Ant. patet experientia de pietate, aut temperantia, & aliis, quæ ſæpius errant.

Reſp. neg. conſ. quia objectum virtutis moralis eſt bonum honeſtum, ut propoſitum voluntati ab intellectu, & ſicut iſte poteſt errare in proponendo, ita & voluntas in appetendo. Non ita eſt de objecto fidei, nec de ipſa fide, quæ ut eſt a ſolo Deo, & eſſentialiter reſpicit Deum, ut primam veritatem loquentem, non poteſt inclinare inaliud; & ſi ſic aliquando erramus, credentes aliquid revelatum eſſe, quod non eſt, id venit ex fide humana, & naturali, non ex divina, nec ex infuſa.

Inſt.2. Tam poteſt a Parocho ignorante, vel maligno

gno proponi ut revelatum, quod non eſt, & ruſticu tam tenetur ei credere, quam ab intellectu bonum apparens pro vero; ergo perfecta eſt paritas inter has virtutes, ſaltem quoad deceptionem. Prob.ant. experientia tot errantium ex eo capite; & ruſtici ſic credentes id faciunt ex obedientia,&pietate in Deum, & Eccleſiam, & ſic facientes non peccant.

Reſp. neg. conſ. nam illa fides, qua crederent illi ruſtici, non eſt infuſa, nec Theologica, ſed acquiſita, & humana; & iſti non peccant, ſed potius merentur, quia Deus intuetur cor: eorum ignorantia eſt invincibilis; & virtus eſt in affectu, non in intellectu.

Objic.2.Fides, qua credebant Judæi Chriſtum venturum, ante adventum Chriſti perſeveravit uſque in diem unum, aut alterum poſt nativitatem ejus, cum neſcirent eum jam natum; ſed pridie nativitatis aſſenſus erat verus, & poſtridie ceſſavit eſſe verus, & tamen erat actus ex eodem habitu utroque die; ergo ex eodem habitu poteſt exire actus verus, & falſus.

Reſp. diſt.maj. potuit durare ex diverſo principio, con.ex eodem principio,neg.maj.& min.pro 2.p. nam ex ipſo die nativitatis Chriſti, & adventus præſentis fides infuſa ceſſavit influere in actum credendi eum ut futurum, ſicut ceſſavit objectum ejus, & ſic actus eorum ceſſavit eſſe ex fide infuſa, & qui ſucceſſit,erat ex fide humana, & acquiſita, ſicut ex ipſo inſtanti non fuit amplius revelatus Chriſti adventus ut futurus, & cœpit revelari ut præſens.

Ut capias reſponſum, nota ex Scoto,quod ad veros actus fidei concurrunt ſæpe duo habitus, ſcilicet infuſus, & acquiſitus naturalis relictus ex frequentatis actibus etiam ſupernaturalibus præteritis, & cum propter aliquam circumſtantiam mutatam ex parte objecti ipſum ceſſat eſſe fidei infuſæ objectum, manet tamen idem materialiter pro fide acquiſita, quæ ſola ex tunc influit in actus poſteriores, quia objectum ceſſans eſſe revelatum, ita ceſſat eſſe objectum fidei infuſæ, ut patet de nativitate Chriſti ante, & poſt exiſtentiam ejus.

Inſt. Actus, quo Chriſtus credebatur venturus pridie nativitatis, eſt idem omnino poſtridie; ergo idem

actus

actus poteſt tranſire de vero in falſum, & eidem fidei poteſt ſubeſſe falſum.

Reſp.diſt.ant. eſt idem omnino materialiter, & in ſubſtantia, con.formaliter, & quoad circumſtantias, neg. ant. ob rationē datā: ſicut comeſtio carnis, quæ incipit die Jovis ante mediam noctē, & durat poſt illam, incipit eſſe peccatum, cum incipit eſſe dies Veneris, ex mutatione objecti, & circumſtantiæ temporis; ita eſt de illo actu credendi pridie, & poſtridie nativitatis Chriſti.

Inſt.2. Habitibus ſpei, & charitatis poteſt ſubeſſe error; ergo & fidei: prob.conſ.non minus illi ſunt a Deo, quam iſte; ergo &c. prob. ant. nam præſcitus poteſt habere actus veræ ſpei, qua ſperet beatitudinem, ſed tamen errabit, quia ſtante reprobatione hoc eſt impoſſibile; ergo &c.

Reſp.neg.conſ. nam objectum fidei eſt veritas ut revelata, & ſtatim ac ceſſat eſſe revelata, ceſſat eſſe objectum fidei. Objectum vero ſpei,& charitatis eſt bonum, non præcise ut reale, ſed ut divinum, quale repræſentatur voluntati, cui poteſt offerri bonum apparens,quod ſicut eſt objectum earum, ita & illi actus ſunt ab eis.

Objic. 3. Fides infuſa facit credere, quod in hoſtia conſecrata exiſtit realiter Corpus Chriſti; ſed poſſum, aut debeo credere aliquam hoſtiam eſse conſecratam, & ſub illa Chriſtum adorare, ubi vere non eſt, ſicut hoſtia non eſt conſecrata; ergo fidei poteſt ſubeſſe falſum.

Reſp. diſt.maj. facit credere Chriſtum eſſe ſub hoſtia conſecrata in communi, con. in particulari hic, & nunc, neg.maj. & conſ. nec enim ad hoc obligat fides infuſa, ſed humana, quæ non permittit ſuſpicari, nec dubitare de probitate miniſtri in re tanti momenti.

Objic. 4. Aſſenſus concluſionis ex una præmiſſa naturali falſa, & alia revelata, & vera eſt ab habitu fidei æque, ac ſcientiæ, vel opinionis: nam ambæ præmiſsæ cauſant partialiter concluſionem, & ita eſt de aſsenſibus illarum; ſed huic poteſt ſubeſse falſum; ergo & illi: prob. min. in hoc ſyllogiſmo, *Ubi ſunt naturæ integræ, ibi ſunt duæ perſonæ; ſed in Chriſto ſunt duæ naturæ integræ; ergo & duæ perſonæ.*

Reſp.

Reſpondeo diſt. maj. eſt ab habitu naturali, & acquiſito, con. ab habitu infuſo, & ſupernaturali, neg. maj. & diſt. prob. ambæ præmiſſæ, & ambo aſſenſus ex diverſis principiis, & motivis, con. ex eodem principio, & motivo, ſaltem integrè, neg. ant. nam ex Scoto, aſſentior huic minori, *in Chriſto ſunt duæ naturæ integræ* ex duplici fide, acquiſita, & infuſa: & quia conſequens ceſſat eſſe objectum fidei infuſæ, quia ceſſat eſſe verum, nec revelatum, ſi aſſentior majori, quæ eſt falſa, cogor quidem concedere conſequentiam, ſed non per fidem infuſam, quia conſequens non eſt objectum ejus, ſed ſolius fidei acquiſitæ, ideo hæc ſola concurrit ad aſſenſum ejus, ſi aſſentior.

DISPUTATIO VI.

De actibus fidei Theologicæ.

EX hucuſque dictis de fide habituali facilia ſunt, quę dicenda reſtant de actibus ejus. Ideo nos ab illis, quàm breviter fieri poterit, expediemus.

QUÆSTIO I.

Quid, quotuplex, & qualis ſit actus fidei, & an ſit ſupernaturalis in ſubſtantia.

ACtus fidei eſt aſſenſus firmus propoſitionis in authoritate Dei revelantis fundatus. Nam inquit Auguſt. (1) *credere nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare.* Et alibi: (2) *Quid eſt credere, niſi conſentire verum eſſe, quod dicitur?* Apoſtolus autem dicit, (3) quòd fides eſt *ſubſtantia rerum credendarum, argumentum non apparentium.* Denique actus fidei, & actualis aſſenſus, quo intellectus audiens, quòd tale objectum eſt revelatum à Deo, dicit, *hoc eſt verum*, alius eſt *internus*, ſc. ipſemet aſſenſus in mente formatus: alius externus, ſc. exhibitio aſſenſus interni per aliquod ſignum ſenſibile.

Rurſus alius eſt *explicitus*, qui eſt de objecto ali- quo

[1] *Prædeſt. SS.* 1. [2] *Spir. & lit.* 31.
[3] *Hebr.* 11.

quo determinato ſecundum propriam ejus rationem, ut cum dico, *Credo in Deum unum in eſſentia, & trinum in perſonis:* alius *implicitus*, qui non terminatur ad ullum articulum determinatum in ſpecie, vel individuo, ſed ad plures in genere, ut ſi dicas, *credo omnia, quæ credit Eccleſia, vel quæ Deus dixit ut credenda.*

Diximus autem, fidem elicitivè eſſe ab intellectu, & hunc ad talem aſſenſum moveri à voluntate per actum, qui dicitur *pia affectio* credendi, & ideo omnis actus fidei eſt liber imperativè, non autem elicitivè.

Iterum diſtingui ſolent actus *credendi Deo*, & *credendi Deum*, & *in Deum*, juxta triplicem reſpectum, quem habet fides ad Deum. 1. reſpicit Deum ut dicentem aliquid, & ut objectum formale, ſive ut rationem credendi, & ſic *credimus Deo revelanti*, ſeu dicenti, quia ſcimus, eum eſſe veridicum. 2. reſpicit Deum ut objectum materiale, & attributionis fidei; & idem eſt, ac ſi dicas, *credo Deum eſſe*. 3. reſpicit Deum ut finem ultimum credendorum, & operum omnium noſtrorum, quaſi dicas, credo, ſeu *tendere volo in Deum quaſi in finem ultimum*, & hic actus præcipuè pendet ab affectione voluntatis. *Credere in Deum eſt credendo amare, eſt credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris ejus incorporari*, inquit Auguſt. [1] & hoc præſtat charitas per fidem, aut fides per charitatem illam dirigendo. Non ſemper tamen ſic illi actus diſtinguuntur, ſed ſæpe confunduntur, & pro eodem ſumuntur, quod meminiſſe juvabit.

Item alii actus fidei ſunt *naturales*, qui ab intellectu, & habitu fidei acquiſito procedunt; alii *ſupernaturales*, qui ſunt ſupra vires facultatis humanæ, quæ ad eos non poſſet attingere, niſi elevaretur per habitum ſupernaturalem, & lumen divinum fidei actuale, aut habituale, & per concurſum gratiæ excitantis, & adjuvantis, & ex pia voluntatis affectione.

Circa exiſtentiam actuum fidei, nec circa quidditatem eorum nihil reſtat diſputandum ſuppoſitis iis, quæ hucuſque diximus de objecto, & habitu ejus infu-

[1] *ſer. 1. ver. Dom.*

infuſo, ſed diſputari ſolet de ſupernaturalitate eorum, an ſint ſupernaturales in ſubſtantia, an ſecundum modum tantùm.

Illud autem dicitur ſupernaturale *in ſubſtantia*, quod ſecundum totam ſuam entitatem æquè, ac ſecundum omnem modum, quo producitur, excedit vires naturæ, ita ut nullum agens in toto cauſarum naturalium ordine poſſit ejus entitatem producere: *Quoad modum* autem dicitur ſupernaturale, quando ſecundum ſuam entitatem non excedit vires agentis naturalis, ſed ſecundum modum aliquem ejus, vel circumſtantiam; ut viſio in eo, qui fuit cœcus, eſt actus *in ſubſtantia* naturalis oculo, ſed in modo, quatenùs ſuccedit cęcitati, eſt ſupernaturalis: nam in tali circumſtantia nulla virtus naturalis poteſt eam facultatem reparare, poſtquam ſemel amiſſa eſt: nam *à privatione ad habitum non datur regreſſus* naturaliter. Viſio autem intuitiva Dei eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, quia excedit omnes vires naturæ quoad entitatem ſuam æquè, ac quoad modum. His poſitis

CONCLUSIO.

Actus fidei eliciti, ſicut oportet, ad juſtificationem, vel meritum vitæ æternæ ſunt ſupernaturales, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum, ſaltem id probabile eſt. Ita Scotiſtæ.

Prob. 1. ex Scoto, (1) cui cùm objicitur, *cognitio naturalis de Deo, & cognitio fidei infuſæ diſtinguuntur ſpecie in intellectu; ergo dilectio naturalis, & dilectio charitatis in affectu*, reſpondet, *nego ant. de actu naturali, & ſupernaturali, quia credere ſupernaturale eſt actus, ut elicitur ſecundum inclinationem fidei infuſæ; credere autem naturale eſt actus elicitus ſecundum certitudinem acceptam ab aliquo teſtificante*. Imò putat, (2) eundem numero actum poſſe elici ab utraque fide, ſc. naturali, & ſupernaturali; ergo ex Scoto non differunt quoad ſubſtantiam. Idem docet (3) de actu charitatis naturalis, & ſupernaturalis: *naturale, & ſupernaturale non diſtinguunt naturam alicujus in ſe, ſed tantùm in comparatione ad agens*.

[1] *Quodl*. 17. *n*. 10. [2] 2. *d*. 17. *FF*. *vel q*. 3. *n*. 21.
[3] 4. *d*. 10. *q*. 8. *G*. *n*. 9.

Prob. 2. ex Concil. Trident. [1] & aliis citatis, ubi de neceſſitate gratiæ ſupernaturalis. Nam anathema dicitur ei, qui dixerit, *hominem abſque ſupernaturalis gratiæ auxilio poſſe credere, ſperare, & diligere, ſicut oportet, ut ei gratia juſtificationis conferatur*. Et ſuprà docuerat, eos nos non diſponi ad gratiam illam, niſi *dum excitati, & adjuti divina gratia, fidem ex auditu concipientes*, &c. Idem docuerat Concil. Arauſic. & communiter SS. Patres, & ipſa Scriptura, dicente Apoſtolo; *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis* &c.

Prob. 3. Nam in non baptizatis ad actus fidei diſponentis ad juſtificationem concurrit gratia excitans, & adjuvans, & pius motus in Deum ortus ex eadem gratia, ex Concil. cit. & in baptizatis concurrit ipſe habitus fidei infuſæ; ergo ex illis principiis actus fidei diſponentes ad juſtificationem, aut ad meritum ſunt verè ſupernaturales.

Prob. 2. p. 1. ex Concil. cit. Nam cùm negat, *poſſe hominem credere, ſicut oportet, ut ei gratia juſtificationis conferatur*, ſatis indicat, eum ſine illa gratia poſſe credere, ſperare, & diligere naturaliter; alioqui particula illa ſuperflueret, & dicere debuiſſet Concilium abſolutè, non poſſe hominem credere &c. ſed addendo, *ſicut oportet*, apertè ſupponit, poſſe haberi aliquos ſimiles actus naturaliter, qui non diſponunt ſufficienter ad gratiam, vel meritum vitæ æternæ: ergo credere ex fide naturali, & credere ex fide ſupernaturali non differunt ſpecie, ſeu in ſubſtantia.

Prob. 2. Tota differentia inter actum naturalem, quo credo Deum eſſe trinum, & actum ſupernaturalem, quo idem credo, eſt, quia iſte eſt propter Deum revelantem, & ex influxu habitus fidei infuſæ, aut etiam ex motu gratiæ actualis; ille verò eſt de eodem objecto, ſed propter auctoritatem Parochi, aut Doctoris: ſed hæc non faciunt differentiam ſubſtantialem, & intrinſecam, ſed modalem; ergo actus fidei naturalis, & ſupernaturalis non differunt quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. Maj. patet: nec enim poteſt aſſignari alia ratio differentiæ. Prob. min. rationes illæ ſunt tantùm extrinſecæ termi-

[1] *ſeſſ.6.can.3. & cap.6.*

terminationes, vel influentiæ; quia ſcilicet unus terminatur ad Deum revelantem, & eſt effectivè ab habitu infuſo fidei, aut à gratia actuali; alter verò terminatur ad hominem revelantem, & pendet effectivè ab aliquot motivis credibilitatis humanæ, & ambo ſunt actus ejuſdem potentiæ, & de eodem objecto obſcuro; ſed iſtæ differentiæ ſunt ab extrinſeco, & ab aliquot modis; ergo &c. Prob. min. nam revelatio, nec habitus, nec gratia non intrant entitatem actus credendi; ergo non ſunt illi intrinſeca.

Confir. Nam poſſum credere idem Myſterium Trinitatis ex utroque motivo ſimul, ſcilicet propter Deum, & propter Parochum, & eodem actu; ergo illa differentia revelationum non facit diverſitatem ſubſtantialem, ſed tantùm modalem, quatenùs ex parte Dei, quem reſpicit ut dicentem, & habitus, à quo pendet effectivè partialiter, eſt ſupernaturalis, & ex parte Parochi, & habitus acquiſiti, à quibus etiam pendet partialiter, eſt naturalis; ergo tota naturalitas, & ſupernaturalitas ſunt differentiæ purè modales, & extrinſecæ; nec aliud dicunt in actibus illis, niſi relationes extrinſecas ad cauſas eorum etiam extrinſecas, ſed in entitate, & quoad ſubſtantiam ſunt ejuſdem rationis. Certè teſtimonium Dei, & habitus fidei tam ſunt extra ſubſtantiam actus credendi, quàm ignis extra eſſentiam caloris, quem iſte producit in mea manu.

Prob. 3. Si actus ſupernaturalis fidei, quo credo Deum eſſe, differret ſpecie, & quoad ſubſtantiam ab actu, quo idem credo naturaliter ex habitu acquiſito, poſſem naturaliter, & certò ſcire, me habere fidem ſupernaturalem, (idem eſt de ſpe, & charitate) nam experirer in me tales actus; ſed conſ. eſt falſum, ut patet ex dictis ſuprà, & de gratia, quia *neſcit homo, an amore, vel odio dignus ſit*: &, *quis te diſcernit?* &c. ergo illi actus non differunt quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum.

Prob. denique. Si actus fidei eſſet ſupernaturalis in ſubſtantia, eſſet ejuſdem ordinis cum ipſo habitu; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Maj. patet: nam habitus fidei non eſt altioris ſupernaturalitatis, vel ordinis, quàm in ſubſtantia, ita ut iſtud lumen (idem eſt de ſpe, charitate, & lumine gloriæ) iſtud,

inquam, lumen non poſſit produci, nec quidquam illi ſimile ab ullo agente creato, & in hoc conſiſtit ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam. Prob. min. nam intellectus cócurrit ad productionem illius actus cum illo habitu, non autem ad productionem luminis fidei, ſicut nec luminis gloriæ: imò fides naturalis poteſt credere omnia illa, quæ credit fides ſupernaturalis; ergo actus fidei non eſt æqualis ordinis, vel ſupernaturalis cum ipſo habitu infuſo.

Confir. ex dictis ex Concilio Trident. & Arauſic. quæ dicunt, gratiæ ſupernaturalis auxilium eſſe neceſſarium homini, ut credat, *ſicut oportet*. Nam, ut jam notavimus, ſatis indicant, eum aliquo modo poſſe credere ſine illa gratia, & viribus naturæ eaſdem veritates, & per actus ſimiles: ſed non eſſent ſimiles, ſi credere, *ſicut oportet*, eſſet actus ſupernaturalis in ſubſtantia; ergo &c.

Dixi (*ſaltem id probabile eſt.*) Nam opinio contraria de ſupernaturalitate ſubſtantiali horum actuum non caret probabilitate, maximè attenta dignitate tot inſignium Theologorum ex Thomiſtis, & recentioribus, qui eam mordicùs tenent: &, ni fallor, quæſtio poteſt reduci ad controverſiam de nomine. Nam ejus deciſio pendet à ſignificato ſupernaturalitatis *quoad ſubſtantiam*, & *quoad modum*. Si enim ad 1. nihil requiratur, niſi concurſus alicujus principii, vel objecti ſupernaturalis, licèt etiam ad eundem concurrant alia principia naturalia, actus illi fidei poſſunt dici ſupernaturales *in ſubſtantia*, ut volunt adverſarii. Si autem ad hanc *ſupernaturalitatem in ſubſtantia* requiratur, ut nulla cauſa naturalis concurrat, certum eſt, quòd iſti actus fidei non ſunt propriè ſupernaturales *in ſubſtantia*, & *ſimpliciter*, ſed tantùm *quoad modum*, & *ſecundum quid*, ut nos dicimus.

Objic. 1. con. 1. p. Actus credendi ſunt ab homine ut agente naturaliter per intellectum, qui eſt potentia naturalis; ergo ſunt naturales. Prob. ant. ſi non eſſent ab homine naturaliter agente, non imputarentur illi ad meritum; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. nam tribuerentur illi dono gratuito, & ſupernaturali; ergo debent eſſe ab eo, ut agente naturali.

Reſp.

Reſp. diſt. ant. & maj. ab homine ut adjuto, & elevato per habitum, vel gratiam ſupernaturalem, con. ab homine ut agente nudo, & purè naturali, neg. ant. utrumque: nam cum liberè cooperetur illis donis, cooperatio illa libera imputatur ei ad meritum, ut diximus de gratia.

Objic. 1. cont. 2. p. Actus credendi eſt opus Dei; ergo eſt totus, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Prob. ant. *hoc eſt opus Dei, ut in eum credatis.* [1] Et, *vobis datum eſt, ut in eum credatis, & hoc eſt opus Dei.* [2] Et, *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Idem docent Concilia, ſc. fidem eſſe donum Dei; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. eſt opus Dei cooperante homine, con. Dei operantis ſe ſolo, neg. ant. & conſ. prob. opus ſupernaturale quoad ſubſtantiam eſt à ſolo Deo; ſi verò naturalis aliqua cauſa ei cooperetur, ut intellectus, & voluntas cooperantur actibus fidei, & ſpei, & charitatis, non eſt ſimpliciter ſupernaturale, ſed ſecundum quid, ſeu quoad modum.

Objic. 2. Actus omnes ſpecificantur ab objecto formali, etiam quoad ſubſtantiam; ſed actus fidei ſunt ſupernaturales ex objecto formali; ergo &c. Prob. min. habent pro objecto formali revelationem divinam; ſed hæc eſt ſupernaturalis in ſubſtantia; ergo & actus ipſi.

Reſp. diſt. min. ſpecificantur extrinſecè, con. intrinſecè, neg. min. ſpecificantur intrinſecè per formam ſuam abſolutam, ſicut ſunt entia abſoluta.

Inſt. 1. Actus illi eſſentialiter includunt aliquid ſupernaturale, ſcil. infallibilitatem, & certitudinem, quam habent à veritate Dei; ergo &c. Prob. ant. illa enim certitudo non eſt a natura; ergo eſt ſupernaturalis.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus, nempe quòd illa certitudo ſit de intrinſeca ratione actus fidei, niſi reduplicativè, & quatenùs fit, *ſicut oportet*; & hoc advenit illi, prout reſpicit Deum ut revelantem, qui non poteſt fallere, nec falli, & prout eſt ab habitu fidei, qui non inclinat niſi ad verum revelatum. Utrumque autem, ſcil. revelatio, & habitus, ſunt ex-

[1] *Jo. 6.* [2] *Phil. 5.*

tra entitatem actus. Denique certitudo eſt relatio conformitatis ad teſtimonium Dei, cui non poteſt ſubeſſe falſum. Relatio autem non poteſt eſſe de eſſentia abſoluti, qualis eſt actus fidei.

Inſt. 2. Aſſenſus innixus teſtimonio Dei, & infallibilis differt ſpecie ab aſſenſu innixo teſtimonio hominis, & fallibili: ſed ſupernaturalitas primi aſſenſus venit à teſtimonio Dei; ergo facit differentiam ſpecificam ejus ab aſſenſu fidei naturalis. Prob. maj. effectus diverſarum ſpecie cauſarum differunt etiam ſpecie; ſed teſtimonium Dei & hominum differunt ſpecie; ergo & effectus, ſeu aſſenſus illi naturalis, & ſupernaturalis differunt ſpecie.

Reſp diſt. 1. magis differunt inadæquatè, & quoad modum, con. adæquatè & quoad ſubſtantiam, neg. 1. maj. & diſt. 2. ſi cauſæ ſunt omninò diſparatæ, & non ſubordinatæ, conc. ſi non ſunt omninò diſparatæ, ſed aliquo modo ſubordinatæ, neg. maj. & min. Nam cauſæ illæ, ſcil. revelatio humana cum intellectu naturali, quæ ſunt cauſæ actus naturalis fidei, ſubordinantur habitui infuſo, & teſtimonio Dei ſupernaturali: iſta duo perficiunt duo priora cum illa ſubordinatione, & ſimul concurrunt ad eundem actum.

Inſt. 3. Differentia ſpecifica objectorum formalium facit differentiam actuum fidei, & ſcientiæ; ſed objecta formalia actuum fidei naturalis, & ſupernaturalis differunt ſpecie, ſcil. teſtimonium infallibile Dei, & fallibile hominis; ergo & diverſificant actus fidei naturalis, & ſupernaturalis.

Reſp. neg. parit. nam 1. objecta formalia ſcientiæ, & fidei ſunt omninò diſparata, & non ſubordinata: non ita eſt in fide naturali, & ſupernaturali quoad teſtimonium Dei, & hominis, ut dictum eſt. 2. objectum materiale ſcientiæ ex ſe, & in ſe eſt evidens, & neceſſario connexum cum ſuis principiis: at in fide certitudo non venit ab entitate objecti, ſed extrinſecè à voluntate Dei, & revelatione; ideò non influit in actum quidquam intrinſecum, quod non ſit in actu naturali credendi, ſed puram ſupernaturalitatem, & certitudinem ex parte cauſæ extrinſecæ.

Objic. 3. Actus fidei infuſæ diſponunt ad formam ſupernaturalem in ſubſtantia, ſcil. ad gratiam ſanctificantem; ergo & ipſi ſunt ſupernaturales in ſubſtantia.

tia.

tia. Ant. patet ex Conc. Trident. cit.prob.conſ.nam diſpoſitiones ſunt ejuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponunt; ſed gratia illa eſt ſupernaturalis in ſubſtantia; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & maj. abſolutè. Nam in naturalibus diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales ſunt accidentia,& in moralibus ſufficit aliqua proportio, qualem Deus ordinavit ad meritum, v. g. ſupernaturalitas aliqua in actibus meritoriis, qualis eſt in actibus iſtis fidei, qui non ſunt diſpoſitiones phyſicæ, ſed morales.

Objic. 4. Habitus ſupernaturales in ſubſtantia non dantur purè ad certitudinem, vel facilitatem, aut perfectionem actuum, ſed ſimpliciter ad agendum; ergo dantur ad ſubſtantiam actuum, non vero ad modum eorum; ergo actus fidei infuſæ ſunt ſimpliciter ſupernaturales, & in ſubſtantia.

Reſp. diſt. ant. ad agendum ſimpliciter, quatenùs ſine illis potentia non poſſet habere illos actus, con. quatenùs tota entitas actuum eſt ab illis ſine concurſu activo potentiæ naturalis, vel quatenùs hæc non poſſit habere ſimiles actus in ſubſtantia, neg. ant. nam in hoc ſenſu falſum eſt, ut patet ex dictis. Nam intellectus per virtutem ſuam naturalem cōcurrit effectivè ad illos actus credendi.

Collige 1. idem eſſe dicendum de ſupernaturalitate actuum ſpei, & charitatis propter eaſdem rationes.

Collige 2. naturalitatem, aut ſupernaturalitatem in actibus non ſemper venire ab objecto, nequidem formali: nam fides naturalis poteſt tendere naturaliter ad objectum ſive formale, ſive materiale, ad quod tendere poteſt infuſa. Nam ex habitu acquiſito ex actibus credendi Myſterium Trinitatis propter Deum veracem acquiritur habitus ad ſimiles actus: nam hæretici, qui non habent fidem infuſam, tam firmiter ex tali habitu, & ex eodem motivo credunt Trinitatem Divinam, quàm ante amiſſam fidem ſupernaturalem: & de hac fide poteſt intelligi, quod dicitur de dæmonibus, ſcil. quòd *credunt, & contremiſcunt*.

QUÆSTIO II.

De neceſſitate actuum fidei, qualis, & quanta ſit.

NEceſſitas alia eſt *medii*, ſeu finis, & eſt connexio medii ad finem, quæ talis eſt, ut non poſſit obtineri finis ſine tali medio, & hoc ſive ex natura mediorum ſic connexorum cum fine, ut neceſſitas alimenti ad conſervationem vitæ, ſive ex libera diſpoſitione illius, à quo pendet finis, ut neceſſitas baptiſmi in lege nova pro remiſſione peccati originalis, ex inſtitutione divina: Alia eſt *neceſſitas præcepti*, quæ venit ex lege poſitiva ſuperioris præcipientis, aut prohibentis aliquid: talis eſt neceſſitas jejunii in quadrageſima. 1. non admittit excuſationem, bene verò 2. ſi non cadit in infirmos.

Neceſſitas medii alia eſt *abſoluta*; qua niſi realiter, & de facto applicetur medium, non obtinetur finis; ita ſine alimento non obtinetur conſervatio vitæ, nec ſine baptiſmo in re, vel in voto non obtinetur remiſſio. Alia *ſecundum quid*, quando ſine medii applicatione reali poteſt quidem abſolutè haberi finis, ſed non ita perfectè, nec facilè, ut medicina ad recuperandam ſanitatem: ſic Sacramentum Pœnitentiæ in adulto peccatore, quæ ſuppleri poteſt contritione perfecta cum voto ſacramenti, &c.

3. Neceſſitas tam *præcepti*, quàm *medii* alia eſt *directa*, & *immediata*, quando res, quæ dicitur neceſſaria, talis eſt in ſe, & ſecundum ſe; ut quando actus, qui præcipitur, obligat ex propria honeſtate; ut amor Dei in adultis eſt directè, & in ſe neceſſarius ad ſalutem. Alia *indirecta*, & *per accidens*, quæ naſcitur ex connexione, quam res neceſſaria habet cum ea, quæ præcipitur directè.

4. Duplex eſt præceptum fidei. 1. *poſitivum*, ſeu *affirmativum*, quo præcipitur, ut credamus omnia, quæ nobis Eccleſia proponit ut revelata. 2. *negativum*, quo prohibemur credere doctrinas erroneas, & contrarias veritatibus revelatis.

Quæritur hic, an fidei Theologicæ actus ſit neceſſarius homini ad ſalutem, & quidem adulto: nam

nam infantes non ſunt capaces, niſi fidei habitualis. 2. qualis ſit ille actus neceſſarius, an externus, an ſufficiat internus, 3. qualis ſit illa neceſſitas.

CONCLUSIO I.

Actus internus eſt neceſſarius homini habenti uſum rationis ad ſalutem neceſſitate medii, & præcepti. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui poſtquam neceſſitatem habitus fidei infuſæ aſſeruit, ſic probat neceſſitatem actualis: *Dico, quod neceſſarium fuit pro omni ſtatu habere actum implicitum de omnibus.... ſed habere ſolum talem actum non ſufficit, ſed in habente uſum rationis requiritur actus diſtinctior, & explicitus*; & hoc de eadem neceſſitate, qua dicit neceſſariam eſſe fidem habitualem, ſcil. neceſſitate medii, ſc. *ut anima ſit accepta Deo*, &c.

Prob. 2. ex Script. (2) *juſtus ex fide vivit*. Et, (3) *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere oportet accedentem ad Deum* &c. (4) Item, *ex fide juſtificat gentes Deus*. (5) Et, *gratia ſalvati eſtis per fidem*. Hæc, & ſimilia probant neceſſitatem medii æque, ac præcepti.

Prob. 3. ex Conc. Trid. (6) quod credere ponit primam diſpoſitionem ad iuſtificationem. Nam inquit: *credere incipiunt* &c. Et baptiſmum dicit ſacramentum fidei, *ſine qua nulla unquam contigit juſtificatio*. Et infra; *fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix*, ergo &c.

Prob. 5. ex Patribus: nam inquit Auguſt. (7) *ſine fide nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt venire*. Et S. Fulgent. (8) *ſine fide nulla poteſt prodeſſe, imo nec eſſe converſio*: Et ſic de aliis. Unde concludit Scotus, (9) admittendam eſſe neceſſitatem fidei propter auctoritatem Scripturæ, & Patrum. Non deſunt rationes Theologicæ, ſed hæc ſufficient, ut indubitata ſit aſſertio.

Prob. 2. p. *de neceſſitate præcepti*: 1. ex Script. cit. nam

(1) 3. *d*. 25. *q*. 1. *A*. *n*. 2. (2) *Habac*. 2. (3) *Hebr*. 11.
(4) *Gal*. 3. (5) *Epheſ*. (6) *ſſ*. 6. *c*. 9. & 7.
(7) *ſer*. 31. *temp*. (8) *de fide*.
(9) *d*. 23. *n*. 14.

illa dicuntur vere præceptorie, addendo minas excluſionis a ſalute, & gratia pro non credentibus. Item magis præceptive loquitur Joannes: *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus*, & quidem ſub pœna damnationis. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Et Apoſtolus; *juſtus ex fide vivit: quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ*. Diſplicere Deo maxima eſt pœna. Non ſolent autem ſuperiores minari pœnas, niſi tranſgreſſoribus præceptorum; ergo fides actualis eſt neceſſaria de præcepto, & quidem graviter.

Confir. Nemo damnatur, niſi propter peccatum grave; nec eſt peccatum, niſi ubi eſt tranſgreſſio præcepti gravis, ſed Deus non credenti minatur damnationem, ergo &c.

Prob. denique. Nam neceſſitas medii includit etiam neceſſitatem præcepti, maxime in moralibus, in quibus conſecutio finis non dependet phyſice, neque ex natura rei a medio, ſed ex voluntate, & pacto, ſeu lege ex parte illius, a quo dependet conſecutio finis; ſed conſecutio ſalutis, ſeu finis non dependet phyſice, ſed moraliter a mediis, ſeu a credere, & quatenus Deus ſtatuit non dare ſalutem niſi credenti; ergo credere eſt de neceſſitate præcepti divini.

Objic. 1. Gentes non habent fidem ſupernaturalem, ſed ſufficit eis fides naturalis Dei, & legis naturæ; ergo fides non eſt neceſſaria ut medium, neque ex præcepto. Prob. ant. nam *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*; ergo non ex fide ſupernaturali, ſed naturali cognitione ſalvantur.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. quæ legem Moſaicam, ſed ex lumine naturæ cum auxilio gratiæ, ac fidei, ſaltem actualis, con. ex puro lumine naturæ, & ſine auxilio gratiæ, neg. ant. nec enim id intendit Apoſtolus, ut diximus de gratia, ſed loquitur de gentibus, quæ non habebant legem ſcriptam, ut SS. Patriarchæ in lege naturæ, & plures gentiles extra Judæam. Loquitur etiam de aliquibus operibus naturaliter cognitis, & bonis, ſed non meritoriis.

Inſt. Chriſtus ad ſalutem non requirit niſi obſervantiam mandatorum, *Si vis ad vitam ingredi, ſer-*

ſerva mandata : ſed nullibi legitur mandatum credendi : ergo non eſt neceſſarium credere neceſſitate medii , nec præcepti.

Reſp.neg. min. eſt enim de lege naturæ , & veteris, & Euangelicæ, ut patet ex locis citatis de Patriarchis, & Prophetis , & Euangelio.

Objic.2. Fides non eſt magis neceſſaria , quam Baptiſmus ; ſed hic non eſt neceſſarius neceſſitate medii ; ergo nec fides. Prob. min. baptiſmus in adultis ſuppleri poteſt per contritionem,& votum ; ergo &c.

Reſp.neg. maj. loquendo de baptiſmo in re. Nam occurrunt caſus, in quibus hoc ſacramentum non poteſt recipi ; Deus ideo pro ſua miſericordia indulſit, ut ſuppleri poſſit per fidem , contritionem, & votum, quæ omnia ſemper ſunt poſſibilia omni utenti ratione mediante auxilio gratiæ, quæ nemini deeſt. Et ſic neminem diſpenſat ab obligatione credendi : excipio pueros , & amentes , qui cum uſu rationis careant, ſunt incapaces actuum fidei.

Inſt. Fides aliquando eſt impoſſibilis;ergo non magis eſt neceſſaria , quam baptiſmus. Prob.ant. in caſibus ignorantiæ invincibilis Dei,& credendorum homo non poteſt credere in Deum , nec ullam veritatem ab eo revelatam : *quomodo credent ſine prædicante ?* ergo &c.

Reſp.neg. ant. & ſuppoſitum prob. nempe poſſibilitatem talium caſuum , ut diximus tr. de Deo; nec enim admittimus poſſibilitatem ignorantiæ invincibilis Dei.

Inſt.2. Tam poteſt haberi in voto , quam baptiſmus ; ergo tam poteſt ſuppleri.

Reſp.1. neg. ant. neque enim haberi poteſt fides in voto ſine ipſa fide in re , quia eſſentialiter continetur in ſui voto.

Reſp.2.neg. conſ. quia ſicut votum non ſupplet defectum , quando haberi poteſt in re , ita eſt de fide , quæ facile haberi poteſt in re , quam in voto ; imo nec poteſt haberi in voto , niſi habeatur in re.

Objic.3. Baptizatus poteſt ſtatim mori poſt adeptũ uſum rationis , ita ut non habeat tempus eliciendi actum fidei , neque etiam amittendi acceptam gratiam in baptiſmo; ergo tunc ſalvabitur ſine actu fidei; ergo hæc non eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medii. Reſp.

Reſp.1.ex aliquorum mente neg.conſ. Nam in rigore omnis homo compos rationis tenetur ſtatim converti, & per conſequens credere, &, *ſi non crediderit, condemnabitur*.

Reſp.2.diſt. conſ. ſi non fuerit ſufficienter compos rationis ad eliciendum actum fidei, con. ſi fuerit, & poterit credere, & non crediderit, neg. conſ. nam ſi habeat uſum ſufficientem rationis, & libertatis, & reliqua ad agendum requiſita, peccabit, ſi non agat, & credat; & ſic damnabitur.

CONCLUSIO II.

P*Raeceptum credendi eſt poſitivum divinum, & etiam naturale.*

Prob.1.ex Scoto cit.nam obligatio credendi non venit poſitive,niſi a diſpoſitione providentiæ divinę,quę ſic nos dirigit in finem. Nam cum aſſerit *neceſſitatem fidei propter auctoritatem Scripturæ, & Patrum*, ſatis indicat, eam eſſe præceptum poſitivum divinum.

Prob.2.p.ex dictis. Niſi Deus præciperet credere, non infligeret pœnas non credentibus; ſed infligit pœnas non credentibus, ut patet ex Script.cit.& quidem acerbiſſimas; ergo præcipit poſitive actus fidei.

Confir. Nam per Sapientem Deus dicit: [1] *crede Deo, & recuperabit te*. Et, *qui timetis Dominum, credite illi*. Et ſimiliter obedientibus huic præcepto promittit mercedem: *Crede tantum, & ſalvaberis*. Et, [2] *qui credit in me, non morietur in æternum* &c.

Prob.3.Credere pendet ab interno actu intellectus, & voluntatis ad hoc inclinantis; ſed Deus ſolus poteſt pręcipere actus purè internos, ut diximus alibi; ergo præceptum credendi eſt poſitivum, & divinum.

Prob.2. p. de præcepto naturali. Nam lumen naturæ dictat, Deum eſſe veracem, & infallibilem, & ſummæ auctoritatis, dum loquitur; ergo & dictat, credendum eſſe Deo per fidem. Prob. conſ. nam ex ipſo luminis naturalis dictamine non audemus negare fidem homini aliquid dicenti, & maxime ſi eſt notabilis auctoritatis, & probitatis; ergo multo magis dictat, credendum eſſe Deo, quem dictat eſſe infallibilem, & non poſſe mentiri.

Prob.2.

(1) *Eccl.2.& 3.* (2) *Joan. 8.*

Prob. 2. Honeſtas actus fidei Theologicæ eſt nota lumine naturæ; ergo lex naturæ illum præcipit.

Objic. 1. con. 1. p. Deus impoſſibilia non jubet; ſed actus veræ fidei Theologicæ eſt impoſſibilis naturæ noſtræ; ergo Deus non præcipit illam fidem. Prob. min. ex dictis: nam eſt ſupernaturalis; ergo &c.

Reſp. diſt. min. impoſſibilis naturaliter, con. ſupernaturaliter, & cum auxilio gratiæ, neg. min. & conſ. nam ſufficit, quod Deus det vires ad facienda, quæ jubet.

Objic. 2. Ut præceptum obliget, debet cognoſci; ſed præceptum fidei non poteſt cognoſci; ergo nec obligare. Prob. min. non poteſt cognoſci, niſi per ipſam fidem; ſed hoc non poteſt fieri, quia daretur fides de fide, & proceſſus in infinitum; ergo &c.

Reſp. neg. 1. & 2. min. nam Deus poſſet immediate, & per ſe ipſum intimare hoc præceptum, & tunc non ſequitur talis proceſſus.

Reſp. 2. neg. eaſdem min. quia cognoſcitur præceptum per Eccleſiam, ac fidem humanam, quod ſufficit ad obligandum, & ad evitandum proceſſum illum, ſicut proponentes nobis revelata obligant ſufficienter ad credendum, quod exiſtat revelatio, & inde ſequitur, quod revelata vera ſunt, & credenda.

QUÆSTIO III.

Quænam ſint credenda ex altera, vel utraque neceſſitate.

OMnia, quæ Deus dixit, ſunt credenda, ſi proponantur, ſed non omnia æque obligant omnes; quia non omnes tenentur ſcire omnia revelata. Plura debent ſcire Prælati, & Primates Eccleſiæ, quam privati Doctores, & concionatores, & ſacerdotes, & plura iſti, quam ſimplices, & rudiores plebeii. Primi, & ſecundi tenentur legere Scripturas tum pro ſua propria inſtructione, tum ad alios inſtruendos. In ordine Hierarchico Eccleſiæ ſummi egent ampliori illuminatione, ut inferiores omnes illuminent immediate, & mediate: *Deus enim poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Et, *Epiſcopum oportet eſſe Doctorem*: 2.

ordo tenetur illuminare 3. & ſic deinceps, & gradatim. Infimi vero illuminantur, docentur, ſed non docent, nec illuminant.

Quæritur ergo hic, quænam debeant credi explicite, & neceſſario neceſſitate medii, vel præcepti? Dico *explicitè*; nam implicite, & in generali debent omnia credi ab omnibus; & quilibet fidelis debet eſſe paratus ad omnia credenda, quæ ſibi proponentur ut revelata a Deo. Natura enim dictat, credendum eſſe Deo in omnibus, quæ dicit.

CONCLUSIO I.

Non omnes fideles tenentur omnia revelata explicitè cognoſcere, nec inquirere; ſufficit, ut omnes rationis compotes credant principaliora, & maxime articulos ſymboli Apoſtolorum pro ſuo captu, & ad hoc tenentur neceſſitate utraque, ſcilicet medii, & præcepti. Eſt tota communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod neceſſarium fuit pro omni ſtatu habere actum implicitum de omnibus, tunc enim habetur actus implicitus, cùm habetur habitus, ſed habere ſolum talem actum non ſufficit, ſed in habente uſum rationis requiritur actus diſtinctior, & explicitus, ſed non requiritur neceſſariò in quolibet pro hoc ſtatu* &c. *quilibet tamen habens uſum rationis tenetur pro aliquando ad aliquem actum explicitum, & maximè ad illa, quæ ſunt groſſa ad capiendum, ſicut quod Chriſtus natus eſt, paſſus*, &c.

Prob. 2. ex Script. Nam inquit Chriſtus: [2] *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti J. C.* Et, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine unigeniti filii Dei*. Et, (3) *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & remunerator*, &c. & quidem tam neceſſitate medii, quam præcepti, quia hi textus poſſunt de utraque intelligi.

Confir. ex Symbolo Athanaſii: *Fides catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur . . . ſed neceſſarium eſt ad ſalutem, ut Incarnationem Domini Noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat*, &c.

Prob.

[1] 3. *d*. 25. *q*. 1. *D*. *n*. 5.
[2] *Joan*. 17. [3] *Hebr*. 11.

Prob. ſpecialiter 1. p. Deus impoſſibilia non jubet; ſed fides, & cognitio explicita omnium revelatorum non eſt poſſibilis omnibus; ergo non omnes tenemur ad fidem explicitam de omnibus revelatis. Prob. min. nam plebeii, & rudiores, imò nec mediocres non poſſunt ſcire totam Scripturam, nec traditiones; ergo &c.

Prob. de Symbolo ex Patribus. Nam inquit Ruffinus: [1] *Omnes Apoſtoli breve iſtud futurum judicium prædicationis conferendo in unum componunt, atque credentibus hanc dandam eſſe regulam ſtatuunt.* Et Ambroſ. [3] *Symbolum quoque ſpecialiter debemus, tamquam noſtri ſignaculum cordis, antelucanis horis quotidie recenſere.* Et Auguſt. ſic monet baptizatos: *cum tenueris ſymbolum, ut non obliviſcaris quotidie dicere, quando ſurgis ... ſit tamquam ſpeculum tibi ſymbolum; ibi te vide, ſi credis omnia, quæ te credere confiteris.* Ideo ab initio Eccleſia Romana illud ſymbolum recitare ſolebat publice coram populo, ut notat Ruffinus cit. quod a S. Petro didicerat.

Confir. ex praxi perpetua Eccleſiæ, quæ à baptizandis catechumenis exigit, ut Symbolum illud recitent, & profiteantur credere; & pro infantibus idem exigit à patrinis, aut parentibus, ut patet ex Concilio Laodicenſi, & Agathenſi, & Pariſienſi, &c. ex Rituali Romano, & Catechiſmo Pauli V. in quo jubetur, ut baptizandi interrogentur, & ut per ſe, aut per patrinos profiteantur articulos principales, maximè Symboli.

Prob. 3. de neceſſitate præcepti. Nam neceſſitas medii non admittit exceptionem, vel excuſationem impedimenti, vel ignorantiæ, vel impotentiæ: ſed actus fidei explicitæ de his myſteriis admittunt exceptiones, vel excuſationes iſtas: v. g. ſi ſint impotes rationis, ſeu amentes, & rudiores, vel ſtupidi, aut non habeant tempus, ſi ſtatim moriantur poſt adeptum uſum rationis, aut receptum baptiſmum, &c. ergo actus illi expliciti in adultis non ſunt de neceſſitate medii, ſed præcepti.

Dixi 1. *pro captu ſuo.* Nec enim rudiores tenentur clare, & diſtincte cognoſcere, quid ſinguli articuli ſignifi-

[1] *Præle. ſymb.*
[2] 2. *Virgin.*

Prob. maj. nam ſinguli prætenderent ſibi ſufficere fidem ſimplicium, & rudium.

Reſp. neg. maj. & ant. nam ſinguli tenentur ſcire, & credere pro ſuo ſtatu; v. g. Prælati debent ſcire, & docere totam ſuam Eccleſiam; Parochi ſuos omnes Parochianos, & ſuperiores ſubditos, &c. Et ſic de aliis.

Objic. 1. contr. 2. par. Non omnes ſunt capaces addiſcendi ſymbolum, vel non habent, à quo illud doceantur; ergo non omnes tenentur illud ſcire, nec credere.

Reſp. diſt. conſ. non tenentur ſcire perfectè, & integrè, con. ſcire pro captu ſuo, neg. conſ. nam in antecedente non tenentur ſcire ultra vires ſuas, facta debita diligentia illud addiſcendi, non tenentur ad impoſſibile phyſicum, aut morale.

Objic. 2. Nullibi legitur hoc præceptum; ergo gratis aſſeritur hæc obligatio. Prob. ant. non enim legitur in Scripturis, nec habetur ex traditione Apoſtolica, vel legibus Eccleſiaſticis; ergo &c.

Reſp. neg. utramque ant. nam, ut mox dicebam, conſtat ex praxi Eccleſiæ fundata in traditione Apoſtolica.

CONCLUSIO III.

P*Robabile eſt omnes adultos etiam teneri credere, & ſcire precepta decalogi, & orationem Dominicam, & Sacramenta, ſaltem principaliora, & neceſſaria, & hoc neceſſitate præcepti*. Eſt communis.

Prob. 1. p. ex Scoto. [1] *Sicut actus virtutum moralium fuerunt neceſſarii cuilibet ſalvando, ſicut actus præcepti affirmativi ſunt neceſſarii .... & quia ad aliquos tales actus omnes adulti fideles tenentur; ita & illa tenentur aliqualiter, & pro ſuo captu ſcire, & credere.*

Prob. 1. p. ex Script. nam orabat David: [2] *Da mihi intellectum, & ſcrutabor mandata tua .... Legem pone mihi Domine ... & requiram eam ſemper*. Et Chriſtus præcipit Apoſtolis, & Prælatis: [3] *Docentes eos* (*populos*) *ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*; mandavit autem, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva man-*

[1] *Ibid.* [2] *Pſ.* 18. [3] *Matt.* 19. & *ult.*

mandata, quæ ibi enumerat; ergo ſicut tenemur o-perari ſecundum præcepta, ita & ea ſcire, & credere, quia non poſſunt impleri, niſi ſciantur; nec ſciri, niſi credantur; ergo eorum fides eſt neceſſaria.

Confir. ex praxi Eccleſiæ, quæ tam ſedulò curat, ut omnes fideles hæc ſciant. Et ideo diſtrictè præcipit parochis, ut inter miſſarum ſolemnia, & in catechiſmis parochianos ſuos hæc doceant, & patet ex Ritualibus.

Prob. 2. p. 1. eadem ratione. Nam tenentur omnes ſcire, quid, & quomodo ſit orandum: ſed oratio eſt de neceſſitate ſalutis; ergo & ſcientia orationis: ſed hæc continetur, & præcipitur à Chriſto in oratione, quæ hinc dicitur *Dominica*; ergo & hæc debet ſciri, & credi. Prob. ſubſ. *Sic ergo vos orabitis; Pater noſter*, &c. & eamdem curam adhibet Eccleſia, ut illam addiſcant omnes.

Prob. 3. par. Nam aliqua ex his ſacramentis ſunt de neceſſitate ſalutis, & præcepti, ut baptiſmus, qui eſt neceſſarius omnibus, & pœnitentia peccatoribus, & Euchariſtia, quam *niſi manducaveritis, non habebitis vitam in vobis*; ergo debent iſta ſciri, & credi neceſſariò: nam fides eorum neceſſaria eſt ad eorum ſuſceptionem; ergo &c.

Prob. 4. p. *de neceſſitate præcepti*. Nam ſi fides iſtorum eſſet de neceſſitate medii, nulla impoſſibilitas, vel ignorantia excuſaret: ſed conſ. eſt falſum; nam infantes, amentes, ſtupidi, & rudiores, qui hæc capere, vel retinere non poſſunt, damnarentur defectu ſcientiæ, & fidei rerum iſtarum, quod nemo dixerit; ergo &c.

Objic. con. 1. p. Præcepta decalogi ſciri poſſunt lumine naturæ, vel fide humana; ergo ad hæc non eſt neceſſaria fides infuſa. Prob. ant. quia ſunt de lege, & lumine naturæ; & audiuntur, & diſcuntur ex parentibus, vel magiſtris: & idem eſt de ſymbolo, & oratione Dominica, & Sacramentis; ergo &c.

Reſpond. diſt. ant. ſciri poſſunt aliquo modo, & ad quandam honeſtatem naturalem, con. ſicut oportet ad ſalutem, & meritum, neg. utrumque antec. nam ad hoc debent ſciri, & credi ex fide ſupernaturali, & divina.

Objic. con. 3. p. Baptiſmus pro infidelibus, & pœniten-

tĕtia pro peccatoribus ſunt neceſſaria neceſſitate medii; ergo & eorum fides.

Reſp.diſt.ant. in aliquo caſu, con. ſemper, & abſolute, neg. ant. & conſ. quia, ut ſæpe diximus, baptiſmus, & pœnitentia in adultis ſuppleri poſſunt: & caſus neceſſitatis medii non excludunt neceſſitatem præcepti; nec enim duæ illę neceſſitates ſe excludunt ad invicem, ſed roborant.

Generaliter autem loquendo omnes, & ſinguli adulti tenentur credere ſingulos articulos ſibi ſufficienter propoſitos, ut revelatos a Deo, ut diximus. Nam de lege divina, & poſitiva, & naturali omnis homo rationis compos tenetur agnoſcere Deum ut veridicum, & infallibilem in cognoſcendo, & loquendo, ita ut non poſſit fallere, nec falli, & tandem ſummæ auctoritatis, cui credere debemus, quoties, & quomodocumque loquatur, ſive per ſe, ſive per creaturas.

QUÆSTIO IV.

De actibus fidei, quando teneamur ad illos.

QUæ dicebamus de neceſſitate fidei, ſpectant principaliter ad actus internos; & vidimus, eos eſſe neceſſarios ex præcepto in adultis: jam magis in particulari videndum, quandonam, & in quibus circumſtantiis teneamur elicere tales actus. Quod breviter dicemus relinquentes ampliorem diſcuſſionem Caſuiſtis, qui in his determinandis diſſident; & ſic reddunt difficilem hanc determinationem.

CONCLUSIO I.

PRæceptum credendi actu, & explicite ſæpius in vita obligat adultos.

Prob.ex Scoto. *Actus virtutum Theologicarum ſunt pro aliquando neceſſarii. Unde ſicut quilibet tenetur Deum diligere pro omni ſtatu, ſi habeat uſum rationis, & hoc pro aliquando, ſc. quando circumſtantiæ debitæ diligendi Deum concurrunt: ita dicendum eſt de actu fidei, quod habens uſum rationis pro omni ſtatu tene-*

tenetur credere in unum Deum factorem Cœli, & terræ, & hoc pro aliquando: Sed illud *aliquando*, & *ille concurſus circumſtantiarum* ſæpius occurrit in vita hominis; ergo ſæpius debet credere, ex Scoto.

Prob. 2. ex Decretis Eccleſiæ, quæ damnat has, & ſimiles propoſitiones: Ut Alex. VII. 24. Septembris 1665. damnat iſtam: [1] *Homo nullo unquam tempore vitæ ſuæ tenetur elicere actus, fidei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et Innoc. XI. 2. Mar. 1679. has duas inter 65. damnat: *fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe:* &, *ſatis eſt actum fidei ſemel in vita elicere;* ergo de mente Eccleſiæ eſt, fidei actum cadere ſub præceptum, & ad illum hominem obligari ſæpius in vita ſua.

Prob. 3. Si enim ſufficeret actus fidei ſemel in vita elicitus, fruſtra toties Eccleſia nobis proponeret ejus objecta, & ad ea credenda invitaret: ſed Eccleſia nobis proponit objecta fidei, & ad ea credenda invitat; ergo &c.

Confir. ex dicendis de caſibus particularibus, in quibus obligat illud præceptum, & maxime quia ratio naturalis dictat, quod, quoties nobis proponitur aliquid ut revelatum a Deo intendente, ut illud credamus, ſi negligimus credere, peccamus: hoc enim erubeſceremus negare homini; ergo quandoquidem Eccleſia ſæpius proponit veritates nobis revelatas a Deo, ut credamus, a fortiori debemus erubeſcere, & peccamus, niſi credamus contra dictamen rationis naturalis, atque etiam contra leges Eccleſiæ.

Dixi autem (*præceptum poſitivum*) quod non obligat ad ſemper, ſed in aliquot certis caſibus, & circumſtantiis. Nam de præcepto negativo certum eſt, quod obligat pro ſemper, quia nunquam licet diſcredere poſitive objectis fidei, nec aſſentiri propoſitionibus contrariis veritati revelatæ, ut patet.

Objic. 1. Nullibi in Scriptura, vel traditionibus, vel legibus Eccleſiæ determinatum eſt tempus credendi poſitive; ergo nullum eſt præceptum ſæpius credendi. Prob. conſeq. nam qui ſemel credidit, ſemper cenſetur credens, quamdiu actum illum non retractat; & maxime quia non perditur aliter habitus fidei in-fu-

[1] *Prop.* 28.

ſuſæ; ergo ſufficit ſemel credere in vita ſua.

Reſp.neg.ant. 1. quia tot juſſiones credendi, quas legimus in Scripturis citatis, ſunt tot præcepta iterata actuum fidei, quæ ſi unquam obligavit, maxime quando nobis proponuntur objecta revelata. 2. quia fruſtra pluries, & ſæpius Deus præciperet nobis ſcrutari Scripturas, niſi intenderet obligare nos ad fidem. 3. Idem eſt de Eccleſia, quæ præcipit, ut ſingulis diebus feſtis proponantur populis articuli fidei, niſi de iiſdem exigeret ab eis fidem. 4. quia ratio naturalis dictat, injuriam fieri Deo loquenti nobis ſæpius per Scripturam, & Eccleſiam, ſi ei loquenti negetur fides, quam erubeſcimus negare hômini, ut dicebam.

Inſt. Non eſt major obligatio credendi, quando nobis proponuntur objecta fidei, quam diligendi ex charitate, quando nobis proponitur bonitas Dei; ſed nemo dixit, nos toties obligari ad actus poſitivos charitatis; ergo nec fidei.

Reſp.1.neg.min. nam quoad hoc non video diſparitatem inter charitatem, & fidem.

Reſpond. 2.neg.maj. quia cum actus charitatis ſit longe perfectior, ita & difficilior, & maxime quia nos refrigerat, & retrahit ab illa charitate propria concupiſcentia repugnans legi mentis noſtræ.

Inſt. 2. Non eſt facilius captivare intellectum, ut credat non ſolum quæ non videt, nec capit, ſed etiam quæ ſæpius videntur contraria iis, quæ videt, quam ſumme diligere Deum, quem ratio ipſa naturalis dictat eſſe ſumme bonum; ergo non valet ſolutio de majori perfectione, & difficultate actuum charitatis.

Reſp.neg.ant.Nam intellectus de ſe eſt indifferens ad aſſentiendum cuilibet veritati, ſicut oculus ad videndum quemlibet colorem: non ita eſt de voluntate, quæ fortius trahitur ad bonum ſenſibile, & delectabile, quam ad ſpirituale. Si autem ſtemus primæ reſponſioni, hæc inſtantia non urgebit. Et revera *ſcienti bonum, & non facienti peccatum eſt illi:* videnti, & cogitanti Dei ſummam amabilitatem, & non amanti peccatum eſt illi.

Objic. 2. Multi non ſtatim credunt, ſed tardiores ſunt ad credendum: & tamen hoc non imputatur ad pec-

peccatum; ergo propoſitio credendorum non ſemper obligat ad actus fidei. Prob. ant. exemplo de diſcipulis, quibus exprobrat tarditatem ad credendum: & de D. Thoma dicente, *niſi videro, non credam*: & de Athenienſibus non ſtatim credentibus Paulo prædicanti reſurrectionem; *Audiemus te de hoc iterum*; ergo &c.

Reſp. neg. ant. utrumque: niſi enim peccaſſent illi, non jure illos dixiſſet Chriſtus ſtultos, & tardos corde, nec Divo Thomæ, *beati, qui non viderunt, & crediderunt*; & neſcio, quis audeat excuſare duritiem Athenienſium, ſicut nec Petrus [1] excuſat Judæos, ſed convertitur ad gentes, quia Judæi *repellunt verbum Dei*.

CONCLUSIO II.

IN *fideles adulti tenentur credere myſteria fidei, quam primum eis ſufficienter proponuntur, & a fortiori fideles, ſaltem in ſolemnioribus feſtis, in quibus celebrantur aliqua inſigniora myſteria, v.g. Trinitatis, Paſſionis, Reſurrectionis,* &c. *& quando recipiunt aliqua ſacramenta: & denique, quoties urgent tentationes contra fidem alicujus veritatis, tenentur actu credere elicite fidei ejus*. Videtur communis quoad omnes partes.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] nam ibi ſatis aperte docet obligationem, qua quilibet compos *rationis tenetur pro aliquando ad aliquem actum explicitum* &c. & præcipue illa, de quibus ſunt ſolemnitates ſpeciales in Eccleſia, ſicut ſunt articuli de incarnatione, &c.

Prob. 1. p. Quando aliquid ſufficienter proponitur ut dictum a Deo, non poteſt auditor diſſentire, nec dubitare de illius veritate, imo nec differre aſſenſum ſine injuria dicentis; alioqui vellet manere in ſua infidelitate, vel ignorantia; ergo tunc obligatur ad credendum. Prob. ant. 1. ex Script. mox cit. in qua queritur Chriſtus de tarditate Apoſtolorum ad credendum; & de Moyſe, & Aaron legimus, quod in pœnam tardæ credulitatis privantur ingreſſu Palæſtinæ: & D. Thomas arguitur de eadem culpa, *noli eſſe*

[1] *Act.* 13. [2] *Ibid. 4. d. 5. q. 1. ſ. n. 6.*

eſſe incredulus. 2. quia nulla eſt ratio differendi aſſenſum. 3. quia omnis homo tenetur deſerere infidelitatem quam primum, & ignorantiam de rebus, quæ ſpectant ad ſalutem ſuam, qualia ſunt objecta fidei.

Dixi (*quando ſufficienter proponuntur*) & hoc contingit, quando myſteria proponuntur cum talibus motivis credibilitatis, ut moraliter dubitari non poſſit, quin hæc revelata ſint a Deo.

Prob. 2. p. Nam fideles ipſi licet aliquando crediderint actu, & adhuc credant habitualiter, quatenus aſſenſum ſemel datum non retractaverunt, tamen certum eſt, quod illa non proponuntur eis, niſi ut actu, & explicite credant eaſdem veritates.

Certe probabiliſſimum mihi videtur, quod diebus feſtis, quando ex Eccleſiæ præcepto parochi explicant, & recitari jubent ſymbolum, intendit, ut tunc credant eoſdem articulos, & maxime quia illi actus ſunt opera, quibus ſanctificantur dies Dominici, & alii feſtivi. Hinc

Prob. 3. p. Nam Eccleſia non præcipit celebrari illa myſteria, & memorari, niſi ut foveant in animis fidelium religionem erga illa, & excitentur ad reverentiam, & gratitudinem in Deum pro illis beneficiis, ſed hæc non bene præſtare poſſunt, niſi firmiter credant illa; ergo &c.

Confirm. Nam cum proponitur homini Myſterium Incarnationis, Nativitatis, Reſurrectionis, &c. vel credit, vel dubitat, vel hæſitat, & ſuſpendit omnem actum: ſed nullum horum fieri poteſt licite, vel rationabiliter; ergo tenetur credere. Min. patet ex dictis.

Prob. 4. p. de ſacramentis; nam præterquam quod Eccleſia exigit actus explicitos fidei ab adultis baptizandis, vel a patrinis, aut parentibus eorum, & in aliis curat, ut de illorum eſſentia, & inſtitutione, & effectis inſtruantur, & credant; ergo intendit, ut de illis fidem habeant actualem.

Confirm. adultus non poteſt ſuſcipere ſacramenta debite, & cum fructu, niſi cognoſcat illorum eſſentiam, & efficaciam, ſaltem pro captu ſuo; ſed hæc cognoſcere non poteſt cognitione proportionata, & diſpoſitiva ad gratias eorum ſine fide actuali; ergo

omnis adultus in his caſibus obligatur ad credendum actu.

Prob. 5. p. de tentationibus, quæ urgent contra fidem: nam tunc vel minima hæſitatio ſuſpecta eſt infidelitatis. *Dubius in fide eſt infidelis*, [1] ajunt Pontifices Innocentius I. & Julius; [2] ſed qui urgente tentatione circa Trinitatem divinam, v. g. non elicit aſſenſum illius, cenſetur hæſitans, aut dubius; ergo & infidelis. Quod colligitur ex verbis Petri. [3] Diabolus *circuit quærens, quem devoret: Cui reſiſtite fortes in fide*. Imo & hoc juvat etiam in aliis tentationibus: ſc. fides in his *nos roborat ad victoriam*, inquit Gloſſa, & Lyranus.

Alii alias tradunt regulas pro hac obligatione; nobis iſtæ ſufficiant, quas ut probabiles colligo ex graviſſimis Theologis.

Fateor tamen tales actus non eſſe ita neceſſarios, quin aliquando ſufficere poſſet fides implicita, & præcipue cum virtuali, quod ſæpe accidit, cum ſacramenta ſuſcipiuntur, & opera virtutum exercentur ſine formali, & explicito actu fidei, ſed cum ſimplici apprehenſione, ſeu cognitione bonitatis operum illorum, ſuppoſita tamen fide infuſa, & habitualiter durante.

Alii putant præceptum fidei actualis urgere, quando urgent præcepta ſpei, aut charitatis, aut aliarum virtutum, ut chriſtiane fiant, quod probabile puto, ſi illa opera fieri non poſſint, ſicut oporter, juxta illa præcepta, ſine fide actuali. Sed regulariter putarem ſufficere diſpoſitionem prædictam ex fide habitualiter, aut virtualiter permanente.

Idem dici poteſt de aliis, qui putant illud præceptum urgere in articulo mortis. Item & in caſibus, in quibus homo vult juſtificari, & a peccato reſurgere. Quod puto certum, ſi habeat peccata infidelitatis, aut ſi moriens tentetur de fide. At in aliis caſibus, & peccatis putarem ſufficere eandem diſpoſitionem, ſaltem pro iis, qui ſolebant ſæpius elicere actus explicitos fidei. Plura vide apud morales.

QUÆ-

[1] *Ep.* 1. [2] *Ep.* 2. [3] 1. *Pe.* 5.

QUÆSTIO V.

De actu externo fidei: an, & quando obliget, aut præcipiatur, & ad quam virtutem ſpectet.

JAm diximus actum externum fidei eſſe ipſam fidem, ſeu aſſenſum ſignificatum per aliquod ſignum ſenſibile, ut verbo, ſcripto, vel facto, & quæritur, an tales actus cadant ſub præcepto, ita ut omnis fidelis adultus teneatur fidem ſuam aliquando manifeſtare ſenſibiliter. Et an illi actus pertineant ad habitum, & virtutem fidei, & quomodo.

CONCLUSIO I.

DAtur præceptum poſitivum obligans ad aliquos actus externos fidei in aliquibus caſibus; datur etiam negativum prohibens negare fidem exterius.

Prob. 1. ex Scoto; nam feſtivitates publicæ, in quibus celebratur memoria myſteriorum, & in quibus omnis fidelis tenetur illa credere explicite, & ex præcepto, ſunt confeſſiones etiam publicæ, & ſolemnes eorumdem; ergo ſicut præcipiuntur illæ feſtivitates; ita & profeſſiones fidei. Eodem ſpectant actus externi religionis in Deum, quos omnes fideles tenentur exercere; nam ſupponunt omnino fidem de divina excellentia, & ſupremo ejus dominio; & ideo dicit, [2] *cæremonialia legis veteris, purificationes, oblationes.....fuiſſe quoſdam actus fidei, ſpei, & charitatis*; ergo ſicut de illis cæremoniis extabat præceptum, ita & de fidei actibus externis.

Prob. 2. ex Script. [1] quoad utramque, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum* &c. *Qui autem negaverit me .... negabo & ego eum* &c. Idem dicitur apud Lucam; [4] *quicumque erubuerit ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet.* Et Apoſtolus, [5] *ſi confitearis in ore tuo Dominum I. & in corde tuo crediderís, ſalvus eris ... corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Vides ibi duplex præceptum, ſc. confitendi, quod eſt

[1] *Ibid.* [2] 4.*d*.1.*q*.4.*N*.*n*.13. [3] *Matth.*10.
[4] *Luc.*12.& 9. [5] *Rom.*10.

eſt poſitivum, & non negandi, nec erubeſcendi, quod eſt negativum.

Prob. 3. ex Patribus, nam inquit Hieron. (1) in hunc locum, *Teſtimonium cordis eſt oris confeſſio, fides ſufficit ad juſtitiam, confeſſio ad ſalutem*. Et Auguſt. [2] *fides officium a nobis exigit & cordis, & linguæ*. Et alibi, [3] *non perfecte credunt, qui quod credunt, nolunt loqui .... credidi, propter quod locutus ſum*. Et Chryſoſtom. *non ſolum ille proditor eſt veritatis, qui tranſgrediens veritatem, palam mendacium loquitur, ſed etiam qui libere veritatem non pronuntiat, quando oportet*. Et Theodoret. in eundem locum, *Utriſque opus eſt, & fide vera, & firma, & confeſſione libera, ut coronetur fidei certitudo*. Et Epiſc. Lugdunenſis in decreto contra Albigenſes apud Baron. [4] *dicimus, quod fidem catholicam non habet, qui eam non confitetur, quando interrogatur, vel fides periclitatur*; ergo fides externa eſt neceſſaria neceſſitate præcepti poſitivi, & negativi, iſtud obligat ſemper, ita ut numquam liceat negare fidem, illud aliquando.

Confirm. exemplis tot millionum Martyrum, quos duriſſima tormenta, & mortes non deterruerunt a confitenda fide. Unde *quanta vita eſt confiteri Chriſtum, tanta mors eſt negare Chriſtum*, ait Aug. cit. [4]

Prob. 4. quia ſicut homo conſtat corpore, & anima, ita utroque debet cognoſcere, & confiteri Deum ſuum. Item quia Eccleſia eſt viſibilis, non ſufficit illi incorporari, & inhærere per fidem internam, & inviſibiliter, ſed debemus per externam, & viſibibiliter.

Dixi 1. *dari præceptum*; nec enim eſt neceſſaria neceſſitate medii, quia multi poſſunt ſalvari ſine talibus actibus, ut qui baptizati ſunt in infantia, & facti grandiores non habent occaſionem confitendi externe.

Dixi 2. *aliquando*. Nec enim præceptum poſitivum obligat pro ſemper, ſed in aliquibus caſibus, in quibus homo vel interrogatur de ſua fide, vel exigitur ab eo fidei confeſſio: ut cum baptizandi ſunt Catechumeni, vel cum promovendi ſunt ad prælaturas,

[1] *Ibid.* [2] *de fid. & ſym.* 1.
[3] *pſ.* 115. [4] *ann.* 1175.

turas, &c. Et olim exigebatur ab illis, quorum dubia erat fides, ut contigit S. Athanaſio, qui coram S. Pontifice fidem ſuam profeſſus eſt &c.

Objic. 1. qui interrogatur de fide ſua, poteſt ſilere, aut tergiverſari, & uti verbis æquivocis; ſed hæc æquivalent negationi internæ fidei, nam qui audiunt hæc reſponſa, recipiunt illa, ut negationes; ergo vel non licet ſic reſpondere, vel licet negare externe fidem.

Reſp. neg. maj. abſolute, nam ſi ex illis reſponſis, vel ſilentio ſequitur ſcandalum, vel ſi æquivalent negationi, ſemper ſunt peccata contra fidem; perinde enim eſt, quomodocumque negetur fides, ſive formaliter, ſive æquivalenter, ſi vero ex talibus reſponſis non ſequatur ſcandalum, fieri poſſent ſine peccato, & ſic negaretur minor, & prob. ejus.

Objic. 2. poteſt aliquando reſponderi per leve mendacium, quod non ſit negatio poſitiva, ſed ſimplex diſſimulatio; ergo negatio fidei non ſemper eſt peccatum.

Reſp. neg. ant. abſolute, & eodem modo; nam in materia fidei non datur levitas; ſemper enim ſit gravis injuria Deo, cujus veritas non patitur leviſſimam falſitatem.

Objic. 3. in perſecutionibus fidei licet fugere; ſed fuga illa eſt quædam negatio ſaltem negativa, quia non eſt confeſſio; ergo licita eſt quædam negatio fidei. Prob. maj. ex Evangelio; *cum perſequentur vos in civitate una, fugite in aliam*, & id fecerunt multi etiam ſancti, & Deus ipſe miſit Angelum ad Petrum, ut fugeret ex carcere. Et Paulus fugit ex Damaſco *Dimiſſus per murum &c.*

Reſp. neg. min. niſi eſſet periculum ſcandali; imo fuga illa eſt quædam confeſſio, ſicut fuga reorum ſumitur pro judicio reatus, qui enim fugit, cum quæritur de fide, oſtendit ſe habere fidem, ſed non præſumit de viribus ſuis ad ferenda tormenta, & id venit ex ipſo lumine, & motu gratiæ, quam Deus dat robuſtiorem iis, quos non vult fuga ſibi conſulere.

Dico, *ſi abſit periculum ſcandali*, ſive ex ſilentio, vel tergiverſatione, ſive ex fuga; nam tunc iſta ſunt illicita: ideo plurimi SS. Paſtores cum viderent

ex fuga ſua periclitari fidem gregum ſuorum, ſtatim redierunt ad pugnam, & martyrium fortiter ſubjerunt.

CONCLUSIO II.

P*Recepto negativo fidei prohibetur omnis realis ſimulatio ſectæ alienæ a Catholica*. Eſt communis, & ſequitur ex dictis.

Per *ſimulationem ſectæ alienæ* intelligo cæremonias, & actiones, non quidem civiles, & politicas, quæ nullo modo ſpectant ad religionem, ſed ritus, qui ſunt proprii alicui ſectæ, v. g. ritus, quibus coluntur idola, aut qui ſunt proprii judæis, vel hæreticis, ut circumciſio, vel ſumptio cœnæ apud Calviniſtas. Hoc poſito

Prob. 1. nam per tales actus negatur poſitive fides per actus infidelitatis, & peccatur formaliter contra præceptum decalogi, quo prohibetur cultus idolorum tam externus, quam internus; ergo nunquam licita eſt talis ſimulatio. Prob. ant. *nolite converti ad idola*. Et, *non facies tibi ſculptile, ut adores illud*. Et in novo teſtamento monet Apoſtolus [1] populos, *ut abſtineant ab idolis, & immolato, & ſanguine*. Sed tales actus inſtituti ſunt ad cultum idolorum apud gentiles, & ad proteſtationem erroris, ut ſumptio cœnæ contra fidem realitatis Euchariſtiæ. Et ſic de aliis ritibus hæreticorum; ergo &c. Prob. min. nam, inquit Tertull. [2] *Idololatria eſt omnis circa idolum famulatus, & ſervitus .... negat, quicumque diſſimulat in quacumque cauſa pro Ethnico habitus*. Vide totum librum illum, & maxime c.13. & 15.

Confir. ex Script. [3] non enim licet chriſtiano nequidem comedere cum idololatris, vel hæreticis de cibis, quos ipſi ex religione ſua comedunt: Ut de immolatis, & idolothytis. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, ut abſtineatis ab immolatis ſimulacrorum*. Ut decernitur in Concilio Apoſtolorum. [4] *De eſcis, quæ idolis immolantur, ſcimus, quia nihil eſt idolum in mundo ...... quidam autem cum ſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant, & conſcientia ipſorum*,

[1] *act.*21. [2] *l.de idol.*3.*&* 22.
[3] *act.*15. [4] 1.*cor.*8.

rum, cum ſit infirma, polluitur &c. Et infra dicit, quod ſicut participantes de corpore Chriſti in altari ſunt participes Chriſti: ſic participantes de immolatitiis participant de idolis. *Non poteſtis eſſe participes menſæ Domini, & menſæ dæmoniorum*. Prohibentur ergo cibi illi, in quantum qui eos ſumunt, cenſentur honorare idola, quibus oblati fuerunt, ſed ceſſante illo periculo ſcandali, non eſſet peccatum.

Igitur, generaliter loquendo, per hoc præceptum prohibentur omnes actus externi, quibus diſſimulatur fides cum ſcandalo, ita ut videamur eam negare, & conſentire idololatris, vel hæreticis in eorum erroribus, licet in corde conſervetur fides interna.

Quantum ad alia omnia, ut veſtes, cibos, mores civiles, &c. quæ non ſpectant ad religionem, nec arguunt communicationem in erroribus, non dedecent Chriſtianum Catholicum.

Objic. 1. Eliſæus permittit Naaman, ut aſſiſtat Regi adoranti Remmon, fingens ſe idololatrare cum ipſo; ergo & ut diſſimulet fidem.

Reſp. neg. conſ. nam illa aſſiſtentia Naaman erat proprie famulatus exhibitus Regi, non idolo, ut ipſe proteſtatus fuerat Prophetæ. [1] *Non enim faciet ſervus tuus ultra holocauſtum .... niſi Domino*.

Objic. 2. Judæi poſt converſionem ad Chriſtum adhuc obſervabant legalia, quæ non licebant gentilibus converſis; ergo illis licebat diſſimulare fidem Chriſtianam.

Reſp. neg. conſ. nam tunc naſcente Eccleſia, obſervatio legalium tolerabatur, nec æſtimabatur incompatibilis cum fide Chriſti.

CONCLUSIO III.

Actus fidei ſyncerus eſt ab ipſa virtute fidei, non elicitive, ſed imperative. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] nam actus illos externos, quos in adultis requirit, vocat actus fidei, & imperatos a fide: ergo dependent ab illa.

Prob. 2. ex Script. cit. in qua illi actus externi tribuuntur fidei. Ut cum dicit Apoſtolus; [3] *corde creditur ad juſtitiam; ore fit confeſſio ad ſalutem*. & David

[1] 4. *Reg.* 5. [2] *Ibid.* [3] *Rom.* 10.

ex eadem virtute credit, & loquitur. [1] *Credidi, propter quod locutus ſum*. Et iterum Paulus, [2] *habentes eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, credidi* &c. Et alibi, [3] *fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo. Fide Abraham obediverit.... fide Moyſes celebravit Paſcha*, &c. Vide, quot opera externa tribuit fidei. Idem eſt de paſſionibus martyrum: nam [4] *per fidem vicerunt regna .... ludibria, & verbera experti* &c. Et, *eſto fidelis uſque ad mortem, & habebis coronam*. Ideo dicebat Cyprianus, [5] *ſanguis martyrum ſemen eſt fidei*. Et Joannes [6] *vidit ſub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei*; ergo opera externa fidei, ut paſſio martyrii, ſunt actus fidei ſaltem imperati.

Prob. 3. nam profitentes externe fidem, dicunt ſemper, *credo*, vel *confiteor*. Ut patet ex SS. Canonibus, & Conciliis; & conſtantia martyrum dicitur *conſtantia in fide*: & e contra nolentes credere, vel apoſtatæ, tranſeuntes ad gentiles, vel ad hæreticos, dicuntur apoſtatare a fide; ergo actus externi fidei ſunt ab ipſa fide.

Prob. 4. ex Patribus, qui tam externos, quam internos actus illos tribuunt fidei, ut S. Chryſoſt. [7] *ſi tibi tantum Deus cor creaſſet, ſufficeret tibi fides cordis: nunc autem os tibi creavit Deus, ut corde credas, ore confitearis* &c. Et Auguſt. cit. [8] *fides a nobis officium exigit & cordis, & linguæ*; ergo confeſſio externa fidei eſt ab ipſa fide.

Prob. 2. p. nam virtus non concurrit effective niſi ad actus potentiæ, quam informat; ſed habitus fidei non informat potentias elicitivas actuum externorum, verbi gratia linguam, aut manus, quibus ſignificamus nos credere. Illi actus non ſunt elicitive ab habitu fidei, ſed tantum imperative, ſeu directive, ſc. mediante imperio voluntatis eodem, quo imperat intellectui credere internum.

Objic. con. 1. p. habitus virtutis non imperat actus externos, qui non faciunt ad proprium ſuum finem: ſed externa confeſſio fidei internæ non facit ad finem ſuum; ergo non pertinet ad fidem, nequidem imperative. Prob. min. finis virtutis fidei eſt aſſenſus Deo

lo-

[1] *pſ.* 115. [2] 2. *cor.* 4. [3] *Hebr.* 11. [4] *Ibid.* [5] *Apoc.* 2. [6] *Ibi.* 6. [7] *hom.* 25. [8] *imper. l. de fi.* 1.

loquenti, ſeu debitus honor divinæ veracitati; ſed confeſſio externa non facit ad illum honorem; nam eſt quid poſterius, & velut effectus aſſenſus interni; ergo &c.

Reſp. neg. utramque min. & conſ. prob. nam confeſſio externa eſt quaſi complementum internæ, & externe honorat veracitatem Dei, quam aſſenſus mentis honorat interne, & ex eodem motivo.

Inſt. imperium, ex quo fiunt hæc opera, & illi actus externi; eſt ab eadem pia affectione voluntatis, qua imperantur aſſenſus interni; ſed hæc affectio voluntatis non eſt ab habitu fidei, ſed ab auxilio gratiæ actualis; ergo ita eſt de iſtis actibus; ergo non pertinet ad fidem.

Reſp. neg. 1. ſubſumptum: nam ſicut illa affectio pertinet, quamvis elicitive ſit ab alio principio effectivo: ita eſt a fortiori de iſtis actibus, quibus manifeſtantur actus interni. Certè hæc manifeſtatio, & hæc opera habent eundem finem cum fide; ſc. honorare Dei veracitatem. 2. Idem objectum materiale, & formale. 3. eandem cauſam imperantem; ſc. affectionem in Deum loquentem: & denique ſunt ſigna fidei interioris.

DISPUTATIO VII.

De infidelitate.

EX iis, quæ diximus de fide, facilè cognoſcetur vitium oppoſitum, ſc. infidelitas; ſed claritatis majoris gratia ſpecialiter de illa dicemus pauca, prout videbimus ea mereri conſiderationem.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit infidelitas.

NOn agimus hic de *infidelitate* oppoſita fidelitati, quæ eſt virtus moralis inclinans ad promiſſa implenda: de qua dicit ſapiens, *diſplicet Deo infidelis promiſſio*, agimus de infidelitate oppoſita fidei Theologicæ.

Hæc dividitur 1. *in poſitivam*, & *negativam*, & *privativam*.

tivam. 1. diſſentit poſitive veritati revelatæ, & ſufficienter propoſitæ, ut revelatæ, ut ille, qui *dixit in corde ſuo, non eſt Deus*; & tales ſunt omnes hæretici. 2. non credit, nec diſſentit, quia non audivit. 3. nec credit, nec diſſentit, licet audierit Dei verba; ſed ſuſpendit omnem actum, ut illi, qui audientes Paulum dicebant, *audiemus te de hoc iterum*, & hæc infidelitas dicitur *privativa*, quia eſt abſentia formæ, ſeu actus, qui deberet ineſſe; nam iſti non habent actum, vel habitum, quem deberent habere.

2. *Poſitiva* ſubdividitur in *judaiſmum*, *paganiſmum*, & *hæreſim*, ſeu *apoſtaſiam*. *Pagani* ſunt, qui ſentiunt contraria fidei chriſtianæ, quam nullo modo agnoſcunt, & dicuntur etiam *gentiles*, vel *Ethnici*. *Paganorum* nomen remanſit non baptizatis a tempore Conſtantini Magni, de quo ſcribitur, quod cum ſtatuiſſet, ut qui vellent militare cum ipſo, deberent baptizari, illi, qui noluerunt baptizari, remanſerunt in pagis ſuis, & inde *pagani* dicti ſunt. Sc. *Deorum falſorum cultores uſitato nomine paganos vocamus*, inquit Auguſt. [1] Et ad iſtos pertinent *Turcæ*, qui licet *Deum magnum agnoſcant*, non tamen admittunt Scripturam S. alterutrius teſtamenti. *Judæi* ſunt, qui olim ſub lege veteri viventes ante promulgatum Euangelium dicebantur *populus electus*. Et veteri teſtamento adhuc credunt, ſed Euangelium rejiciunt, & totum novum teſtamentum, & Chriſtum ipſum non agnoſcunt; in hoc conſiſtit eorum infidelitas. *Hæretici* ſunt illi, qui fidem Chriſti ſuſceperunt, & ab ea quoad aliquas veritates defecerunt, in errores oppoſitos abeuntes cum pertinacia. Qui verò deficiunt a tota fide, & tranſeunt ad paganiſmum, dicuntur ſimpliciter apoſtatæ; licet hoc nomen dicatur etiam de quolibet deſertore fidei Catholicæ. Unde *hæreſis* propriè ſignificat receſſum à parte fidei, & deſcribi poteſt, *Voluntarius error contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia affectus in eo, qui fidem recepit*. *Apoſtaſia* verò, etiam propriè, dicitur receſſus a fide tota; licet ſumatur ſæpius indifferenter pro omni receſſu.

Hæc diviſio ſe tenet præcipuè ex parte objectorum materialium fidei, non verò ex parte objectorum for-ma:

[1] 2. *retr.* 43.

maliium ; nam nullum horum membrorum importat diſſenſum circa veritatem verbi Dei ; ſed verſantur ſingula circa diverſitatem revelatorum, & perſonarum, in quibus eſt infidelitas.

Judaiſmus dicitur a judæis, qui diſſentiunt a fide quoad novum teſtamentum, quod rejiciunt. *Paganiſmus*, a paganis, qui Deum verum non agnoſcunt, nec ſcripturas ſacras ullius teſtamenti. *Hæreticiſmus* a perſonis, quæ ſuſceptam ſemel fidem abjecerunt quoad aliquas veritates. Denique *paganiſmus* recedit totaliter a fide Catholica; *judaiſmus* recedit totaliter non a fide, nam credit vetus teſtamentum, & figuras Chriſti, ſed a Chriſto recedit totaliter: *Hæreticiſmus* non recedit a Chriſto, ſed ab aliqua veritate fidei chriſtianæ; v. g. Calviniſtæ non negant Chriſtum, nec multas veritates Euangelicas, ſed aliquas: v. g. realitatem præſentiæ carnis Chriſti in Euchariſtia, &c. Singulæ autem iſtæ ſpecies infidelitatum, & infidelium ſubdividuntur in alias plures, quæ denominantur vel ab auctoribus earum; ut *Sabelliani* a Sabellio; *Lutherani* a Luthero; *Calviniſtæ* a Calvino, &c. Vel ab erroribus, quos tuentur, ut *Trinitarii*, propter hæreſim de Trinitate; *Sacramentarii*, *Anabaptiſtæ* &c. propter errores circa baptiſmum, & ſacramenta, & hæ, ac ſimiles diviſiones ſunt innumeræ, pro multitudine errorum; nec circa hæc reſtat quidquam diſputandum, quia hiſtorica ſunt.

QUÆSTIO II.

An, & quale peccatum ſit infidelitas.

LOquimur tam de *poſitiva*, quam *privativa*, imo & de negativa, & quærimus, an illæ omnes ſint peccata, & qualia? Dubium eſt principaliter de negativa, quæ ſupponit ignorantiam invincibilem omnium veritatum fidei. Nam *poſitiva* importat actum poſitivum diſſenſus omnium, vel aliquarum veritatum ſufficienter propoſitarum: *privativa* autem negligentiam vel aſſentiendi poſitive articulis ſufficienter propoſitis, vel quærendi cognitionem eorum, quæ ſciri debent, & credi neceſſariò ad ſalutem.

CONCLUSIO I.

INfidelitas poſitiva eſt peccatum mortale graviſſimum poſt odium Dei.

Prob. 1. ex Scoto, qui objicienti, quòd fides amittitur [1] per maximum demeritum, reſpondet, Dico quod non; ſed per illud, quod ex ratione ſua opponitur fidei, cujuſmodi eſt infidelitas, ſive error circa credibilia; ergo ſentit infidelitatem eſſe demeritum, ſed non abſolutè graviſſimum, quia odium Dei eſt ſine dubio gravius.

Prob. ex Script. Qui non credit, jam judicatus eſt. Et, ſi non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Et Spiritus S. arguet mundum de peccato .... quia non crediderunt in me; ergo infidelitas eſt peccatum grave.

Confir. de ſingulis ſpeciebus; nam de Apoſtatis legitur, quod ſunt [2] attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. Et ſicut Jammes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, & reprobi circa fidem. 2. De Judæis, [3] Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum. Et illis minatur, [4] Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus: ſed hæc non minaretur, niſi eorum infidelitas eſſet graviſſimum peccatum; ſunt enim minæ, & pœnæ graviſſimæ, ideo dicuntur [5] Generatio prava, & adultera ..... incredula, & perverſa. Et in peccato veſtro moriemini. 3. De Paganiſmo, ſeu Gentiliſmo dicitur: [6] In viam gentium ne abieritis. Et, Dii gentium Dæmonia ..... Et Gentes Apoſtatrices, &c.

Prob. 3. datur præceptum credendi, ſicut & diligendi; ergo tam infidelitas, quæ eſt contra præceptum credendi, eſt grave peccatum, quàm odium Dei, quod eſt contra præceptum charitatis.

Prob. 2. p. de gravitate peccati. 1. Quia in Scriptura vocatur peccatum per Antonomaſiam, ut cum dicit Chriſtus, peccatum non haberent; in peccato moriemini, &, arguet mundum de peccato. Et, quod non eſt ex fide, pec-

[1] 3.d.23.L.n.18. [2] 1.Tim.6. [3] 2.Tim.4. [4] Jo.3. [5] Matt.12. & 17. [6] Jo.8.

peccatum eſt. 2. Quia ab infidelitate veniunt omnia alia, eſtque peccatum capitale, & ſtante infidelitate impoſſibilis eſt reſurrectio à peccato; ergo eſt graviſſimum peccatum. prob. ant. ex Auguſt. *Hoc eſt peccatum, quo tenentur omnia peccata; quod unuſquiſque ſi non haberet, dimittantur ei omnia peccata*. Eſt enim prima diſpoſitio ad juſtificationem. Certè, quamdiu homo eſt ſine fide, per quam dirigatur ad Deum, quid boni facere poteſt?

3. Quia incredulus offendit Deum in ſua veritate; ergo incredulitas eſt peccatum graviſſimum.

Prob. 3. p. Nam peccati gravitas penſatur ex dignitate virtutis, cui opponitur; ſed odium Dei opponitur digniori virtuti, ſcil. charitati, quæ ſupereminet fidei; *major horum eſt Charitas*: ergo odium Dei gravius eſt peccatum peccato infidelitatis.

Objic. 1. con. 3. p. Deſperatio eſt gravior infidelitate; ergo hæc non eſt graviſſimum peccatum poſt odium Dei. prob. ant. tum quia opponitur ſpei, quæ excedit fidem, tum quia offendit Deum in ſua miſericordia, & bonitate, quam deſperans non vult participare; ergo &c.

Reſp. neg. utrumque ant. nam fides reſpicit Deum in ſe directè ut veracem, qui non poteſt fallere, nec falli; ſpes autem reſpicit Deum, non ut bonum in ſe abſolutè, ſed ut bonum a nobis participabile, & deſperatio eſt quædam nolitio, vel negligentia talis participationis, & reſpicit ipſum deſperantem.

Inſt. Deſperatio non vult confidere in Deo, ſed potiùs in alio; ergo odit Deum; ergo eſt majus peccatum, quàm infidelitas, quæ non includit tale odium Dei.

Reſp. diſt. 2. conſ. majus peccatum quatenus includeret odium, poſito quod illud includat, con. præciſe ab illo odio, & ſecundum ſe, neg. conſ. Dico, *ſi includat*, nec enim id puto verum, nam idem diceretur etiam de infidelitate, quod ſcil. male afficiatur in Dei veracitatem, in quo eſt majus, & formalius odium, quam in deſperatione, quia ſic avertit non tantùm voluntatem, ſed etiam intellectum a veritate Dei. Sed hoc magis patebit infrà, ubi de ſpe.

CON-

CONCLUSIO II.

INfidelitas privativa eſt peccatum grave ; non autem negativa ex ignorantia invincibili, ſi detur.

Prob. 1. Infidelitas *privativa* dicitur illa, per quam homo voluntariè negligit credere revelationi divinæ ſufficienter propoſitæ,& dum ſciens, ubi, vel quomodo poſſit audire, & addiſcere credenda, negligit audire, vel addiſcere; ſed in utroque eſt grave peccatum; ergo infidelitas privativa eſt grave peccatum. maj. patet ex dictis de quidditate hujus infidelitatis. prob. min. 1. ex Script. [1] nam dicebat Chriſtus Jud. quia non credebant, cum audirent veritatem: *Venit Joannes ad vos, & non crediḍiſtis ei ..... publicani, & meretrices crediderunt*. Item, [2] *qui non credit, jam judicatus eſt*, &c. illi omnes, ad quos ita loquitur Chriſtus, [3] non diſcredebant poſitive, ſed privative, quia negligebant, vel hæſitabant; non audiebant, vel attendebant ad verba ejus; unde ſæpiùs ſolicitabant : *audite, & intelligite*. Et Stephano prædicante [4] continuerunt aures ſuas. Et aliquando prohibebant Apoſtolis,[5] *ne omnino loquerentur, nec dicerent in nomine Jeſu*. De illis dicebat David: *noluit intelligere, ut bene ageret*. Unde miratur Apoſtolus: [6] *qui ignorat*, negligens ſcire, quæ debet ſcire, *ignorabitur a Deo*. Quod eſt graviſſima pœna; ergo & illa ignorantia eſt graviſſimum peccatum.

Prob. 2. ex Patribus. Nam, inquit Hieron. *Noluit intelligere Judas, ut bene ageret: quia aliud eſt non poſſe, aliud nolle. Judas quotidie videbat Chriſtum miracula facientem, ſed non intelligebat, quia in malevolam animam non intrabit ſapientia*. Et Auguſt. *Non omnis ignorans immunis a pœna eſt*, &c. Et alibi: *Aliud eſt neſciſſe, aliud neſcire voluiſſe, voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, noluit intelligere, ut bene ageret*. Vide,quæ diximus de ignorantia craſſa.

Prob. 3. Quia hæc infidelitas eſt voluntaria, ſaltem.

[1] *Matt.21*. [2] *Jo.3. & 16. & 15*.
[3] *Matt.15*. [4] *act.7*. [5] *act.4. & 17*.
[6] *1.Cor.14*.

tem negative, vel ignorantia craſsa, & affectata: ſed hæc ignorantia non excuſat a peccato, ſed potius accuſat; ergo &c.

Prob.2.p.1. ex Script. nam Chriſtus dicit: *ſi non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*; quia ſc. invincibilis eſſet eorum ignorantia,& defectus fidei; ergo talis infidelitas non eſt peccatum, præciſe ut negativa.

Confir. ex definitione Eccleſiæ, quæ damnat hanc propoſitionem Baii, *Infidelitas negativa in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*. Ex hac cenſura ſequitur hanc contradictoriam eſſe veram, (1) *infidelitas negativa in his, quibus prædicatus non eſt, peccatum non eſt*; quia ſcil. ignorantia eſt *invincibilis*.

Prob. 2. ex patribus, nam Auguſt. (2) quærens, utrum hi, ad quos non venit Chriſtus, nec loquutus eſt, excuſationem habeant de peccato ſuo, reſpondet, *habere illos excuſationem, non de omni peccato ſuo, ſed de illo, quod in Chriſtum non crediderunt*. Et ubi ſupra: *Non omnis ignorans immunis a pœna eſt: ille autem ignorans poteſt excuſari, qui, a quo diſceret, non habuit*.

Confir. ex eodem, *quia peccatum adeo eſt voluntarium, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium*: ſed infidelitas negativa veniens ex ignorantia invincibili nullo modo eſt voluntaria; ergo nec peccatum. Quod patet ex dictis de peccatis. Nam ex eodem, *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras*. Aliud eſt de infidelitate privativa.

Objic. con. 1.p. Omiſſio credendi propoſita, vel quærendi credenda non opponitur veracitati Dei; ergo non eſt peccatum infidelitatis, ſed negligentiæ, vel contra ſtudioſitatem.

Reſp. diſt. ant. non opponitur contrarie, ſeu poſitive, con. privative, neg. ant. & conſ. nam nolle aſſentiri Deo revelanti, & nolle audire revelata, ne illis aſſentiamur, idem ſunt quoad peccatum, & utrumque opponitur præcepto credendi.

Inſt. Eſt peccatum puræ negligentiæ; ergo non eſt infidelitas contra veracitatem.

Reſp.

[1] *Prop.64.* [2] *tr.89.Io.*

Reſp. diſt. ant. negligentiæ contra veracitatem: con. negligentiæ in abſtracto, neg. ant. & conſ. ſicut enim qui negligit audire proximum, ne ſuccurrat ei; peccat contra charitatem, ita qui negligit audire, quæ Deus loquitur, ne credat; peccat contra fidem.

Objic. 1. con. 2. p. Ignorantia dicitur peccatum; ergo defectus fidei ex ignorantia eſt peccatum. prob. ant. ex Script. ubi dicitur; *Qui per ignorantiam peccaverit, & ſi per ignorantiam peccaverit, ut ignorans ignorabitur*, &c.

Reſp. diſt. ant. ignorantia craſsa, & vincibilis; con. invincibilis; neg. ant. & con. prob. nam illi textus loquuntur de ignorantia craſsa.

Inſt. Ex Auguſtino; (1) *veniet flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum*, & addit; *ſed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tamquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet*; ergo ex Auguſtino, (3) illa infidelitas, ex quacumque ignorantia veniat, eſt peccatum.

Reſp. neg. conſ. nam Auguſtinus ſemper ſupponit negligentiam aliquam in illa ignorantia, alioqui ſibi contrarius eſset in illis verbis ejus, quæ citavimus. *Non imputatur ad culpam, quod invitus ignoras*. Cum dicit talem ignorantiam non eximere a flammis æternis, hoc dicit propter peccatum originale, quod remanet in infidelibus; & damnabuntur propter alia peccata. Denique Auguſtino (3) potius opponerent cenſuram ſupradictæ propoſitiones Baii.

Objic. 2. David dicit contra hos infideles, (4) *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*; ergo talis ignorantia, & infidelitas negativa eſt grave peccatum; alioqui non imprecaretur eis effuſionem iræ Dei.

Reſp. neg. conſ. nec enim hoc intelligitur de ignorantia, & infidelitate iſta negativa; ſed vel de poſitiva, vel de privativa.

Inſtit. *Servus, qui non cognovit voluntatem Domini ſui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*. ideſt mi-

[1] *De Gra. & lib. ar. 3.* [2] *tr. 89. Io.*
[3] *Ibid.* [4] *Pſ. 78.*

mitius punietur, ſed tamen punietur; ergo ignorantia non excuſat infidelitatem a peccato.

Reſp.neg.conſ. non enim loquitur de hac ignorantia, ſed de craſſa, nam inquit gloſſa, ex S. Ambroſio, *Multi exiſtimantes ſe minus vapulaturos, ſi neſciant, quid operari debeant, avertunt ſe a veritate, ſed cum poſſint ſcire, ſi vellent ſtudium adhibere .... contaminatores appellantur.*

Inſt.2. Ex Apoſtolo, [1] *qui ſine lege* (ideſt ſine cognitione legis, & credendorum) *peccaverunt, ſine lege peribunt*. Item ex eodem: *flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, nec obediunt Euangelio*; ergo nulla ignorantia excuſat non credentes.

Reſp.neg. con.nam inquit gloſſa Lyrani: peribunt, *non ex legis ſcriptæ prævaricatione* (quam ignorant) *ſed ex violatione legis naturæ*; quæ non poteſt ignorari, ſaltem invincibiliter. *Item hi non noverunt Deum, ut ſunt Iudæi, & pagani obſtinati*, inquit gloſſa, ergo ut vides, hi textus ſunt de ignorantia vincibili; qualis eſt ignorantia legis naturæ, & voluntaria, qualis eſt obſtinatorum.

Aliæ objectiones eodem recidunt, & ſolvuntur ex dictis de ignorantia vincibili, & invincibili, an, & quo modo excuſet a peccato.

Dixi autem, *Ex ignorantia invincibili, ſi detur*; nolo enim hic immorari in diſputando, an ſit poſſibilis in homine rationis compote ignorantia invincibilis de omnibus credibilibus, & neceſſariis ad ſalutem. Vide, quæ diximus in tr. de Deo, & gratia ſufficienti; nec vacat illa repetere.

CONCLUSIO III.

INfidelitas poſitiva, elicitive, & formaliter eſt in intellectu, imperative autem, & quoad moralem malitiam eſt a voluntate. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. de ſubjecto fidei, [2] *Nam fides eſt in intellectu ſubjective .... Et non credit* (homo.) *niſi volens, & voluntas habet imperium ſuper actum credendi .... & poteſt impedire intellectum, ne exeat in actum credere*; ergo ſicut fides actualis pendet

(1) *Rom.2.* [2] *3.d.15.K.*

det ab intellectu effective, & a voluntate imperative, ita & infidelitas poſitiva, nam contrariorum eadem eſt diſciplina.

Prob. 2. ex Script. quæ hæreſim opponit ſcientiæ, & doctrinæ; ſed hæc ſunt habitus intellectus; ergo & infidelitas. prob. ant. ex Apoſtolo, qui deſcribit Hæreticos, & infideles, [1] *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes, attendentes ſpiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum .... Inſipientia eorum erit manifeſta omnibus*: & ipſas hæreſes vocat doctrinas *tenentes doctrinam Nicolaitarum*, quæ erat de communitate uxorum: ergo &c.

Prob. 3. Hæreſis eſt habitus inclinans intellectum ad credendum falſæ doctrinæ; ſed credere eſt actus intellectus; ergo & hæreſis.

Prob. 2. p. ex dictis de fide. Nam ſicut voluntas inclinat intellectum ad credendum, ita & ad diſcredendum, & quidem a fortiori. Nam intellectus ex ſe inclinatur magis ad aſſentiendum veritati, quam falſitati; ergo ſi eget imperio voluntatis ad actum fidei, multo magis ad actum infidelitatis, quo diſſentitur veritati revelatæ a Deo.

Prob. 3. etiam ex dictis. Nam infidelitas eſt peccatum; ſed omne peccatum eſt voluntarium elicitive, aut imperative; ergo & actus infidelitatis.

Confir. de actu credendi erroribus; nam inquit Auguſtinus; [2] *cætera poteſt homo nolens; credere autem non niſi volens*. Quod magis patet de hæreſi, quæ ſuccedit fidei; nam cum voluntas imperaret aſſenſum fidei, quandiu intellectus credidit veritatem, non poteſt jam illi diſſentire, & aſſentiri errori, niſi ex conſenſu, & imperio voluntatis depravatæ ex paſſione, vel tentatione.

Prob. denique; nam hæreſis importat pertinaciam; ſed pertinacia ſe tenet ex parte voluntatis, quæ detinet intellectum, ut diſſentiat veritati, & aſſentiat errori, ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Infidelitas committitur dicto, vel ſcripto; ſed neutrum eſt in intellectu; ergo nec infidelitas. prob. ant. nam concilia damnantia errores in fide ajunt, *ſi quis dixerit*, &c.

Reſp.

[1] 2. *Tim*. 4. [2] *tr*. 26. *Io*.

Reſp.diſt.ant. infidelitas eterna, con. interna & formalis, neg. ant. & conſ. prob.nam qui aſſentiretur interne erroribus condemnatis, non minus eſſet hæreticus, & infidelis.

Objic.1. con.2.p. Aſſenſus, & diſſenſus in intellectu præcedunt actum voluntatis; nam ille dirigit iſtam; ergo voluntas non influit in infidelitatem intellectus. Prob.ant. nam voluntas non fertur in incognitum.

Reſp. diſt. ant. quoad propoſitionem objectorum per actus naturales, con. quoad liberam applicationem, ſeu quoad actus liberos, neg. ant.& conſ. actus autem credendi, & diſcredendi ſunt liberi, non in ſe formaliter, & elicitive, ſed ab extrinſeco imperio voluntatis, ut diximus.

Objic.2.Voluntas non fertur extra objectum ſuum; ſed objecta infidelitatis, ſicut & fidei, ſunt extra objectum voluntatis; ergo voluntas ad neutrum influit. Prob.min.objecta fidei, & infidelitatis ſunt verum,& falſum, voluntatis autem ſunt bonum, & malum; ergo &c.

Reſp.neg.min.& conſ.prob. nam voluntas non reſpicit objecta fidei, & infidelitatis præciſe, ut verum, & falſum, nec illarum actus ſub ratione aſſenſus, vel diſſenſus, ſed ſecundum bonitatem, & malitiam, ſeu convenientiam, & diſconvenientiam moralem,quam haberit cum affectu ſuo pio, vel pravo, & ſub alterutra ex his rationibus illos imperat,aut prohibet.

Quæres, *quænam harum infidelitatum ſit gravius peccatum.*

Reſp. Paganiſmum quoad objectum, & materialiter eſſe gravius peccatum; aliunde vero hæreſim eſſe gravius.

Ratio 1. p.eſt, quia paganiſmus eſt idololatria, & cultum,qui ſoli Deo debetur, defert viliſſimæ creaturæ, & ſic facit ſummam injuriam Deo; ergo & graviſſimum eſt peccatum, ratione objecti, & materialiter.

Ratio 2.p.eſt,quia in Paganiſmo eſt cęcitas, & ignorantia, quæ multum alleviat hoc peccatum; ſed in hæreſi eſt violatio voti baptiſmalis de fide integra ſervanda in unitate fidei, & Eccleſiæ. 2. Eſt inobedientia in Deum, & Eccleſiam, quam promiſit in eodem ſacramento. 3. Nulla ibi excuſat ignorantia,

ſed potius intervenit pertinatia, quatenus ſciens veritates, quibus diſſentitur, eſſe receptas, & determinatas in Eccleſia, & ab ea proponi ut revelatas, & opiniones contrarias, quibus adhæret, ab eadem reprobari ut erroneas, in eis tamen obſtinate perſiſtit, unde ſequitur 4. hæreſim eſſe peccatum ex pura malitia, & inde gravius.

Quæres 2. *an ad pertinaciam, quæ facit hæreſim, requiratur perſeverantia longa in errore: ſeu, in quo conſiſtat formalis pertinacia.*

Reſp. nihil aliud per ſe requiri ad formalem pertinaciam, quæ eſt eſſentialis in hæreſi, niſi quod ſciat opinionem, cui adhæret, non eſſe revelatam, ſed potius proibitam, & damnatam, ut contrariam fidei chriſtianæ, & quod ſic præfert hanc opinionem judicio infallibili Eccleſiæ Catholicæ, ſive diu, ſive parum perſeveret in ſua ſententia cum tali advertentia.

Id conſtat ex Can. *dixit Apoſtolus*. Ex Auguſt. [1] *qui ſententiam ſuam defendunt, quamvis falſam, & perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, ſed corrigi parati, cum veritatem invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos computandi*; ergo e contra; qui tuentur errorem ſuum, nec ſunt parati corrigere ſe, cum veritatem audiunt definitam ab Eccleſia, cenſentur pertinaces, & hæretici. In hoc conveniunt omnes Theologi, & Canoniſtæ.

QUÆSTIO III.

De cenſuris, ſeu notis, ſeu qualitatibus propoſitionum infidelitatis.

PRopoſitiones oppoſitæ veritatibus fidei ſolent ſub variis titulis, & qualitatibus reprobari ab Eccleſia. Aliæ dicuntur *hæreticæ*, aliæ *erroneæ*; *ſapientes hæreſim*; male *ſonantes*, *ſcandaloſæ*, *piarum aurium offenſivæ*, *temerariæ*, *ſeditioſæ*, *blaſphemæ*, &c. Quædam notantur una, & pluribus ex his, aut ſimilibus notis, quarum explicatio non diſplicebit, nec erit inutilis lectori.

1. Propoſitio hæretica illa eſt, cujus contradictoria eſt de fide, & hæc dicitur directe hæretica. Quidam cen-

[1] 44.7.3.

cenſent alias eſſe indirecte hæreticas, quia opponuntur contradictorie alicui veritati, non quidem formaliter revelatæ, ſed quæ continetur in revelatis, ut, quod *Chriſtus eſt rationalis*, quia hæc continetur in iſta, *Chriſtus eſt verus homo*. Sed puto cum Arriaga, ſufficere primam illam definitionem.

2. *Eronnea* non dicitur proprie omnis propoſitio non vera, ſed tantum illa, cujus contradictoria non eſt quidem explicite revelata, ſed eſt concluſio evidenter illata ex una revelata, & alia evidenter nota, quales ſunt plures concluſiones Theologicæ, vel quæ opponitur propoſitioni communiter receptæ in Eccleſia, quamvis non definitæ, & ſic tales propoſitiones ſunt inferioris notæ, quam hæreticæ, ſed gravioris, quam aliæ ſimpliciter falſæ. Sic iſta dicitur erronea, *Chriſtus non eſt riſibilis*.

3. *Sapiens hæreſim*. Illa eſt, quæ dat occaſionem credendi probabiliter, quod in authoris mente latet hæreſis; ſi vero judicium non ſit probabile, ſed tantum ſuſpicio, dicitur *ſuſpecta de hæreſi*, idem dicitur de illa, quæ *ſapit errorem*, vel ſuſpecta eſt de errore.

4. *Male ſonans*, eſt, ea quæ duplicem patitur ſenſum, ſcil. catholicum, & hæreticum, vel quæ abutitur vocibus extra communem ſignificationem, & maxime, cum in ſenſu communiori ſignificat falſum, ut ſi dicas, Chriſtus non eſt in Cœlo, quia vox *eſt*, ut propoſitio ſit vera, ſumitur pro *manducat*; quod eſt ſignificatum minus commune hujus vocis, ſecundum communiorem uſum, ſignificat, quod *Chriſtus non exiſtit in Cœlo*; quod eſt hæreticum.

5. *Piarum aurium offenſiva*: eſt ea, qua profertur aliquid indecens in materia religionis, & pietatis, ut ſi diceres, te invocare ſanctam meretricem, loquens de Magdalena, aut ſanctum perjurum, loquens de Petro.

6. *Scandaloſa* eſt, quæ ex terminis dat occaſionem erroris in fide, aut moribus deterrendo auditorem ab exercitio virtutum, ut ſunt propoſitiones contra ſtatum religioſum, aut venerationem reliquiarum, aut indulgentias &c.

7. *Temeraria*, quæ aſſeritur ſine ſolido fundamento contra communem Scholaſticorum, & Patrum men-

mentem. Eſt enim magna temeritas, tot, & tantis magiſtris contradicere. Et hæc dicitur *temeraria poſitive*. Vel ſi aliquid novi aſſeritur ſine ſufficienti fundamento rationis, vel authoritatis, ſeu quod a nullo gravi authore aſſertum fuit. Et hæc dicitur *temeraria privative*. Hæc cenſura proprie ſpectat ad eas, quæ ſunt in materiis Theologicis.

8. *Schiſmatica*. Quæ poteſt promovere, vel excitare ſchiſma in Eccleſia, ut ſi quis aſſerat aliquid contra legitimam Papæ, aut aliorum Eccleſiæ paſtorum electionem.

9. *Seditioſa*. Quæ in materia virtutum, & religionis excitare poteſt ſeditionem, ſed ſi hoc dicitur in materia politiæ, tales propoſitiones ſolent prohiberi, ſed non cenſurantur.

10. *Blaſphema*; quæ injuriam contra Deum, aut ſanctos continet, & ſi adhuc contineat hæreſim, ſeu errorem contra fidem, dicitur *blaſphema hæreticalis*. Dicitur etiam *impia*, quia lædit pietatem.

Porro, ut jam dixi, aliquando una,eademque propoſitio meretur plures ſimul ex his cenſuris.

Mitto alias plures hujuſmodi malas qualitates propoſitionum in rebus Theologicis, ut ſunt, *injurioſa*, *ſuperſtitioſa*, *arrogans*, *vana*, *ſtulta*, *inſana*, *&* *improbabilis*; quæ non ſunt proprie cenſuræ Theologicæ, ſaltem in uſu.

Solent etiam notari propoſitiones, quibus aliqui male cenſurant doctrinam aliorum, & quidem iiſdem cenſuris,quibus injuſte alios notant: v.g. ſi diceres, *hæc propoſitio*, Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, *hæretica eſt*, ſua ipſius propoſitio iſta dicetur hæretica, & ſic de aliis.

Quæres, *an Papa, vel Eccleſia errare poſſit in iis cenſuris ferendis*.

Reſp. non poſſe, ut patet ex dictis ſupra de infallibilitate Papæ,& Eccleſiæ. Et hæc de fide Theologica dicta ſufficiant pro ſtudentibus noſtris, qui plura volet, adeat controverſiſtas.

DIS-

DISPUTATIO VIII.

De ſpe Theologica, & vitiis oppoſitis.

FIdes, de qua huc uſque ſatis prolixe pro inſtituto diximus, eſt radix, & fundamentum ædificii ſpiritualis: ſpes vero erigit illud paulo altius, donec coronidem ponat charitas, quæ *opus perfectum habet*. De ſpe igitur ſecundum ordinem naturalem, non ſecundum ordinem dignitatis agimus 2. loco inter virtutes Theologicas.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit ſpes Theologica.

SPei nomen ſæpe legimus in Scriptura in multiplici ſenſu: 1. pro illa paſſione, & affectu appetitus ſenſitivi, aut rationalis, quo fertur in bonum abſens, & arduum cum aliqua certitudine iſtud obtinendi, quod cum obtinuerit, ſuccedit ei gaudium. De hac egimus alias, ſicut & de deſperatione illi oppoſita.

2. Sumitur pro deſiderio vel expectatione alicuius boni; (1) *ſpes eſt expectatio boni*, ait Tullius. In hoc ſenſu dicitur de claudo petente eleemoſynam a Petro, (2) *ſperans ſe aliquid accepturum ab eis*. Et ipſi diſcipuli de Chriſto Domino, (3) *ſperabamus, quod eſset redempturus Iſrael*.

3. Pro bono ipſo deſiderato, & ſperato, ut cum dicitur, (4) *Dominus ſpes ejus eſt*. Et, (5) *Domine ſpes mea*. Et, *tu es Domine ſpes mea*. Et, *expectantes beatam ſpem*, &c.

4. Hic autem ſumitur pro habitu infuſo, & virtute ſupernaturali inclinante ad actus deſiderii, & expectationis divinæ poſſeſſionis in æterna felicitate. De hac dicit Apoſtolus, (6) *nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc* &c. Et quærimus, an detur talis habitus, ſeu virtus, & an ſit virtus Theologica, & quid illa ſit.

CON-

[1] *tr.5.d.3.q.8*, (2) 4.*Tuſcul.*
[3] *Act.3.* [4] *Luc.22.*
[5] *Pſal.13.& 70.& 90.* (6) 1.*Tim.2.*

CONCLUSIO I.

Admittenda eſt virtus ſpei, & eſt habitus per ſe infuſus, inhærens animæ, & virtus Theologica, diſtincta a fide & charitate, qua deſideramus Deum ut bonum infinitum ſecundum ordinem divinæ ſapientiæ. Eſt fere tota de fide.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Dico, quod ſpes eſt virtus Theologica, unica, & diſtincta a fide, & charitate.* Et patet quoad 1.p. ex dictis ab initio hujus tractatus de his tribus virtutibus.

Prob.2. quaſi tota concluſio ex Script. & Conciliis. Nam ex Apoſtolo, [2] *manent fides, ſpes, charitas; tria hæc*, habes exiſtentiam habitus manentis, & diſtinctionem. Et Concil. Viennenſe approbat ſententiam docentem, [3] *tam parvulis, quam adultis in baptiſmo conferri informantem gratiam, & virtutes.* Et Trindentin. docet; quod in juſtificatione *hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem.* Nam ex his patet 1. dari ſpem, 2.quod ſit habitus, & quidem *infuſus*, & inhærens; 3. quod diſtinguatur ab aliis; *tria hæc, & major horum eſt charitas.* Numerus enim arguit diſtinctionem. Et eadem diſtinctio patet ex dictis ab initio hujus tractatus.

Confir. nam Eccleſia orat Deum, ut det nobis *fidei, ſpei, & charitatis augmentum*; ergo ſupponit, quod jam habemus, vel habere poſſumus illas virtutes in gradu aliquo remiſſo. Quod enim augetur jam ſupponitur ineſſe, & quidem habitu; nam actus non dicuntur proprie augeri; quia tranſeunt, & remiſſis ſuccedunt intenſiores, non autem augentur priores.

Prob. 3. quod ſit virtus Theologica ex dictis ibidem.Nam 1.habet Deum pro objecto primario,quem directe deſiderat, ſed deſiderare Deum, & ejus poſſeſſionem eſt actus veræ virtutis, eſt enim actus honeſtiſſimus; ergo &c.

Prob.4.p. de virtute Theologica, nam reſpicit directe Deum per deſiderium, & habet pro regula veritatem ſibi oſtenſam per fidem, quæ eſt quid divinum, & eſt a Deo, a quo infunditur immediate a Deo; ergo eſt undecumque Theologica.

Prob.

[1] 3.d.16.Cm.1. [2] 1.Cor.13. [3] Clem.deſt.Trin.

Prob. denique diſtinctio; nam bene explicat naturam ſpei ſecundum genus, quo convenit cum aliis virtutibus Theologicis, & ſecundum propriam differentiam, qua ab illis diſtinguitur; ergo &c. Prob. ant. percurrendo ſingulas particulas. Nam cum dicitur, *habitus per ſe infuſus* &c. per id convenit cum aliis: 2. *qua deſideramus Deum* &c. per hæc differt à fide, cujus eſt credere Deo, & in Deum, & Deum prout nobis revelatum, & revelantem, & à charitate, qua Deum amamus propter ſeipſum in illo ſiſtendo, ſine reſpectu ad nos per ullum amorem concupiſcentiæ, ſed puro amore amicitiæ, è contra ſpes facit reſpicere, & deſiderare Deum, ut bonum noſtrum ſummum; ergo &c.

Objic. 1. nihil facit ſpes infuſa, quod non poſſit ſpes naturalis, & acquiſita; ergo non debet aſſeri infuſa, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Prob. ant. nam 1. poteſt homo naturaliter cognoſcere Deum, ut ſibi ſummè bonum, & ut talem deſiderare poſſidendum, nam per nos datur in nobis appetitus naturalis beatitudinis: 2. poteſt per frequentes actus ſic ſperandi acquiri habitus inclinans, & facilitans ad ſimiles actus, ſaltem cum auxilio gratiæ: ergo ſpes naturalis acquiſita ſufficit.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. poteſt naturaliter, & imperfectè, & inſufficienter ad ſalutem, con. perfectè, & ſufficienter, & ſicut oportet ad ſalutem, neg. ant. & conſ. nam habitus illi infuſi requiruntur, ut perfectè ſanetur anima à vulneribus peccati, & elevetur ad ſtatum ſupernaturalem proportionatum ſtatui ſanctitatis, & beatitudinis, ad quem per illos actus virtutum iſtarum debet pervenire. Et licet hæc haberi poſſent per auxilia gratiæ actualis, tamen Deus ex majori miſericordia id facit per dona permanentia, & habitus, qui ſimul animam ſanant, ornant, & perficiunt.

Inſt. Catechumeni ante juſtificationem habent actus ſupernaturales ſpei ſine habitu; ergo hic non eſt neceſſarius. Prob. ant. ex Trident. cit. nam ante juſtificationem per baptiſmum *eriguntur in ſpem* &c. ergo &c.

Reſp. diſt. conſ. non eſt neceſſarius abſolutè, ita quin per gratiæ actualis auxilium haberi poſſint actus

ſupernaturales ſpei: con. neceſſitate ſecundum quid, & ex ſuppoſitione præſentis legis divinæ: neg. conſ. nam Deus ſic ordinavit ex majori bonitate ſua, ut connaturaliùs hæc fiant.

Objic. 2. ratio neceſſitatis ſpei eſt, ut ſanentur facultates animæ, & reformentur ad imaginem Dei; ſed utrumque ſufficienter præſtatur per fidem, quæ ſanat intellectum, & per charitatem, quæ ſanat voluntatem; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam charitas ſanat quidem voluntatem quoad affectionem juſtitiæ, ſed non commodi, ſaltem præcisè, hoc præſtatur per ſpem, qua amat bonum ſibi commodum & proprium, ſicut per charitatem amat illud propter ipſum.

Objic. 3. ſi daretur hic habitus, infantes venientes ad uſum rationis, & adulti, cum baptizantur, experirentur inclinationem, & facilitatem ad actus ſpei, ſicut & fidei, & charitatis; ſed hoc eſt falſum, & contra experientiam; ergo &c. Prob. maj. nam habitus dantur propter actus, ad quos inclinant, & facilitant.

Reſp. neg. maj. nam ut diximus ſupra, iſti habitus non dantur ſolùm ad facilitatem, & inclinationem, ſed principaliter, ut ſanent potentias, & elevent eas ad actus, ad quos ex ſe non poſſent attingere.

Objic. 4. ſpes ponitur inter paſſiones; ſed iſtæ non ſunt virtutes infuſæ, ſed potiùs oppoſitæ virtutibus; ergo ſpes non eſt virtus.

Reſp. diſt. maj. ſpes aliqua, con. ſpes omnis, neg. maj. & conſ. nam, ut dicebam, ſpes omnis non paſſio, ſed aliqua eſt vera virtus, per quam regulatur, & elevatur & ſanatur anima contra illam paſſionem.

Objic. 5. virtus eſt *diſpoſitio perfecti ad optimum*: Sed ſpes eſt potiùs imperfecti deſiderantis perfectionem; ergo non eſt virtus.

Reſp. diſt. min. imperfecti comparativè ad bonum deſideratum, con. imperfecti abſolutè, neg. maj. & conſ. nam voluntas in ſe, & natura ſua eſt perfecta, ſed perficitur in ordine ſupernaturali per hanc virtutem, & bonum, quod ſperat, & quod de ſe non poſſet attingere, nec ſperare, ſicut oportet.

Objic. 6. omnis virtus ſervat mediocritatem; ſed ſpes non ſiſtit in mediocritate; ergo &c. Prob. min.

non

non enim poteſt excedere in deſiderio Dei.

Reſp. diſt. maj. omnis virtus moralis, con. Theologica, neg. maj. & conſ. virtus moralis reſpicit bonum finitum; ideò poteſt excedere in ejus appetitu, virtus Theologica reſpicit bonum infinitum, quod non poteſt appetere, nec amare ſibi, nec propter ſeipſum, pluſquam meretur.

Objic. denique, virtus Theologica reſpicit ultimatè Deum; ſed hoc non facit ſpes; ergo &c. prob. min. quia potiùs reſpicit ſe directè, & ultimatè, & Deum propter ſperantem, & potius utitur Deo, & fruitur ſeipſo ſperans; ergo.

Reſp. diſt. maj. Deum, ut amandum amore amicitiæ, aut concupiſcentiæ, con. ut ſolo amore amicitiæ amandum, neg. maj. & min. & conſ. quia ille amor concupiſcentiæ, quo amat Deum ſibi, non excludit amorem amicitiæ per charitatem, ſed potiùs ad eum tendit, & non facit injuriam Deo, qui verè eſt utroque amore amandus ultimatè, & ſummè.

Objic. 1. con. ultimam partem. Quidquid dicitur de ſpe, dici poteſt de fide, ergo fides, & ſpes non diſtinguuntur. Prob. ant. ſpes reſpicit omnia objecta, & ſubjecta, quæ reſpicit fides; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. eadem objecta per diverſos actus, con. per eoſdem actus, neg. ant. utrumque. Nam fides reſpicit ſua objecta per intellectum, & ſpes per actus voluntatis.

Inſt. qui firmiter credit ſe conſequuturum ſalutem, verè ſperat; ergo utraque reſpicit eadem objecta per eoſdem actus.

Reſp. diſt. ant. verè ſperat per actum voluntatis comitantem, aut ſequentem actum illum credendi, con. formaliter per ipſum actum intellectus, quo credit, neg. ant. nam eſt æquivocatio in voce credit, nam ſæpe etiam ſumitur pro actu ſperandi, & expectandi, ſaltem ſperare comitatur, aut ſequitur credere.

Objic. 2. Spes non diſtinguitur à charitate; ergo &c. prob. ant. nam ſpes, & charitas ſunt de eodem objecto formali, & in eadem potentia, ſcilicet de Deo, ut bono, & in voluntate; ergo &c.

Reſp. neg. ant. nam ſpes reſpicit Deum, ut ſibi bonum poſſidendum, & nondum poſſeſſum, charitas

vero abſolutè, ut bonum in ſe, & propter ſe amandum; iſta eſt amor amicitiæ, illa concupiſcentiæ.

Inſt. Homo poteſt deſiderare ſummum bonum proximo ex charitate; ergo & ſibi; ergo charitas, & ſpes eoſdem actus habent, & eadem objecta reſpiciunt, nam eadem eſt ratio de utroque. Prob. ant. eſt enim actus amicitiæ; ergo & charitatis.

Reſp. neg. ſubſ. nam in illo deſiderio duo diſtinguenda ſunt; nempe ipſe actus deſiderii, qui directè elicitur ab habitu ſpei, & reſpicit Deum, ut bonum abſens à proximo, vel ab ipſo deſiderante, & ſperante: 2. actus charitatis, ſeu amicitiæ in proximum, à quo amore imperatur illud deſiderium.

QUÆSTIO II.

De objecto ſpei Theologicæ.

DIximus ſpem eſſe habitum inclinantem ad deſiderandum Deum, ut ſummum bonum noſtrum. Et eam ideo eſſe virtutem Theologicam, unde ſatis liquet Deum eſſe objectum ejus, ſed videndum, quale objectum, & ſub qua formalitate, uno verbo quærimus, an Deus ſit objectum ſpei materiale, aut formale, & inde magis patebit diſtinctio ſpei à fide, & charitate.

CONCLUSIO.

OBjectum materiale primarium ſpei eſt Deus, ut ſummum bonum, formale verò eſt Deus ut ſummum bonum noſtrum à nobis poſſidendum. In re eſt communior, licet in verbis varient Theologi, etiam noſtri.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Hæc virtus eſt Theologica, quia reſpicit Deum pro objecto immediato.* Et ſupra dixerat, quod deſiderat, *ut bonum infinitum nobis ineſſe bonum, & hoc à Deo ſeipſum nobis liberaliter conferente, ex meritis noſtris*, &c. ergo ex Scoto, Deus eſt objectum quod, ſeu materiale, & primarium ſpei, ratio vero formalis, ſub qua deſideramus, eſt, quod ſit bonum noſtrum infinitum à nobis deſideratum, & poſſidendum.

[1] *Ibid. C. n. 10.*

Prob. 2.

Prob. 2. ex Script. in qua Deus dicitur ſpes noſtra, *ſpes ejus eſt*, inquit Pſaltes, [1] *ſpes mea ab uberibus*, vel *à juventute mea*. Et, *ſpes populi ſui*, &c. Et Apoſtolus: *gloriamur in ſpe gloriæ ſecundum ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur*. Ex his, & ſimilibus innumeris textibus patet, Deum eſſe bonum ipſum, quod deſideramus ab eo, ut ſuimet largitore; *ſpes mea, & portio mea*. Et ipſemet id declarat Abrahæ, [2] *Ego.... ero merces tua magna nimis*. Nam inquit Auguſtinus, [3] *præmium virtutis erit ipſe, qui virtutem dedit, qui ſeipſum promiſit, quo nihil majus eſt*. Et certè *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum*.

Prob. 3. Illud eſt primarium, & principale objectum ſpei, quod eſt primò, & principaliter deſiderabile nobis, vel per quem omnia ſunt nobis appetibilia; ſed talis eſt Deus in ratione ſummi boni; ergo &c. prob. min. omnia ſperabilia ſupernaturaliter, ex influxu hujus habitus, ſunt vel ipſe Deus, qui eſt eminenter omnia; vel Deum includunt per modum objecti, ut Beatitudo, vel à Deo, ut à cauſa, & fonte, vel ad ipſum ordinantur, ut ad finem ultimum: ergo &c.

Prob. 2. p. Spes tendit in objectum ſuum per modum concupiſcentis, ſeu deſiderantis; ſed Deus non concupiſcitur, nec deſideratur, niſi ut ſummum bonum noſtrum, ſeu Beatitudo noſtra; ergo ſub ea ratione eſt objectum ſpei. Prob. min. nihil enim propriè deſideratur niſi ut bonum eſt nobis.

Confir. Spes naturalis non reſpicit dignitates, delectationes, aut divitias, niſi quatenùs ſunt bona deſiderantibus; ſed illa non aliter differt à ſpe Theologica, niſi ex objecto materiali, quia hæc reſpicit immediatè Deum, in ſe ſupernaturaliter attingendum, & obtinendum, illa vero bona creata naturaliter attingenda, & obtinenda; ergo ſpes Theologica ſub ſimili ratione reſpicit Deum, ſcilicet ut bonum nobis deſideratum, & obtinendum.

Prob. 2. quia ſpes diſtinguitur à charitate, quia hæc reſpicit Deum per amorem amicitiæ, & ſpes per amorem concupiſcentiæ; ſed amor iſte reſpicit objectum ſuum materiale, prout eſt bonum amanti, & ut

[1] *Pſal.* 13. 60. 70.
[2] *Gen.* 15. [3] 22. *Civ. c. ult. Thre.* 3.

& ut ab ipſo poſſidendum ; ergo ſpes reſpicit Deum, ut bonum ſperantibus, & ab ipſis poſſidendum, ac beatificativum.

Objic. 1. Deus in ſe, neque ut ſummum bonum non eſt objectum amoris concupiſcentiæ, eſt enim amandus propter ſe, & non propter nos, alioqui eſſet perverſus amor, quia *frueremur utendis, & uteremur fruendis*, ſcilicet amaretur Deus propter nos, & non nos propter Deum; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus, nam deſiderare Deum, ut nobis ſummè bonum, non eſt ulla perverſitas ordinis amandorum, nec uti fruendis, niſi fortè reſpiceremus Deum, ut minus bonum: nec ita Deum amamus propter nos, ſed nobis: non *gratia quorum*, ſed quibus ille eſt ſumma beatitudo, & perfectio, ideoque potius nos ipſi humiliamur, & ſubjicimus, agnoſcentes miſeriam noſtram extra illum; unde orabat David, (1) *quam dilecta tabernacula tua &c.: concupiſcit, & deficit anima mea* &c. & Auguſt. (2) *Accende me Domine voluntate, & concupiſcentia tua... Da mihi Domine, ut deſiderem te.* Et Chriſtus ipſe nos docet orare, *adveniat regnum tuum*.

Inſt. Utimur aliquà re, cum eam appetimus, ut utilem, ſeu bonam propter aliam: Sed deſiderare Deum ut nobis bonum, ſive ut bonum noſtrum eſt deſiderare, ut nobis utilem, ſeu propter nos; ergo tunc utimur Deo, & fruendis, ergo ſpes illa eſt perverſiſſimus amor: maj. patet ex Auguſt. (3) *ea re frui dicimur, quæ nos, non ad aliud referenda, per ſe ipſam delectat, uti vero ea re, quam propter aliud quærimus*: Prob. min. nam deſiderare Deum, ut nobis bonum eſt deſiderare eum propter nos, eſt referre illum ad nos; ergo ſic Deum amare, eſt uti Deo, & frui nobis, eſt amare Deum propter creaturam, & hanc ut finem Dei.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Non enim ſpes reſpicit Deum, ut medium ad noſtram beatitudinem, ſed ut ipſum finem ultimum, & beatitudinem noſtram.

Objic. 2. Idem eſt objectum ſpei, & deſperationis; ſed deſperatio non reſpicit Deum immediatè; ergo nec ſpes: prob. min. damnati non deſperant de Deo, ſed de Beatitudine; ergo &c.

Reſp.

[1] *Pſ.* 83. [2] *Man.* 10. [3] 11. *Civ.* 25.

Reſp. neg. min. & ant. prob. nam deſperatio eorum eſt immediatè de Deo, cui ſe averſos vident, & ab eo in æternum ſeparatos, & de illa ſeparatione, & privatione cruciantur.

Inſt. Idem eſt objectum ſpei, & gaudii ex poſſeſſione rei ſperatæ; ſed gaudium de beatitudine ſperata non reſpicit Deum immediatè, nec ille eſt objectum immediatum talis gaudii; ergo nec ſpei, ſed eſt ipſa formalis poſſeſſio Dei. Prob. min. nam Deus terminat immediatè charitatem, non autem gaudium.

Reſp. neg. min. & ant. nam gaudium beatorum terminatur directè ad Deum, & eſt immediatè de Deo poſſeſſo, non autem de poſſeſſione niſi comitanter.

Inſt. 2. homo non dicitur deſiderare Deum, ſed Dei viſionem, & poſſeſſionem; ergo viſio, ſeu poſſeſſio Dei eſt immediatum objectum ſpei, non ipſe Deus. Prob. ant. quando ſtudemus, non deſideramus objecta ſcientiæ, ſed ipſam ſcientiam directè; ergo idem de eſt ſpe quoad beatitudinem, ſeu viſionem, hæc eſt immediatum objectum ejus; non deſideramus Deum directè, ſed viſionem Dei.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. non deſideramus objecta ſcientiæ in eſſe reali: con. in eſſe objectivo: neg. ant. nam ſtudens vult habere objective res, quas quærit noſſe; ſic ſpes deſiderat Deum poſſidere, ſed in eſſe reali eo modo quo haberi poteſt.

CONCLUSIO II.

Non ſolum formalis beatitudo eſt objectum concomitans, & partiale ſpei, ſed etiam omnia bona gratiæ, & gloriæ: imò & bona omnia naturalia, quæ honeſtè à Deo petere poſſumus, ſunt ejuſdem ſpei ob ecta ſecundaria materialia. Debet eſſe communis.

Prob. 1. p. nam bona gratiæ, & gloriæ ſunt vel media, vel comitantia, vel conſequentia objectum principale, ſeu ad ſummum bonum noſtrum, quod per ſpem deſideramus,& expectamus conſequi à Deo per bona opera, & preces, ex meritis Chriſti; ergo ſunt ſuo modo, & ordine objecta ſpei.

Confir. ex Script. (1) nam hæc promittit Deus petenti.

[1] *Thr.* 3.

tentibus; *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum; anima quærenti illum*. Et docet nos petere omnia utilia ad ſalutem obtinendam, ut ſunt, *ſanctificatio nominis ejus, adventus regni*, & executio voluntatis ejus, panis quotidianus, &c. ergo vult nos illa omnia ſperare ab eo impetranda.

Prob. 2. p. de aliis bonis etiam temporalibus; tum quia hæc omnia ſuo modo conferre poſſunt ad idem ſummum bonum, & iſta etiam Chriſtus docet petere, & ſperare à Deo patre, & promittit petentibus concedenda, prout ſumma ejus ſapientia judicat expedire; ergo & iſta ſunt objecta ſecundaria ſpei. Prob. ant. ex Script. *nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus? Scit enim pater, quia his omnibus indigetis .... quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*. Et iterum, *amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. Non limitat ad bona gloriæ, nec gratiæ, ſed ad omnia extendit, quæ decenter petere poſſumus.

Dixi autem, *aliquo modo*, ſc. quatenùs ordinantur ultimatè ad principale objectum ſpei, ſc. ad Deum. Nam ſi per ſe primò, & abſolutè, & ſine hac relatione ſaltem virtuali, & implicita deſiderentur, non pertinent ad ſpem Theologicam.

QUÆSTIO II.

De ſubjecto ſpei Theologicæ.

QUærimus de ſubjecto immediato, & *ut quo*, an habitus, vel actus ſpei ſubjectentur in ſubſtantia animæ, vel in aliqua potentia. Et an in intellectu, aut voluntate. Idem de ſubjecto *quod* & mediato; ſc. de perſonis capacibus ſpei; v. g. de viatoribus, aut beatis, aut damnatis, & animabus purgatorii; an in beatis, & damnatis ceſſet etiam quoad habitum.

Suppono autem, ut certum, quòd voluntas non fertur in incognitum, nec regulariter appetit impoſſibile. Non ſperamus, nec deſideramus niſi bonum nobis oſtenſum ab intellectu, ut poſſibile, & cum aliqua probabilitate obtentionis; & illud judicium de-

de bonitate, & futuritione poſſibili vocatur etiam ſpes. Ideò dicimus *ſpero me iturum Romam*, quamvis adhuc actu non deſiderem talem peregrinationem aggredi. Propterea multi cenſent ſpei actum eſſe partim ab intellectu, & partim à voluntate. Imò & quidam ex noſtris ſpem ponunt in intellectu probabiliter, ut Poncius.

CONCLUSIO.

S*Pes tam habitualis, quam actualis eſt in voluntate*? Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) *charitas perficit voluntatem, in quantum eſt affectiva affectione juſtitiæ, & ſpes perficit eam, in quantum eſt affectiva affectione commodi, & ita erunt diſtinctæ virtutes; non tantùm ex actibus, qui ſunt amare, & deſiderare, ſed etiam ex ſuſceptivis, quæ ſunt voluntas ſecundum illam duplicem affectionem affecta* &c. ergò ex Scoto, [2] ſpes tam actualis, quàm habitualis eſt in voluntate. Et addit, quod *actum ſpei præcedit aliqua fides infuſa, vel acquiſita, pro quanto deſiderare abſolutè non poteſt eſſe, niſi ejus, quod oſtenditur poſſibile, & illa poſſibilitas oſtenditur à fide applicata ad bonum deſiderabile*, &c. ergo non video, quomodo Poncius potuerit dicere doctorem in hoc eſſe problematicum.

Prob. 2. ad illam potentiam pertinet habitus, cujus eſt reſpicere objectum ejus; ſed voluntatis eſt reſpicere obiectum ſpei; ergo &c. Prob. min. objectum ſpei eſt ſummum bonum, ut conveniens, & poſſidendum à ſperante; ſed ſola voluntas ſic reſpicit ſummum bonum; ergo ſola voluntas reſpicit objectum ſpei.

Confir. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. (3) *ſpes non niſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum ſpem gerere perhibetur*. Et Anſelmus cit. (4) docet, quod *in voluntate ſunt duæ affectiones, ſc. juſtitiæ, & commodi, & per affectionem quidem, quæ ad volendum commodum pertinet, ſemper vult homo beatitudinem, & beatus eſſe*; ergo ſpes, quæ eſt affectio commodi, eſt in voluntate.

[1] *Ibid. G. n.* 18. [2] *Ibid. I. n.* 20.
[3] *Enchir.* 8. [4] *de concer. c.* 9.

Objic. 1. ſpes eſt expectatio beatitudinis: Sed expectatio eſt actus intellectus; ergo & ſpes. Maj. patet ex omnium ſenſu. Prob. min. tum ex ipſa voce, quæ venit à *ſpectando*, quod eſt reſpicere; tum quia expectatio eſt actus, quo judicatur aliquid eſſe futurum, & ſic ſpes eſt actus, quo judicamus nos eſſe accepturos beatitudinem, juxta illud, (1) *reſpiciens eram ad adjutorium hominum*, id eſt, ſperabam, expectabam.

Reſp. neg. min. & ant. nam expectare ſignificat potiùs deſiderare, quia quæ *deſideramus cum voluptate aſpicimus*, & *movere expectationem* ponitur pro *excitare deſiderium*, ait Calepinus. Non nego, quin actio intellectus, v. g. fidei, prærequiratur ſpei, cui proponat bonum deſiderandum, & motiva ſperandi, & probabilitatem conſequendi cupita; ideò ſæpe unus actus ponitur pro alio.

Inſt. omnis ſperans eſt aliquo modo certus habendi rem ſperatam; ſed certitudo eſt in intellectu; eſt enim proprietas cognitionis; ergo & ſpes.

Reſp. diſt. maj. eſt certitudo præſuppoſita ſpei, con. eſt certitudo, quæ ſit actus ſpei formaliter, neg. maj. & conſ. non ſperamus niſi ea, quæ intellectus cognoſcit, & proponit, ut futura cum aliqua certitudine morali, ſeu probabilitate, per media convenientia; ſed illa cognitio non ingreditur actum ſperandi magis, quam amandi, licet ad utrumque prærequiratur.

Objic. 2. ſpes eſt quædam confidentia; *ſperare* enim, & *confidere*, idem ſunt; ſed confidentia eſt in intellectu; ergo & ſpes. Prob. min. confidere eſt credere, quod aliquis poſſit, & velit nobis benefacere; ſicut diffidere, eſt non habere fidem in aliquo: Sed credere, & diſcredere ſunt actus intellectus; ergo & confidere.

Reſp. diſt. maj. eſt confidentia præſuppoſitivè, con. formaliter: neg. maj. & prob. ejus: nam ſpes præſupponit quidem illud judicium, ſc. quod poſſimus bonum cupitum obtinere à Deo; ſed eſt actus ab illo judicio diſtinctiſſimus. Confidentia ſæpe tribuitur ſpei, quia ex illa naſcitur, ſed non quod illam ingrediatur.

(1) Eccl. 51.

Reſp. 2. neg. min. nam fiducia magis videtur pertinere ad voluntatem, ſaltem imperativè, quatenùs inclinat intellectum, ut adhæreat judicio de poſſibilitate, & futuritione boni ſperati. *Fiducia eſt robur quoddam ſpei*, inquit S. Thomas. (1) Et Seneca Lucillo ſuo; [2] *in te ſpem habeo, nondum fiduciam*. Fiducia ergo eſt firma ſpes, & hæc firmitas venit ex judicio de infallibilitate eventus, & boni deſiderati.

Non negamus, quin actus ſpei pendeat, & præſupponat actum fidei de bonitate, ſapientia, & potentia Dei, quibus velit, poſſit, & ſciat nobis concedere beatitudinem, quam cupimus, ſed loquimur de ipſo actu ſperandi formaliter, quem dicimus eſſe in voluntate, ſicut & habitum, qui ad tales actus inclinat.

CONCLUSIO II.

Spes reperitur in viatoribus, & animabus purgatorii quoad actum, & habitum; non autem in beatis, nec in damnatis. Eſt communis quoad 1. p. non quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto: [3] *Fides inclinat tantùm in verum latens .... ſpes autem inclinat in bonum commodum abſens, juxta illud, ſpes, quæ videtur, non eſt ſpes*; id. quod poſſidetur, non ſperatur: nam ſpes ibi ſumitur pro bono ſperato. Et infra: [4] *ſpes ponitur præcisè inclinans ad iſtum actum imperfectum, qui eſt, deſiderare .... Et hoc imperfectione alterius rationis, quam facit abſentia objecti reſpectu potentiæ tendentis*, &c. Sed beati non habent bonum ullum deſiderabile abſens; ergo neque ſunt capaces ſpei, ſicut nec fidei.

Prob. 2. ex Auguſt. cit. [5] *nunc manent fides, ſpes, charitas .... cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt*; *ergo nunc*, ſc. in ſtatu viæ, habetur ſpes, & in patria evacuabitur; ergo ſolus viator eſt ſubjectum ſpei.

Confir. ex Trident. (6) dicente, quod in juſtifica-

[1] *2.2.q.129.a.6.* [2] *Ep.6.*
[3] *3.d.3.* [4] *Ibid. D.fin.*
[5] *Rom.8.*
[6] *ſeſſ.6.c.7.*

tione fides, *niſi accedat ſpes, & charitas, non perfectè unit* hominem viatorem Deo.

Prob. denique, quia hæc virtus eſt propriè pro iis, qui poſſunt credere, & deſiderare, & expectare beatitudinem: ſed id convenit viatoribus propriè: quia ipſis præcipuè beatitudo eſt abſens, & futura, & deſiderabilis, & acquiſibilis, potiuſquam aliis ſtatibus; ergo ſpes eſt præcipuè in viatoribus.

Prob. 2. p. 1. quia ex Conc. Senonenſi (1) homo in purgatorio *eſt particeps gratiæ de ſua ſemper ſalute ſecurus, remanentibus in eo fide, ſpe, & charitate*. Et S. Thomas dicit, quod *in viatoribus, ſive ſint in via iſta, ſive in purgatorio, poteſt eſſe ſpes*; quia utrobique apprehendunt beatitudinem, ut futuram poſſibilem. Unde.

Prob. 2. nam ad actum ſpei Theologicæ nihil aliud requiritur, quàm deſiderium boni abſentis ex cognitione poſſibilitatis ejus; ſed hoc reperitur in animabus purgatorii; ergo & ſpes actualis, & habitualis ad illos actus inclinant.

Confir. nam illæ animæ ibi recordantur, & ſciunt, quod mortales orant, & bona operantur pro illarum liberatione, & ſolatio, ſicut & ipſæmet fecerunt pro parentibus, & amicis defunctis, dum hic ipſæ viverent; ergo & ſperant eadem charitatis officia ſibi exhibenda, & per hæc ſperant ſolatia in ſuis pœnis.

Prob. 3. p. de beatis, eadem ratione, qua diximus fidem in eis non remanere; nam ſicut fides evacuatur per claritatem viſionis eorum, quæ in obſcuritate fidei credebant; ita & ſpes evacuatur per poſſeſſionem perfectam Dei, quem deſiderabant. Ideo dicebat Apoſtolus, *cum venerit, quod perfectum eſt*, &c. ergo ceſſat in beatis omnis expectatio, & omne deſiderium.

Confir. ex dictis, *ſpes, quæ videtur, non eſt ſpes*; ſci. bonum, quod habetur præſens, non eſt objectum ſpei; *manifeſtum eſt, non eſſe ſpem, quæ videtur*; ait Ambroſ. (2)

Confir. 2. nam beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, & ultra Deum nihil poteſt rationabiliter deſiderari; ergo in beatis nulla debet, vel poteſt eſſe ſpes.

Prob.

[1] *decre.* 12. [2] *Rom.* 8. *ibi.*

Prob. denique de damnatis; nam iſti vel fuerunt chriſtiani, qui in baptiſmo receperunt habitum ſpei, & cum illo mortui ſunt: vel qui ex deſperatione perierunt, ut Judas, & ſic habitum illum amiſerunt; vel ſunt infideles, qui talem habitum nunquam habuerunt; ſed in nullis horum debet admitti ſpes; ergo &c. Prob. min. de ſecundis, & tertiis non dubitatur: de primis etiam patet ex Script. [1] *ſpes impiorum peribit in eis, & ſpes illorum abominatio animæ*, & *præſtolatio impiorum furor*.

Confir. quia in inferno nulla eſt conſolatio, omnia ibi luctus, ſeu [2] *fletus, & ſtridor dentium*, ad illos dicitur, (3). *vos autem clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus ululabitis*.

Confir. 2. ex Patribus, qui docent in damnatis remanere quidem naturalia integra; ſed nulla remanent gratuita; ergo non remanent in eis habitus fidei, ſpei, nec charitatis.

Prob. denique; nam ad actum ſpei requiritur aliqua certitudo, aut ingens probabilitas de futuritione rei deſideratæ; ſed in damnatis nulla eſt talis certitudo, nec probabilitas beatitudinis obtinendæ: imo potius certi ſunt de non obtinenda; ergo potius in eis eſt deſperatio, quam ſpes ulla.

Confir. ex Scoto: nam ad actum virtutis Theologicæ requiritur 1. ut reſpiciat Deum directe. 2. ut reſpiciat primam regulam morum, ſc. Deum ut revelantem, & dirigentem. 3. ut ſit a Deo, ſc. per motionem, & auxilium gratiæ; ſed nihil horum eſt in damnatis: ergo &c. Prob. min. 1. ſunt averſi a Deo. 2. non habent fidem, ut credant Deo revelanti, & regulanti mores, & 3. ſpoliantur omnibus donis gratuitis; ergo &c.

Confir. 2. quia ſi ſpes ulla eſſet in inferno, ibi non eſſet [3] *fletus, nec ſtridor dentium*; non dicerent cum Propheta, (5) *tranſiit meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſalvati non ſumus: ... factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis*, &c. Nec cum ſapiente, virtutis nullum ſignum valuimus [6] *oſtendere, in malignitate noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno, qui peccaverunt*.

Con-

[1] *pro.* 10. & 11. [2] *Matt.* 22. [3] *Iſa.* 65.
[4] *Matt.* 22. [5] *Jer.* 8. & 15. (6) *Sap.* 5.

Confir. denique ex Patribus; nam inquit Hierôn. [1] *in inferno nulla eſt pœnitentia, nec aliquis ad virtutes remorſus*. Et Auguſt. [2] *damnatis exterioribus deputati tenebris nullo illuſtrabuntur lumine interiori veritatis*. Et alibi: [3] *Nulla ibi commemoratio veritatis poteſt eſſe, quia nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen, quod illuminat omnem hominem*; ſc. lumen gratiæ.

Objic. 1.con. 2. p. ex Apoſtolo: *fides, ſpes, charitas nunc manent*, id. in hac vita; ergo non manent in alia; ergo nec in purgatorio.

Reſp. neg. conſ. quia non loquitur ibi de *nunc* in rigore pro ſolo ſtatu vitæ hujus mortalis, cum excluſione ſtatus, qui eſt ad terminum; qualis eſt ſtatus purgatorii: loquitur etiam de illis virtutibus quantum ad operá meritoria, & utilia: imo nec de omnibus illis prætendit, quod tranſeant, nam *charitas nunquam excidit*, ſed manet etiam in beatis. Et a fortiori in animabus purgatorii, quæ in ipſa moriuntur.

Inſtab. ſufficeret illis auxilium gratiæ ad actus ſperandi; ergo fruſtra maneret in eis habitus ſpei, quandoquidem evacuari debet, cum pervenerint ad gloriam.

Reſp. neg. conſ. quia licet Deus ita potuerit ſtatuere; tamen non apparet ratio, quod id fecerit, nec voluerit permanere habitum, donec perveniant ad terminum beatitudinis, quam expectant cum ſummo ardore.

Objic.2. In purgatorio non poſſunt mereri; ergo ibi fruſtra ſperarent.

Reſp.neg.conſ.nam ſi non ſperent meritorie, ſaltem ſperant ad levamen, & conſolationem, & ornatum.

Inſt. ille habitus tam ornaret beatos, quam purgantes: ergo tam maneret in beatis; ſed hoc eſt contra nos; ergo &c.

Reſp. neg.coſ.nam ornatus gloriȩ ſupplet excellenter omnes alios particulares in Cœlo, quod non habent purgantes in illo inferno temporali.

Objic.1.con.3.p. Beati deſiderant corporis ſui reſurrectionem, & glorificationem; ergo & ſperant, ſeu habent actum ſpei; ergo & habitum.

Reſp.

[1] *c.5.Eccl.* [2] *de ſi.2.* [3] *de ver.Rel.3.*

Reſp.diſt.ant. deſiderio naturali: con. Theologico, & elicito: neg.ant. & conſ. illud deſiderium eſt appetitus innatus animæ reſpectu ſuę compartis; non autem actus elicitus, nec Theologicus; qua objectum, & finis ſpei Theologicæ eſt Deus poſſidendus, & eum nunc poſſident, quantum deſiderare poſſunt.

Inſt. quando beati deſiderant dotes gloriæ communicari ſuo corpori, vere habent Deum pro objecto: reſpiciunt Deum ut corporibus ſuis communicandum; ergo illud deſiderium eſt vere Theologicum.

Reſp.neg.ant. nam ſic dici poſſet de omni deſiderio, quod eſſet Theologicum: nullum enim eſt bonum deſiderabile, de quo idem dici non poſſit, ſc. quod Deus per illud nobis communicatur: ſunt enim omnia quædam participationes divini eſſe, & bonitatis &c. Igitur illæ dotes gloriæ pro corporibus ſunt bona pure creata.

Objic.2. In beatis ſunt multa bona futura, & ea deſiderant, & petunt a Deo, ut cum pro nobis orant; nobis optant gratias, & impetrant, optant propagationem fidei, & gloriam nominis Dei &c. ergo & multi actus fidei, & ſpei.

Reſp.plura deſiderabilia ex charitate in Deum,con. ex vera ſpe; neg.ant. hæc omnia deſiderant ex charitate in Deum, cui volunt in omnibus, & per omnia placere, & conformari non ex affectione commodi, ſed juſtitiæ; & ſic non eſt vera ſpes, ſed pura charitas conſummata.

Objic.3.non eſt minor ratio de ſpe, quod maneat, ſaltem quoad habitum, quam de aliis virtutibus moralibus, v.g. de temperantia, juſtitia &c. Sed iſtæ manect in beatis quoad habitum; ergo & illa.

Reſp.neg. min. nam forte & illarum habitus non manent, ſed tantum aureolæ, & radii gloriæ correſpondentes illis virtutibus.

Reſp.2. neg. maj. nam ſtatus gloriæ non opponitur objectis formalibus illarum virtutum,ſicut in ſpe propter poſſeſſionem omnis boni deſiderabilis.

Inſt. in non virgine manet in Cęlo amor virginitatis, & in peccatore amor pœnitentiæ, & earum virtutum actus elicerent,ſi poſſent; ideo in eis admittuntur habitus illarum virtutum; ergo ita eſt de ſpe, quia beati æque amant hanc virtutem.

Reſp.

Reſp.neg. ant. nam ſi tales habitus manent in beatis, non manent ob illam rationem, ſed amant ex ſumma charitate in Deum. Alioqui maneret etiam fides: non enim minus eam amant.

Fateor tamen opinionem contrariam non eſſe penitùs improbabilem; ſed noſtra mihi videtur probabilior: quia ut docet Scotus, [1] non debet ibi admitti ullus habitus fruſtra, & ſine gravi neceſſitate; qualis non eſt hic.

Objic.con. 4. p. in damnatis eſt fides; nam *dæmones credunt*; ergo & ſpes.

Reſp. ex dictis, diſt. ant. fides acquiſita, & naturalis, con. ſupernaturalis, & infuſa, neg.ant.

Reſp.2. gratis dato ant. neg.conſ. quia fides reſpicit bona, & mala, præſentia, & futura indifferenter, & ſic non videtur ita repugnare ſtatui damnatorum, ſicut ſpes, quæ reſpicit beatitudinem obtinendam; unde ſolamen acciperent in pœnis.

Objic. 2. ex S.Bernardo. [2] Damnati deſiderant aliqua bona, & vellent eſſe beati, ſi poſſent; ergo habent ſpem. Prob.ant. quia in hoc ſita eſt magna eorum pœna, quod deſiderent bona, quæ nunquam habebunt. *Quid* enim tam pœnale, quam ſemper velle, quod nunquam erit? ergo vellent eſſe beati, & ſic ſperant; ſed in vanum, & in pœnam.

Reſp. diſt. ant.aliqua bona naturalia ex appetitu naturali, con.bona ſupernaturalia, & ex habitu ſupernaturali, neg.ant.& conſ. prob. nam ſpes iſta non conſiſtit in quocumque deſiderio cujuſcumque boni, ſed eſt deſiderium ſupernaturale de bono etiam ſupernaturali, & divino. Damnati deſiderant quidem libertatem a ſuis pœnis, ſed cum deſperatione potius, quam ex ſpe.

Objic.3. Chriſtianus, qui per peccatum non amiſit ſpem, moritur cum habitu ſpei; ergo illum retinet in inferno. Prob. antec. *ubi ceciderit lignum, ibi erit* &c. ergo &c.

Reſp.neg.conſ. utramque, nam, ut diximus, ſtatus damnationis excludit omnia bona gratuita, & ſupernaturalia, qualis eſt iſta virtus.

CON-

[1] *Ibid. A.n.2.* [2] *5. conſid. 12.*

QUÆSTIO IV.

De actibus ſpei Theologicæ.

PLures actus tribuuntur huic virtuti: alii ſunt *eliciti* ab ejus habitu, alii *imperati*, alii *comitantes*. Præcipui ſunt, *Amor concupiſcentiæ, deſiderium, timor, fiducia, ſecuritas, erectio, conſolatio, expectatio, conſtantia* &c. Sed videntur hi poſteriores eſſe potius paſſiones, & effectus, quos ſpes operatur, & relinquit in anima, quàm actus, ab illa ex tali habitu eliciti.

Notant aliqui, ſpem à deſiderio differre, quòd iſtud ſit de quolibet bono abſente, ſpes autem de bono arduo, & obtentu difficili, ita ut arduitas ſit quædam conditio objecti ejus neceſſaria, ut ſit propriè objectum ſpei.

Fiducia dicitur firma adhæſio mentis in Deo, ſeu firmitas ipſius ſpei de futuritione boni, quod petimus ab eo: v.g. de obtentione beatitudinis: & ſic non differt ab ipſa ſpe niſi per firmitatem illa majorem.

Idem ſignificat *ſecuritas*, & *certitudo* obtinendæ beatitudinis, & vitandæ damnationis. [1] *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt ſervare depoſitum meum in illum diem.* nam, ait Gloſſa, *Deo commendavi ſalutem meam in fide, & ſpe illius collocavi.* Quia, inquit Hieron. *ſcio enim eum fidelem eſſe, & potentem*, ſc. ut poſſit, & velit ſalvare. Nam *ſecuritas*, & *fiducia* ſpei fundantur maximè in Dei fidelitate, qua implet promiſſa, & in ejus potentia ad præſtandum, quod vult. Eandem ſecuritatem ſignificat vocans eam [2] *anchoram animæ tutam, & firmam.* nam, inquit Gloſſa, [3] *ſicut anchora navim, ſic ſpes animam firmat, ne mergatur.* Firmitas, inquam, illa fundatur in Dei promiſſione, qui neſcit mentiri. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit Deus, qui non mentitur.*

Ad eandem ſpectat *roboratio*, & *erectio* contra timores, & anxietates, quibus dejicitur anima. Nam per ſpem reſumuntur vires animi, qui erigitur ex tepiditate, & timore: *In ſpem eriguntur fidentes Deum propitium ſibi fore*, ait Trident. [4]

Hinc

[1] 2. *Tim.* 1. [2] *Hebr.* 6. [3] *Tit.* 1. [4] *ſ.* 6. *cap.* 6.

Hinc venit *conſolatio*, & quoddam lenimentum, & mitigatio doloris, quem cauſat abſentia, & dilatio boni ſperati inter tot obſtacula ſalutis, cum quibus luctamur in hac vita, & quibus impellimur in ruinam. [1] *Hæc me conſolata eſt in humilitate mea.*

Succedit *gaudium*, non quidem perfectum, quod percipitur ex poſſeſſione, ſed inchoatum ex ſecuritate, & certitudine, quæ ſunt quaſi tentiones boni deſiderati, per ſpem hanc habemus harras gloriæ, & ſubodorationem ſuavitatis ejus. [1] *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Et, *beati omnes, qui ſperant in eo.*

Expectatio eſt firma animi conſtantia, qua ad promiſſa bona attendimus nihil hæſitantes, ſed tam certi, ac ſi ea teneremus.

Reſtat videndum de principaliori actu ſpei, & de *timore*, ac de actibus ab illa imperatis, quales ſunt actus aliarum virtutum, quos elicimus ex deſiderio, & ſpe mercedis, vel ex timore pœnarum, maxime damnationis.

CONCLUSIO I.

A*ctus ſpei eſt amor concupiſcentiæ ſummi boni, ſeu deſiderium efficax Dei, ut poſſidendi*. Eſt communis, & patet ex dictis ab initio de quidditate ſpei.

Prob. 1. ex Scoto cit. & dicente, quod *ſpes perficit voluntatem, in quantum eſt effectiva affectione commodi*; & quod *diſtinguitur à charitate per ſuum actum, qui eſt deſiderare, actus verò charitatis eſt amare*.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Aug. [2] *qui veram felicitatem deſiderat, debet tollere ſpem ſuam de rebus temporalibus....* Item, [3] *ſpes eſt, qua futura cum patientia expectamus, & ipſa patientia* eſt, *qua omnia toleramus* adverſa, donec quò volumus, *veniamus*, cõcordant philoſophi dicentes, *ſpes eſt expectatio boni*.

Prob. 3. amor concupiſcentiæ eſt actus, quo tendimus in Deum, ut bonum noſtrum, quod nobis appetimus; ſicut amor benevolentiæ eſt ille, quo volumus aliquid propter ipſummet bonũ: Sed talis eſt actus ſpei; eſt enim actus, quo Deũ amamus, & cupimus, ut ſummum bonum noſtrum à nobis poſſidendum; ergo actus prin-

[1] *Pſ.* 118. [2] *de catech. rud.* 26. [3] *Gen. lit.* 3.

principalis ſpei eſt amor concupiſcentiæ, ſeu deſiderii, quatenùs bonum illud eſt abſens.

Objic.1.deſiderium reſpicit res tam malas, quam bonas; ſed hoc non pertinet ad ſpem; ergo deſiderium non eſt actus ſpei proprius. Prob. min. nam ſpes non eſt niſi boni.

Reſp.neg.maj.non enim deſideramus, niſi quod apprehendimus, ut bonum:ſicut nihil fugimus, niſi quod apprehendimus ut malum.

Inſt. ſaltem expectatio eſt tam de malo, quàm de bono: Sed illud deſiderium eſt quædam expectatio; ergo deſiderium ſpei eſt etiam de malo.

Reſp.neg.maj.nam expectatio, ut venit ex deſiderio, non eſt niſi de re apprehenſa ut bona.

Objic.2. damnati deſiderant beatitudinem; ſed illi non habent ſpem; ergo deſiderium non eſt actus proprius ſpei.

Reſp. diſt. maj. deſiderant inefficaciter, & conditionate, con.efficaciter, & abſolutè, & actu ſupernaturali, neg. maj. & conſ. nam illud deſiderium eſt inefficax ex habitu acquiſito, & naturali, ut diximus, non ex vera ſpe, ſed potiùs deſperando.

CONCLUSIO II.

Actus ſpei Theologicæ ſupponit certitudinem quandam futuritionis rei ſperatæ ex parte Dei, non ex parte noſtra niſi ex ſuppoſitione mediorum ponendorum.

Prob.1. ex Scoto, [1] *Actus ſpei, qui eſt expectare, includit certitudinem, & hæc certitodo pertinet ad intellectum, & fidem* &c.

Prob.2. ex Script. mox cit.pro ſecuritate, & certitudine. [2] *Scio, cui credidi, & certus ſum ..... volens Deus oſtendere pollicitationis ſuæ hæredibus immobilitatem conſilii ſui interpoſuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam*. Scil. Deus non ſolum promiſit, & ſic ſpes fundatur in promiſſis divinis, quæ ſunt abſolutè infallibilia, ſed etiam ju-

[1] *Ibid.A.*3. [2] *Hebr.*6.

juramento affirmavit. *Duas res dixit*, ait Theodor. [1] *ſermonem*, *& jusjurandum*. *Et enim ſolo ſermone utens implet promiſſionem*, *multo autem magis ſermoni jusjurandum conjungens*. Iterum idem Apoſtolus: [2] *Gloriamur in ſpe filiorum Dei*, Et: [3] *in ſpem vitæ æternæ*, *quam promiſit*, *qui non mentitur Deus*; &c. ergo nihil certius ſpe noſtra, quæ nititur promiſſis divinis.

Prob. 1.p. Spei certitudo ex parte noſtra pendet à meritis noſtris: nam Dei promiſſio eſt quaſi conditionata; *ſi vis ad vitam ingredi*, *ſerva mandata*. Item, *hoc fac*, *& vives*. Sed meritorum ſuorum nemo eſt certus; ergo ex parte noſtra ſpes non eſt adeo certa. Prob. min. ex eadem Script. *nemo ſcit utrum amore*, *vel odio dignus ſit*. Et Paulus de ſe ipſo dicit, *nihil mihi conſcius ſum*, *ſed non in hoc juſtificatus ſum*. Et id patet ex dictis de gratia, de qua nemo certus eſt, ſaltem phyſicè: ſed merita pendent ex gratia; ergo & certitudo.

Dico, *ſaltem phyſicè*: nam habetur quædam moralis certitudo de ſtatu gratiæ, & fidei, ſpei, & charitatis. Et confirmatio in gratia importat revelationem divinam factam homini de ſua gratia, & prædeſtinatione ad gloriam.

Objic. 1. Omnis Catholicus habet ſpem, & tamen non eſt certus de ſua ſalute; ergo nec omnis ſpes eſt cum certitudine.

Reſp. ex dictis diſt. ant. non eſt certus phyſicè, & abſolutè ex parte ſua, con. ex parte Dei, & conditionatè, neg. ant. & conſ. non enim aſſerimus certitudinem phyſicam ex omni parte, ſed ex parte Dei: neque abſolutè, ſed ex conditione pendente ex parte noſtra.

Objic. 2. Certitudo ſe tenet ex parte intellectus, ſpes autem eſt in voluntate; ergo certitudo non eſt in ſpe.

Reſp. diſt. conſ. non eſt in ſpe formaliter, con. præſuppoſitivè, & comitanter, neg. conſ. ſpes præſupponit cognitionem de objecto ſpei, & de promiſſione Dei, & fidelitate ejus, & inde eſt certiſſima etiam phyſicè.

Objic. 3. Sanctiſſimi viri, ut D. Paulus, ſperant cum

[1] *Ibid.* [2] *Rom.* 5. [3] *Tit.* 1.

cum formidine, *ne forte cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*. Et, *qui ſtat, videat, ne cadat*. Et, *cum timore ſalutem veſtram operamini; Deus eſt enim qui operatur in vobis velle, & perficere:* ergo ſpes non eſt ſine formidine, ne quidem ex parte Dei.

Reſp.neg.conſ.nam timor ille ſanctorum, & Apoſtoli ſe tenet ex parte illorum, qui ſciunt ſe habere *theſaurum in vaſis fictilibus*. Et, *quod juſtus ſepties in die peccat*. Et, *qui dixerit, quia peccatum non habet, mendax eſt*, &c.

CONCLUSIO III.

Aliquis timor, ſeu nolitio malorum, & impedimentorum beatitudinis poteſt eſſe ab habitu ſpei, ſaltem imperative, & indirecte. Videtur communis.

Suppono autem ex dictis, quod *Timor eſt metus mali imminentis*, metus autem eſt opinio mali imminentis cum odio, vel fuga ejus; illud autem malum, quod hic timetur, eſt privatio ſummi boni, item & ea quæ cauſare poſſunt eam privationem; ut ſunt peccata; & dicimus hunc timorem poſſe eſſe ab habitu ſpei, ſaltem indirecte, aut imperative.

Suppono 2. quod timor, alius eſt *filialis*; quo quis timet privari Deo propter Deum ipſum, quia peccatum eſt ejus offenſa. Alius *ſervilis*, quo quis timet peccatum propter pœnas ejus, & ex tali motu vitat peccata, vel pœnitet de illis; & odit ſtatum damnationis. Alius ex utroque illo motivo naſcitur, ex amore Dei, & odio pœnarum, & dicitur *initialis*; quia non eſt pure *filialis*, nec *ſervilis*, & talis in imperfectis, & incipientibus pęnitere, & viam inire ſanctitatis. Alius *mundanus*, qui oritur ex conſideratione malorum pure temporalium, quæ Deus infligit ob peccata, vel etiam homines. De iſto hic non loquimur, quippe ab omnibus reprobatur; quia eſt pure externus, & apparens. Loquimur ergo de Timore præſcindendo ab illis differentiis ſpecificis, & maxime ab illis, quibus infici poteſt.

Prob. 1. concluſio; nam eodem habitu, & actu, quo intendimus bonum, fugimus malum oppoſitum,

tum; ſed per habitum, & actum ſpei deſideramus beatitudinem; ergo ab eodem averſamur, & fugimus damnationem, & peccatum, & alia impedimenta illius boni deſiderati. prob. maj. nam ex omnium ſenſu, eodem habitu, & actu, quo tendimus in bonum juſtitiæ, aut alterius virtutis, avertimur a vitiis oppoſitis, v.g. injuſtitiæ, & experimur in nobis, quod quantum ſolliciti ſumus de ſalute noſtra procuranda, tantum ſolliciti ſumus de vitandis peccatis, & damnatione; ergo &c.

Confir. ex Script.[1] *Timor odit malum*. Item, *in Timore Dei recede a malo*. Et *Time Deum, & recede a malo*, &c. *Radix ſapientiæ eſt timere Deum*; ergo ex deſiderio, & ſpe poſſidendi Deum naſcitur timor aliquis Dei.

Confir. 2. ex Concil. Trid. approbante pœnitentiam [2] *ex pœnarum metu, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*: & dicit eum *eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum*. Et approbat attritionem, qua quis *recogitat peccatorum fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & damnationis incurſum*; ergo tam poteſt ille timor, & illud odium damnationis venire ex ſpe, & deſiderio beatitudinis, ſaltem imperative, & indirecte, quam ex alio ullo habitu, vel actu. Quod probat exemplo Ninivitarum, qui *hoc timore perculſi pœnitentiam egerunt, & miſericordiam impetrarunt*; ergo &c. modo tamen aliquo modo reſpiciat Deum, alioqui non pertineret ad ſpem Theologicam, ſed ad aliquem habitum appetitus concupiſcibilis.

Dixi, *ſaltem imperative, & indirecte*. Nam ſpes directe reſpicit bonum cum deſiderio, & amore concupiſcentiæ, malum autem indirecte ſolum, quatenus impedit conſecutionem boni ſperati. Sic ſpes Theologica reſpicit immediate, & directe Deum, ut ſibi bonum, & ut poſſidendum, & conſequenter, ac indirecte peccatum ut offenſam Dei, & impeditivum conſecutionis ejus, & inductivum damnationis.

Objic. 1. Timor mali oritur ex amore ſui; ergo non ex habitu ſpei.

Reſp. diſt. ant. timor mali impeditivi boni præſentis, con. mali impeditivi boni futuri, neg. ant. & conſ. nam

[1] Pro.8. & 16. [2] ſ.14.c.4.

nam ſicut reſpicimus bonum futurum per amorem concupiſcentiæ, & ſpei: ſic timor mali oppoſiti huic bono venit ab eodem amore, & habitu.

Objic.2. Deus non eſt objectum timoris; ſed iſte timor prout pertinens ad ſpem Theologicam deberet reſpicere Deum; ergo hic timor non pertinet ad ſpem, nequidem indirecte. prob. maj. In Deo nihil eſt mali; ergo Deus non eſt objectum timoris.

Reſp.neg.maj. & diſt. ant. Nihil eſt mali interne,& formaliter, con.externe, & effective, neg.ant. mala pœnæ non ſunt in Deo, ſed a Deo effective, & ideo timendus. *Timete eum* (ſcil. Deum) *qui poteſt perdere animam, & corpus in gehennam.*

Reſp.2. Deus ſub ratione deitatis, & in ſe abſolute,con.Deus ut amiſſibilis, neg. maj. & ant. nam hoc ipſo, quod Deus eſt ſumme bonus nobis, & quod per peccatum eſt amiſſibilis, & recedere, & averti poteſt a nobis, in hoc ſumme timendus eſt, & ipſe timor eſt optimus, & filialis. De quo dicitur: *Beatus vir qui timet Dominum*, &c. Venit ex amore Dei tam amicitiæ, quam concupiſcentiæ.

Inſt. Timor Dei ut amiſſibilis non eſt Theologicus; ergo non pertinet ad ſpem Theologicam. Prob. ant. Deus ſub hoc reſpectu pertinet ad nos ipſos, ut bonus nobis: & ſic timor ille reſpicit nos immediate, & non Deum; ergo &c.

Reſp.neg.ant.utrumque, nam ſpes non deſinit eſſe virtus Theologica,licet reſpiciat Deum ut nobis bonum, iſte enim reſpectus eſt plane divinus. Numquid eſt aliqua Dei perfectio, quæ non ſit bonum omnium creaturarum, & earum beatitudo?

Inſt.2. Timor perdendi Deum per peccatum pertinet potius ad charitatem; ergo non imperatur ab habitu, vel actu ſpei. prob.ant. venit a deſiderio unionis noſtræ cum Deo; ſed talis unio eſt charitas; ergo &c. prob. min.nam *qui manet in charitate, in Deo manet.* &c. *Quis nos ſeparabit a charitate?* &c. Denique amor Dei eſt unitivus.

Reſp.neg. conſ. nam idem timor venit a charitate, quando conſideratur ut præſens, & poſſeſſus, & a ſpe, quando reſpicitur ut abſens, & poſſidendus, ſic venit ex deſiderio illum poſſidendi, & facit timere amiſſionem ejus.

Inſt.

Inſt. 3. Timor ille fugit proprium damnum noſtrum; ergo non tam reſpicit Deum, quam nos ipſos, & potius eſt paſſio, quam virtus.

Reſp. diſt. ant. Damnum ex amiſſione Dei, con. damnum ex motivo creato, neg. ant. nam, ut dicebam, ſpes non definit eſſe virtus Theologica, licet reſpiciat Deum per amorem concupiſcentiæ, & ut bonum noſtrum, ita eſt de timore illum amittendi, & cum imperatur ab illo deſiderio illius poſſeſſionem conſequendi.

CONCLUSIO IV.

Operari ex timore ſervili, ſeu ad evadendas pœnas damnationis eſt actus ſpei, ſaltem imperatus.

Prob. 1: ex Scoto. [1] *Nam peccator in peccato exiſtens ..... poteſt ex naturalibus, cum communi influentia, conſiderare peccatum commiſſum ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam, & ut averſivum a Deo, & ut impeditivum præmii, & ut inductivum ſupplicii, & ſub multis talibus rationibus, & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua iſtarum rationum, vel ſub multis illud peccatum ſic conſideratum deteſtari*, &c. ergo ex Scoto, pœnitentia ex timore pœnarum poteſt imperari a ſpe veniæ, & reconciliationis cum Deo, & vitandæ damnationis.

Prob. 2. ex Conc. Trid. docente peccatores diſponi ad juſtificationem per *timorem juſtitiæ divinæ, quo utiliter concuſſi, ad conſiderandam divinam miſericordiam in ſpem eriguntur, fidentes Deum propitium ſibi fore*, &c. ergo ſpes influit cum timore, & per timorem pœnarum ad actum pœnitentiæ; ſed ille timor, & illa pœnitentia eſt ſervilis; ergo &c.

Confir. ex eodem, nam affert exemplum Ninivitarum, [2] *qui pœnitentiam plenam terroribus egerunt, & miſericordiam impetrarunt:* Sed illa pœnitentia erat ſervilis, & ex ſpe veniæ, quæ non fuit coram Deo inutilis; ergo opera ex timore ſervili poſſunt venire ex ſpe Theologica, & eſſe utilia.

Prob. 3. Nam actus illi comitantur deſiderium vitan-

[1] 4.*d*.14.*q*.2.*N*. [2] *Ibid*.

tandi talis mali, & obtinendæ beatitudinis; ergo naſcuntur, ſaltem mediate, & indirecte ex ſpe Theologica. prob. ant. nam ille timor, & fuga pœnarum, & opera, quæ facimus ad illas vitandas, veniunt ex amore boni oppoſiti, ſcil. Beatitudinis; ergo tam ille timor, quam illi actus pœnitentiæ, aut patientiæ, ſunt actus ſpei vitandi illa mala, & conſequendi bonum illud.

Plura vide in opere noſtro de *Attritione ſufficienti*, & iterum videbis, cum de ſacramento pœnitentiæ agemus, Deo dante.

Objic. 1. Illa opera nullo modo reſpiciunt Deum; ergo non ſunt ullo modo ſpei Theologicæ. Prob. antec. nam odium malorum illorum, ſicut nec illa mala nihil habent divinum; ergo &c.

Reſp. neg. utrumque ant. nam reſpiciunt Deum, ut cauſam efficientem illorum malorum, & ut objectum ultimate deſideratum, & ſperatum, & obtinendum per illos actus, & ſunt a Deo excitante, & adjuvante per gratias actuales, & per habitum ſpei obtinendi finem illum intentum.

Objic. 2. Qui timet Deum, vel abſtinet a peccato, & ſperat ex timore ſervili, plus timet pœnam, quam Deum, & plus odit pœnam, quam peccatum; ſed tales actus ſunt perverſiſſimi; ergo non ſunt ex virtute Theologica, qualis eſt ſpes. prob. maj. ex communi axiomate, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; ſed illi actus fugiunt peccatum propter pœnas; ergo magis fugiunt pœnas.

Reſp. neg. utramque maj. nam illud axioma non ſemper eſt verum in moralibus, ubi non ſemper occurrit talis comparatio, ut diximus alias. Licet enim homo abſtinens a peccato ex timore pœnæ non cogitet actu de alio motivo nobiliori, tamen poteſt eſſe diſpoſitus abſtinere ex illo, ſi adverteret, nec ultimate ſiſtit in iſto imperfectiori, & viliori. Sed de hoc alias.

CONCLUSIO V.

Expectatio Beatitudinis titulo retributionis eſt actus ſpei Theologicæ, ſeu licitum operari ex ſpe Beatitudinis promerendæ. Eſt de fide in hoc ſenſu, contra Lullium, inter cujus errores iſte eſt damnatus a Gregorio IX. (1) *Illi, qui amant Deum propter hoc, ut det eis gloriam cœleſtem, vel bona temporalia, vel timent Deum propter hoc, ut non det eis pœnam infernalem, vel labores temporales, faciunt de prima intentione ſecundam, & de ſecunda primam, & eorum intentio eſt prava*. Eſt etiam contra Lutherum, & alios.

Prob. 1. ex Scoto (2) docente ſpem eſſe virtutem Theologicam, *quia deſiderat bonum ineſſe nobis, & hoc a Deo ſe ipſum nobis liberaliter conferente, non quidem primo, ſed propter aliquid aliud acceptum ſibi, ordinatum ad illud, ut propter merita. Iſte actus eſt bonus*; ergo ex Scoto, deſiderium Dei habendi, ut bonum noſtrum infinitum titulo mercedis, ſeu meritorum noſtrorum, eſt actus ſpei Theologicæ; ergo ſpes poteſt præcipere, & inclinare ad operandum ex ea intentione.

Prob. 2. ex Script. nam Deus ſingulis noſtris operibus bonis proponit ſe, & gloriam ſuam, ut præmium ſperandum: ergo licet operari ex ſpe talis mercedis. Prob. ant. (3) *obſerva, & audi omnia, quæ præcipio tibi, ut bene ſit tibi, & filiis tui in ſempiternum*. Item: (4) *Conſidera, quod propoſuerim tibi vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum, ut diligas Dominum Deum tuum*, &c. Et David fatetur, (5) *inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*. Et Deus ipſe dixit Abrahæ, *ego ero merces tua*.

Confir. ex Conc. Trid. *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ bene operatur, anath. ſit*; Et ex damnatione prædictæ propoſitionis Lullii, & Lutheri per Leonem X. ergo licet ſperare beatitudinem æternam ex meritis bonorum operum, & ex illa ſpe operari.

Prob.

[1] *Error*. 8. [2] *3. d. 26. C. n. 10.* [3] *Deut. 12.*
[4] *Ibid. 30* [5] *Pſ. 118.*

Prob. 3. nam Deus non ſe proponeret, ut mercedem obſervantiæ mandatorum ſuorum, ſi malum eſſet illa obſervare intuitu talis mercedis, aut ſperare illam per talia opera.

Confirm. ex SS. Patribus. Nam inquit Auguſtin. (1) *propter quam retributionem dicit inclinaſſe cor ſuum ad faciendas juſtificationes Dei, ut in æternum diligens mereatur habere, quod diligit.* Idem docent ibidem Theodoretus, & Ambroſ. & Hieron. &c.

Prob. 2. p. ſcil. quod illi actus ſint eliciti, vel imperati a virtute ſpei Theologicæ: quia non poſſunt eſſe ab alia virtute, quia ſola ſpes reſpicit Deum, ut bonum ſperanti, & ut ab eo poſſidendum; ergo &c.

Objic. 1. opera facta intuitu mercedis diſplicent Deo; ergo non licet ex eis ſperare. Prob. antec. nam queritur de illis, qui non *incendunt altare ſuum gratuito*: Et Chriſtus damnat mercenarium: *non pertinet ad eum de ovibus, quia mercenarius eſt.* Et prohibet ſervis, ne ſperent mercedem; *dicite, quia ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Scil. omnia fiunt ex debito; ergo non debet ex eis expectari merces.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nec enim id recte colligitur ex illis textibus. ex 1. ſequitur, quod miniſtri altaris expectabant ex miniſterio bona temporalia, quæ illis per legem taxabantur. Nam Gloſſa interlinearis addit, *ex hoc oſtenditur acceptior eſſe Deo ſervitus illa, quæ in præſenti mercedem non poſtulat.* Idem eſt de 2. nam, inquit S. Thomas, Amor dicitur mercenarius, qui Deum diligit propter bona temporalia. 3. Idem eſſet de paſtoribus Eccleſiæ, qui non aliter ſuſciperent curam animarum niſi propter bona temporalia, non quærerent oves, ſed lanam. Non tamen prohibetur illis ſecundaria hæc intentio. (2) *Neſcitis, quod qui in ſacrario operatur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari ſerviunt, de altari percipiunt?* 4. Deus quidem poteſt exigere opera noſtra omnia ex aliis titulis, & ſine alia mercede, ſed ex ſua clementia voluit nobiſcum paciſci de mercede, & opera noſtra acceptat ut merita, ut patet ex verbis Chriſti citatis, cum quis peteret ab eo, *magiſter, quid*

[1] *Ibid.* [2] 1. *Cor.* 9.

boni faciam, ut habeam vitam æternam? Reſpondet: (1) *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. An ergo peccaſſet ille ſervans mandata ex ſpe talis mercedis, & promiſſionis?

4. Idem dicitur de ſervis; nam, inquit Ambroſ. *non te jactes, ſi bene ſerviſti, quod facere debuiſti .... nemo præſumat de ſuis meritis, non a nobis laudem exigamus, nec præripiamus judicium Dei*. Scil. Apoſtolus ſuadet humilitatem, ſed non ideo negandum, quin etiam ſperare debeamus mercedem, & *coronam*, quam D. Paulus vocat *coronam juſtitiæ*. Et alibi dicit, *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ejus .... nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem*. Vides ipſam ſpem commendari, ut meritoriam remunerationis. Vide tr. de merito.

Objic. 2. operatio facta intuitu vitæ eſt illius virtutis, a qua elicitur: v. g. actus eleemoſynæ eſt miſericordiæ, non autem ſpei; ergo non pertinet ad ſpem. Prob. ant. ſi motivum extrinſecum tribueret actus illos ſpei, illi deberent tribui omnia opera bona: nam omnia fiunt intuitu vitæ æternæ; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. diſt. ant. & conſ. non pertinet ad ſpem elicitive, con. imperative, neg. ant. & conſ. ac min. nec enim inconveniens eſt, quod ſpes mercedis vitæ æternæ influat ſuo modo, & ordine in omnia opera noſtra, quæ prudenter fiunt, ſcil. intuitu finis ultimi.

QUÆSTIO V.

De præcepto ſpei: An detur, & quando obliget.

QUærimus, an detur præceptum de eliciendis actibus ſpei, & quando ſint eliciendi, an pro certis aliquibus occaſionibus.

CONCLUSIO I.

D*Atur præceptum poſitivum eliciendi aliquos actus ſpei*. Eſt communis.

Dico, *poſitivum*, nam de negativo nullus dubitat, evidens enim eſt deſperationem eſſe malam ex objecto, & naturaliter prohibitam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Aliqui actus virtutum Theologicarum ſunt pro aliquando neceſſarii. Quia actus virtutum moralium non ordinantur ad finem, niſi per actus Theologicarum. Unde, ſicut quilibet tenetur diligere Deum pro omni ſtatu, ſi habet uſum rationis, & hoc pro aliquando; idem dicendum de actu fidei* &c. Sed eſt eadem ratio de ſpe Theologica; ergo &c.

Prob. 2. ex Script. [2] quæ ſæpius imperat ſpem: *ſperate in Domino ....ſpera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris* &c. Item, *ſperate in eo omnis congregatio populi*. Item, [3] *crede Deo, & ſpera in eum*. Et, *qui timetis Dominum, ſperate in illum*. Et fides eo tendit, ut oſtendat ſperanda, eſt enim *ſperandarum rerum ſubſtantia*. Ideo jubet Apoſtolus, *divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo* &c. ergo datur præceptum ſpei.

Dices, hæc loca ſignificare conſilium, non vero præceptum.

Contra 1. quia non toties, nec tam poſitive inculcaretur nudum conſilium. 2. quia ex Auguſt. & ut mox dicemus, quot ſunt illi textus, tot ſunt præcepta. 3. imperative loquuntur, ut patet ex verbis. Et neceſſitatem indicat Apoſtolus dicens, *accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator*; quod non diceret, niſi neceſſarium eſſet eum inquirere cum ſpe mercedis; ergo &c.

Confir. ex Conc. Trid. [4] nam cum definit hominem *non poſſe credere, ſperare, nec diligere, ſicut oportet, ut ei gratia juſtificationis conferatur ſine gratiæ auxilio*, per hæc verba, & cum dicit, *ſicut oportet*, ſatis indicat æqualem neceſſitatem actuum credendi, ſperandi, & di-

[1] 3.*d*.25.*B*.*n*.3. [2] *pſ*.4. & 37.
[3] *Eccl*.2. [4] *ſeſſ*.6.*can*.3.

& diligendi. Idem (1) colligitur ex eo, quod ponit actum ſperandi inter diſpoſitiones neceſſarias ad juſtificationem; ergo hæc neceſſitas eſt vel medii, vel præcepti pro adultis.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Auguſtin. (2) *Quam multa ſunt mandata vobis de ſpe! Quis poteſt omnia colligere?* Et alibi: (3) *Fides ſine ſpe eſſe non poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe, nec ſine amore ſpes, nec utrumque ſine fide*, &c.

Prob. 4. quia omne medium neceſſarium ad ſalutem eſt de præcepto; ſed ſpes eſt de neceſſitate medii ad ſalutem; ergo & de præcepto, & quidem ſub pœna damnationis. maj. admittitur ab omnibus. Prob. min. tum ex ſcriptura, Conciliis, & Patribus citatis: nam ex illis patet dependentia ſalutis noſtræ a ſpe noſtra. Nam *ſpe ſalvi facti eſtis*. Et, *beati omnes, qui ſperant in eo*; & non alii, nec aliter. Tum quia ad conſequendam ſalutem oportet petere a Deo gratiam, & gloriam, pœnitere de peccatis, ut remittantur, & operari per charitatem, & alias virtutes; ſed hæc fieri non poſſunt ſine ſpe impetrationis gratiæ, & veniæ, & gloriæ; ergo hæc neceſſaria eſt.

Objic. 1. ſi daretur præceptum poſitivum ſpei, deberemus confiteri de ejus omiſſione, & confeſſarius interrogare de illa; ſed conſ. eſt contra praxim, & mentem Caſuiſtarum; ergo &c. Prob. maj. nam illa omiſſio eſſet peccatum.

Reſp. neg. maj. nam ſufficit confeſſio peccatorum, quibus annexa eſt omiſſio ſpei, & confeſſarii ſatis hunc defectum agnoſcunt ex illis aliis peccatis, ſicut & quod habeant aliquos actus ſpei ſaltem virtuales, & implicitos: ſicut nec interrogant de fide, quia ipſi actus confeſſionis, & pœnitentiæ ſatis oſtendunt fidem, aut defectum ejus, nam pœnitentia, ſeu confeſſio non eſt ſine ſpe veniæ, nec etiam ſine fide ſacramenti.

Objic. 2. habitus ſpei non cadit ſub præceptum; ergo nec actus. Prob. ant. non datur præceptum de re, quæ non pendet a nobis; ſed habitus ſpei non pendet a nobis, ſed a ſolo Deo, & gratis; ergo &c.

Reſp.

(1) *Ibid.c.6.* (2) *tr.33.Jo.* (3) *Enchir.8.*

Reſp. neg. ant. & maj. præceptum directum, con. indirectum, neg. ant. & maj. nam jubemur facere ea, quæ requiruntur ex parte noſtra ad obtinendum illum habituum: v. g. jubemur ſuſcipere baptiſmum, & diſponi ad juſtificationem poſt commiſſum peccatum, ut accipiamus habitus illos, ſi amiſimus eos.

Inſt. nihil præcipitur ut neceſſarium ad ſalutem præter obſervantiam mandatorum; *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; ſed in his non includitur præceptum ſpei; ergo nullum eſt.

Reſp. diſt. maj. mandatorum decalogi, & Evangelii, con. ſolius decalogi, neg. maj. & min. nam tenemur ad præcepta Evangelica, & in his continetur præceptum ſpei: jubet enim Chriſtus, ut Apoſtoli doceant [1] populos *ſervare omnia, quæcumque mandavit eis*.

Inſt. 2. quamvis actus ſpei eſſet neceſſarius, non ita eſſet de habitu; ergo non datur præceptum de habitu ſpei. Prob. ant. poteſt haberi ſpes actualis per auxilium gratiæ actualis; ergo ſpes actualis haberi poteſt ſine ejus habitu.

Reſp. diſt. utrumque ant. non ita eſſet de habitu abſolute, & ſimpliciter: con. ſecundum quid, & de lege poſita: neg. ant. utrumque. Nam per habitum facilius, & connaturalius habentur actus, & Deus ita voluit.

CONCLUSIO II.

Præceptum ſpei actuali ſæpius obligat adultos in vita.

Prob. 1. ex Scoto cit. nam de obligatione ſperandi loquitur, ſicut de fide, & charitate; ſed iſtæ obligant ſæpius in vita; ergo & illa. Maj. & min. patent ex textu allato in præcedenti.

Prob. pariter ex Script. & Concil. & PP. citatis; nam ex illis textibus ſatis patet occaſiones ſperandi ſæpius occurrere in vita. Ut cum dicitur; *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*; ergo ſicut ſacrificium juſtitiæ ſæpius viget, ita actus ſpei pro obtinenda remiſſione, quæ petitur per illud ſacrificium. Item cum dicitur, *accedentem ad Deum oportet cre-*

[1] *Matth.* 28.

dere, quia eſt, & remunerator, ſatis innuitur nos debere ſperare mercedem bonorum operum, quæ facimus. Concilium etiam, cum ponit actum ſpei inter diſpoſitiones ad juſtificationem, ſatis indicat eſſe ſperandum, quoties egemus juſtificari, & hoc ſæpius accidit in vita; ergo &c.

Item cum dicitur *ſpes anchora animæ tuta*, ſignificatur nos debere ad eam recurrere, quoties jactamur periculis ſalutis, & maxime cum tentamur de deſperatione: *nam ſicut anchora navim, ſic ſpes animam tenet, ne mergatur*, inquit Gloſſa: & id ſaluberrimum eſt inſtante morte.

Item omnes adulti debent credere, ſperare, & diligere Deum ſtatim ac veniunt ad uſum rationis, aut ſaltem quando primum eis proponuntur tales actus; nam idem eſt de ſpe, ac de aliis.

Crederem etiam neceſſarios eſſe actus ſpei, quoties urget neceſſitas orationis: nam ex ſcriptura conſtat orationem habere ſuam efficaciam ex ſpe orantis; ideo Chriſtus eam exigebat a petentibus gratias, ut cum dicebat, *confide filia; fides tua te ſalvam fecit*.

Objic. 1. in tempore tentationum, & tribulationum omiſſio ſpei non eſt peccatum diſtinctum a peccato ſuccumbentiæ, v. g. deſperationis, luxuriæ, impatientiæ &c. ergo tunc præceptum ſperandi non obligat ſpecialiter. Prob. ant. qui tentatus de luxuria ſuccubuit, non accuſat ſe de omiſſione mediorum, quibus poterat reſiſtere, ſed ſufficit dicat, peccavi ex luxuria; ergo idem eſt de peccante contra ſpem; ſufficit dicere deſperationis actum; ergo non datur præceptum ſpeciale ſpei.

Reſp. neg. ant. & conſ. 2. prob. nam tunc deſperans peccat contra duplex præceptum ſpei, ſc. contra præceptum negativum non deſperandi, quod obligat ſemper, & poſitivum ſperandi, quod tunc ſpecialiter obligat; licet non ſoleant diſtingui, & diſtincte explicari, ut duo peccata, non impedit, quin ita ſit; nam hoc ipſo quod pœnitens dicit, deſperavi, ſatis intelligitur utrumque, ſc. omiſſio ſpei, & commiſſio deſperationis, & idem eſt in peccatis poſitivis contra alias virtutes.

Objic. 2. obligatio ſperandi in eo, qui vult juſtificari, venit non a præcepto ſpei, ſed juſtificatio-
nis;

nis; ergo neque tunc datur illud præceptum.

Reſp. neg. conſ. nam illa duo præcepta tunc connectuntur, & ambo ſimul integrant unum præceptum totale, ſicut & aliæ partes, quæ concurrunt ad idem, ut actus credendi, diligendi juſtitiam, & pœnitendi; Quod autem ſpes tunc non præcipiatur ſeorſim, nihil facit ad rem; ſufficit obligatio ad illum actum.

Quæres, an ille, cui Deus revelaret, quod eſſet reprobatus, quique eſſet certus de ſua reprobatione, obligaretur ad actum ſpei aliquando. Multi reſpondent hunc caſum eſſe impoſſibilem. Ego cum aliis

Reſp. quod ſi caſus non ſit impoſſibilis phyſicè, ſaltem moraliter implicat, quod obligatio ſpei ſtet cum revelatione.

Ratio eſt 1. quia tunc Deus videretur nolle, ut ſperet quidquam contrarium ſuæ revelationi, & voluntati abſolutæ. Et qui ſuppoſita illa revelatione adhuc ſperaret, potiùs offenderet Deum; nam deſideraret contra ejus voluntatem, quaſi eſſe poſſet mendax in loquendo, aut inconſtans, & mutabilis in ſuis decretis: cum autem illud revelaret, cenſeretur nolle, & prohibere omnem ſpem ſalutis; ergo implicare videtur moraliter obligatio ſperandi cum tali revelatione, nec ampliùs immoror in caſu imaginario.

Quæres 2. *an ſpes ſit neceſſaria neceſſitate medii æque, ac præcepti.*

Reſp. affirmativè. Nam id neceſſarium eſt ad ſalutem neceſſitate medii, ſine quo ex natura rei, & ſtantibus rebus, ut ſunt, nō poteſt obtineri ſalus; ſed ſine ſpe non poteſt obtineri ſalus ab homine adulto; ergo &c. Prob. min. non poteſt ſalus obtineri a Deo, niſi *credatur, quod eſt, & quod remunerator eſt*; ſed non poteſt reſpici, ut remunerator ſine ſpe, per quam expectatur merces bonorum operum, quæ fiunt de neceſſitate etiam medii pro obtinenda ſalute; ergo &c.

DISPUTATIO IX.

De vitiis ſpei oppoſitis.

VIRTUTI ſpei duo propriè dicuntur opponi vitia quaſi extrema; *præſumptio*, quæ peccat quaſi per exceſſum; non quod nimis ſperet; ſed quia indebite, & peccat in modo, & ex parte actus, non ex parte objecti; & *deſperatio*, quæ deficit à ſpe. De his breviter dicemus, ut pleniùs agnoſcatur ipſa virtus.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit deſperatio.

SAnctus Auguſtinus videtur æque reprobare ſpem, & deſperationem, quia ſpei nomen ſumit pro quadam præſumptione, ac nimia confidentia. (1) *Spes, & deſperatio timenda eſt in peccatis*, inquit, *deſperat, ut peccet, & ſperat, ut peccet, utrumque metuendum eſt*. Sed ſpei nomen in bonam partem communiter ſumitur, ſc. pro virtute, quam hucuſque deſcripſimus. *Deſperatio* verò ſumitur pro vitio huic ſpei oppoſito, quo deficimus a deſiderio, & proſecutione finis, & mediorum ejus ex opinione, vel apprehenſione nimiæ arduitatis, vel impoſſibilitatis.

Deſperatio igitur oppoſita ſpei Theologicæ eſt voluntaria dejectio ſpei conſequendæ beatitudinis, & abjectio deſiderii eam proſequendi, aut adhibendi media ad illam ex opinione arduitatis, vel impoſſibilitatis eorum. Unde ſicut ſpes ſupponit actum intellectus, quo proponit voluntati Deum, ut ſummum bonum noſtrum, & ut obtinendum, ac poſſidendum per media opportuna, & includit actum voluntatis, quo deſiderat ſibi finem illum, & accingit ſe ad illum proſequendum, cum firma adhæſione, & expectatione illud conſequendi: Ita

Deſperatio ſupponit judicium, ſeu opinionem, vel apprehenſionem intellectus de arduitate, vel impoſſibilitate talis conſecutionis, aut applicationis medio-

[1] Pſ. 144.

diorum, & inde oritur deſitio volendi, imò & nolitio.

Quæritur, an deſperatio conſiſtat potiùs in illo actu intellectus, quam in iſto actu voluntatis. Item an illa præſupponat errorem circa fidem, adeò ut ille actus intellectus ſit ſemper aliquis error in fide. Et 3. quale peccatum ſit deſperatio.

CONCLUSIO II.

Omnis deſperatio ex natura ſua eſt peccatum mortale, & gravius omni peccato contra virtutes morales: non autem graviſſimum ſimpliciter, ſed periculoſiſſimum.

Prob. 1. ex Scoto (1) dicente, quod deſperatio opponitur *ſpei Theologicæ diminutè*; nam peccatum contra virtutem Theologicam eſt ſine dubio mortale, & graviſſimum ex genere ſuo.

Prob. 1. p. ex Patribus, qui invehuntur in Cainum & Judam, quia deſperaverunt de miſericordia Dei. De 1. dicit Gloſſa (2) in hæc verba ejus: *Maior eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*, &c. *Peccatum peccatis adiiciens deſperat, nec credit ſe poſſe veniam adipiſci, quod eſt blaſphemia in ſpiritum S.* Et de Juda, qui [3] *laqueo ſe ſuſpendit*, dicit S. Leo, *Sceleratior omnibus, o Juda, & infelicior extitiſti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum.* Et ut notat Lyranus ex D. Hieronymo, [4] *in hoc plus peccavit, quam in tradendo Chriſtum, quia in traditione Chriſti peccavit contra humanitatem ejus directè; ſed in deſperatione illa peccavit directè contra ejus divinitatem*, ſc. contra infinitatem miſericordiæ. Et Auguſt. [5] illi, *qui deſperant de indulgentia Dei, ipſa deſperatione intus ſe ſuffocant*, ſc. in anima. Et alibi, *Deſperatio eſt pejus omni peccato*. Ergo eſt peccatum mortale, & graviſſimum.

Prob. 3. ex dictis; nam ſicut datur præceptum ſpei, quod urget maxime, cum tentamur contra illam; ſic deſperatio eſt grave peccatum; quia eſt contra gra-

[1] *3.d.26.A.n.5.* [2] *Gen.4.*
[3] *Matth.7.* [4] *Gloſſa.*
[5] *de util. pœnit. c. 3.*

ve præceptum, & in materia graviſſima, ubi agitur de ſalute.

Prob.2.p. gravitas peccati, & enormitas vitii petitur ex dignitate virtutis oppoſitæ, & boni, quo privat; ſed deſperatio Theologica opponitur digniori virtuti, & digniori bono, quam vitia omnia moralia, ſicut ſpes Theologica eſt dignior virtutibus moralibus, quia iſtæ reſpiciunt bonum honeſtum, ſpes verò Deum, & bonum increatum; ergo &c.

Prob. 3. p. eadem ratione, quia odium Dei opponitur directe charitati, quæ eſt maxima virtutum; ergo deſperatio non eſt ſimpliciter maximum peccatum, quia non eſt gravius odio Dei.

Prob.4. p. nam per deſperationem homo projicitur ad omnem impietatem, & nequitiam; ergo eſt periculoſiſſimum peccatum. Prob. ant. ex Script. ubi deſperantes ſic loquentes inducuntur, *deſperavimus, poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus*. Item, *deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ, in avaritiam*, &c. ait Apoſtolus: (1) ergo omnia alia peccata veniunt ex deſperatione; ergo periculoſiſſimum vitium.

Confir. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus cit. (2) *qui deſperant de indulgentia Dei, intus ſe ſuffocant, ut eos Spiritus S. viſitare non poſſit*. Et alibi (3) docet inde oriri impœnitentiam, & eſſe peccatum in Spiritum S. *quod non remittitur nec in hoc ſæculo, neque in futuro*.

Objic.1.Obſtinatus in peccato non ſperat ſalutem; nec aliud malum facit, niſi quod vult eſſe impœnitens; ergo deſperatio non eſt peccatum diſtinctum ab impœnitentia: prob. ant. obſtinatus enim non vult pœnitere, quia non ſperat veniam.

Reſp. neg. conſ. quia deſperatio ſupponit judicium de impoſſibilitate ſalutis: non ita eſt de obſtinatione, quæ eſt ſimplex volitio perſeverandi in peccato, vel nolitio pœnitendi.

Inſt. Deſperatio venit potius ex puſillanimitate, & acedia, quam ex pravo affectu, vel judicio de miſericordia Dei: ergo non eſt peccatum contra ſpem.

[1] *Epheſ.*4. [2] *de blaſphem.*
[3] *Matth.* 12.

ſpem Theologicam, nec ex pravo judicio de miſericordia Dei.

Reſp. neg. ant. nam aliud eſt negligentia ſalutis ex puſillanimitate, vel acedia, & aliud deſperatio. Hæc eſt deſitio ſperandi in Deo, quia non judicatur velle, aut poſſe miſereri, quod illi eſt injurioſum: illa vero negligentia venit ex pura pravitate, & defectu virtutis.

Inſt. 2. Deſperatio venire poteſt ex opinione rigoroſiſſimæ juſtitiæ Dei, quæ non dat locum veniæ; ſed hæc opinio non eſt injurioſa Deo: nam juſtitia ejus eſt infinita, & infinite odit peccatum; ergo nec deſperatio eſt peccatum.

Reſp. neg. min. nam illa opinio eſt erronea, & injurioſa miſericordiæ ejus, quæ tam eſt infinita, quam juſtitia, imo & quoad nos *ſuperexaltat judicium, & eſt ſuper omnes operationes ejus*, & contra fidem verbis ejus debitam. Dixit enim, *ſi impius egerit pœnitentiam .. omnium iniquitatum ejus non recordabor . . . . vita vivet, & non morietur*. Imo *expectat, ut miſereatur veſtri, & exaltabitur parcens vobis*; ergo deſperans multipliciter peccat in Deum, & atrociter.

Objic. 2. Nulla lege prohibetur deſperatio; ergo non eſt peccatum.

Reſp. neg. ant. nam contrarium patet ex dictis de neceſſitate ſpei, & malitia deſperationis.

CONCLUSIO II.

Licet deſperatio præſupponat opinionem de difficultate, vel impoſſibilitate poſſidendi Deum, eſt tamen vitium voluntatis. Illa autem opinio non eſt ſemper error in fide.

Prob. 1. ex Scoto cit. de ſubjecto ſpei, quam dicit *perficere eandem potentiam cum charitate, id eſt voluntatem. Et quod deſperans non deſiderat abſolute beatitudinem, quia ad abſolute deſiderare præſupponitur conceptio intellectus oſtendens ſibi deſideratum poſſibile*, &c. ergo ex Scoto, deſperatio, quæ opponitur ſpei, eſt vitium voluntatis, & præſupponit actum intellectus de impoſſibilitate beatitudinis, quod fieri non poteſt niſi ex errore, quod apertius patet ex toto ejus textu.

Prob. 2.

Prob. 2. ex dictis de ſubjecto ſpei, nam contraria ſunt in eodem ſubjecto; ſed ſpes eſt in voluntate; ergo & deſperatio.

Prob. 3. Nam deſperans putat, quod Deus non poteſt, aut non vult ſibi concedere gratiam, & gloriam defectu potentiæ, aut miſericordiæ, vel quod ipſe non ſit de numero prædeſtinatorum, ſed reproborum. Sed 1. errat in fide, nam de fide eſt Deum velle, & poſſe miſereri, & parcere omni pœnitenti: & 2. errat, & temere judicat, ſed non contra fidem: Sed ſub hac 2. opinione poteſt quis deſperare, & ſæpe id contingit; ergo deſperatio non ſemper venit ex errore contra fidem.

Confir. Nam licet amiſſa fide perdatur ſpes; quia fides eſt *ſperandarum rerum ſubſtantia*, tamen poteſt amitti ſpes ſalva fide, quia hæc non dependet ab illa; ergo cum deſperatione poteſt conſervari fides; ergo illa non ſemper errat in fide.

Objic. 1. con. 1. p. deſperatio eſt amiſſio ſpei; ſed amiſſio ſpei eſt per actum intellectus; ergo & deſperatio: prob. ant. amiſſio ſpei conſiſtit in judicio impoſſibilitatis obtinendi gratiam & gloriam, nam poſito hoc judicio, non poteſt ſperari; ſed hoc judicium eſt in intellectu; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. nam licet judicium illud præcedat ſpei amiſſionem, & deſperationem, hæc tamen in illo non conſiſtit formaliter, ſed in deſitione voluntaria deſiderandi, vel proſequendi finem, ſeu gratiam, & gloriam.

Objic. 2. Voluntas non poteſt nolle beatitudinem; ergo deſperatio non conſiſtit in tali nolitione, nec in voluntate. Prob. ant. nam in beatitudine nulla ratio mali concipi poteſt; ergo nec ratio nolendi eam.

Reſp. diſt. ant. non poteſt nolle beatitudinem in ſe, con. in labore, ſeu difficultate conſecutionis ejus, neg. ant. utrumque. Nam illa nolitio ſequitur opinionem, ſeu judicium de impoſſibilitate, aut difficultate conſecutionis ejus.. ideo dicebat Cain, *major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*. Et Judas, *peccavi tradens*, &c. ſcilicet credidit peccatum ſuum irremiſſibile, ideo noluit pœnitere ad obtinendam remiſſionem, & ſalutem..

Inſt. Scotus docet deſiderium aliquod beatitudinis eſſe

eſſe in deſperantibus; ergo tota deſperatio eſt in intellectu, non in voluntate.

Reſp.diſt.ant. deſiderium conditionatum, & inefficax, con. abſolutum,& efficax, neg. ant. dicit enim quod deſperans deſideraret beatitudinem, ſi crederet eam poſſibilem, vel facilem obtentu, ideo docet deſperantem monendum eſſe,ut credat, potius quam ut diligat.

Objic.1.con.2.p.Deſperatio venit ex defectu certitudinis de ſalute obtinenda, vel ex certitudine aliqua de ſalute non obtinenda; ſed utraque eſt error in fide; ergo omnis deſperatio venit ex errore in fide. Patet maj.nam quamdiu habetur aliqua certitudo ſalutis, non poteſt de illa deſperari. prob. min. nam certitudo damnationis non vitandæ, & incertitudo ſalutis obtinendæ per pœnitentiam, ſunt errores in fide; ſunt contra veritatem Scripturæ, in qua Deus teſtatur, *nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*, &c. ergo &c.

Reſp.neg.min.& conſ.prob. nam licet homo debeat credere generaliter Deum ita velle, quantum eſt de ſe, non tamen ſe eſſe de illis, quibus velit Deus dare gratiam finalem, nec qui poſſit pœnitere, ſicut oportet, & cooperari gratiis ad impetrandam veniam, & ad perſeverandum, ſed poteſt diffidere de ſua cooperatione, & nolle adlaborare, & vim facere proclivitati ſuæ in peccatum, & ſic deſperare ſalutem.

Oritur ergo deſperatio communiter, 1. Ex falſo judicio de peccato, quod putatur irremiſſibile ex ſua gravitate, vel multitudine, aut duratione; ad quod etiam juvat diuturnior habitus peccandi, & reſiſtendi gratiæ, unde oritur induratio, & quædam neceſſitas, quam dum experitur peccator, deſperat de venia, & refugit eam petere. Talis fuit in Juda, & Cain.

2.Ex falſo judicio de divina bonitate, & miſericordia, quam putat peccator ſe non poſſe mereri, & ideo deſperat flectere poſſe, & ceſſat exorare.

3.Ex acedia circa ſpiritualia, ob nimiam proclivitatem in corporalia, & ut deplorat S. Bernardus, quaſi dicant, (1) *Quid facis? vitam iſtam perdis, & futuram per peccata tua maxima, & nimium multa.* Non

(1) *Ser.38. cant.*

Nequaquam pro tot, & tantis, nec ſi te excories, ſufficis ſatisfacere. Complexio tenera eſt, vita delicata, conſuetudinem difficile vinces. Pro his, & ſimilibus reſilit miſer, ignorans, quam facile omnipotentis bonitas, quæ neminem vult perire, cuncta illa diſſolveret, ſequiturque impœnitentia, &c. Igitur ex pigritia, & faſtidio rerum ſpiritualium ſe proſtituit in vitia, quibus aſſuevit peccator, & ſalutem negligit, imo & refugit, quod eſt deſperationis peccatum.

QUÆSTIO II.

An deſperatio poſſit eſſe ſine peccato, an Deus poſſit alicui revelare, quod ſit reprobus, ita ut ei liceat deſperare.

SUb finem diſputationis præcedentis dicebamus præceptum ſperandi non urgere in eo, cui Deus revelaret decretum ſuum illius reprobativum, & quod multi putant talem revelationem non eſſe compoſſibilem cum præcepto ſpei. Modo quærimus, an ille poſſet licite deſperare, ſeu an ejus deſperatio eſſet peccatum.

CONCLUSIO.

D*E potentia ſaltem abſoluta Deus poſſet alicui revelare futuram ejus damnationem, & tamen iſte non poſſet poſitive deſperare ſine peccato*. Eſt communis.

Prob. 1. p. 1. Quia in illa revelatione nulla apparet repugnantia; ergo &c. prob. ant. 1. ex objectionum ſolutione: 2. quia Deus certo ſcit, quos elegerit, & quos reprobaverit, nec poteſt falli in præſcientia damnationis potius, quam ſalutis, aut ullius alterius futuri, nec magis repugnat illi iſtud revelare, quam ullum aliud; ergo &c.

Dico *de potentia abſoluta*. Nam forte id non videtur congruere divinæ bonitati, & ſapientiæ, ut ſic anticipate damnet hominem. Iſte enim ex illa prædictione ſummum dolorem perciperet æquivalentem eſſentiali pœnæ damni; nec legimus Deum id aliquando feciſſe ulli peccatori in hac vita, nec apparet ulla

ulla utilitas talis revelationis, ſed potius eſſet occaſio deſperandi, & aliorum ſcelerum.

Prob.2.p.1.Quia deſperatio poſitiva eſt ex ſuo genere mala; ergo in nullo caſu poteſt eſſe licita. Prob. ant. deſperatio poſitiva eſt quædam fuga, & odium Dei, ut finis ultimi, & objecti beatitudinis, & nolle applicare media ad iſtam obtinendam neceſſaria, & eam reſpicere, ut moleſtam, & odibilem ex amore delectationum carnalium, aut temporalium; ſed hæc mala ſunt ex objecto, & genere ſuo; ergo & deſperatio poſitiva.

Prob.2. nam illa certitudo de ſua reprobatione non diſpenſaret hominem a præceptis naturalibus, & divinis, ita ut poſſet licite illa tranſgredi; ergo nec a præcepto non deſperandi, quod eſt de utraque lege.

Dixi *deſperare poſitive:* non enim video, quod obligaretur ſperare poſitive circa objectum primarium ſpei Theologicæ, ſcilicet Deum, ut poſſidendum beatifice, ut dixi ſupra, ſed poſſet ſperare alia bona etiam ſpiritualia pro tempore hujus vitæ, ad vitanda peccata &c.

Objic.1.con.1.p.ille, cui Deus hoc revelaret, fieret perplexus inter duo peccata, quorum alterum vitare non poſſet; ſed hoc repugnat, quia illa neceſſitas faceret, ut peccatum non eſſet peccatum; ergo &c. Prob. maj. nam ille adhuc deberet amare beatitudinem, & non poſſet illam deſiderare ſibi; ſed neutrum poſſet ſine peccato; ergo &c. Prob. maj. nam amando, & deſiderando beatitudinem, opponeret ſe Dei voluntati, & decreto ejus, fugiendo vero, & odiendo beatitudinem, faceret contra legem naturæ, quæ dictat tendere in ultimum finem, & ſummum bonum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. 1. & 2. & diſt. ant. amando amore concupiſcentiæ, & deſiderando abſolute, con. amando amore amicitiæ, & deſiderando conditionate, neg. ant. & conſ. nam illa certitudo damnationis ſuæ futuræ non diſpenſaret eum a tali amore, nec prohiberet tale deſiderium.

Objic.con.2.ille homo poſſet velle non ſperare, & quidem id poſſet licite; ergo & deſperare poſitive; nam illud velle non ſperare poſitivum æquivalet deſperationi poſitivæ.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus. Nam illud velle poſiti-

vum

vum eſſet de omiſſione actus ſperandi, quæ omiſſio non eſſet peccatum in eo caſu, non autem diceret, *volo deſperare*.

Objic. 2. Ille non teneretur ad alia præcepta; ergo nec ad iſtud de non deſperando. Prob. ant. non teneretur adhibere media ad ſalutem conſequendam; ſed præcepta ſunt media ad ſatutem; ergo &c. Prob.maj. nemo tenetur adhibere media ad finem, quem ſcit eſſe acquiſitu impoſſibilem; ſed talis eſſet beatitudo, & de hoc eſſet certus, &c.

Reſp. diſt. min. ad ſalutem, ut finem inadæquatum, con.ut finem adæquatum,neg. min. nam beatitudo eſt quidem finis mandatorum, ſed non totalis, & adæquatus nequidem primarius: hic enim eſt Deus in ſe, & propter ſe amandus, & colendus per amorem amicitiæ, non autem ſolum per amorem concupiſcentiæ, & ut bonum noſtrum, ſed ut bonus in ſe. Ideo ceſſante fine beatifico, adhuc maneret obligatio ſervandi mandata propter Deum, & ex obedientia illi debita, tum etiam propter eorum honeſtatem objectivam.

Inſt. obligatio mandatorum cadit in eos ſolos, qui volunt; *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; ſed iſte non poſſet velle ſalvari; ergo non obligaretur ad ſervanda mandata.

Reſp.neg.maj. nam obligatio illa venit primo,& directe ex conditione Dei, & noſtra. Ut patet ex dictis, jubet, & illi debemus obedire, quia Deus eſt, nos autem creaturæ ejus.

Quæres, *quid facere deberet ille miſer*.

Reſp.1. illum quidem non teneri ſperare poſitive, ſaltem quoad beatitudinem; tum quia fruſtra ſperaret; tum quia id faceret contra Dei voluntatem abſolutam, cum nollet eam illi dare, ſed tamen non deberet deſperare poſitive, quia hoc per ſe malum eſt; ſed negative ſe haberet quoad hoc, nec ſperando,nec deſperando, ſed ſe conformando voluntati Dei dicendo cum Heli ſacerdote: [1] *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat*.

2. Poſſet, & deberet ſperare alia bona, & maxime auxilia gratiæ ad vitanda alia peccata, & operandas alias virtutes, tum ex motivis ſupradictis, tum ad merendam mitigationem pœnarum poſitivarum inferni.

QUÆ-

[1] 2.*Rom*.2.

QUÆSTIO III.

De præſumptione, an, & quale ſit peccatum.

VOx *præſumptio* ab Etymologia grammaticali ſignificat anticipatam ſumptionem reſpective ad jus, tempus, locum, aut perſonas. Apud Juriſtas ſignificat judicium aliquod ex conjecturis levibus, aut gravibus, vehementibus, aut etiam violentis. Apud Philoſophos, & Morales eſt actus ſuperbiæ, quo quis audet ſupra vires ex nimia earum, vel ſapientiæ æſtimatione. Apud Canoniſtas aliquando pro actu, quo quis ſine facultate attentat aliquid contra jus, & dicitur *attentatum*. Aliquando etiam in bonam partem pro confidentia in Deum, ut cum Judith orabat: [1] *Oſtende Domine, quoniam non derelinquis præſumentes de te*. Hic autem ſumitur pro exceſſu in ſpe Theologica, quatenus homo putat, & vult obtinere beatitudinem, vel ex propriis viribus, ut Pelagiani, vel ſine mediis a Deo ordinatis, ut videntur præſumere hæretici, nolentes gloriam dari ex meritis bonorum operum, ſed pure gratis.

Igitur *præſumptio*, de qua hic agimus, deſcribi poteſt, ſpes obtinendi a Deo gratiam, & gloriam, aliaque dona ſupernaturalia aliter, quam Deus ſtatuit ea dare, ſcil. vel ex propriis viribus, & ſine auxilio gratiæ, vel totaliter ex pura Dei liberalitate ſine ulla propria cooperatione, & labore ex parte noſtra, ut qui differunt pęnitentiam uſque in finem vitę, ſperantes, quod in extremis faciet miracula, ne moriantur in peccatis, ut contigit latroni. Quæritur, an talis præſumptio ſit peccatum mortale contra ſpem Theologicam.

CONCLUSIO.

P*Ræſumptio ex utroque illo motivo eſt vere peccatum mortale, contra ſpem Theologicam*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scot. cit. [2] *contingit exceſſive ſpera* bo-

[1] *Judith*.6. (2) 3.*d*.26.*A*.*n*.6.

DISPUTATIO IX.

De vitiis ſpei oppoſitis.

VIRTUTI ſpei duo propriè dicuntur opponi vitia quaſi extrema; *præſumptio*, quæ peccat quaſi per exceſſum; non quod nimis ſperet; ſed quia indebite, & peccat in modo, & ex parte actus, non ex parte objecti; & *deſperatio*, quæ deficit à ſpe. De his breviter dicemus, ut pleniùs agnoſcatur ipſa virtus.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit deſperatio.

SAnctus Auguſtinus videtur æque reprobare ſpem, & deſperationem, quia ſpei nomen ſumit pro quadam præſumptione, ac nimia confidentia. (1) *Spes, & deſperatio timenda eſt in peccatis*, inquit, *deſperat, ut peccet, & ſperat, ut peccet, utrumque metuendum eſt*. Sed ſpei nomen in bonam partem communiter ſumitur, ſc. pro virtute, quam hucuſque deſcripſimus. *Deſperatio* verò ſumitur pro vitio huic ſpei oppoſito, quo deficimus à deſiderio, & proſecutione finis, & mediorum ejus ex opinione, vel apprehenſione nimiæ arduitatis, vel impoſſibilitatis.

Deſperatio igitur oppoſita ſpei Theologicæ eſt voluntaria dejectio ſpei conſequendæ beatitudinis, & abjectio deſiderii eam proſequendi, aut adhibendi media ad illam ex opinione arduitatis, vel impoſſibilitatis eorum. Unde ſicut ſpes ſupponit actum intellectus, quo proponit voluntati Deum, ut ſummum bonum noſtrum, & ut obtinendum, ac poſſidendum per media opportuna, & includit actum voluntatis, quo deſiderat ſibi finem illum, & accingit ſe ad illum proſequendum, cum firma adhæſione, & expectatione illud conſequendi: Ita *Deſperatio* ſupponit judicium, ſeu opinionem, vel apprehenſionem intellectus de arduitate, vel impoſſibilitate talis conſecutionis, aut applicationis me-

dio-

[1] *Pſ.* 144.

diorum, & inde oritur deſitio volendi, imò & nolitio.

Quæritur, an deſperatio conſiſtat potiùs in illo actu intellectus, quam in iſto actu voluntatis. Item an illa præſupponat errorem circa fidem, adeò ut ille actus intellectus ſit ſemper aliquis error in fide. Et 3. quale peccatum ſit deſperatio.

CONCLUSIO II.

Omnis deſperatio ex natura ſua eſt peccatum mortale, & gravius omni peccato contra virtutes morales: non autem graviſſimum ſimpliciter, ſed periculoſiſſimum.

Prob. 1. ex Scoto (1) dicente, quod deſperatio opponitur *ſpei Theologicæ diminutè*; nam peccatum contra virtutem Theologicam eſt ſine dubio mortale, & graviſſimum ex genere ſuo.

Prob. 1. p. ex Patribus, qui invehuntur in Cainum & Judam, quia deſperaverunt de miſericordia Dei. De 1. dicit Gloſſa (2) in hæc verba ejus: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*, &c. *Peccatum peccatis adjiciens deſperat, nec credit ſe poſſe veniam adipiſci, quod eſt blaſphemia in ſpiritum S.* Et de Juda, qui [3] *laqueo ſe ſuſpendit*, dicit S. Leo, *Sceleratior omnibus, o Juda, & infelicior extitiſti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum*. Et ut notat Lyranus ex D. Hieronymo, [4] *in hoc plus peccavit, quam in tradendo Chriſtum, quia in traditione Chriſti peccavit contra humanitatem ejus directe; ſed in deſperatione illa peccavit directe contra ejus divinitatem*, ſc. contra infinitatem miſericordiæ. Et Auguſt. [5] illi, *qui deſperant de indulgentia Dei, ipſa deſperatione intus ſe ſuffocant*, ſc. in anima. Et alibi, *Deſperatio eſt pejus omni peccato*. Ergo eſt peccatum mortale, & graviſſimum.

Prob. 3. ex dictis; nam ſicut datur præceptum ſpei, quod urget maxime, cum tentamur contra illam; ſic deſperatio eſt grave peccatum; quia eſt contra gra-

H h 6 ve-

[1] *3.d.26.A.n.5.* [2] *Gen.4.*
[3] *Matth.7.* [4] *Gloſſa.*
[5] *de util. pœnit. c. 3.*

ve præceptum, & in materia graviſſima, ubi agitur de ſalute.

Prob.2.p. gravitas peccati, & enormitas vitii petitur ex dignitate virtutis oppoſitæ, & boni, quo privat; ſed deſperatio Theologica opponitur digniori virtuti, & digniori bono, quam vitia omnia moralia, ſicut ſpes Theologica eſt dignior virtutibus moralibus, quia iſtæ reſpiciunt bonum honeſtum, ſpes verò Deum, & bonum increatum; ergo &c.

Prob. 3. p. eadem ratione, quia odium Dei opponitur directe charitati, quæ eſt maxima virtutum; ergo deſperatio non eſt ſimpliciter maximum peccatum, quia non eſt gravius odio Dei.

Prob.4. p. nam per deſperationem homo projicitur ad omnem impietatem, & nequitiam; ergo eſt periculoſiſſimum peccatum. Prob. ant. ex Script. ubi deſperantes ſic loquentes inducuntur, *deſperavimus, poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus*. Item, *deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ, in avaritiam*, &c. ait Apoſtolus: (1) ergo omnia alia peccata veniunt ex deſperatione; ergo periculoſiſſimum vitium.

Confir. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus cit. (2) *qui deſperant de indulgentia Dei, intus ſe ſuffocant, ut eos Spiritus S. viſitare non poſſit*. Et alibi (3) docet inde oriri impœnitentiam, & eſſe peccatum in Spiritum S. *quod non remittitur nec in hoc ſæculo, neque in futuro*.

Objic.1. Obſtinatus in peccato non ſperat ſalutem; nec aliud malum facit, niſi quod vult eſſe impœnitens; ergo deſperatio non eſt peccatum diſtinctum ab impœnitentia: prob. ant. obſtinatus enim non vult pœnitere, quia non ſperat veniam.

Reſp. neg. conſ. quia deſperatio ſupponit judicium de impoſſibilitate ſalutis: non ita eſt de obſtinatione, quæ eſt ſimplex volitio perſeverandi in peccato, vel nolitio pœnitendi.

Inſt. Deſperatio venit potius ex puſillanimitate, & acedia, quam ex pravo affectu, vel judicio de miſericordia Dei: ergo non eſt peccatum contra ſpem.

[1] *Epheſ.4.* [2] *de blaſphem.*
[3] *Matth. 12.*

ſpem Theologicam, nec ex pravo judicio de miſericordia Dei.

Reſp. neg. ant. nam aliud eſt negligentia ſalutis ex puſillanimitate, vel acedia, & aliud deſperatio. Hæc eſt deſitio ſperandi in Deo, quia non judicatur velle, aut poſſe miſereri, quod illi eſt injurioſum: illa vero negligentia venit ex pura pravitate, & defectu virtutis.

Inſt. 2. Deſperatio venire poteſt ex opinione rigoroſiſſimæ juſtitiæ Dei, quæ non dat locum veniæ; ſed hæc opinio non eſt injurioſa Deo: nam juſtitia ejus eſt infinita, & infinite odit peccatum; ergo nec deſperatio eſt peccatum.

Reſp. neg. min. nam illa opinio eſt erronea, & injurioſa miſericordiæ ejus, quæ tam eſt infinita, quam juſtitia, imo & quoad nos *ſuperexaltat judicium, & eſt ſuper omnes operationes ejus*, & contra fidem verbis ejus debitam. Dixit enim, *ſi impius egerit pœnitentiam .. omnium iniquitatum ejus non recordabor.... vita vivet, & non morietur*. Imo *expectat, ut miſereatur veſtri, & exaltabitur parcens vobis*; ergo deſperans multipliciter peccat in Deum, & atrociter.

Objic. 2. Nulla lege prohibetur deſperatio; ergo non eſt peccatum.

Reſp. neg. ant. nam contrarium patet ex dictis de neceſſitate ſpei, & malitia deſperationis.

CONCLUSIO II.

Licet deſperatio præſupponat opinionem de difficultate, vel impoſſibilitate poſſidendi Deum, eſt tamen vitium voluntatis. Illa autem opinio non eſt ſemper error in fide.

Prob. 1. ex Scoto cit. de ſubjecto ſpei, quam dicit *perficere eandem potentiam cum charitate, id eſt voluntatem. Et quod deſperans non deſiderat abſolute beatitudinem, quia ad abſolute deſiderare præſupponitur conceptio intellectus oſtendens ſibi deſideratum poſſibile*, &c. ergo ex Scoto, deſperatio, quæ opponitur ſpei, eſt vitium voluntatis, & præſupponit actum intellectus de impoſſibilitate beatitudinis, quod fieri non poteſt niſi ex errore, quod apertius patet ex toto ejus textu.

Prob. 2.

Prob. 2. ex dictis de ſubjecto ſpei, nam contraria ſunt in eodem ſubjecto; ſed ſpes eſt in voluntate; ergo & deſperatio.

Prob. 3. Nam deſperans putat, quod Deus non poteſt, aut non vult ſibi concedere gratiam, & gloriam defectu potentiæ, aut miſericordiæ, vel quod ipſe non ſit de numero prædeſtinatorum, ſed reproborum. Sed 1. errat in fide, nam de fide eſt Deum velle, & poſſe miſereri, & parcere omni pœnitenti: & 2. errat, & temere judicat, ſed non contra fidem: Sed ſub hac 2. opinione poteſt quis deſperare, & ſæpe id contingit; ergo deſperatio non ſemper venit ex errore contra fidem.

Confir. Nam licet amiſſa fide perdatur ſpes; quia fides eſt *ſperandarum rerum ſubſtantia*, tamen poteſt amitti ſpes ſalva fide, quia hæc non dependet ab illa; ergo cum deſperatione poteſt conſervari fides; ergo illa non ſemper errat in fide.

Objic. 1. con. 1. p. deſperatio eſt amiſſio ſpei; ſed amiſſio ſpei eſt per actum intellectus; ergo & deſperatio: prob. ant. amiſſio ſpei conſiſtit in judicio impoſſibilitatis obtinendi gratiam & gloriam, nam poſito hoc judicio, non poteſt ſperari; ſed hoc judicium eſt in intellectu; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. nam licet judicium illud præcedat ſpei amiſſionem, & deſperationem, hæc tamen in illo non conſiſtit formaliter, ſed in deſitione voluntaria deſiderandi, vel proſequendi finem, ſeu gratiam, & gloriam.

Objic. 2. Voluntas non poteſt nolle beatitudinem; ergo deſperatio non conſiſtit in tali nolitione, nec in voluntate. Prob. ant. nam in beatitudine nulla ratio mali concipi poteſt; ergo nec ratio nolendi eam.

Reſp. diſt. ant. non poteſt nolle beatitudinem in ſe, con. in labore, ſeu difficultate conſecutionis ejus, neg. ant. utrumque. Nam illa nolitio ſequitur opinionem, ſeu judicium de impoſſibilitate, aut difficultate conſecutionis ejus. ideo dicebat Cain, *major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*. Et Judas, *peccavi tradens*, &c. ſcilicet credidit peccatum ſuum irremiſſibile, ideo noluit pœnitere ad obtinendam remiſſionem, & ſalutem.

Inſt. Scotus docet deſiderium aliquod beatitudinis eſſe

eſſe in deſperantibus; ergo tota deſperatio eſt in intellectu, non in voluntate.

Reſp. diſt. ant. deſiderium conditionatum, & inefficax, con. abſolutum, & efficax, neg. ant. dicit enim quod deſperans deſideraret beatitudinem, ſi crederet eam poſſibilem, vel facilem obtentu, ideo docet deſperantem monendum eſſe, ut credat, potius quam ut diligat.

Objic. 1. con. 2. p. Deſperatio venit ex defectu certitudinis de ſalute obtinenda, vel ex certitudine aliqua de ſalute non obtinenda; ſed utraque eſt error in fide; ergo omnis deſperatio venit ex errore in fide. Patet maj. nam quamdiu habetur aliqua certitudo ſalutis, non poteſt de illa deſperari. prob. min. nam certitudo damnationis non vitandæ, & incertitudo ſalutis obtinendæ per pœnitentiam, ſunt errores in fide; ſunt contra veritatem Scripturæ, in qua Deus teſtatur, *nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*, &c. ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. nam licet homo debeat credere generaliter Deum ita velle, quantum eſt de ſe, non tamen ſe eſſe de illis, quibus velit Deus dare gratiam finalem, nec qui poſſit pœnitere, ſicut oportet, & cooperari gratiis ad impetrandam veniam, & ad perſeverandum, ſed poteſt diffidere de ſua cooperatione, & nolle adlaborare, & vim facere proclivitati ſuæ in peccatum, & ſic deſperare ſalutem.

Oritur ergo deſperatio communiter, 1. Ex falſo judicio de peccato, quod putatur irremiſſibile ex ſua gravitate, vel multitudine, aut duratione; ad quod etiam juvat diuturnior habitus peccandi, & reſiſtendi gratiæ, unde oritur induratio, & quædam neceſſitas, quam dum experitur peccator, deſperat de venia, & refugit eam petere. Talis fuit in Juda, & Cain.

2. Ex falſo judicio de divina bonitate, & miſericordia, quam putat peccator ſe non poſſe mereri, & ideo deſperat flectere poſſe, & ceſſat exorare.

3. Ex acedia circa ſpiritualia, ob nimiam proclivitatem in corporalia, & ut deplorat S. Bernardus, quaſi dicant, (1) *Quid facis? vitam iſtam perdis, & futuram per peccata tua maxima, & nimium multa.*

Ne-

(1) *Ser.* 38. *cant.*

Nequaquam pro tot, & tantis, nec ſi te excories, ſuffic is ſatisfacere. Complexio tenera eſt, vita delicata, conſuetudinem difficile vinces. Pro his, & ſimilibus reſilit miſer, ignorans, quam facile omnipotentis bonitas, quæ neminem vul perire, cuncta illa diſſolveret, ſequiturque impœnitentia, &c. Igitur ex pigritia, & faſtidio rerum ſpiritualium ſe proſtituit in vitia, quibus aſſuevit peccator, & ſalutem negligit, imo & refugit, quod eſt deſperationis peccatum.

QUÆSTIO II.

An deſperatio poſſit eſſe ſine peccato, an Deus poſſit alicui revelare, quod ſit reprobus, ita ut ei liceat deſperare.

SUb finem diſputationis præcedentis dicebamus præceptum ſperandi non urgere in eo, cui Deus revelaret decretum ſuum illius reprobativum, & quod multi putant talem revelationem non eſſe compoſſibilem cum præcepto ſpei. Modo quærimus, an ille poſſet licite deſperare, ſeu an ejus deſperatio eſſet peccatum.

CONCLUSIO.

DE *potentia ſaltem abſoluta Deus poſſet alicui revelare futuram ejus damnationem, & tamen iſte non poſſet poſitive deſperare ſine peccato*. Eſt communis.

Prob. 1. p. 1. Quia in illa revelatione nulla apparet repugnantia; ergo &c. prob. ant. 1. ex objectionum ſolutione: 2. quia Deus certo ſcit, quos elegerit, & quos reprobaverit, nec poteſt falli in præſcientia damnationis potius, quam ſalutis, aut ullius alterius futuri, nec magis repugnat illi iſtud revelare, quam ullum aliud; ergo &c.

Dico *de potentia abſoluta*. Nam forte id non videtur congruere divinæ bonitati, & ſapientiæ, ut ſic anticipate damnet hominem. Iſte enim ex illa prædictione ſummum dolorem perciperet æquivalentem eſſentiali pœnæ damni; nec legimus Deum id aliquando feciſſe ulli peccatori in hac vita, nec apparet

ulla

ulla utilitas talis revelationis, ſed potius eſſet occaſio deſperandi, & aliorum ſcelerum.

Prob.2.p.1.Quia deſperatio poſitiva eſt ex ſuo genere mala; ergo in nullo caſu poteſt eſſe licita. Prob. ant. deſperatio poſitiva eſt quædam fuga, & odium Dei, ut finis ultimi, & objecti beatitudinis, & nolle applicare media ad iſtam obtinendam neceſſaria, & eam reſpicere, ut moleſtam, & odibilem ex amore delectationum carnalium, aut temporalium; ſed hæc mala ſunt ex objecto, & genere ſuo; ergo & deſperatio poſitiva.

Prob.2. nam illa certitudo de ſua reprobatione non diſpenſaret hominem a præceptis naturalibus, & divinis, ita ut poſſet licite illa transgredi; ergo nec a præcepto non deſperandi, quod eſt de utraque lege.

Dixi *deſperare poſitive:* non enim video, quod obligaretur ſperare poſitive circa objectum primarium ſpei Theologicæ, ſcilicet Deum, ut poſſidendum beatifice, ut dixi ſupra, ſed poſſet ſperare alia bona etiam ſpiritualia pro tempore hujus vitæ, ad vitanda peccata &c.

Objic.1.con.1.p.ille, cui Deus hoc revelaret, fieret perplexus inter duo peccata, quorum alterum vitare non poſſet; ſed hoc repugnat, quia illa neceſſitas faceret, ut peccatum non eſſet peccatum; ergo &c. Prob. maj. nam ille adhuc deberet amare beatitudinem, & non poſſet illam deſiderare ſibi; ſed neutrum poſſet ſine peccato; ergo &c. Prob. maj. nam amando, & deſiderando beatitudinem, opponeret ſe Dei voluntati, & decreto ejus, fugiendo vero, & odiendo beatitudinem, faceret contra legem naturæ, quæ dictat tendere in ultimum finem, & ſummum bonum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. 1. & 2. & diſt. ant. amando amore concupiſcentiæ, & deſiderando abſolute, con. amando amore amicitiæ, & deſiderando conditionate, neg. ant. & conſ. nam illa certitudo damnationis ſuæ futuræ non diſpenſaret eum a tali amore, nec prohiberet tale deſiderium.

Objic. con. 2. ille homo poſſet velle non ſperare, & quidem id poſſet licite; ergo & deſperare poſitive; nam illud velle non ſperare poſitivum æquivalet deſperationi poſitivæ.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus. Nam illud velle poſitivum

vum eſſet de omiſſione actus ſperandi, quæ omiſſio non eſſet peccatum in eo caſu, non autem diceret, *volo deſperare*.

Objic. 2. Ille non teneretur ad alia præcepta; ergo nec ad iſtud de non deſperando. Prob. ant. non teneretur adhibere media ad ſalutem conſequendam; ſed præcepta ſunt media ad ſalutem; ergo &c. Prob. maj. nemo tenetur adhibere media ad finem, quem ſcit eſſe acquiſitu impoſſibilem; ſed talis eſſet beatitudo, & de hoc eſſet certus, &c.

Reſp. diſt. min. ad ſalutem, ut finem inadæquatum, con. ut finem adæquatum, neg. min. nam beatitudo eſt quidem finis mandatorum, ſed non totalis, & adæquatus nequidem primarius: hic enim eſt Deus in ſe, & propter ſe amandus, & colendus per amorem amicitiæ, non autem ſolum per amorem concupiſcentiæ, & ut bonum noſtrum, ſed ut bonus in ſe. Ideo ceſſante fine beatifico, adhuc maneret obligatio ſervandi mandata propter Deum, & ex obedientia illi debita, tum etiam propter eorum honeſtatem objectivam.

Inſt. obligatio mandatorum cadit in eos ſolos, qui volunt; *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; ſed iſte non poſſet velle ſalvari; ergo non obligaretur ad ſervanda mandata.

Reſp. neg. maj. nam obligatio illa venit primo, & directe ex conditione Dei, & noſtra. Ut patet ex dictis, jubet, & illi debemus obedire, quia Deus eſt, nos autem creaturæ ejus.

Quæres, *quid facere deberet ille miſer*.

Reſp. 1. illum quidem non teneri ſperare poſitive, ſaltem quoad beatitudinem; tum quia fruſtra ſperaret; tum quia id faceret contra Dei voluntatem abſolutam, cum nollet eam illi dare, ſed tamen non deberet deſperare poſitive, quia hoc per ſe malum eſt; ſed negative ſe haberet quoad hoc, nec ſperando, nec deſperando, ſed ſe conformando voluntati Dei dicendo cum Heli ſacerdote: [1] *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat*.

2. Poſſet, & deberet ſperare alia bona, & maxime auxilia gratiæ ad vitanda alia peccata, & operandas alias virtutes, tum ex motivis ſupradictis, tum ad merendam mitigationem pœnarum poſitivarum inferni.

QUÆ-

[1] 2. *Rom.* 2.

QUÆSTIO III.

De præſumptione, an, & quale ſit peccatum.

VOx *præſumptio* ab Etymologia grammaticali ſignificat anticipatam ſumptionem reſpective ad jus, tempus, locum, aut perſonas. Apud Juriſtas ſignificat judicium aliquod ex conjecturis levibus, aut gravibus, vehementibus, aut etiam violentis. Apud Philoſophos, & Morales eſt actus ſuperbiæ, quo quis audet ſupra vires ex nimia earum, vel ſapientiæ æſtimatione. Apud Canoniſtas aliquando pro actu, quo quis ſine facultate attentat aliquid contra jus, & dicitur *attentatum*. Aliquando etiam in bonam partem pro confidentia in Deum, ut cum Judith orabat: (1) *Oſtende Domine, quoniam non derelinquis præſumentes de te*. Hic autem ſumitur pro exceſſu in ſpe Theologica, quatenus homo putat, & vult obtinere beatitudinem, vel ex propriis viribus, ut Pelagiani, vel ſine mediis a Deo ordinatis, ut videntur præſumere hæretici, nolentes gloriam dari ex meritis bonorum operum, ſed pure gratis.

Igitur *præſumptio*, de qua hic agimus, deſcribi poteſt, ſpes obtinendi a Deo gratiam, & gloriam, aliaque dona ſupernaturalia aliter, quam Deus ſtatuit ea dare, ſcil. vel ex propriis viribus, & ſine auxilio gratiæ, vel totaliter ex pura Dei liberalitate ſine ulla propria cooperatione, & labore ex parte noſtra, ut qui differunt pęnitentiam uſque in finem vitę, ſperantes, quod in extremis faciet miracula, ne moriantur in peccatis, ut contigit latroni. Quæritur, an talis præſumptio ſit peccatum mortale contra ſpem Theologicam.

CONCLUSIO.

PRæſumptio *ex utroque illo motivo eſt vere peccatum mortale, contra ſpem Theologicam*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scot. cit. (2) *contingit exceſſive ſpera bo-*

(1) *Judith*. 6. (2) 3. *d*. 26. *A*. *n*. 6.

bonum futurum, ſicut patet in præſumente. Ideo illa paſſio, quæ eſt ſpes futuri boni, indiget moderamine — Et per conſequens ille habitus moderativus, cum ſit reſpectu objecti æterni, quod conſequitur ſperans, poteſt eſſe habitus Theologicus, & vocatur ſpes; ergo præſumptio eſt exceſſus in ſpe oppoſitus ſpei Theologicæ, cum reſpicit Deum. Et infra docet conditionem, & naturam actus ſpei, (1) *qui eſt deſiderare infinitum, eſſe mihi bonum a Deo liberaliter conferre ex meritis, quæ habeo, vel mihi ſpero*; ergo qui ſperat bonum illud, vel ſine meritis, vel ſine Dei liberalitate, peccat contra ſpem Theologicã per exceſſum, qui dicitur *præſumptio.*

Prob. 2. ex Script. nam de illa, quæ venit ex 1. cauſa, dicitur: (2) *qui confidit in cogitationibus ſuis, impie agit*. Et, (3) *nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum*. (4) Et, *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Et patet ex dictis de neceſſitate gratiæ. De illa autem, quæ venit ex 2. cauſa, ſeu de nimia confidentia, quæ cauſat neglectum pœnitentiæ, & bonorum operum, dicitur, *ne* (5) *dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triſte .... ? ne adjicias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas, miſeratio Domini magna eſt; multitudinis peccatorum meorum miſerebitur*: Ideſt, inquit Lyranus, *præſumendo nimis de miſericordia*.

Prob. 3. de 1. cauſa ex Conciliis, & Patribus citatis pro neceſſitate gratiæ, nam qui ſic præſumit, non agnoſcit hanc neceſſitatem. Item ſpecialiter ex Ambroſio, & Auguſt. (6) *Petrus lapſus eſt, qui dixit, etſi omnes ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor: Quis alius de ſe præſumat? .. Denique David, quia dixerat in abundantia ſua, non movebor in æternum, ſuam ſibi jactantiam obfuiſſe profitetur dicens: avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus*. Item Auguſt. (7) *ſunt, qui præſumunt in amicis; alii præſumunt in virtute ſua, alii in divitiis: iſta eſt præſumptio generis humani non præſumentis in Deo*, &c. Scil. non agnoſcit neceſſitatem gratiæ.

Prob. 2. cauſa præſumptionis, quatenus negligitur pœnitentia, & bona opera, ſic loquitur idem S. Doctor.

[1] 161. *M.n.*23. [2] *pro.*12. [3] *Jo.*13.
[4] *Ro.*9. [5] *Eccl.*5.
[6] 1. *con. pelag.*45. [7] *pſ.*48.

ctor. (1) *Hi condemnant Dei juſtitiam, injuſtum Deum blaſphemantes, qui reddere malis mala ignoſcat, & peccata illorum exaltat -- non eſt ſperare bonum, pro malis expectare* (miſericordiam) (3) *ſed temerarius eſt, qui peccatum non abhorret ... qui ita præſumunt, & de Deo confidunt, quod quandam ſibi licentiam acquirunt peccandi, & ſine pœnitentia expectant veniam .... deceptos hos eſſe Eccleſia judicabit;* licet confidant in redemptione.

Prob. 3. ratione; nam ut dicebamus ex Scoto, ſpes Theologica inclinat, & dictat expectandum a Deo bonum infinitum acquirendum per media, per quæ Deus ipſe vult illud concedere, & grave peccatum eſt ex genere ſuo illud aliter deſiderare; ſed præſumptio ex utroque illo capite deſiderat illud bonum aliter, quam Deus vult illud dare, & illud a nobis deſiderari; ergo &c. Prob.maj. nam in hoc eſt gravis contemptus gratiæ Dei, quam præſumens credit inutilem, aut ſuperfluam, & male judicat de juſtitia Dei (ut dicebat Auguſtin.) quam putat tolerare iniquitates, ut cum majori licentia peccet: ergo &c.

Prob.2.p. ſcil. *quod ſit grave peccatum oppoſitum ſpei.* 1. ex Script. quæ dicit, [3] *ſpera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in divitiis ejus:* Id. inquit Gloſſa, *ut ſperes, fac bonum, quæ ut facias, excole terram tuam, ſcil. corpus, & ſic delectaberis in virtutibus ejus ....* ergo ſicut ſpes imperat bona opera, & pœnitentiam, ſic præſumptio illa impedit; ergo opponitur ſpei. Item, *ſperate in Domino omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra; Deus adjutor noſter* &c. Et Sapiens, *Habe fiduciam in Domino ... & non innitaris prudentiæ tuæ*, ſcil. *præſumendo de te*; ergo præſumptionem opponit ſpei.

Prob. 2. nam, ut dicebam, ſpei opponitur deſiderium beatitudinis obtinendæ aliter, quam Deus vult illam ſperari, & obtineri, & quam ipſe habitus inclinat ad eam deſiderandam; ſed id facit præſumptio ex illo duplici capite, ergo &c.

Objic. nullo præcepto prohibetur confidentia in viribus noſtris, imo potius ſuadetur, ergo ex eo capite præſumptio non eſt peccatum. Prob. ant. nam opera

[1] *de fal.pœnit.6.* & 7. [2] *pſ.36.*
[3] *pſ.5.*

ra memoria ſalutis dicuntur noſtra; ergo tribuuntur viribus noſtris. Prob. ant. [1] *opera illorum ſequuntur illos*. Et acquieſcere dicuntur *a viribus ſuis*. Item, *videant opera veſtra bona*. Et homo petebat, *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* ergo opera bona meritoria ſalutis ſunt noſtra.

Reſp. diſt. ant. in propriis viribus cum auxilio gratię, con. ſine auxilio, neg. ant. & idem eſt de 2. & 3. ant. nec *enim ſumus ſufficientes ex nobis quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ait Apoſtolus, & ipſemet de ſuis operibus non præſumit, ſed dicit; *non ego, ſed gratia Dei in me*. Et ut docet Concil. Triden. [2] *abſit, ut chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino* &c. *Qui vult, ut ſint eorum merita, quæ ſunt ſua dona*.

Objic. 2. quo magis confidimus in Dei bonitate, eo magis eum glorificamus; ergo qui totaliter illi ſe committit, & præſumit ſine proprio labore, non peccat, ſed potius honorat Deum, & bonitatem ejus.

Reſp. diſt. ant. quo magis confidimus ſecundum regulas ab ipſo præſcriptas, con. abſolute, neg. ant. & conſ. nam Deus ita vult nos confidere in gratia, & miſericordia ſua, ut illis cooperemur totis viribus noſtris, ita ut ſalus noſtra, ſicut & perditio ex nobis pendeat. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*, ait Auguſt.

Objic. 1. con. 2. p. præſumptio de propriis viribus eſt peccatum ſuperbiæ; ergo non opponitur ſpei, ſed humilitati.

Reſp. diſt. ant. præſumptio pura ſine expectatione gratiæ, & gloriæ obtinendæ, con. cum illa expectatione, neg. ant. & conſ. nam præſumptio, de qua loquimur, eſt expectatio gratiæ, & gloriæ ex meritis noſtris per proprias vires factis, ideo eſt contra regulas ſpei Theologicæ.

Inſt. ſaltem præſumptio in Dei miſericordia non opponitur ſpei, quia totum bonum ſuum expectat a Deo; ergo &c. Prob. ant. ex Script. *non derelinquis præſumentes in te:* ajebat Judith; ergo præſumptio totalis in Dei miſericordia non opponitur ſpei.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam ipſamet Judith non

[1] *Apoc.* 7. [2] *ſſ.6.c.16.*

non ita præſumebat de Dei bonitate, quin ex parte ſua adhiberet omnem humanam induſtriam, ut patet ex eadem ſcriptura.

Conſtat 1. quod *præſumptio* ex utroque capite ſupponit duo judicia erronea. 1. quod homo ex propriis viribus naturæ ſine gratiæ ſupernaturalis auxilio poſſit conſequi ſalutem, quæ eſt hæreſis Pelagiana. 2. quod ſalus noſtra ita ſit ſperanda a Deo, ut nihil ad hoc conferant merita noſtra, quæ videtur hæreſis Lutheri, & Calvini, & ſic illa præſumptio utraque opponitur fidei, & ſpei, & per illam amittitur uterque habitus.

2. Quod ſi quis ita præſumat de Dei miſericordia, ut non credat pœnitentiam ſibi neceſſariam eſſe, errat etiam in fide, & hanc amittit, ſicut & ſpem. Si vero ita præſumit, ut judicet Deum in fine vitæ non defuturum ſibi in illis extremis momentis, ſed daturum ſibi gratias ad pœnitendum, & ad veniam peccatorum obtinendam, & ſalutem, non errat proprie, nec videtur amittere fidem, nec ſpem, quia in hoc non peccat contra objectum fidei, nec ſpei. Vide Caſuiſtas. Certe peccat aliunde, & graviter & periculoſiſſime.

DISPUTATIO X.

De charitate Theologica.

VIrtutum omnium etiam Theologicarum hæc apex eſt: aliæ nos ad Deum dirigunt; iſta nos Deo unit: fides Deum intuetur: ſpes Deum quærit, deſiderat, expectat; charitas tenet, & amplectitur: illæ in cœlo evacuabuntur; *hæc manet in æternum*: illarum actus ſunt imperfectorum, & proficientium in via ad perfectionem; *hæc opus habet perfectum*. Denique *charitas Deus eſt*, & *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* De hac ergo Regina virtutum hic agimus pro coronide hujus tractatus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An ſit, & quid ſit charitas Theologica.

NOmine charitatis Theologicę intelligimus habitum ſupernaturalem, & infuſum a Deo, facientem hominem amicum, & filium Dei adoptivum, & hæredem Regni, & inclinantem ipſum ad amandum Deum propter ſe, & ſuper omnia. Et hinc dignificantur ejus opera per illam elicita, vel imperata, ut ſint meritoria vitæ æternæ. Sic habes naturam, & effectus, & proprietates hujus virtutis. Brevius deſcribitur, *habitus ſupernaturalis inclinans ad Deum ſuper omnia, & propter ſe diligendum*; reſtat videre, an detur talis aliqua virtus.

CONCLUSIO.

D*Ari virtutem illam charitatis fides docet, potius, quam ratio*. Eſt communis, & patet ex dictis ab initio hujus tractatus.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Qui poſtquam probavit dilectionem Dei propter ſe eſſe actum conformem rectæ rationi, concludit: *Ex hoc ſequitur, quod ad ipſum poteſt eſſe aliqua virtus inclinans, & hæc Theologica, quia eſt circa objectum Theologicum, ſc. Deum immediate. Et innititur immediate primæ regulæ morum, & infundi poteſt a Deo, & ſic nata eſt perficere ſupremam potentiam animæ*, &c.

Prob. 2. ex Script. & Conciliis, & Patribus ibidem citatis de exiſtentia harum virtutum. Siquidem nihil ſæpius legitur in illis, quam nomen *charitatis*, ut rei permanentis, *nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc*, &c. & *qui manet in charitate*, &c. Ideo huic veritati probandæ non immoramur; quia clarior eſt luce, ſaltem ex fide.

Prob. 2. par. Nam id non probat ulla ratio naturalis, nec a priori, nec a poſteriori. Imo diu manſit exiſtentia hujus habitus problematica, non quoad actus, ſed quoad habitum permanentem, & infuſum; ut patet ex Concilio Viennenſi, in quo ad-

[1] 3. d. 27. A. 2. ſſ. 6.

adhuc diſputabatur, an iſti tres habitus infunderentur per baptiſmum in infantibus. Et dicitur Magiſtrum putaſſe charitatem non eſſe quid creatum, ſed increatum, ſcil. Deum ipſum, ſeu Spiritum ſanctum aſſiſtentem hominibus ad benè operandum. In illo Concilio decretum fuit opinionem aſſerentem infuſionem illorum habituum parvulis in baptiſmo eſſe eligendam tamquam probabiliorem. Non defuerunt Theologi inſignes, qui dubitarunt de illorum exiſtentia; ergo nullà ratio naturalis demonſtrat exiſtentiam hujus virtutis.

Confir. Nam ratio naturalis non attingit res ſupernaturales in ſubſtantia; ſed talis eſt habitus iſte; ergo &c.

CONCLUSIO II.

Charitas eſt virtus Theologica diſtincta à fide, & ſpe, per quam elevamur, & inclinamur ad diligendum Deum propter ſe ipſum. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. ubi dicit eam eſſe Theologicam, & addit, *hæc virtus diſtincta eſt à fide, quia actus ejus non eſt credere. Similiter à ſpe, quia actus non eſt concupiſcere..... ſed tendere in objectum ſecundum ſe ... Hanc virtutem affectivam, perficientem voluntatem, in quantum habet affectionem juſtitiæ, voco charitatem*.

Prob. 2. ex omnium Theologorum ſenſu, qui per charitatem intelligunt eam virtutem: & ſic ejus naturam explicant.

Dicitur 1. *virtus*; Nam *facit habentem bonum*: Et *eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus malè utitur*. ſic definiuntur virtutes ex Ariſtotele, & Auguſtino; ergo eſt vera virtus.

2. *Theologica*. Nam ut dicebamus ex Scoto, tendit in Deum directè, & habet ipſum pro prima regula, & ab eo infunditur; ſed hæ ſunt conditiones virtutis Theologicæ; ergo &c.

3. *Supernaturalis in ſubſtantia*, ut diſtinguatur à charitate naturali, & acquiſita, per quam amatur Deus naturæ lumine cognitus, vel ex habitu acquiſito per actus talis amoris, etiam ſupernaturalis. Et quia infunditur à Deo, juxta illud, *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum*, &c. & id docet Concilium Tridentinum.

4. *Diſtincta à fide, & ſpe*, ut conſtat, tum ex Scoto cit. tum ex dictis diſp. 1. tum denique ex particulis ſequentibus.

5. Denique *Elevans, & inclinans*, &c. & eſt ultima hujus virtutis differentia ab aliis, & ſingulariter à ſpe; nam hæc diligit Deum amore concupiſcentiæ, & ut eſt bonus nobis, & ex deſiderio illum habendi ut bonum noſtrum, charitas verò eum amat propter ſe ipſum, & in ſe ipſo abſque reflexione ad nos ipſos, ſeu amore puræ amicitiæ.

Objic. 1. con. 2. p. Nihil eſt arduum in amore Dei; ergo charitas, quæ ad eum amandum inclinat, non eſt virtus, ſed affectus naturæ. prob. ant. nihil eſt conformius naturæ, quàm amare Deum in ſe: imò non poteſt odiri; ergo nihil eſt arduum in illo amore.

Reſp. neg. ant. & diſt. conſ. prob. ſi non ſuperet vires naturæ; con. ſi ſuperet; neg. conſ. quia licet ad illum amorem natura inclinet, ſuperat tamen vires ejus, & naturalem attingentiam tam cognitionis, quàm amoris illius puræ amicitiæ, & ſuper omnia; quia per concupiſcentiam trahimur ad amorem noſtri, & ſenſibilium.

Objic. 2. Charitas eſt omnis virtus; ergo non eſt virtus diſtincta. prob. ant. nam [1] *patiens eſt, benigna eſt*, &c. & Hieron. *virtus eſt charitas, qua diligitur omne diligendum*; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam Scriptura, & patres ſic loquuntur, quia charitas imperat alias virtutes, non verò quaſi eliciat omnes illarum actus.

Inſt. Præceptum charitatis alia omnia continet; ergo & omnes alias virtutes. prob. ant. [2] *In his duobus mandatis*, (charitatis Dei, & proximi) *univerſa lex pendet*. Et, *Qui diligit proximum, legem implevit*.

Reſp. ut ſupra diſt. ant. ratione ſuperioritatis, eminentiæ, directionis, & perfectionis: con. entitativè, & formaliter: neg. ant. nam, inquit Gregor. *præcepta ſunt multa per diverſitatem operis, & unum in radice dilectionis. Quidquid præcipitur, in ſola dilectione radicatur.*

Inſt. 2. Objectum charitatis eſt commune omnibus, & maximè Theologicis; ergo & habitus ejus.

ant.

[1] 1. Cor. 13. [2] Rom. 13.

ant. patet; nam ſummum bonum eſt commune omnibus aliis bonis, quæ reſpiciunt aliæ virtutes, & maximè fides, & ſpes. Prob. conſ. ut ſe habet objectum iſtius virtutis ad objecta illarum, ita & habitus iſte ad illos; ergo.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus, vel diſt. eſt commune materialiter: con. formaliter: neg. ant. nam objecta formalia ſunt bonitates diverſæ, ſub quibus aliæ virtutes reſpiciunt ſummum bonum, ſed extrinſecè, & imperativè tantum reſpiciuntur à charitate.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo Charitas ſit vera amicitia hominis in Deum.

EX dictis de gratia habituali facilis eſt reſolutio hujus quæſiti. Nam ibi diximus illam gratiam, & hanc virtutem eſſe unum realiter habitum. Et ſicut illa gratia facit hominem Deo amicum, filium, hæredem, conſortem naturæ ejus; idem dici debet de hac virtute. Sed majoris claritatis cauſa, & commendationis hujus virtutis, placet id ſpecialius examinare.

Amicitia dicitur *mutua benevolentia, non latens, & fundata in quadam bonorum communione inter amantes*. Dicitur 1. *benevolentia*, ut diſtinguatur ab amore concupiſcentiæ, quo quis vult bonum ſibi, non autem amico, ut benevolentia. 2. *mutua*: quia eſt quoddam vinculum, quo duo homines ad invicem copulantur, & fiunt quaſi unus, &c. Cætera clara ſunt, & magis patebunt infrà.

CONCLUSIO.

CHaritas habet rationem veræ amicitiæ inter Deum, & hominem; non quidem rigoroſæ, ſed eminentialis. Eſt communis contra Durandum.

Prob. 1. ex Scot. [1] cum inquit, quod *charitas propriè poteſt dici amicitia, licet non omninò accipiendo amicitiam ſtrictè, ſicut accipit Philoſophus....ſed aliquantulùm extendendo, ſicut ſecundum intentionem* ejus

[1] 3.d.27.P.20.

eius ad Deum eſt aliquid excellentius amicitia. Hic habes totam concluſionem ferè in terminis.

Prob. 2. ex Script. quæ juſtos vocat Dei amicos. [1] *Abraham per multas tribulationes probatus, amicus Dei factus eſt .... credidit Deo, & amicus Dei appellatus eſt*. Item, *Iſrael ſemen Abraham amici mei*. Et, *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*: Et, *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos*, &c.

Prob. 3. ex Patribus. *Vera charitas amicitia nuncupatur*, ait Auguſt. & Hieronymus dicit de Chriſto, *Ipſe, ſi rectè vivimus, amicus noſter eſt*. Charitas autem eſt ipſa formalis amicitia, juſtitia, & rectitudo. *Quia Deus charitas, & filius, qui ex Deo eſt, charitas eſt, ſui ſimile aliquid requirit in nobis, ut per hanc charitatem, quæ eſt in Chriſto, qui eſt charitas, velut cognata quadam per charitatis nomen affinitate ſociemur*, &c. ſcil. charitas, quam nobis infundit, nos reddit Deo affines, & ſocios, & amicos. Et Chryſoſt. inducit Chriſtum dicentem; *vos amici mei eſtis*, &c. *non es ſervus, ſed amicus, ſi quæ tibi mando, perfeceris, non es famulus, ſed amori noſtro conjunctus*, &c.

Prob. 4. In charitate habituali, & actuali ſunt omnia requiſita in amicitia; ergo habet rationem amicitiæ veræ. prob. ant. Charitas habitualis eſt bonitas formalis, qua homo fit diligibilis à Deo, & inclinatur, & elevatur ad amorem Dei; actualis verò eſt ipſe amor utriuſque reciprocus; ergo &c. prob. ant. Nam amor amicitiæ ſupponit in amicis objectum, & rationem amabilitatis in utroque, & principium amandi, quod eſt ipſa bonitas, & charitas increata in Deo, & charitas, ſeu bonitas, ſeu juſtitia infuſa, & creata in homine juſto, quæ reddit eum formaliter bonum, & amabilem Deo, & inclinat, ac elevat eum ad amandum Deum; ſed non aliud requiritur ad amicitiam; ergo &c.

Confir. Nam adſunt etiam aliæ conditiones requiſitæ ad amicitiam; ergo &c. prob. ant. 1. amicitia eſt amor benevolentiæ mutuæ, quo amicus vult bonum amico, vel in ejus bono ſibi complacet, ſi habet, vel hoc illi deſiderat, ſi non habet, & ſic Deus vult beatitudinem, & alia bona homini juſto, & iſte ſibi complacet in Dei perfectionibus. Hæc reci-

[1] *Judith*. 8.

reciprocitas conſtat ex ſcriptura, dicente ſponſa, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Item, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Item, *Ego diligentes me diligo.* Et, *qui diligit me, diligetur à patre meo.*

2. Mutua hæc benevolentia eſt nota utrique; nam Deus eſt *ſcrutator cordium*; ergo non poteſt non videre amorem hominis; & homo non poteſt ignorare amorem Dei, tum ex beneficiis ab eo acceptis, tum quia ex eadem certitudine, qua ſe novit amare Deum, certus eſt ſe ab eo amari, non enim poſſet amare Deum, niſi quia ipſe prior dilexit nos, & ut iſte dicit, *Ego diligentes me diligo.*

3. In vera amicitia requiritur communicatio reciproca, quæ conſiſtit vel in quadam ſimilitudine naturæ, aut dignitatis, vel officii in ordine ad finem honeſtum, vel in mutua quadam bonorum participatione, & beneficiorum collatione. Hæc conditio videtur quidem potiùs ſpectare ad amicitiam utilem, quam ad honeſtam: & tamen etiam ad hanc aptari poteſt, ſed hæc conditio in utroque ſenſu, quo eſt neceſſaria in amicitia, adeſt in charitate inter hominem, & Deum. Quia 1. per charitatem infuſam fit homo aliqualiter ſimilis Deo, & ſanctitatis, & juſtitiæ particeps, & *conſors divinæ naturæ*; per eam *filii Dei nominamur, & ſumus.* Et Deus eam in nobis operatur in finem beatificandi nos, in quo ſimiles ei erimus, & per eam homo adhæret Deo, *& fit unus ſpiritus.* 2. quia Deus cum filio ſuo *omnia nobis donavit*, &, ut dicebam, per infuſionem charitatis *facit nos conſortes naturæ ſuæ.* Et continuis beneficiis tam ſupernaturalibus, quàm naturalibus nos afficit: & viciſſim juſtus per charitatis opera ſe totum illi conſecrat, ſive quoad bona temporalia per eleemoſynas, quas ille acceptas refert in pauperibus, ſive quoad ſpiritualia per actus internos fidei, & ſpei, & charitatis, quibus intellectum, & voluntatem, & omnes appetitus ſuos illi ſubjicit; ergo 3. conditio amicitiæ veræ eſt in charitate.

Aliæ conditiones ad veram amicitiam ſolent adduci, quæ facilè ad iſtas tres reducuntur, ut magis patebit ex objectionibus.

Prob. 2. p. ex Philoſopho: nam amicitia propria non reperitur inter Dominum, & ſervum, nec in-

ter Deum, & hominem: nec denique *inter illos, quorum eſt nimia diſtantia virtutis, aut vitii divitiarum, aut alterius rei*. Et ex. Hier. *amicitia pares accipit, aut facit*. Et, *ubi inæqualitas eſt, aut alterius eminentia, & alterius ſubjectio, non eſt amicitia*. Sed major inæqualitas eſſe non poteſt, quàm quæ eſt inter Deum, & hominem, quippe eſt infinita; ergo ibi non eſt perfecta amicitia, qualis poteſt eſſe inter homines omninò æquales.

Dixi autem, *eminentialis*. Nam amicitia dicitur, vel *æqualitatis*, quæ eſt inter æquales natura, & conditione, ſeu ordine, & dignitate; vel *excellentiæ*, ſeu *eminentiæ*, quæ eſt inter inæquales conditione, ordine, aut dignitate, qualem aſſerimus inter Deum, & hominem per charitatem, quæ eſt *vinculum perfectionis*.

Objic. 1. vera amicitia eſt inter æquales; ſed nulla æqualitas fingi poteſt inter Deum, & hominem; ergo &c.

Reſp. 1. diſt. maj. amicitia *æqualitatis*, & rigoroſa, con. *eminentiæ*, neg. maj. & min. nam æqualitas non eſt neceſſaria in iſta amicitia, quæ ideò non dicitur propria, & rigoroſa; ſufficit æqualitas proportionis, ſeu unionis, & adhærentiæ, qualis eſt per charitatem. Certè minus eſt Deum per charitatem nos velle habere ut amicos, quàm ut filios, & tamen nos vult habere utroque titulo. Duæ conditiones concurrunt in objecto *amabili*, (ait Doctor.) *unitas, & bonitas. Unitas licet quandoque ſuper bonitatem eſt, tamen unitas ex alia parte compenſat*.

Reſp. 2. diſt. maj. amicitia naturalis, & rigoroſa, con. amicitia ſupernaturalis, neg. maj. & conſ. nam hæc eſt ſupernaturalis, & moralis, & ex inſtitutione divina, quam non norant philoſophi, & quæ reperitur inter Reges, & ſervos, per hanc omnes ſunt æquales: ipſa entitas charitatis, quæ nos facit conſortes divinæ naturæ, elevat nos ad quandam dignitatem divinam, in qua omnes ſumus unum. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes*. Et Chriſtus. *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos*: Servi Dei ſunt Reges: *ſervire Deo regnare eſt*.

Objic. 2. vera amicitia eſt amor benevolentiæ; ſed amor Dei in homines, & hominum in Deum non

eſt

eſt benevolentiæ; ergo nec amicitiæ. Prob. min. ille amor amat amicum propter ipſum; ſed Deus non poteſt ſic amare hominem; ergo &c. Prob. min. nam ſic vileſceret amor Dei: nihil poteſt amare niſi propter ſemetipſum, ut ſummum bonum: ergo &c.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. maj. vileſceret, ſi ultimatè ſiſteret in homine, con. ſi non ſiſteret, neg. maj. & conſ. nam amor Dei reſpicit quidem hominem, & illi vult benefacere, ſed hoc facit primò ex ſua bonitate, & ultimatè propter ſe, & gloriam ſuam, ipſa charitas, & amicitia chriſtiana non ſiſtit in amicis creatis, ſed ultimatè reſpicit Deum, ut finem ultimum, nec deſinit eſſe amicitia inter ipſos homines.

Inſt. amicitia eſt amor benevolentiæ; ſed homo non poteſt velle bonum Deo, quia nihil ei deeſt; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. benevolentiæ per amorem deſiderii, aut complacentiæ, con. ſolius deſiderii, neg. maj. & conſ. nam poſſumus complacere, & gaudere de plenitudine gloriæ Dei.

Reſp. 2. diſt. min. non poteſt velle bonum ullum intrinſecum Deo, con. externum, & accidentale, neg. min. nam quotidie petimus ab ipſo Deo, *ut ſanctificetur nomen, & adveniat regnum, & fiat voluntas ejus*. Quæ ſunt illi bona externa, & accidentalia.

Objic. 3. amicitia debet cognoſci ab amicis; *debet eſſe non latens, & inter duos*: ſed charitas non eſt talis; ergo &c. Prob. min. quia *neſcit homo, an amore, vel odio dignus ſit*: & per nos, nemo certus eſt ſe habere charitatem. 2. Charitas omnes complectitur, & Deus omnes diligit; ergo charitas eſt latens, & inter plures.

Reſp. neg. min. quoad 1. p. neſcit certitudine phyſica, con. certitudine morali, neg. min. nam ſcimus nos diligere Deum propter ipſum, & ſuper omnia, & de hoc certi ſumus ſaltem moraliter, & ſicut ſcimus nos diligere Deum, ita & nos ab ipſo diligi, quia ipſe *prior dilexit nos*.

Quoad 2. p. diſt. maj. charitas naturalis eſt inter duos, con. ſupernaturalis, neg. maj. & conſ. nam amicitia naturalis, cùm ſit limitata, non eſt perfecta inter plurimos, & niſi inter paucos; ſed charitas

ſupernaturalis, & divina eſt illimitata; *omnia credit, omnia ſperat*, &c. Quod adhuc verius eſt de Deo, cujus amor, & charitas eſt abſolutiſſimè infinita.

QUÆSTIO II.

De objecto charitatis Theologicæ.

CUm dico, *charitatis Theologicæ*, certum eſt ex terminis, eam reſpicere Deum immediatè, & in ſe: & cum dico *charitatis*, quæ eſt amor, certum eſt etiam, quod reſpicit Deum in ſua bonitate, quia amor neſcit aliud, quàm bonum. Sed certum eſt etiam, quòd illa reſpicit proximum, & alios homines. Ideò quærimus hìc de omni objecto, tam *principali*, & *primario*, quod per ſe reſpicitur, & propter quod alia reſpiciuntur, quàm *ſecundario*, *& minùs principali*, quod reſpicitur propter ipſum principale, & tam de *materiali*, quàm *de formali*.

CONCLUSIO.

D*Eus in ſe eſt objectum primarium, materiale charitatis Theologicæ, & quidem ſub ratione deitatis, aut bonitatis abſolutæ, & eſſentialis. Secundarium verò eſt proximus, imò omnis creatura rationalis, ut amabilis propter Deum.*

Prob. 1. ex Scoto: (1) qui docet primam conditionem virtutis Theologicæ eſſe, quòd reſpiciat *Deum pro primo objecto*. Et quòd *hujus habitus objectum poſſet poni Deus in ſe ſecundum rationem ejus abſolutam*. Et quod *prima ratio objecta terminandi actum charitatis, & habitus .... eſt propriè ratio Dei in ſe; præciſa enim ratio hujus eſſentiæ eſt ratio formalis terminandi omnem actum, & habitum theologicum*.

Prob. 2. ex Script. *Deus charitas eſt; qui manet in charitate, in Deo manet*, &c. Item, *mandatum magnum in lege. Diliges Dominum Deum tuum*. Item, *diligite Dominum omnes ſancti ejus*. Idem patet ex toto utroque teſtamento, in quo toties reperitur præceptum diligendi Deum, & proximum.

Prob.

[1] *3, d. 26. F. & d. 27. B. & C, n. 3. & 4.*

Prob. 3. quoad 1. p. nam charitas eſt virtus Theologica, & quidem perfectiſſima: ſed Deus in ſe eſt objectum primum, & principale virtutis Theologicæ, ut ſoppono ex dictis; ergo & charitatis.

Prob. 2. p. 1. ex Script. in qua bonitas Dei proponitur, ut motivum amoris ejus, ut cum dicit, *confitemini Domino, quoniam bonus*, &c. Et, *laudate Dominum, quoniam bonus*: Et, *unus eſt bonus Deus* &c. Et certè. bonum eſt illex amoris: nam *bonum invitat animam, & ad ſe vocat*. Inquit Seneca, [1] *Non omne videtur amari; ſed quod bonum eſt*. Inquit Ariſt. [2]

Prob. 2. charitas reſpicit Deum ſub perfectiſſima ratione bonitatis, & amabilitatis: ſed hæc ratio eſt Deitas, ſeu bonitas abſoluta, & eſſentialis; ergo ſub hac ratione eſt objectum charitatis, & ſic eadem bonitas eſt objectum formale ejus. Maj. patet, quia cum charitas ſit perfectiſſima virtutum Theologicarum, debet reſpicere Deum ſub perfectiſſima ratione, qua eſt amabilis. Prob. min. nam omnes aliæ bonitates, & perfectiones attributales conceptibiles in Deo reducuntur ad iſtam, & in ea continentur; ergo hæc perfectiſſima. Prob. ant. nam, quod ſit author bonorum omnium naturæ, & gratiæ: quod ſit noſtra beatitudo; omnipotens, ſapiens &c. reducuntur ad Deitatem, ſeu bonitatem eſſentialem, ut ad radicem; ſicut proprietates ad eſſentiam.

Prob. 3. charitas eſt perfectimus amor amicitiæ in Deum; ergo debet illum reſpicere ſub ratione abſolutiſſima, quà in ſe, & ſibi bonus eſt, ſed hæc ratio eſt ſola bonitas Deitatis; ergo hæc ratio eſt objectum formale charitatis:prob.min.nam alię perfectiones, quæ aliquam relationem, vel connotationem ad creaturas important, movent potiùs ad amorem concupiſcentiæ, licet per eas ſit etiam in ſe amabilis infinitè, Certè, cùm Deum amo ut creatorem, ut fontem omnis boni, ut miſericordem; ut beatificum &c. non poteſt fieri, quin meipſum aliquantulum reſpiciam in illo amore.

Prob. 2. p. nam per objectum ſecundarium habitus, intelliguntur omnia, quæ attingit per ordinem, & reducibiliter ad primarium; ſed omnis creatura rationalis poteſt, & debet diligi per ordinem ad Deum,

[1] *Ep.* 118. [2] 8. *Ethic.*

ut ſit objectum charitatis theologicæ; nam ſine tali ordine non dicetur Theologica, ſeu divina, ſed humana; ergo &c.

Confir. ex Patribus, nam, inquit Auguſt. [1] *ex una, eademque charitate Deum, proximumque diligimus; ſed Deum propter Deum: nos autem, & proximum propter Deum*.

Prob.2. ex Script. cit. nam primum, & maximum mandatum eſt de amore Dei; ſecundum autem ſimile eſt, [2] *diliges proximum tuum, ſicut teipſum*. Item, [3] *ſi diligamus nos invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt*, &c. ergo ex eadem charitate, qua diligimus Deum, ut objectum primarium, diligimus proximum, ut objectum ſecundarium. Proximus autem eſt omnis creatura rationalis; nam cùm adoleſcens quæreret à Chriſto, *quis eſt proximus meus?* reſpondit ei per parabolam Samaritani, &c. [4] Unde infert S. Hieron. *proximus ergo omnis homo accipiendus juxta parabolam Euangelii*, &c. *proximum vocat omnem hominem, qui ex eodem nobiſcum parente genitus eſt*. Sed de hoc infra.

Objic.1. ratio formalis habitus charitatis debet eſſe ſupernaturalis, alioqui non differret à charitate naturali; ſed Deus ſub ratione Deitatis, ſeu bonitatis eſſentialis, & abſolutæ non eſt objectum ſupernaturale; ergo ſub hac ratione non eſt objectum hujus charitatis. Prob. min. nam ſub illa ratione eſt author rerum naturalium; ergo & objectum charitatis naturalis; ergo Deus dici debet objectum charitatis ſupernaturalis ſub aliqua bonitate, quæ reſpiciat res ſupe rnaturales.

Reſp. neg. maj. & rationem ejus; nam patet ex dictis, quod habitus naturalis, & ſupernaturalis poſſunt reſpicere eadem objecta. Sancti poſſunt amare Deum, ut creatorem mundi, æquè, ac ut authorem gratiæ, & gloriæ; ita & hæreticus, qui eum cognoſceret authorem gratiæ, & gloriæ, poſſet eum amare per charitatem naturalem ſub illa bonitate æquè, ac ſub alia ulla; quæ dicatur naturalis.

Inſt. Deus reſpectu bonorum naturalium habet diver-

[1] *Sir.* 8. [2] *Matth.* 22. [3] 1. *Jo.* 4. [4] *c.* 18. *Ezech.*

verſam amabilitatem ab ea, quam habet ut author gratiæ; ergo per hæc diſtinguitur charitas naturalis, & ſupernaturalis.

Reſp. diſt. ant. diverſam diverſitate extrinſeca, & rationis, con. intrinſeca, & reali, neg. ant. & conſ. nam intrinſece, à parte rei, & abſolutè Deus per eandem bonitatem eſt author naturæ, & gratiæ. Et ſic amabilitas ejus eſt eadem realiter ſub utroque reſpectu.

Objic. 2. tam Deus eſt amabilis, ut unus, & verus, &c. quam ut bonus; ergo ſola bonitas etiam abſoluta non eſt objectum formale charitatis.

Reſp. diſt. conſ. ſola bonitas attributalis: con. eſſentialis: neg. conſ. nam bonitas hæc abſoluta, & eſſentialis includit realiter omnes perfectiones divinas, ſaltem radicaliter, & omnem Dei amabilitatem, & in ea omnes aliæ ſunt unum.

Inſt. ſi bonitas illa abſoluta eſſet objectum formale charitatis, ille, qui amaret Deum, ut juſtum, nihil cogitans de illa bonitate abſoluta, non haberet charitatem Theologicam, quia ille actus non reſpiceret objectum formale charitatis Theologicæ: Sed conſ. eſt falſum: ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. nam ille amor attingeret deitatem realiter, quia realiter eſt idem cum juſtitia, quæ fundatur, & radicatur in illa, & hoc ſufficit ad virtutem Theologicam. Juſtitia hic ſe haberet, ut objectum *quo*, formaliter, & explicitè; ſed deitas, ſeu bonitas abſoluta, ut objectum *quod*, realiter, & implicitè contentum in Deo, qui eſt ſemper objectum materiale.

Objic. 1. con. 3. p. unius habitus eſt unum objectum; nam habitus ſpecificantur per objecta; ſed Deus, & creaturæ ſunt diverſiſſima objecta; ergo creaturæ non ſunt de objecto charitatis Theologicæ.

Reſp. diſt. maj. unum objectum adæquatum, & totale, con. unum partiale, & inadæquatum, neg. maj. & conſ. nam creaturæ ſunt de partiali, & ſecundario objecto charitatis, quæ illas reſpicit in Deo, & propter Deum, qui eſt objectum primarium, & principale, & attributionis.

Inſt. tota hæc charitas eſt Theologica; ergo non poteſt reſpicere creaturam.

Reſp. diſt. conſ. reſpicere creaturam, ut objectum primarium; con. ut ſecundarium, neg. con. nam habitus non ſpecificantur niſi ab objecto principali, & primario; qualis eſt Deus pro charitate iſta.

Objic. 2. habitus, qui reſpicit Deum, ut finem ultimum creaturæ, diſtinguitur ab eo, quo illa reſpicitur, ut medium; ergo Deus, & proximus non amantur ex eadem charitate. Prob. an. in ſpeculativis habitus principiorum diſtinguitur ab habitu concluſiionis: nam ille reſpicit propoſitiones in ſeipſis, ut per ſe notas: iſte verò reſpicit concluſionem, ut notam ex præmiſſis; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam veritas principii eſt per ſe nota, & non eſt eadem cum veritate concluſionis, quæ eſt nota per aliud; at in moralibus idem eſt motivum volendi media, & finem, quia media bonitatem habent à fine. Deus, & proximus amantur ob eandem bonitatem ultimatè.

Dixi, [*proximus, ſeu omnis creatura rationalis, ut amabilis propter Deum.*) Unde colligis, quod nomine *proximi*, debent intelligi, non ſolum amici, & vicini, ſeu propinqui, & homines ſui generis, ut gentis, ſeu nationis; ſed etiam omnes prorsùs homines, quibus poſſum velle bona, & benefacere in neceſſitate. Nam ut notat Scotus (1) in parabola Samaritani, *ille, cui facta eſt miſericordia, & apud eum habebatur, ut proximus, non erat Samaritanus; nec ſibi ligatus ex natione, ſed extraneus ex patria. Igitur; quilibet quantumcumque extraneus, cui ego poſſum ſervire in neceſſitate, eſt habendus, ut proximus,* &c.

CONCLUSIO II.

ANgeli, & Beati, & viatores omnes, licet peccatores, ſunt de objecto materiali charitatis. Non autem dæmones, aut damnati.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] *non igitur benefaciens eſt tantùm proximus; ſed etiam omnis, qui poteſt benepati a nobis; & hoc, ſive paſſione exteriori, ſive bona dilectione paſſiva, quæ eſt motus interior. Et hoc modo beati* (idem eſt de Angelis) *quibus non poſſumus benefacere, poſſunt bene diligi, & eſſe proximi.*

Prob.

[1] 3. p. 3. G. 23. [2] *Ibid.*

Prob. 2. ex Auguſt. [1] *manifeſtum eſt, hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum, etiam Angelos ſanctos contineri, a quibus nobis tanta miſericordia officia impenduntur.*

Prob.3.quia poſſumus Angelis bene velle, & amare ex complacentia de illorum gloria, & beatitudine, & de aliis eorum bonis, & eorum gloriam externam apud homines celebrare,& promovere,ut in eis Deus glorificetur: ſed hæc ſufficiunt ad charitatem; ergo &c.

Prob.4.nam Angeli, & beati ſunt de objecto charitatis conſummatæ in patria ergo & charitatis viæ; quandoquidem hæc eadem eſt utrobique, ut videbimus.

Prob.2. p. de peccatoribus, non quatenus ſunt peccatores; nam ſic ſunt inimici Dei, ſed ut homines, & capaces pœnitentiæ, & gratiæ, & gloriæ; nam inquit Auguſtinus, [2] *Omnis peccator, in quantum peccator, non eſt diligendus: & omnis homo, in quantum homo, eſt diligendus propter Deum.*

Confir. ex Euangelio 1. quia qui oderunt nos, & ſunt nobis inimici, ſunt ſine dubio peccatores, & tamen jubemur eos diligere, & eis benefacere: 2.quia Chriſtus dicit ſe veniſſe propter peccatores,& ex charitate mortuus eſt pro illis, & ſe comparat Samaritano; peccatores autem homini vulnerato. Imo, inquit, *non veni vocare juſtos, ſed peccatores*; ergo ſub aliquo reſpectu ſaltem humanitatis peccatores ſunt de objecto charitatis.

Prob. 2. nam ſi peccatores nullo modo eſſent proximi, & diligendi ex charitate, vix ullum hominem ſic amaremus, quia vix ullus eſt ſine peccato, & neſcimus, quinam ſint ſine peccato; ſed conſ.eſt falſum; ergo &c.

Prob. 3. nam iſti in via ſunt capaces gratiæ, & gloriæ, & magis egent operibus charitatis, quia ſunt miſeriores; ergo magis ſunt de objecto charitatis.

Prob.3.p.de dæmonibus, & damnatis, nam inquit Scotus, illi non poſſunt Deum diligere; ergo neque nos debemus eos diligere. [3]*Nam ſi Deum perfecte dili-*

[1] 1.*doct.* 20. [2] *Ibid. c.* 19.
[3] *d.*28.*fin.*

diligo, volo eum diligi ab omni, qui poteſt eum diligere ordinate. Ideo dicebat, *non plus movet bonitas proximi, quam feſtuca, ſi feſtuca poſſet. Deum diligere*; ergo nulla ratio nos movere debet ad charitatem erga creaturam ullam, niſi in quantum poteſt Deum diligere amore, qui ei placeat; ergo non debemus diligere damnatos, qui non poſſunt ita Deum diligere.

Prob.2. ex Scriptura, quæ monet, ut renuntiemus omni ſocietati cum dæmonibus, & damnatis; ſed charitas non eſt ſine ſocietate; ergo cum eis nulla eſt unio charitatis habenda. Prob. mai. Iſaias dicit: [1] *Delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit*. Et S. Petrus monet, *ut reſiſtamus diabolo, fortes in fide*. Et S. Jacobus, [2] *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis*. Et S. Joannes, [3] *Satanas, qui ſeducit univerſum orbem*. Denique *in inferno nulla eſt redemptio*: & ſunt de objecto æterni odii Dei; ergo & noſtri.

Objic.1. con. 1. p. ſi Angeli, & beati poſſent ex charitate diligi, poſſent dici amici noſtri, & nos illorum; nam charitas eſt amicitia, & mutua; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. min. charitas eſt inter pares; ſed nulla eſt paritas inter nos, & Angelos; ergo nec charitas.

Reſp.neg. min. utramque; nam inter nos, & Angelos, ac beatos eſt paritas ipſius charitatis, & gratiæ ſanctificantis, & prædeſtinationis, & finis, & gloriæ; & hæc plus quam ſufficiunt ad charitatem, & amicitiam.

Inſt.ſi hæc ſufficerent pro Angelis, & beatis, ſufficerent etiam pro damnatis, & dæmonibus; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. nam dæmones, & damnati ſunt ejuſdem naturæ cum Angelis, & beatis; ergo &c.

Reſp.neg.maj. & conſ.prob. nam adeſt aliud impedimentum, quia damnati ſunt incapaces gratiæ, & gloriæ, & inimici Deo, ut diximus.

Objic. 2. ſi Angeli, & beati eſſent de objecto charitatis, daretur præceptum eos amandi; ſed hoc falſum eſt; ergo & illud. Prob.min. communia præcepta charitatis reſpiciunt viatores; ergo &c.

Reſp.

[1] *2. Pe. 5.* [2] *Jac. 4.* [3] *Apoc. 4.*

Reſp. diſt. min. præceptum explicitum, & formale, con. implicitum, & virtuale, neg. min. nam præcepto charitatis jubemur, ſaltem virtualiter, & implicite, diligere omne diligibile eo modo, quo eſt diligibile propter Deum, & tam Angeli, quam Beati nos amant ex charitate: hæc ſola ratio ſufficeret ad obligationem hanc nobis imponendam, ex juſtitia enim debemus amantes redamare.

Objic. 3. Angelis, & Beatis non poſſumus prodeſſe; ergo fruſtra eſt amor noſter in eos. Prob. ant. nulla re egent, alioqui non eſſent beati; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. prodeſſe quoad intrinſeca, & ſubſtantialia felicitatis, con. quoad extrinſeca, & accidentalia, neg. ant. gaudium facimus Angelis, quando *pœnitentiam agimus*, & alia bona opera; poſſumus diligere Deum pro gloria illis collata, prædicare gloriam, & virtutes eorum, benefacere devotis, & ſervis illorum &c. Hæc, & ſimilia nihil intrinſecum, & eſſentiale conferunt illorum felicitati, ſed tamen de illo noſtro affectu lætantur, & moventur ad intercedendum pro nobis.

Objic. 1. con. 2. p. peccatores ſunt odibiles Deo; ergo & nobis, non autem amabiles ex charitate: Ant. patet ex Script. [1] *odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Et David dicit, *facientes prævaricationes odivi*. Et, *perfecto odio oderam illos* &c. ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & prob. ejus; odibiles ratione peccati formaliter, & reduplicative, con. materialiter, & ſpecificative, neg. ant. ſunt igitur odibiles ſecundum impietatem, *odivi eorum malitiam*, inquit Lyranus; ſed ſecundum humanitatem, & ob alia motiva, ſunt diligendi, ut dicebamus ex Auguſtino.

Inſt. homo juſtus poteſt optare vindictam de peccatore. [2] *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris*: ergo peccator non eſt obiectum charitatis.

Reſp. neg. conſ. nam hæc vindicta poteſt optari ex charitate, ſcilicet ex amore iuſtitiæ, & ſalutis ſpiritualis ejus diſpendio corporis. Nam juſtus, [3] *quando videt pœnam peccatoris, proficit ipſe, & mors alterius valet ad vitam alterius*, ait Auguſtinus, ſcili-

[1] *Sap.* 14. [2] *Pſalm.* 57.
[3] *Pſalm.* 87.

ſcilicet juſtus inde proficit ad propriam emendationem.

Objic. 1. con. 3. p. inimici noſtri ſunt de objecto charitatis; ergo & dæmones, quia eos non odimus, niſi ut inimicos, & non ſunt pejores peccatoribus.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus, quia peccatores ſunt corrigibiles, non vero dæmones, & iſtos odimus, quia ſunt odibiles Deo ſine remiſſione.

Inſt. dæmones, & damnati ſunt de objecto charitatis Dei; ergo & noſtræ. Prob. ant. Deus conſervat eis eſſe naturale, & punit citra condignum.

Reſp. neg. conſ. quia charitas Dei non ſumit motivum ex parte creaturæ, ſed ex bonitate infinita ſua, non ita eſt de nobis.

Objic. 3. dæmones, & damnati communicant nobiſcum in natura, & aliis bonis naturæ, &, ſi Deus vellet, poſſent reſurgere ad ſimiles gratias; ergo ſunt diligibiles aliqua charitate.

Reſp. diſt. conſ. aliqua charitate naturali, con. ſupernaturali, neg conſ. nam agimus de iſta, cujus illi non ſunt capaces ex vi præſentis decreti divini.

CONCLUSIO III.

Creaturæ irrationales non ſunt de objecto charitatis, niſi indirecte, & remotiſſime. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. *Licet inanimata non ſint diligibilia ex charitate, quæ amicitia eſt, & ad ipſa non eſt amicitia proprie habenda; poteſt tamen ad ipſa haberi aliquod velle ex charitate, quale ſcilicet habendum eſt ad ea. Poſſum ex charitate velle arborem eſſe, & arborem mihi ſervire ad talem actum, prout talis actus juvat me ulterius ad diligendum Deum in ſe*; habes ergo totam concluſionem.

Prob. 1. p. 2. quia charitas habet rationem amicitiæ; ſed creaturæ irrationales non ſunt capaces amicitiæ; ergo nec objecta charitatis. Prob. min. *in quibus nulla eſt ſocietas imparenti, vel parenti, nec amicitia eſt*, ait Philoſ.

Confir. ex defectu alterius conditionis amicitiæ, quæ eſt inæqualitas eſſentialis, & incompenſabilis inter hominem, & bovem, vel arborem: item & alterius, quia illæ creaturæ non poſſunt communicare

cum

cum homine in bonis gratiæ, & gloriæ, nec diligere Deum, nec ab eo diligi in ordine ad illa bona, niſi indirectè, ſcilicet ut ſerviant homini, quem diligit in illum finem ſupernaturalem.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto cit. quia illæ juvant hominem ad amorem Dei, qui eas fecit in eum finem, ut ſcilicet per eas excitetur ad amorem creatoris, & benefactoris, & ad laudandum illum, iuxta illud, *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. Et, *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ poterit creator horum videri*.

Prob. 2. homo poteſt amare illas creaturas ex illo motivo, & in eum finem, ob quem à Deo diliguntur, & factæ ſunt; ſed diliguntur, & factæ ſunt, ut ſerviant homini, & excitent eum ad amorem Dei; ergo &c. Prob. min. [1] *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Item Deus *diligit omnia, quæ ſunt* &c. Et omnia ſubdidit hominis dominio, & uſui. *Dominamini piſcibus maris*, &c.

Objic. 1. tam Deus poteſt amare creaturas irrationales, quàm ipſum hominem; ergo tam ſunt de objecto charitatis. Prob. ant. *diligit omnia, quæ ſunt*.

Reſp. diſt. ant. diverſo modo, & fine, con. eodem modo, & fine, neg. ant. & conſ. Deus non poteſt amare creaturas in ordine ad gratiam, & gloriam, ſaltem directè, & immediatè, ſicut diligit hominem; nec illæ poſſunt illum redamare.

Inſt. participant de ente divino, & Dei potentia, ſapientia, & bonitas in eis relucent, æquè, ac in homine; ergo & charitas.

Reſp. diſt. conſ. eodem modo, charitas indirectè, ac remotè, con. directè, & proximè, ſeu immediatè, neg. ant. ſunt enim remotiores à fine talis amoris, qui ultimatè ad ipſum terminatur; juxta illud Apoſtoli, *omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*; ſcilicet in plantis, & beſtiis diligimus nos ipſos propter Deum, & Deum ipſum tam in illis, quam in nobis; illas amamus amore concupiſcentiæ, non charitatis propriæ.

CON-

[1] *Gen.* 2. *ſap.* 11.

CONCLUSIO IV.

Homo ſecundum animam, & corpus eſt objectum materiale ſuæ propriæ charitatis, ſeu poteſt amare ſeipſum ex charitate. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Igitur immediatè poſt Deum homo tenetur ſe diligere ex charitate*.

Prob. 2. nam homo jubetur [2] *diligere proximum, ſicut ſeipſum*; ergo & jubetur ſe diligere, ut amor iſte ſit menſura amoris in proximum.

Confir. ex Patribus. nam inquit Auguſt. [3] *quatuor ſunt diligenda: unum, quod ſupra nos eſt, alterum, quod nos ſumus: 3. quod juxta nos: & 4. quod infra nos eſt*, ſcilicet corpus. *De 2. & 4. nullum præceptum dandum erat, quoniam præcepto non eſt opus, ut ſe quiſquam, & corpus ſuum diligat, quia id, quod nos ſumus, & quod infra nos eſt, ad nos pertinet, & inconcuſſa lege naturæ diligimus*.

Prob. 3. quia propria cujuſcumque perſona eſt capax dilectionis activæ, & paſſivæ Dei; ergo eſt de objecto charitatis Dei; ergo & noſtræ.

Dixi [*ſecundum animam, & corpus*] de anima nullus dubitat, nam pro illa facit ratio prædicta. De corpore vero conſtat; nam inquit Apoſt. [4] *viri diligere debent uxores ſuas, ut corpora ſua... nemo enim carnem ſuam odio habet, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*.

Prob. 2. nam corpus eſt altera pars hominis, & illud in proximo diligimus ex charitate; ergo & in nobis; nam amor noſtri eſt regula, & menſura charitatis in proximum.

Confir. nam ſi corpus, ut decet, ſubjiciatur ſpiritui, cooperatur ſuo modo meritis noſtris, quibus ſervimus Deo, & diligimus eum; ergo in corpore eſt diligibilitas charitatis.

Obiic. 1. amicitia eſt ad alterum; ſed charitas eſt amicitia; ergo charitas non eſt ad ſeipſum. Maj. prob. ex S. Gregor. [5] *Charitas minùs, quàm inter duos eſſe non poteſt*; ergo &c.

Reſp.

[1] 3. *d*. 29. *A*. 2. [2] *Matth*. 22.
[3] 1. *doct. chr*. 23. & 26. [4] *Epheſ*. 5.
[5] *hom*. 17.

Reſp.diſt.maj.charitas, & amicitia humana,& communis: con.divina, ſpecialis, & ſupernaturalis: neg. maj. & ant.prob. ut coſtat ex cit. præcepto divino, quo jubetur homo diligere proximum, ſicut ſeipſum; ergo ſi non poteſt amare ſeipſum ex charitate, ita nec proximum deberet amare.

Inſt. amicitia, & charitas debet eſſe reciproca; ſed illa reciprocatio debet eſſe ab altero, & non poteſt eſſe à ſeipſo: ergo nec ad ſeipſum, nequidem inter animam, & corpus, nam iſtud non redamat illam.

Reſp. neg. min. nam in homine ſunt aliqua duo, anima, & corpus: illa diligit corpus ſuum, & iſtud animam, cum qua concurrit ad amorem Dei, & ſui, quamdiù ſunt ſimul.

Objic.2. Scriptura reprobat amorem proprium, & concupiſcentiæ; ergo ille amor ſui non eſt ex charitate. Prob.ant. nam Apoſtolus vocat *tempora periculoſa, in quibus erunt homines ſeipſos amantes*, & ex illo amore dicit naſcitura eſſe vitia omnia.

Reſp. diſt ant. amor proprius inordinatus, con. ordinatus, qualis præcipitur ex charitate, neg. ant. & conſ. prob. nam Apoſtolus loquitur de amore inordinato, quo ſe aliquis plus amat, quàm Deum, & non in Deo, nec propter Deum, ſed amore ſenſibilium.

Objic.3. ex Scoto. Objectum charitatis debet eſſe diligibile à Deo, dilectivum Dei, ſeu debet eſſe capax amoris tam activi, quam paſſivi Dei; ſed neutrum dici poteſt de corpore; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam corpus cum anima diligit Deum, & ipſum diligitur a Deo, qui plurima illi confert bona etiam in Cœlo, ut ſunt dotes gloriæ ſaltem ratione animæ.

CONCLUSIO V.

O*Bjectum formale charitatis erga proximum eſt eadem bonitas divina, quæ eſt objectum formale charitatis in Deum.* Ita Scotiſtæ, & alii.

Prob. 1. ex Scoto [1] negante, quòd in Deo, & proximo ſit alia, & alia ratio formalis bonitatis; nam

ratio

[1] d.28.G.8.

ratio bonitatis proximi non eſt ratio terminandi actum (charitatis) *ſed tantùm ratio bonitatis divinæ*; &c. ergo ratio formalis, ſub qua charitas reſpicit hominem, eſt ipſa bonitas, qua reſpicit Deum.

Prob.2. ex Script. cit. qua eodem præcepto præcipitur charitas in Deum, & proximum; ergo eadem eſt charitas, qua uterque amatur; ergo & idem objectum formale, ſeu eadem ratio amandi utrumque, alioqui non eſſet eadem charitas, nequidem ſpecie, nam habitus ſpecificantur ab objectis formalibus.

Confir. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. *non alia charitate diligit proximum, qua diligit Deum*. Et Gregor. *ex qua una* (charitate) *multæ virtutes generantur, ſicut ex una radice multi arboris rami prodeunt*. Et Beda, *Una charitas; quia non alia charitate diligimus Deum, & proximum*; ergo idem eſt objectum formale, & ratio utrumque diligendi.

Prob.3. quia charitas in proximum eſt virtus Theologica; ergo habet pro objecto aliquid divinum, à quo dici debet divina, ſeu Theologica.

Confir. nam ſi directa, & formalis ratio amandi Petrum eſſet ſanctitas ejus creata, v.g. Deus, non ingrederetur illud objectum niſi valdè remotè, & indirectè; ergo ille amor non eſſet directè Theologicus. Loquor de habitu infuſo, quem de facto agnoſcimus, non autem de poſſibili. Poſſet enim dari habitus charitatis, qui terminaretur ad bonitatem creatam, & participatam hominis, ſed ille non eſſet purè Theologicus, qualis eſt iſte, de quo agimus, & qui terminatur ad Deum, propter quem proximum diligimus.

Objic.1. In amore proximi bonitas ejus creata eſt objectum purè materiale, ita ut nihil aliud me moveat ad illum amandum, vel eſt ratio amandi, ſaltem partialis cum bonitate increata, ſi nihil moveat; ergo non reſpicio illam, ut bonum honeſtum, ſed purè utile, ſi moveat ſaltem partialiter; ergo ille actus ſpectat ad duos habitus, & charitates ſpecie diverſas, quarum una eſt theologica, alia moralis; ſed utrumque conſequens eſt falſum; ergo & quòd bonitas divina ſit objectum formale charitatis in proximum.

Reſp. bonitatem creatam hominis habere rationem

mo-

motivi partialis minùs principalis, & ſubordinati ad motivum principale, ſc. ad bonitatem divinam, quæ directè intenditur, & ad quam bonitas illa creata ordinatur, ut ejus participatio, & finis. Hoc poſito, neg. ſubſumptum, in hoc enim nullum eſt inconveniens, nec falſitas.

Inſt. amor, quo amatur, & intenditur ſola bonitas increata, ſeu divina, ab illa ſola ſpecificatur; ille vero, qui reſpicit partialiter bonitatem creatam Petri, ſpecificatur etiam partialiter ab iſta; ergo iſti actus ſpecie differunt; ergo ſunt a diverſis habitibus. Probat. conſ. nam primus ille amor ſpecificatur adæquatè à bonitate increata, & 2. inadæquate tantùm, & partialiter à bonitate creata; ſed hoc ſufficit ad diſtinctionem ſpecificam; ergo &c.

Reſp. diſt.conſ. ſpecie differunt imperfecta differentia, con.perfecta differentia, neg.conſeq.& min.prob. nam ille reſpectus hujus amoris ad bonitatem creatam, ut ſubordinatam, & relatam ad increatam, facit quidem aliquantulam differentiam inter amorem Dei, & proximi, ſed non pefectam, quia hæc petitur ab objecto formali principali, qualis eſt bonitas increata. Idem dicitur ad min.nam illa partialis dependentia amoris à bonitate minùs principali, & ſubordinata non ſufficit ad perfectā differentiā ſpecificam.

Inſt. 2. amor miſericordiæ ex motivo bonitatis ejus intrinſecæ ſpecificat illam intra ſpeciem miſericordię; & amor ejuſdem ex motivo bonitatis ejus, extrinſecæ, v.g. pęnitentiæ, ſpecificatur accidentaliter ab iſta, & quoad hoc pertinet ad pęnitentiam; ergo ita eſt in amore Petri ob bonitatem divinam, quæ eſt illi extrinſeca, & ob propriā ejus bonitatē creatā, quæ eſt illi intrinſeca, & ſic ille primus amor eſt Theologicus, & iſte ſecundus ſpectat ad charitatē moralem; ergo ab objecto licet partiali extrinſeco ſpecificatur actus, ſaltem accidentaliter.

Reſp. neg. conſ. & paritatem; nam miſericordia, & pœnitentia (idem eſt de aliis virtutibus moralibus) habent ſuas honeſtates diſparatas, & independentes ab invicem; non ita eſt de bonitatibus divina, & humana, quæ reſpiciuntur à charitate; humana ſubordinatur divinæ, & ideò ab iſta ſpecificatur principaliter charitas, & dicitur Theologica.

Obj

Objic. 2. talis debet eſſe amor charitatis in proximum, ut ſit amicitia; ſed non erit amicitia, ſi bonitas Dei ſit principale motivum, & ſpecificativum amoris in proximum; ergo non eſt, ſed ſola bonitas creata proximi. Prob. min. nam ratio amicitiæ eſſentialiter requirit, ut amicus ametur propter ſeipſum; ſed ſi bonitas Dei eſſet objectum formale principale charitatis proximi, iſte non amaretur propter ſeipſum, ſed propter Deum; ergo ille amor non eſſet amicitia.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. maj. 2. ut ametur propter ſeipſum ſaltem partialiter, & eo modo, quo eſt amabilis, con. propter ſeipſum abſolute, & ultimate, neg. maj. nam homo non eſt ita amabilis per charitatem Theologicam, ſed principaliter, & ultimate propter Deum.

Objic. 3. proximus poteſt amari ex charitate naturali propter bonitatem ſuam propriam ſine ordine ad Deum; ergo & ex charitate ſupernaturali.

Reſp. neg. conſ. nam charitas ſupernaturalis iſta inclinat ad amandum hominem, prout eſt amabilis per virtutem Theologicam, quæ non erit talis, ſi non reſpiciat principaliter Deum.

Dico, *charitas iſta*, qualis de facto datur; nam poſſet dari alia, quæ aliter inclinaret, ſed de illa poſſibili non loquimur, ut jam monui.

QUÆSTIO IV.

An charitas ſit forma aliarum virtutum, ita ut ſine charitate nulla ſit vera virtus.

JAm diximus virtutes Theologicas diſtingui realiter, tum inter ſe, tum a virtutibus moralibus, & eſſe in hominibus ſeparabiles, non autem neceſſario connexas, & hoc ſufficere deberet ad deciſionem hujus quæſtionis, ſed tamen non erit inutile id ſpecialius examinare, quia plures moderni viſi ſunt velle omnes virtutes contineri in una charitate, inter quos videtur fuiſſe Michael Bajus, qui propterea docuit, quod *virtutes philoſophorum ſunt vitia*; & quod *omnia infidelium opera ſunt peccata*: quia ſunt ſine charitate.

Por-

Porro ſingulæ virtutes poſſunt conſiderari præciſe ſecundum ſe ratione honeſtatis objecti ſui, quatenus convenit rationi rectæ, vel quatenus conducunt ad conſecutionem ultimi finis per modum diſpoſitionis, & meriti: & ſic quæritur, an ſit aliqua vera virtus, quæ non agat ex fine charitatis

Nemo dubitat charitatem eſſe perfectiſſimam virtutum etiam Theologicarum, de quibus dicit Apoſtolus, *major horum eſt charitas*. Sic enim oſtendit, eam præclara illa, quæ verſantur in mente, antecellere, ait Theodoret. Præcellentia autem charitatis petitur a continentia fidei, & ſpei, in quibus fundatur, & quas ſupponit. 2. Ex perpetuitate; nam fides, & ſpes evacuantur, & non intrant in Cœlum: *Charitas autem nunquam excidit*. 3. Ex effectibus, quia nos perfecte unit cum Deo, *eſt vinculum perfectionis*, &, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*.

Reſtat videndum, an ita ſupereemineat omnibus, ut ſit forma omnium, nec ſine illa mereantur nomen virtutum, aut ſaltem non faciant hominem bonum nequidem naturali bonitate? Nam de ſupernaturali; certum eſt neminem eſſe ſic bonum, & Deo gratum ſine hac charitate.

CONCLUSIO.

O*Mnes, & ſingulæ virtutes ſunt vere, & proprie virtutes independenter a charitate*. Seu, *charitas non eſt forma intrinſeca aliarum virtutum, ſed tantum extrinſeca, quatenus ſine charitate non ſanctificant habentem, nec ſunt meritoriæ*.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, ſicut prius dictum eſt, virtutes morales non requirere Theologicas ad hoc, ut ipſæ morales ſint perfectæ in ſpecie ſua; licet non ſint perfectæ perfectione ulteriori quam poſſint habere*, &c. ſc. perfectione ſupernaturali, & meritoria, quam participant ex charitate. *Dici poteſt prius de virtutibus moralibus quod in ſpecie ſua poſſunt eſſe perfectæ; in quantum ſc. ſunt principia ſuorum actuum reſpectu propriorum objectorum*.

Prob. 1. p. ex Script. ubi Angelus Epheſi laudatur de ſua patientia, & de odio in hæreticos; ſed arguitur

[1] 3.*d*.36.*G*.& *R*, 39.& 32.

tur, quod *charitatem ſuam primam reliquerit*, & ideo monetur,ut peniteat;ergo ſine charitate habentur veræ virtutes.

Confir.ex Concil. Trident. [1] in quo fides, ſpes, penitentia, & aliæ virtutes dicuntur diſponere peccatores ad gratiam juſtificantem, cum qua infunduntur habitus infuſi fidei,ſpei, & charitatis; ergo cenſet alias virtutes,& actus earum haberi ſine charitate,quia hæc non habetur niſi poſt illas.

Prob. 3. nam ſingulæ aliæ virtutes habent proprios ſuos actus circa propria objecta ſine charitate, & ſingula illa objecta ſuam propriam honeſtatem: v.g. infidelis,aut peccator habet actus juſtitiæ, miſericordiæ &c.Ut patet de Cornelio, & Samaritano; & aliis,qui non cenſebantur habere charitatem; ſicut nec Epiſcopus Pergami, qui laudatur de ſua fide, & invitatur ad pænitentiam: *Tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam .... pœnitentiam age*, &c.

Prob.4. ex dictis tr. de gratia,ubi retulimus damnationem propoſitionum Baii [2] de virtutibus philoſophorum, & peccatorum. Nam ex illa cenſura ſequitur philoſophos, & peccatores non habentes charitatem habuiſſe tamen veras virtutes. Quod ſequitur etiam ex damnatione iſtarum ejuſdem Baii. [3] *Omnis amor creaturæ rationalis eſt vitioſa cupiditas, qua mundus diligitur, & à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum ſanctum diffuſa Deus amatur*. Item & iſta, *non eſt vera obedientia legis, quæ fit ſine charitate*; ergo datur aliquis amor honeſtus, & vera obedientia ſine charitate.

Confir. iterum ex Concil. cit. [4] in quo definitur pœnitentiam elicitam ex timore pænæ *non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem*: ſed illa pœnitentia non eſt ex charitate; ergo charitas non eſt forma pœnitentiæ; ergo nec aliarum virtutum.

Prob.2. p.1.ex Script.[5] qua conſtat nullas virtutes acceptas eſſe Deo ad præmium vitæ æternæ ſine charitate; ergo in hoc ſenſu charitas eſt forma extrinſeca aliarum virtutum. Prob. ant.[6] *ſi linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeā, ſa-*

[1] *ſs.6.c:6.* [2] *propoſ. 26.* [3] *prop. 3.*
[4] *ſs. 14.* [5] *1.cor.13.* [6] *1.cor.6.*

factus ſum velut æs ſonans &c. ergo ſine charitate virtutes aliæ non proſunt ad ſalutem. Et eſt aliquo modo omnis virtus, quatenus *charitas patiens* &c. Et jubet, *omnia veſtra in charitate fiant*, ſc. omnia opera virtutum, *ſuper omnia hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*, &c.

Confir. ex PP. *firmamentum ſalutis eſt habere radicem charitatis* (inquit Auguſtin.) [1] *virtutem pietatis, non formam ſolam; bona forma, ſancta forma; ſed quid valet forma, ſi non habeat radicem?* Et alibi: *charitas eſt radix, & forma omnium virtutum, & omnium bonorum mater*. Et in hoc ſenſu dicitur, *plenitudo legis eſt charitas, & finis præcepti*, ſc. illius complementum, & ſumma perfectio. Et ut loquitur Gloſſa, *Charitas eſt fons omnium bonorum proprius, ſi ea deſit, fruſtra habentur cætera: ſi adſit, habentur omnia.* Et Hieron. *cunctarum virtutum mater eſt charitas;* ergo in hoc ſenſu charitas eſt forma omnium virtutum, ſed extrinſeca, quatenus non proſunt ad vitam æternam ſine illa, & cum illa, & cum illa ſunt meritoriæ ſalutis. vide tr. de merito.

Objic. 1. con. 1. p. loca Script. & patrum mox adducta pro 2. p. nam ex illis videtur nullam eſſe virtutem veram ſine charitate, & illam eſſe omnem virtutem.

Reſp. neg. conſ. nam hinc ſequitur ſolum, quod ſine charitate virtutes aliæ non habent valorem meriti condigni ad gratiam, & gloriam, non autem quod non habeant ſuam honeſtatem in ſua ſpecie, & ordine, etiam coram Deo, ut ab eo impetrent gratias actuales, ut legitur de Cornelio adhuc infideli, de quo dicitur, *orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*. Unde obtinuit miſſionem Angeli ad ſe &c. ait Auguſtin. *& eum intueri*.

Objic. 2. Virtus in tantum eſt talis, in quantum ordinat hominem ad ſuum finem: ſed hoc nulla virtus facit niſi per charitatem; ergo ſine illa nulla eſt virtus vera.

Prob. min. nam, ut dicebatur ex Scoto, ſine illa *non ſunt perfectæ perfectione ulteriori*, cujus ſunt capaces; ergo non attingunt finem.

[1] *tr. 2. 1. Jo. de gra. chr.*

Reſp. diſt. maj. finem ultimum; con. finem ſuum proprium intra genus, vel ſpeciem ſuam; neg. maj. nam ſingulæ habent objectum, & bonum honeſtum ut finem ſpecialem, quem attingunt, ſed non attingunt finem ultimum ultra illud bonum ſpeciale.

Objic. 3. Si charitas eſſet forma virtutum extrinſeca tantum, Scriptura, & Patres non ſic exaggerarent ejus neceſſitatem ad hoc, ut deleant; ergo eſt forma virtutum intrinſeca. Probat. ant. nam omnis ejus influentia in illas non diceretur niſi per denominationes extrinſecas, aut rationis; ſed hoc abſurdum eſt, & falſum; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & maj. prob. nam ſufficit intentioni Scripturæ, & Patrum, quod, ut opera omnium virtutum ſint meritoria, debeant imperari, aut dirigi a charitate, quæ quidem directio, & imperium ſunt extrinſeca eſſentiæ illarum, ſed tamen eſt verus, & moralis influxus, ex quo reſultant magnæ illæ laudes, quas tribuunt ei patres, & valor ingens illis operibus, qui dici poteſt illis moraliter intrinſecus in ratione meritorum; ſicut & ordinatio, & acceptatio divina in ordine ad meritum, & in hoc magna eſt laus charitatis, quod ex ea dignificantur opera illa; nec aliud volunt Scripturæ, & Patres, licet ſit actus Dei omnino extrinſecus tam charitati imperanti, quam illis virtutibus elicientibus.

Inſt. illa denominatio, & dignificatio in operibus virtutum nihil eſſet reale in illis, ſed rationis; ergo non ſufficeret ad valorem realem.

Reſp. diſt. ant. reale phyſicum, con. reale morale, neg. ant. & conſ. nam, ut dicebamus, pactum, & acceptatio divina, quæ diximus eſſe completiva operum in ratione meriti, nihil ſunt reale phyſicum in illis, & tamen elevant, & complent valorem eorum moralem. Sunt quidem aliquid rationis, prout opponitur enti phyſico, & reali exiſtenti a parte rei, & independenter ab intellectu, & voluntate; non autem prout ens rationis dicitur de re fictitia.

Poſſet hic quæri, an, & quomodo charitas diſtinguatur a gratia habituali; ſed hoc reſolutum habes in tr. de gratia.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An charitas ſit eadem in via, & in patria.

QUæſtio eſſe poteſt de charitate actuali, & habituali, imo majus dubium eſſe poteſt de actu, quam de habitu.

Et ratio dubitandi petitur præcipue ex differentia 1. luminum fidei, & gloriæ, per quæ attingitur Deus in via, & patria. 2. cognitionum; nam hic non cognoſcitur niſi obſcure, & abſtractive, ibi vero intuitive, & in ſplendore gloriæ. 3. ex parte habitus, vel actuum, qui in via ſunt imperfecti, & defectibiles, & in Cœlo conſummati, & indefectibiles per æternitatem.

CONCLUSIO.

CHaritas habitualis eſt ejuſdem ſpeciei in via, & in patria: non autem actualis. Eſt communis quod 1. p.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Charitas eſt principium tendendi in Deum, ut eſt bonum in ſe, ita quod actui, ut eſt ejus, accedat perfectio* (qualis eſt in patria,) *& imperfectio*, (qualis eſt in via) *ex præſentia, vel abſentia objecti. Sed ad actum perfectum inclinat ex præſentia objecti, & ad actum imperfectum ex abſentia*; ergo, ex Scoto, charitas habitualis eſt eadem in via, & patria. Et quoad 2. p. dicit [2] *probabilius, quod fruitio beata, & non beata differunt ſpecie, ſeipſis quidem formaliter, ſed a cauſis, vel habitudine cauſarum cauſaliter*, ſc. propter differentiam fidei, & viſionis, unde concludit amorem, ſeu fruitionem perfectiſſimam poſſibilem viatori non æquare fruitionem infimam beati: *quia ſupremum infimæ ſpeciei non poteſt æquare infimum ſuperioris ſpeciei*.

Prob. 2. ex Script. nam de habitu dicitur, [3] *charitas nunquam excidit*, id. inquit Theodoretus, *non movetur, aut labitur, ſed ſemper manet .... oſtendit ceſſare dona, manere autem ſolam charitatem*. Hoc non dicitur de actuali, quia certum eſt eam toties mutari, quoties ceſſatur ab actibus amoris Dei, nec de habi-

[1] 3.*d*.31.F.9. [2] 3.*d*.4.*q*.5.E.6. [3] 1.cor.13.

tuali in individuo, quia toties amittitur per peccatum mortale; ergo de habituali in ſpecie, quatenus ea, quæ habetur in morte, permanet poſt mortem in anima, & in Cœlo.

Confir. ex Patribus. Nam inquit Hieron. [1] charitas *ſola permanet in futuro*. Et Tertull. *merito nunquam excidet charitas, quia cætera evacuabuntur, conſummabuntur*. Et Auguſt. *fides, ſpes, charitas, omnia hæc neceſſaria* ſunt in hac vita, poſt hanc vitam ſola charitas; ergo &c.

Prob. 3. nam eadem amicitia proſequimur abſentem, & præſentem; ergo & eadem charitate amamus Deum abſentem in hac vita, & præſentem in alia, ſcil. utrobique per eumdem habitum, & ex eodem motivo, ſeu ex eodem objecto materiali, & formali, nec enim circumſtantiæ abſentiæ, & præſentiæ variant habitum.

Confir. nam lumina gloriæ, & fidei, quæ concurrunt ad actus charitatis viæ, & patriæ, ſe tenent ex parte intellectus, ſunt habitus intellectuales, & cauſant quidem diverſos ſpecie actus intellectus; ſed habitus charitatis eſt in voluntate; ergo differentia illorum in intellectu non variat in voluntate habitum.

Prob. 2. p. 1. quia amor patriæ venit ex cognitione intuitiva, & clariſſima Dei in ſe, & amor viæ ex cognitione obſcura, & abſtractiva; ſed illa diverſitas cognitionum in intellectu ſufficit ad diverſitatem actuum voluntatis; ergo &c. Prob. min. nam voluntas amat objectum, qualiter ſibi præſentatur ab intellectu, ita ut actus ejus ſpecificetur non tantum ex objectis terminativis, & motivis, ſed etiam ex mediis, & modis, quibus objecta repræſentantur; ſed cognitiones, ſeu repræſentationes Dei in via, & in patria ſunt diverſæ ſpeciei; ergo & amores.

Prob. 2. cognitiones, quæ applicant voluntati diverſa objecta materialia, vel formalia, cauſant diverſos affectus: ſed fides, & viſio applicant voluntati Deum amandum ſub diverſa formalitate in via, & in patria; ergo &c. Prob. min. beati vident in Deo clare, & diſtincte multa attributa, & perfectiones, quas fides non oſtendit niſi obſcure, & confuſe: ſicut in animali repræſentantur confuſe ſpecies omnium animalium,

[1] *Ibid. de pat.* 12.

lium, & cognitiones diſtinctæ iſtarum ſpecierum inter ſe differunt, ſicut etiam affectus voluntatis circa ſingulas; ergo &c. Prob. min. nam ex intuitione fit, ut amor feratur in Deum in ſe immediate ob bonitatem increatam in ſeipſa cognitam, ex fide autem, ut feratur in eandem bonitatem cognitam in creaturis, & ex creaturis, & iſtæ non exhibent perfectiones ejus diſtincte; ergo &c.

Confirm. nam, ut dicebamus ex Scoto, perfectiſſimus amor perfectiſſimi viatoris non æquat imperfectiſſimum amorem infimi comprehenſoris; ergo & illi amores plus differunt, quam accidentaliter ſecundum magis, & minus. Conſ. patet; nam vel amor viatoris poſſet ita intendi, ut æquaret amorem infimum beati, vel amor beati poſſet ita remitti, ut non ſuperaret amorem intenſiſſimum viatoris, quod fieri non poteſt. Probatur ant. nam perfectiſſimus amor viatoris nunquam eo pertinget, ut excludat leviſſimum veniale, neque ut immobiliter uniat Deo, neque ut tantam æſtimationem divinæ bonitatis imprimat, quantam imprimit ejus viſio in ſplendore gloriæ, quæ eſt ſine comparatione altioris ordinis, quam quodvis lumen fidei, vel gratiæ actualis auxilium, quo juvatur voluntas in hac vita ad amorem Dei; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. ex Script. nunc tam charitas, quam fides, & ſpes manet; ergo & tam evacuabitur in patria. Prob. conſ. in patria evacuabitur, quod imperfectum eſt; ſed charitas viæ eſt tam imperfecta, quam fides, & ſpes; ergo &c. Maj. patet, nam fidei ſuccedet viſio, & ſpei poſſeſſio. Prob. min. nam charitas viæ non eſt ſine defectu, eſt enim remiſſa, & defectibilis, &c. ergo illi ſuccedet habitus perfectus, & indefectibilis.

Reſp. neg. conſ. & diſt. min. imperfecta accidentaliter, & ex abſentia objecti, con. eſſentialiter, & ex parte habitus, neg. min. 1. & 2. nam tota differentia venit, non ex habitu, qui eodem modo, quantum eſt ex ſe, inclinat voluntatem; ſed ex parte objecti, quod non eodem modo illi applicatur, nec eodem medio.

Objic. 2. Fides evacuatur in patria, quia illi ſuccedit novum lumen reſpectu intellectus; ſed idem eſt

de charitate reſpectu voluntatis; ergo &c. Prob. min. nam voluntati applicatur Deus immediate, & in ſe, ſicut intellectui; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam quoad habitum charitatis utrobique eodem modo inclinat, quantum eſt ex ſe, & tota differentia ſe tenet ex parte intellectus, & objecti.

Objic. 3. diverſitas ſpecifica actuum arguit diverſitatem habituum; ſed amores viæ, & patriæ differunt ſpecie; ergo & habitus charitatis.

Reſp. neg. maj. nec enim id ſemper verum eſt, maxime in cauſis partialibus: nam ad diverſitatem actuum ſufficit aliquando ſola diverſitas applicationis objecti ad potentiam: ignis a longe calefacit lignum, & prope comburit.

Inſt. diverſitas præſentiæ objecti, vel ſubjecti diverſificat actus; ergo & habitus. Prob. conſ. nam per iſtos actus diverſos frequentatos poſſunt generari ſimiles habitus; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. diverſificant habitus acquiſitos, & naturales, con. infuſos, & ſupernaturales, neg. ant. nam habitus infuſus charitatis habet ex ſe, quod inclinet voluntatem ad amandum Deum, quomodocumque applicetur, ſive per fidem, ſive per viſionem beatam.

Objic. 1. con. 2. p. ex Script. *charitas nunquam excidit*, ſc. quoad habitum; ergo nec quoad actum; ergo actualis eſt eadem ſpecie utrobique. Prob. conſeq. nam ab uno habitu ſpecies veniunt, & actus unius ſpeciei.

Reſp. neg. conſ. nam Apoſtolus loquitur de charitate habituali, vel de actuali generice, quatenus amor charitatis erit utrobique ſimilis quoad rationem genericam, quia ſic non dicit ullum defectum, ſicut fidei actus, qui ſunt obſcuri, & actus ſpei, qui non habent objectum præſens; non ita eſt de amore. Ant. prob. verum eſt de habitibus acquiſitis per actus, non de infuſis, qui non pendent a ſuis actibus, ſed ad eos concurrunt per modum potentiæ.

Inſtab. actus ſpecificantur ab objectis; ſed objecta materiale, & formale amoris ſunt eadem in terra, & in Cœlo; ergo & actus ſunt utrobique ejuſdem ſpeciei.

Reſp.

Reſp. diſt. maj. ſpecificantur inadæquate, & penes diverſitatem objectorum: con. adæquate, ita ut de eodem objecto actus ſint ſemper iidem ſpecie: neg. maj. & conſ. nam ad unitatem plura requiruntur, quam ad diſtinctionem; hæc venit a minimo defectu, illa excludit omnes, ideo in his amoribus ſufficit ad eorum diverſitatem differentia cognitionum, abſtractivæ ſc. quæ concurrit ad amorem viæ; & viſionis, quæ concurrit ad amorem patriæ.

Inſt. 2. Diverſitas applicationis non facit diverſitatem actuum; ſed diverſitas cognitionum nihil magis facit, quam diverſitas applicationum: nam applicat, & proponit objectum amandum: ergo ex diverſitate cognitionum viæ, & patriæ non recte infertur diverſitas amorum viæ, & patriæ.

Reſp. diſt. maj. diverſitas accidentalis, con. eſſentialis, & neceſſaria, neg. maj. & conſ. nam diverſitas illa cognitionum eſt eſſentialis amoribus viæ, & patriæ, ut patet ex dictis.

Quæres 1. *an illa unitas charitatis viæ, & patriæ ſit etiam numerica.*

Reſp. probabilius eſſe numericam. Nulla enim eſt ratio, cur gratia, & charitas, quam habet anima in inſtanti mortis, & quam ſervat in purgatorio, deſtrui debeat, ut alia ſimilis ſpeciei creetur in eodem ſubjecto. Aliud eſt, ſi in via, & patria non eſſet eadem ſpecie; nam ſic diſtingueretur etiam numero.

Quæres 2. *an aliquis actus viæ poſſit eſſe intenſior aliquo actu patriæ:* Seu, *an infimus beatorum ſemper habeat amorem intenſiorem, quam perfectiſſimus viatorum.*

Reſp. 1. in aliquibus viatoribus habitum, & actum charitatis poſſe eſſe intenſiorem, quam alicujus beati.

Ratio eſt, quia certum eſt, quod B. Virgo in via plus habuit gratiæ, & charitatis, quam perfectiſſimus hominum, aut Angelorum habeat in Cœlo; ſicut & plus habet gloriæ. Et ita eſt de aliquibus aliis ſanctis, quia aliqui habent intenſiorem gloriam aliis; ergo & in via intenſiorem habuerunt gratiam, & charitatem, nam intenſio gloriæ reſpondet intenſioni gratiæ.

Dico *intenſiorem*, nam quoad perfectionem eſſen-

tialem certum eſt amorem patriæ altioris eſſe ordinis amore viæ, etiam perfectiſſimo.

Reſp. 2. probabilius eſt, quod regulariter quilibet beatus, infra Dei matrem, habet intenſiorem charitatem, quam ullus viator.

Ratio eſt, quia beati habent clariorem, & perfectiorem cognitionem bonitatis Dei in Cœlo, quam perfectiſſimus viatorum; ergo & intenſiorem amorem, nam ex majori cognitione objecti creſcit amor ejuſdem.

Quæres 3. *an per actus ſupernaturales charitatis infuſæ acquiratur habitus naturalis charitatis facilitans ad ſimiles actus.*

Reſp. affirmative. Et hoc patet ex dictis de his virtutibus ab initio hujus tractatus, & de habitibus.

QUÆSTIO VI.

De ſubjecto charitatis immediato, quodnam illud ſit, & quomodo incipiat, & deſinat ibi eſſe.

DIxi *immediato*, & *quo*: Nam de ſubjecto *mediato*, & *quod* certum eſt eam eſſe in ſola creatura rationali, ſc. homine, & Angelo, & quidem juſto, aut beato, nec de hoc diſputatur, ſed quia diximus alias charitatem eſſe idem realiter cum gratia habituali, & aliqui putant iſtam immediate ſubjectari in eſsentia animæ, idem videtur dicendum de charitate; & ſicut nos, qui identificamus realiter gratiam, & charitatem, & illam ponimus in voluntate, idem tenemur dicere de iſta.

Ex hac occaſione quæremus, quomodo charitas incipiat, & deſinat ineſse: quamvis etiam id conſtare debeat ex ſimili quæſito de gratia: ideoque breviſſime hæc tangemus de charitate.

CONCLUSIO I.

C*Haritas habitualis immediate ſubjectatur in voluntate*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui dicit eam eſse *habitum appetitivum reſpectu Dei, ut eſt bonum honeſtum*. Et quod

[1] 3. *d*. 31. *F*. 7. & *d*. 23. *F*. *d*. 26. *A*. 2.

quod Deus *perficit voluntatem per charitatem, ſicut intellectum per fidem*. Et quod *eſt virtus affectiva perficiens voluntatem, in quantum habet affectionem juſtitiæ*.

Prob. 1. ex Script. & PP. ex quibus conſtat charitatem nobis dari ad diligendum Deum; ſed dilectio eſt in voluntate; ergo & habitus charitatis. Maj. patet ex innumeris ſcripturæ locis, quæ longum eſſet citare: ut cum dicitur, [1] *charitate perpetua dilexi te*. Et, (2) *charitate fraternitatis invicem diligentes*. Hinc

Prob. 3. habitus ponitur in potentia, in qua eſt actus ejus; ſed actus charitatis, ſc. dilectio; eſt in voluntate; ergo & charitas habitualis.

Objic. 1. charitas inclinat in actus omnium virtutum; ergo debet ſubjectari in omnibus potentiis, in quibus ſunt actus illi, vel ſaltem in ſubſtantia animæ. Prob. ant. ex Apoſt. (3) *charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia credit*, &c. ergo inclinat ad actus fidei, pœnitentiæ, & aliarum virtutum.

Reſp. neg. conſ. nam ſicut voluntas ut regina imperat aliis potentiis; ita charitas debet eſſe in voluntate, quam inclinat ad illa imperia.

Inſt. charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum S. ſed nomine cordis intelligitur anima; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam in Scriptura vox *cordis* tam ſignificat potentias, quam ſubſtantiam animæ; ſic dicitur, *cogitationes cordis*, & tunc ſignificat intellectum. Et cum dicitur, *deſideria cordis*, vel, *triſtitia implevit cor veſtrum*, &, *gaudebit cor veſtrum*, &, *compuncti corde*, &c. ſignificat voluntatem.

Objic. 2. ex philoſopho, *omnis virtus eſt in ratione*; ſed charitas eſt virtus, & ratio in intellectu; ergo & charitas.

Reſp. diſt. maj. in ratione directivè, & objective, con. ſubjective, & elicitive, & formaliter, neg. maj. & conſ. actus virtutum debent cognoſci, & dirigi per rationem, & prudentiam, quæ eſt in intellectu, ſed imperantur, & eliciuntur per voluntatem.

[1] *Jer.31.cant.5.* [2] *Ro.12.* [3] *1.cor.13.*

CONCLUSIO II.

Charitas habitualis infunditur a Deo gratis, & ab eodem aufertur effectivè; per nos autem intenditur, & remittitur, & perditur meritoriè, & demeritoriè. Hæc patent ex dictis de gratia habituali.

Dixi 1. *a Deo, juxta illud: charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum S.* &c.

Dixi 2. *gratis*. Quia prima gratia principium meriti non cadit ſub meritum propriè; ſed prima charitas habitualis eſt principium meriti; ergo non cadit ſub meritum, ſed gratis datur.

Dixi 3. *ab eodem aufertur effectivè*, ſeu per deſitionem conſervandi eam. Quia ab illo ſolo infunditur, ita & ab illo retrahitur, ut diximus de gratia.

Dixi 4. *per nos intenditur meritoriè, & remittitur, vel deperditur demeritoriè*, quia etiam quoad hæc eadem eſt ratio, ac de gratia, quæ ſic augetur, vel remittitur, vel perditur. Vide dicta ibi.

Quæres, *quænam, & quando charitas dicatur perfecta*.

Reſp. 1. aliquando dici perfectam ex magna intenſione graduali; ſic in Chriſto fuit perfectiſſima, & ſumma tam intenſivè, quam extenſivè; *plenus gratiæ, & veritatis, in eo ſunt theſauri omnes ſapientiæ* &c. Et in eo *habitat plenitudo divinitatis*. Sic in Maria Deipara, quæ *fuit gratia plena*, &c.

2. Dicitur *perfecta*, quando efficit, ut homo ſervet omnia mandata exactè, & conſilia Euangelica. *Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*. Et, *ſi diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt*. Et Chriſtus, *ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me*.

3. adhuc perfectior eſt in eo, qui non tantum ſervat mandata, & conſilia omnia; ſed etiam paſſiones ſic edomat, ut nunquam, vel rariſſime inſurgant, & trahant eum in peccatum. Talis eſt in illis, de quibus dicit Apoſtolus, [1] *qui Chriſti ſunt, carnem cruciſi-*

[1] *Jo.2. & 4.*

cifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Et ut loquitur S. Hieron. *caro noſtra, caro Chriſti eſt, quam crucifigimus mortificantes per eam ſuper terram fornicationem, immunditiam, paſſionem*, &c. Tales fuerunt plurimi ſancti.

4. Etiam perfecta eſt, & heroica, & quando per eam homo paratus eſt vitam exponere pro cauſa Dei; nam, inquiebat Chriſtus, [1] *majorem hac charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hoc autem beati Martyres ardenti dilectione fecerunt. Ipſi impleverunt charitatem, qua Dominus dixit non poſſe eſſe majorem*, inquit Auguſt. [2] *hæc eſt perfectio charitatis, & major omninò non poteſt inveniri*, ait idem. [3]

5. Eſſet etiam perfectiſſima, quando redderet hominem impeccabilem, paſſionum ſtimulis immunem, detinens eum in continua Dei contemplatione, & amore. Sed hæc rariſſima eſt, & vix alicui conceſſa, præter B. Virginem. Unde in Concilio Viennenſi inter errores Beguinorum damnatur iſte, *Homo in vita præſenti tantum, & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quòd reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit*.

Certe maxima fuit charitas in Paulo, & tamen fatetur rebellionem carnis ſe ſentire. [4] *Non quod volo, bonum hoc facio*. Et, [5] *datus eſt mihi ſtimulus carnis mea*, &c. Unde infert Auguſt. *ſi jam ſumma, & cui nihil eſſet addendum, charitas in Apoſtolo tunc fuiſſet, quæ omnino non poſſet inflari; nunquid neceſſarius fuiſſet Angelus ſatanæ, quo colaphizante reprimeretur elatio?* ergo vix reperitur in pura ulla creatura hujus vitæ illa charitatis perfectio.

Hinc notatur triplex ſtatus charitatis; *incipientium, proficientium, & perfectorum*. Sed hæc ad myſticos, & contemplativos, non ad ſcholaſticos.

[1] *Jo.*23. [2] *tr.*5.*Jo.* [3] *tr.*6.*Ep.Jo.*
[4] *Ro.*7. [5] 2.*Cor.*12.

DISPUTATIO XI.

De præcepto, & actibus charitatis.

DE natura, & exiſtentia charitatis ſufficienter diximus. Jam reſtant aliqua de illius neceſſitate, & præceptis, & actibus.

QUÆSTIO I.

De neceſſitate, & præcepto charitatis: an, & quando obliget in hac vita.

DE neceſſitate medii jam diximus ab initio hujus tractatus, & in tract. de gratia, quia, cum charitas, & gratia habitualis ſint eadem realiter entitas, eodem modo utraque eſt neceſſaria. Igitur hic agimus de neceſſitate præcepti, quæ propriè pertinet ad actualem; nam habitualis pendet a Deo gratis illam dante, & ideo non videtur directe cadere ſub præceptum. Dico, *directè*. Nam omnis adultus tenetur eam ſibi procurare per ſacramenta, & alia media, quæ vel ex natura rei, vel ex ordinatione divina neceſſaria ſunt ad eam obtinendam.

Certum igitur eſt, & de fide, charitatem habitualem eſſe neceſſariam ad ſalutem omnibus, etiam pueris: dicitur enim expreſſa in veſte nuptiali, cujus defectu ille conviva expulſus eſt de cœnaculo nuptiali, & miſſus in tenebras exteriores.

2. Certum eſt, dari aliquod præceptum de charitate, ſeu dilectione Dei, & proximi, tum ex veteri, tum ex novo teſtamento. *Diliges Dominum Deum tuum.... hoc eſt maximum, & primum mandatum, ſecundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, ajebat Chriſtus. [1] Et in Deuteronomio, (2) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c.

3. Certum eſt, quod actualis charitas eſt etiam neceſſaria neceſſitate medii pro adultis, qui debent juſtificari extra ſacramenta; nam in tali caſu non poſſunt conſequi gratiam ſine actu elicito

charis-

[1] *Matth.22.* [2] *Deuter.6.*

charitatis ſupernaturalis, vel ſine contritione perfecta, quæ ſaltem imperetur a charitate, ſeu amore Dei ſuper omnia. Ratio eſt, quia ſine tali actu nullus peccator poteſt reconciliari Deo, ut patet ex dictis alias, & dicetur adhuc, ubi de pœnitentia. Talis erat neceſſitas hujus charitatis ante inſtituta ſacramenta cauſativa primæ gratiæ, ex opere operato, & cum ſola attritione, ut ſunt Baptiſmus,& Pœnitentia.

Fuerunt tamen aliqui putantes præceptum dilectionis Dei impleri per obſervantiam aliorum mandatorum, abſque ullo actu formali amoris Dei.

Quæritur deinde, quomodo ſit diligendus, & quo tempore ſit habendus ille amor; tum videbimus, qualis ille debeat eſſe, & quid ſit diligere Deum ſuper omnia.

CONCLUSIO I.

EX *præcepto poſitivo tenetur omnis adultus aliquando ad actus aliquos internos amoris Dei, ſeu charitatis*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. Dico, quod illud præceptum affirmativum Deuter. 6. & Matth. 22. *Diliges Dominum Deum* &c. *non tantum obligat ſemper ad fugiendum oppoſitum, ne ſcilicet inſit actus odii, ſed obligat pro aliquando ad actum elicitum* &c.

Prob. 2. ex illiſmet textibus Scripturæ; nam hæc dilectio fruſtra ſic poſitive præciperetur, niſi aliquando explicite, & formaliter habenda eſſet; ſed dici non poteſt, quod fruſtra præcipiatur; ergo dici debet, quod aliquando ille actus habendus eſt, & quod non ſufficit ad illius præcepti impletionem, ut alia mandata obſerventur.

Prob. maj. nam ſi hoc eſſet, ſufficeret præcipere formaliter alia, omiſſo hoc primo, quandoquidem per obſervantiam illorum ſatisfieret iſti.

Confirm. nam præceptum dilectionis Dei eſt finis aliorum, & iſte eſt amor circa finem; quippe *finis præcepti eſt charitas de corde puro*; ſed finis debet eſſe aliquando volitus, ut media eligantur, & amentur, propter illum, quia volitio finis eſt cauſa volitionis mediorum; ergo ut aliqua amentur propter Deum, v. g. alia mandata, ipſe Deus debet aliquando actua-

liter

liter amari: quomodo enim iſte amor influeret in amorem proximi, niſi aliquando exiſteret?

Prob. 3. ex Patribus. Nam ſicut datur præceptum fidei, & ſpei, ita & charitatis. *Præcedit fides; timor ædificat; perficit dilectio*, ait Clem. Alex. Et Hieron. [1] *Omne mandatum recapitulatur in eo, quod dictum eſt, diliges proximum tanquam te... Manifeſtum eſt operationem fidei per charitatem plenitudinem mandatorum omnium continere*. Et Auguſt. [2] *Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planeque Euangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.. ubi hæc fidelis charitas operatur, ſine dubio bene vivitur; plenitudo enim legis charitas* &c. ergo &c.

Prob. 4. non minùs neceſſarius eſt affectus erga Dei bonitatem per amorem, quàm aſſenſus circa ejus veritatem per fidem; ſed datur præceptum fidei actualis circa Dei veritatem; ergo & charitatis actualis circa ejus bonitatem.

Confir. ex cenſura hujus propoſitionis, *præceptum amoris Dei, & proximi non eſt ſpeciale, ſed generale, cui per aliorum mandatorum impletionem ſatisfit*. Hanc damnavit Academia Pariſienſis anno 1665. in Guimenio. Et cenſuram confirmarunt SS. Pontifices Alexander VII. eodem anno, & Innoc. XI. 1679. & patebit ex dicendis infra, ſcilicet quod pluries in hac vita tenemur actus charitatis in Deum elicere.

Objic. 1. ex Script. dilectio Dei conſiſtit in obſervantia mandatorum; ergo ipſa non eſt in ſe, nec aliter de præcepto, quam ad illam obſervantiam. Prob. ant. nam tota lex in eo conſiſtit, quod diligamus Deum, & proximum: & ipſe Chriſtus dixit, [3] *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me*. Et Paulus: (4) *plenitudo legis eſt dilectio*; ergo qui totam legem implet, habet dilectionem, nec aliud præcipitur.

Reſp. neg. conſ. imo contrarium ſequitur ex illis, & ſimilibus textibus; nam eò tendunt, ut doceant quod tota lex, & omnia præcepta eò tendunt, ut Deus, & proximus diligatur, & qui eò pervenit, ut per-

[1] *ad Gal.* 5.
[2] *de fi. & oper.* 14.
[3] *Joan.* 14. [4] *Rom.* 14.

perveniendum eſt, attingit finem, & culmen perfectionis, ſed ſi alia ſerventur, & non iſtud, nihil fit, non habetur finis intentus per legem.

Objic. 2. nullibi legitur præceptum de hoc actu; ergo amor Dei explicitus non eſt de præcepto aliquo ſpeciali, ſed in aliis continetur. Prob. ant. nam deberet legi in decalogo; ſed ibi non legitur; ergo nullibi.

Reſp.neg. ant. & min. prob. nam ſufficienter in eo continetur, ibi ipſum agnoſcit Chriſtus cum interrogatus de magno mandato in lege reſpondet, *diliges Dominum* &c. Et addit, *hoc eſt primum, & maximum mandatum*.

Reſp. 2.neg. maî. nam ſufficeret, quod toties legatur in lege veteri, & Euangelica, ut probatum eſt.

Objic.3. ex Patribus; nam inquit Bernardus; non præcipitur charitas in affectu, ſed in effectu, ideſt in operibus; ſed actus amoris conſiſtit in affectu; ergo non præcipitur. Prob. maj. nam ſic loquitur, (1) *eſt charitas in actu, eſt in affectu, & de illa quidem, quæ operis eſt, puto datam legem hominibus, mandatumque formatum: nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur?* ergo Bernardus non putat dari præcepta de amore Dei, ſed de aliis operibus.

Reſp.neg.maj. & conſ. prob. non enim abſolute negat dari præceptum de actu, & affectu in Deum, ſed de perfectiſſimo, ſeu ſummo affectu, qualem meretur Deus.

Objic.4. Deus impoſſibilia non jubet; ſed ille amor Dei eſt impoſſibilis; ergo non jubetur. Prob. min. amor ille debet eſſe Dei ſuper omnia dilecti, & ex toto corde, & totis viribus; ſed talis eſt impoſſibilis homini viatori; nam natura noſtra infirma eſt, & corrupta; ergo &c.

Reſp. neg. 1. & 2.min. quarum falſitas patebit infra, cum de illo amore dicemus.

CONCLUSIO II.

D*Eus ex præcepto charitatis diligendus eſt ſuper omnia ſaltem appretiative*. Eſt etiam communis.

Prob.1. ex Scoto. (2) *Dico illud* (ſuper omnia) *poteſt*

[1] *Ser.50.cant.* [2] *Ibid.K.*

eſt intelligi extenſive, puto, quod plus diligat Deum, quam alia omnia, & citius vellet alia omnia non eſſe, quam Deum non eſſe, & intenſive, puta ex majori affectu vult Deo bene eſſe, quam ulli alteri. De 1. membro conceditur communiter, quod nihil aliud a Deo, nec omnia ſunt æque appretianda, ſicut Deus; ergo convenit de amore appretiativo.

Prob.2.ex Script.nam inquit Chriſtus Dominus:(1) *qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*. Imo,[2] *ſi quis venit ad me, & non odit patrē, & matrem... adhuc autem & animā ſuā, non poteſt eſſe meus diſcipulus;* ergo Deus eſt amandus ſuper omnia.

Prob. 3. nam ipſa ratio naturalis dictat Deum eſſe bonum infinitum, & ſummum; ergo & infinite, & ſumme diligendum. Prob. conſ. nam ut amor ſit ordinatus, debet conformari objecto ſuo, ſaltem quantum, & eo modo, quo poteſt; ergo ſicut Deus eſt bonus præ omnibus, abſolute, & ſimpliciter: ita & præ omnibus eſt amandus; ita ut parati ſimus omnia prorsus relinquere; ut Deum amemus, aut ſaltem potius quam illum offendamus.

In hoc etiam conſiſtit appretiatio charitatis in Deum. Sic Paulus declarat ſe diligere: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus ... neq; creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei*.

Dixi, *ſaltem appretiative*, nam ob rationem mox allatam de infinita amabilitate Dei, ſine dubio deberet amari ſine modo, ſine fine, tam intenſive, & fervide, quam per prælationem, ſeu appretiative, & hoc indicat Scriptura, dicens eum eſſe diligendum *ex toto corde, tota anima, tota mente, & ex totis viribus*; ſed quoad intenſionem illam forte hoc difficile eſt imbecillitati noſtræ.

Objic. 1. ſi Deus eſſet amandus ſuper omnia prælative, nullus poſſet peccare venialiter; nam in peccato leviſſimo præfertur levis delectatio, vel complacentia, vel utilitas, vel vilis creatura Deo, quod eſt graviſſime injurioſum Deo; ſed conſ. eſt contra nos, & falſum; ergo præceptum charitatis non ſic obligat.

Reſp. neg. maj. & prob. ejus: in his enim non eſt vera prælatio, nec comparatio creaturæ cum Deo, neque ad hæc ſe extendit vis hujus præcepti, ſed in hoc

con-

conſiſtit, ut omnis homo velit efficaciter ſervare præcepta, & placere Deo in omnibus rebus gravibus, ita ut mallet non eſſe ullam creaturam, nequidem ſeipſum, quam Deum graviter offendere, nec Deus a nobis plus exigit. Imo non puto ullum juſtum conſentire in ullum peccatum etiam leviſſimum, ſi actu compararet mendacium jocoſum v. g. cum Deo, & cogitaret ſe illi præferre delectationem illius mendacii.

CONCLUSIO III.

QUilibet adultus, ex præcepto charitatis, tenetur ſæpius in decurſu vitæ actus amoris Dei elicere, & ſaltem poſt adeptum uſum rationis, in diebus dominicis, aut feſtis ſolemnioribus, & inſtante morte.

Prob. 1. ex Scoto cit. *ſicut igitur homo tenetur habere aliquem actum virtuoſum: ita tenetur habere aliquem actum illius præcepti circa finem gratuite diligendum. Quando autem ſit hoc, forte determinavit hoc præceptum divinum; ſanctifica ſabbatum*. Et, *maneat unuſquiſque apud ſe, id eſt recolligendo ſe, & aſcendendo ad Deum ſuum*. *Et Eccleſia ſpecificavit quantum ad Miſſam audiendam in die dominico*, ergo ex Scoto, præceptum charitatis obligat ad ſæpius diligendum Deum in decurſu vitæ, ſaltem in diebus feſtis.

Prob. 2. ex mente Eccleſiæ, quæ anno 1690. 24. Auguſti damnavit hanc propoſitionem ut hæreticam, (1) *ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative ... hunc homo non tenetur amare, nec in principio, nec in decurſu vitæ ſuæ mortalis*. Et Alex. VII. anno 1665. damnaverat iſtam, *Homo nullo unquam tempore vitæ ſuæ tenetur elicere actus fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Et anno 1679. Innoc. XI. damnavit iſtas, *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non auderem*. Item, (2) *probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis ex ſe obligare præceptum erga Deum. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus*. Ergo hæc propoſitio illis contradictoria vera eſt de

[1] *prop.* 1. [2] *prop.* 5. 6. 7.

de mente Eccleſiæ, ſæpius tenemur ex præcepto charitatis diligere Deum in decurſu vitæ.

Prob.3. ſpecialiter de tempore adepti uſus rationis; nam, ſi umquam obligat hoc præceptum, maxime cum primum occurrit cognitio bonitatis Dei; ſed cum homo pervenit ad uſum rationis, incipit cognoſcere Deum, & bonitatem ejus; ergo tunc tenetur illum amare.

Prob. 2. quia ex tunc obligatur ad obſervantiam mandatorum; ergo & ad iſtud, quod eſt *primum, & maximum*, & quod primo debet doceri velut fundamentum, & finis cæterorum. Prob. ant. nam ſicut primo eis proponitur fides de Deo, ita & ejus bonitas, & motivum dilectionis ejus; nam hæc dilectio eſt finis talis cognitionis.

Confir. ex Auguſt. [1] *omnes, qui credunt in Chriſtum, ſic credunt, ut diligant; hoc eſt enim credere in Chriſtum diligere Chriſtum, non quomodo dæmones credebant, ſed non diligebant*.

Prob. de Dominicis, & feſtis; nam, ut dicebat Doctor, in hoc præcipuè conſiſtit ſanctificatio feſtorum, *ut homo apud ſe maneat, ſe recolligendo, & aſcendendo ad Deum*; ergo his maxime diebus urget præceptum.

Confir. nam ideo Eccleſia his diebus ſolet recolere Dei perfectiones, myſteria, & beneficia, & ad ſimiles actus fidei, ſpei, & charitatis nos hortatur inter ſolemnia, & inſtruit ad illos formandos; ergo &c.

Prob. de inſtante morte; nam homo tenetur ſe ita diſponere, ut ſine culpa, & cum aliquo merito ſalutis diſcedat, & ad Deum perveniat, habeatque illum propitium; ſed hæc obtinere non poterit ſine amore charitatis in eum; ergo &c.

Prob. 2. nam inſtante morte præcipitur chriſtianis receptio ſacramentorum pœnitentiæ, viatici, & unctionis; ſed hæc non proſunt ſine aliquali charitate in Deum; ergo &c.

Objic. 1. ſi urgeret ſæpius tale præceptum, & in illis temporibus, fideles tenerentur confiteri omiſſiones talium actuum; ſed hoc eſt falſum, & contra praxim, nec de hoc ſolent interrogari pœnitentes; ergo &c. Prob. maj. nam omiſſio illa eſſet peccatum, & quidem in re gravi.

Reſp. neg. min. nam 1. fideles ſolent ſe accuſare non

amaſſe Deum, ut debent. 2. iſte defectus includitur in aliis, & ex aliis intelligitur a ſacerdote, alioqui teneretur etiam de illo interrogare.

Objic. 2. nequit aſſignari tempus præciſum, in quo urgeat hæc obligatio; ergo nullum eſt, & gratis aſſeritur. Prob. ant. nam in adoleſcente obligaret pro primo, vel 2. vel 3. inſtanti adepti uſus rationis; ergo nullum eſt tempus præciſum pro tali obligatione. Prob. ant. nullum eſt inſtans determinatum pro cognitione præcepti; ergo nec pro obligatione, quia debet prius cognoſci præceptum, ut obliget.

Reſp. neg. conſ. quia non eſt neceſſe, ut aſſignetur inſtans phyſice determinatum: ſufficit, aſſignetur illud, in quo primum proponitur objectum, & præceptum talis amoris, quia tunc obligat, quodcumque tandem illud ſit, moraliter loquendo.

Objic. 3. non conſtat ex ſcriptura, vel traditione, vel lege ulla de tali obligatione; ergo gratis aſſeritur.

Reſp. neg. ant. nam conſtat ex illis locis ſcripturæ, in quibus ille amor præcipitur: nam ſi unquam illud præceptum obliget, maxime in illa circumſtantia ob rationes allatas: & quidem cum primo intimatur homini, ut ſit in illo initio adepti uſus rationis.

Objic. 4. non aliter tenemur in Dominicis, & feſtis ad actus amoris, quam ad recipienda ſacramenta, vel ad juſtificationem promerendam; ſed de his nullum eſt præceptum; ergo nec de illis actibus.

Reſp. 1. neg. maj. nam rationes adductæ pro hac obligatione his diebus valent etiam pro juſtis, ut facile patebit conſideranti.

Reſp. 2. neg. min. nam etiam peccatores invitantur illis diebus, ut curent reconciliari cum Deo, & ſi hoc non faciant per ſacramenta, debent adhibere contritionem, imo & ſacramenta vix proſunt ſine aliquo amore Dei ex charitate.

Objic. 5. Inſtante morte ſufficit reconciliari Deo per ſacramenta; ſed ad hanc reconciliationem non eſt neceſſarius amor perfectæ charitatis; ergo in

illa

illa circumſtantia non urget hoc præceptum.

Reſp. diſt. min. perfectæ charitatis, quæ ſufficit ad juſtificationem extra ſacramentum, con. charitatis aliqualis, quæ ſit amor Dei, neg. min. nam ut dicebamus, vix proſunt ſacramenta, ſi ſuſcipiantur ſine aliquali charitate.

Reſp. 2. dubium mihi eſſe majorem: nam ſi unquam urgeat præceptum amoris Dei, maxime urget inſtante morte ob rationes datas ſupra, quia ſcil. tunc homo compariturus eſt coram Deo, & ingreſſurus in domum convivii nuptialis, ubi non admittetur ſine veſte nuptiali, nec ſine oleo in lampade, ideſt ſine charitate.

QUÆSTIO II.

Quid ſit amor Dei ſuper omnia.

Diximus in præcedenti, amorem Dei, qui præcipitur, eſſe amorem ſuper omnia, ideo propius videndum, quænam ad hanc qualitatem amoris requirantur.

Porro, ex Scoto, amare Deum ſuper omnia ſumitur 1. *extenſive*, ſeu *appretiative*, quatenus amans mallet reliqua entia non eſſe, vel omnibus aliis bonis privari, etiam propria vita, quam Deum non eſſe, vel ipſo privari, vel ipſum offendere, ſaltem graviter. 2. *intenſive*, ſcil. affectu majori, ſeu intenſiori amando Deum, quam reliqua omnia, & quam ſeipſum. Alii explicant de majori *teneritudine*, aut *firmitate*, aut *fervore*.

Igitur amor Dei ſuper omnia *appretiative* conſiſtit in hoc, quod Deus æſtimetur amabilis prælative ad omnia alia bona modo prædicto; *intenſive* autem ut majori voluntatis conatu, affectu, & ardore, adhibendo vires ſuas omnes ad eliciendum actum amoris.

Addunt aliqui amorem ſuper omnia *objective*; quo ſcil. volumus dilecto majora, & plura bona; ſed hic coincidit cum prælativo, ſeu appretiativo.

Scotiſtæ autem recentiores, ut Poncius, & Maſtrius, dicunt ex Scoto duobus modis poſſe Deum ſuper omnia diligi: *Intenſive*, ideſt per amorem

gra-

graduali*ter intenſiorem*, quam ſit amor ullus circa creaturas. 3. per amorem *firmiorem*, & efficaciorem, & fortiorem, ita ut homo ſit paratus omnia alia potius deſerere, & omni creaturæ potius diſplicere, quam Deo, licet forte talis amor non ſit gradualiter ferventior, nec intenſior.

CONCLUSIO.

A*Mor Dei ex charitate debet eſſe ſuper omnia extenſive, non autem ſimpliciter intenſive gradualiter*. Videtur communior contra quoſdam Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſecundum modum amoris intenſivi non putat poſſibilem [1] *in hac vita, quia in hac vita non poteſt eſſe illa tanta recollectio virium, ut amotis impedimentis poſſit voluntas tanto conatu ferri, quanto ſi vires eſſent unitæ, & non impeditæ*.... Et id probat ex Auguſtino, & Magiſtro, dicentibus, quod *hoc præceptum non impletur in via. Nam pronitas virium inferiorum pro ſtatu iſto impedit ſuperiores ab actibus perfectis*; ergo ex Scoto, Deus eſt ſuper omnia amandus appretiative, non intenſive, quoad intenſionem gradualem.

Prob. 2. quoad 2. p. [nam quoad 1. probata manet ex Concluſ. 2. qu. præc.] ille amor præcipitur, quo ſic efficaciter adhæremus Deo, ut velimus ei placere per obſervantiam mandatorum potius, quam ulli creaturæ, & ut nolimus ei diſplicere pro quocumque alio bono etiam noſtro; ſed iſte amor non neceſſario exigit ſummam intenſionem gradualem; ergo &c. Prob. min. nam plures SS. Martyres, qui ſumma firmitate, & conſtantia mortem pro Dei amore ſubjerunt, non tamen ſummum illum fervorem in ſe experti ſunt.

Confir. nam ſi hic fervor gradualis præciperetur, pauci admodum fideles hoc præceptum obſervarent, quia (inquit Doctor) tota illa virium collectio difficillima eſt.

Prob. 2. Deus impoſſibilia non jubet, inquit Auguſtin. *Tanta charitas præcipitur, quanta in corpore mor-*

[1] *Ibid.*

mortis hujus haberi poteſt; ſed illa ſumma intenſio amoris in hac vita non poteſt haberi, ſaltem moraliter; ergo non ſic præcipitur. Prob. min. hic premimur ob pronitatem virium inferiorum, ſcilic. concupiſcentiæ, & (ut loquitur Apoſtolus) *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*; ergo &c.

Confir. ex eodem Auguſt. [1] *tunc charitas perfecta erit, cum pœnalis timor omnis abſceſſerit*. Sed hoc non accidit in vita, nam inquit idem alibi; *cum ineſt aliquid carnalis concupiſcentiæ, vel quod continendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur. Tamen debuit iſta perfectio præcipi homini, quamvis in hac vita non poſſit haberi: non enim recte curritur, ſi, quo perveniendum ſit, neſciatur*. Scil. cum jubemur Deum diligere ex toto corde, & ex totis viribus, oſtenditur nobis perfectio charitatis, ad quam vocamur in alia vita.

Confir. 2. nam actus charitatis in Deum non poteſt eſſe intenſior, quàm habitus ejus infuſus; ſed ille non eſt ſemper intenſiſſimus: non enim habetur niſi *ſecundum menſuram donationis Chriſti*; ergo nec ſemper nobis eſt poſſibilis actus intenſiſſimus.

Prob. 3. nam ſi ex hoc præcepto Deus deberet amari intenſiſſime, parentes peccarent mortaliter contra hoc præceptum, quando intenſius, & tenerius amarent filios, quam Deum, & cum majori dolore afficiuntur ex illorum morte, quam ex peccato mortali; ſed hoc eſt durum, & falſum; ergo & illud. prob. min. nam experimur contrarium ſenſibiliter, ſcil. nos magis dolere de malis temporalibus, quam de peccato, & tamen de illo exceſſu comparativo non ſolemus confiteri, nec interrogari in confeſſione, alioqui infinitis vexaremur ſcrupulis; ergo majoritas amoris Dei ſumitur ex prælatione, ſeu ex appretiatione, non autem ex intenſione graduali.

Objic. 1. ex Scriptura, amor Dei, qui præcipitur, debet eſſe ex toto corde, & ex totis viribus; ſed non eſt talis, niſi ſit intenſiſſimus; ergo ex vi præcepti debet eſſe intenſiſſimus. Prob. min. ut ſit ex totis viribus, & ex tota mente, debet eſſe ex ſummo conatu omnium facultatum animæ; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. nam ut ſit talis, ſufficit ex-

cla-

[1] *in gloſſa Deuter. 6.*

cludat omnem affectum peccandi, & diſplicendi Deo, & omnem prælationem creaturæ ad Deum, & nullam diligamus, niſi propter Deum. Audi Aug. [1] *cum ait, toto corde ..... nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re velit frui: ſed quidquid aliud venerit in animam, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus ruit.* vide Gloſſam in eum Matt. locum.

Obj ic. 2. non poteſt Deus amari ſuper omnia appretiative, nec firmiſſime, niſi & intenſiſſime ametur; ſed per nos amor debet eſſe firmiſſimus; ergo & intenſiſſimus. Prob.maj. ſummus amor appretiativus eſt, cum affectus ſumme adhæret Deo, & difficilius ab eo avellitur, quam ab omnibus creaturis; ſed hoc fieri non poteſt ſine ſummo fervore amoris; ergo &c.

Reſp. neg. utramque maj. nam ille amor appretiativus eſt, quo ſic æſtimamus, & amamus Deum, ut propter ejus bonitatem parati ſimus renuntiare omnibus bonis creatis, etiam propriæ vitæ, ſive ſit intenſus, ſive remiſſus gradualiter, & abſolute.

Inſt. amor debet proportionari objecto; ſed bonitas Dei eſt ſumme amabilis; ergo debet amari ſummo, & intenſiſſimo amore.

Reſp. diſt. maj. quantum eſt in amante; con. abſolute, & ſimpliciter; neg.maj. & conſ. alioqui amor noſter deberet eſſe infinitus. Debet ergo menſurari ex viribus noſtris, ſicut ex merito objecti.

Inſt. 2. ſi amor iſte non deberet eſſe ſumme intenſus, poſſet amari intenſius aliqua creatura; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Prob. min. nulla creatura poteſt amari niſi propter Deum; ergo nulla poteſt amari intenſius Deo. Prob. conſ. nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; ſed omnis creatura amatur propter Deum; ergo Deus debet magis, & intenſius amari.

Reſp. neg. min. 1. & conſ. 2. & diſt. maj. 3. ſi illud *propter quod* ſit cauſa totalis: con. ſi partialis tantum: neg. maj. & min. nam bonitas Dei eſt tantum cauſa finalis, & ultima talis amoris, & habitus ipſe charitatis eſt partialis efficiens, & inclinans voluntatem in amorem creaturæ propter Deum. Voluntas vero

[1] *Doctr. chr.* 21.

ro eſt partialis efficiens, & creatura partialis motiva, & objectiva minus principalis, ideo hic non valet axioma.

Objic.3. tenemur ex vi præcepti hujus ſumme dolere de peccato; ergo & ſumme diligere Deum per illud offenſum. Patet conſ. nam *contrariorum eadem eſt ratio*. Prob.ant. nam dimiſſio peccati ſequitur ex dilectione, ita ut, qualis eſt malitia peccati, talis ſit dilectio; ſed malitia peccati eſt ſumma, & infinita; ergo dilectio, per quam dimittitur peccatum, debet eſſe ſumma. Maj. patet ex Script. Nam Magdalenæ *dimittuntur peccata multa, quia dilexit multum*. Item ex Tridentino docente, quod peccatores conſecuti ſunt remiſſionem, quia eorum pœnitentia [1] *ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manabat*; ergo &c.

Reſp.diſt.1. ant. dolere ſumme appretiative, con. intenſive, neg.ant. non enim negamus, quin plurium peccatorum dolor, & ſanctorum amor fuerit intenſiſſimus, ſed negamus ſummam illam intenſionem eſſe de præcepto charitatis.

Objic.4. Scot. vult, quod amor Dei ſit major, etiam intenſive, & hoc idem docent inſignes Scotiſtæ; ergo &c. Prob.ant. nam improbat diſtinctionem Henrici de amore teneriori, firmiori, & ferventiori, & quatenus ille Doctor dicebat, *non oportet, quod amor Dei ſuper omnia ſit quantum ad fervorem, & teneritudinem*, &c. Et ipſe concludit, *Dico, quod illud*, ſuper omnia, *debet intelligi utroque modo .... ſcil. teneor diligere Deum ſuper omnia extenſive: ita etiam majore affectu, quam aliquid aliud*. Et clarius in reportatis, *Dico, quod diligere ſuper omnia, debet haberi quandoque utroque modo, intenſive, & extenſive*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ſit major intenſive in ſenſu Scoti, ſcilic. prout amans paratus ſit potius deſerere alia omnia, & eis diſplicere, quam Deo, con. intenſive gradualiter, neg. ant. nam Doctor vult amorem, *qui magis repugnet affectui oppoſito*, ſcil. amori peccati, ſeu creaturæ. Et in reportatis dicit cum Auguſtino, & Magiſtro, quod *præceptum illud non impletur in via quoad omnes circumſtantias, quæ indicantur per illas additiones, ex toto corde*, &c.

Suf-

Sufficit ergo Scoto, quod amor præferat Deum omnibus creaturis, & ſic eſt amor ſummus extenſivè, & quod ſit adeò efficax, (quod vocat intenſionem) ut per illum homo magis velit diſplicere omnibus creaturis, quàm Deo, quamvis non eſſet intenſus niſi ut duo, vel tria, & aliunde amaret aliquam creaturam ardentiùs, v. g. ut quatuor, vel quinque: ut fieri poteſt. Sic eum explicat Poncius in commentario.

Quæres 1. *an actus ille amoris Dei, ſuper omnia poſſit haberi ſine charitate infuſa.*

Reſp. affirmativè: nam actus contritionis in peccatore præcedit infuſionem habitus charitatis, ſed in contritione includitur ille actus charitatis; ergo &c. Gratia igitur actualis ſupplebit defectum habitus.

Dices; ergo fruſtra daretur habitus infuſus, quia ſine illo haberentur actus perfectæ charitatis, & ſufficeret auxilium gratiæ actualis.

Reſp. neg. ſeq. nam habitus magis perficit voluntatem in actu primo. 2. adjuvat, & elevat voluntatem, ut actus ſit intenſior. Et 3. formaliter ſanctificat animam, ut illa, & actus ejus ſint magis Deo grati, & meritorii.

Quæres 2. *an ex præcepto charitatis, & amoris Dei ſuper omnia, neceſſarius ſit actus explicitus, quo velimus placere Deo potius, quàm ulli alteri per expreſſam comparationem.*

Reſp. non eſſe neceſſarium talem actum formalem explicitum, ſed ſufficere virtualem, v.g. ſufficit, quod non velit magis placere ulli creaturæ, quàm Deo, aut quòd nolit offendere Deum, ut placeat ulli creaturæ, aut quòd actus amoris Dei ſit magis intenſus, quàm alius ullus circa creaturam.

Ratio eſt, quia his omnibus modis verè dici poteſt amari Deum ſuper omnia, & quia talis comparatio magis turbaret conſcientias, quàm juvaret.

Dices, ex vi hujus præcepti ſic debet diligi Deus, ut velimus magis illi placere, quàm ulli creaturæ, ſed hoc non facit amor intenſior præcisè, & abſolutè; ergò non ſufficit, ut ſatisfiat præcepto.

Reſp. diſt. min. non facit explicitè, con. implicitè, & virtualiter, & æquivalenter, neg. min. nam quamdiù

diù manet ille amor intenſior, vel voluntas in illa diſpoſitione, in qua nollet diſplicere Deo pro ulla creatura, vel ei magis placere, ſufficienter cenſetur præferre Deum omni creaturæ.

Inſt. poſſet fieri, ut cum illo amore actuali intenſiori Dei haberetur amor habitualis intenſior pro creatura; ergo tunc ille amor actualis intenſior non ſufficeret.

Reſp. neg. conſ. quia tunc ille amor actualis in Deum ſatis determinaret hominem ad prælationem Dei ſuper omnem creaturam.

QUÆSTIO III.

De præcepto charitatis erga proximum: An, quomodo, & quando obliget.

JAm diximus proximum noſtrum eſſe objectum charitatis, & quòd ille eſt propter Deum diligendus. Jam quærimus, an, quomodo, & quando ſit amandus ex vi talis præcepti, & ad quid nos obliget? Diximus etiam nomine proximi intelligi omnem creaturam rationalem beatitudinis capacem, & ideò excluduntur dæmones, & damnati, quia ab illa ſunt excluſi.

CONCLUSIO I.

D*Atur præceptum formale divinum de amando proximo ex charitate*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quatenùs docet, quòd habitus charitatis eſt circa aliud, *& quatenus eſt datum præceptum de diligendo illud aliud*, ſcil. proximum, *& ad illum actum oportet uti illo habitu*, &c. ergo ſupponit dari præceptum de amore proximi.

Prob. 2. ex Script. nam in Levitico dicitur: [2] *Diliges amicum tuum ſicut teipſum, & ſi habitaverit advena in terra veſtra, ſit inter vos tamquam indigena, & diligetis eum*, quaſi vos ipſos. Et Chriſtus in Euangelio: [3] *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum, in his duobus mandatis* &c. Item, *mandatum no-*

[1] *3.d.28.D.n.6.* [2] *Lev.19.*
[3] *Matt.22.*

novum do vobis, ut diligatis invicem ...... Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, &c.

Prob. 3. nam eſt præceptum naturale æquè, ac poſitivum divinum; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & viciſſim *quod tibi vis fieri, alteri feceris*. Quod confirmat Euangelium, *Omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, hæc eſt lex, & Prophetæ*.

Igitur præceptum negativum ex charitate proximi eſt, ut non ordinetur, *quod tibi non vis fieri* &c. Poſitivum autem eſt, *ut quod tibi vis fieri, hoc alteri facias*. Illud obligat pro ſemper, ne ſcil. unquam velimus malum proximo: Iſtud aliquando, ſeu in aliquibus caſibus; ergo debemus proximum diligere, ſicut vellemus ab illo diligi.

Prob. 4. nam ex Euangelio tenemur diligere inimicos, & benefacere his, qui nos oderunt; ergo & omnes alios homines, quandoquidem inimici non excipiuntur.

Objic. 1. habitus charitatis in Deum, & proximum eſt unus; ergo & præceptum, & actus; ergo ſufficit amor Dei.

Reſp. neg. ant. nam ex Script. conſtat illa eſſe duo præcepta diſtincta: nam de Deo eſt *primum, & maximum*. De proximo eſt *ſecundum ſimile huic, diliges proximum* &c. *In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ*. Et ſicut primum obligat ad certos actus circa Deum, ita & 2. ad certos alios actus circa proximum.

Nota autem ex Scoto, [1]principalem actum hujus amoris eſſe *velle illud, quo volumus Deum diligi à quocumque alio*, (ſcil. proximo) *quantum eſt in ſe; quia in hoc eſt perfecta, & ordinata dilectio ejus: & hoc volendo diligo me, & proximum ex charitate, volendo mihi, & ſibi per dilectionem habere Deum in ſe, quod eſt bonum ſimpliciter juſtitiæ*. Certè non poſſum velle proximo majus bonum, quàm ut habeat charitatem Dei, quia amans Deum habet illum in ſe, & alia omnia bona conſequetur. *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus* &c.

[1] *Ibid. B. 3.*

CONCLUSIO II.

Amor proximi ex præcepto charitatis non tantùm debet eſſe in opere externo, & effectivus, ſed etiam affectivus, ſeu in opere interno.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] nam illæ volitiones, de quibus ibi loquitur, ſunt actus interni, & ex effectu, quo *volo proximum habere Deum in ſe* &c.

Prob. 2. ex Script. nam Chriſtus jubet, ut offenſas *remittamus unuſquiſque de cordibus noſtris*: & non ſolùm, ut benefaciamus inimicis, ſed etiam ut eos diligamus, *diligite inimicos*. Præcipit, ut, *diligamus invicem, ſicut dilexit nos*. Sed dilectio eſt actus internus, & affectivus: & maximè dilectio, qua Chriſtus diligit nos; ergo &c.

Prob. 3. nam Deus eſt dominus cordis noſtri, & non minùs habet imperium in animam, ut præcipiat actus internos, quàm in corpus, ut præcipiat externos; ergo utroſque poteſt præcipere, & de facto præcipit.

Confir. nam niſi dilectionem internam, & affectivam præciperet charitas, non eſſet vera amicitia, quia hæc primò, & principaliter conſiſtit in velle bonum: alioqui pauperes, & impotentes non poſſent habere charitatem proximi.

Prob. 4. nam ex charitate debemus velle proximo bona ſpiritualia æquè, vel magis, quàm corporalia, ſed bona ſpiritualia non ſemper pendent ab operibus externis; ergo ad præceptum charitatis implendum non ſufficiunt opera externa, ſed requiruntur etiam interna, & affectus.

Objic. 1. proximus non ſublevatur affectibus, ſed effectibus, ſeu operibus, ſed præceptum charitatis eſt de ſublevando proximo; ergo impletur operibus.

Reſp. diſt. min. de ſublevando in effectu, & per opera, quando his eget, & fieri poteſt; con. ſi non egeat, vel non ſit in poteſtate amantis, & ſolis operibus ſine affectu interno: neg. min. & conſ. nam ſine affectu interno, actus externi, licet proſint materialiter egenti, non proſunt operanti, & qui non pot-

[1] *Ibid.*

poteſt juvare inopem effectu, tenetur velle juvare affectu.

Inſt. ex Suare: amor internus latet proximum, ergo per ſe non præcipitur ex charitate, ſed ſufficit ſolus externus; internus enim non ſemper eſt neceſſarius, & pauper ſublevatur ſola eleemoſyna externa.

Reſp. neg. con. & rat. ejus, nam ſi internus ille non juvat materialiter pauperem, exonerat largientem, qui non mereretur, ſi vel dormiens, vel volens largiretur, vel ex pravo affectu.

Objic. 2. actus internus circa Deum ſufficit huic præcepto; ergo non requiritur alius internus circa proximum, ſaltem explicitus. Prob. ant. nam actus circa Deum complectitur alios, & ſolus Deus intuetur cor; ergo ſufficit amor, ſeu affectus erga Deum, ut impleatur præceptum charitatis proximi.

Reſp. neg. ant. utrumque: nam ſicut proximus eſt materia immediata ſecundi hujus præcepti, ita voluntas noſtra debet illum immediatè reſpicere, alioqui non eſſet præceptum à primo diſtinctum. Sunt tamen duo mandata.

CONCLUSIO III.

Præceptum negativum charitatis in proximum obligat ſemper, poſitivum autem obligat in caſibus neceſſitatis tam corporalis, quàm ſpiritualis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto (1) cit. docet enim habitum charitatis non poſſe compati cum odio proximi, & quòd ad conſervationem ejus neceſſarius eſt actus poſitivus dilectionis proximi, vel ſaltem neceſſarium eſt non odiſſe illum. *Præceptum datum eſt de diligendo illud aliud;* (ſcil. proximum,) *& ad illum actum oportet uti illo habitu, aut ſaltem non contra agere illi habitui*, &c. Vides præceptum negativum. De poſitivo autem dicit. (2) *Si appareat alicui evidens neceſſitas proximi, vel inimici, puta, quod ſine ipſo non poteſt habere neceſſaria ad attingendum ad dilectionem Dei .... ibi tenetur non ſolùm velle bonum finale, ſed etiam exequi operatione efficaci* &c. Ecce pro neceſſitate ſpirituali, *ſed de vita corporali, fortè tenetur*

[1] *5.d.28.D.9.* [2] *d.36.E.11.*

tur quis velle quoad actum interiorem, & eam ſalvare ſimpliciter quoad actum exteriorem, ſi non adſit alius proximus, qui poſſit eum juvare; ergo ex Scoto habes vim præcepti negativi, & poſitivi circa temporales, & ſpirituales proximi neceſſitates ex charitate.

Prob. 1. p. ex Script. nam præcepta negativa obligant pro ſemper, ſunt enim de malo vitando; ſed talia ſunt ultima ſex præcepta decalogi, quæ reſpiciunt proximum, ſcil. vetant eum odire, ſeu inferre, aut velle illi malum, & obligant pro ſemper, nunquam enim licet occidere, mœchari, furari, &c. ergo &c.

Confir. ex eadem Script. [1] *ſi quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt*. Et, [2] *qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt ... homicida eſt*. Poteſt quidem odiri iniquitas in proximo, ſed non perſona, & ſic accipiuntur verba Prophetæ, *Iniquos odio habui ..... perfecto odio oderam illos*. In quæ verba Auguſt. *Quid eſt perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem eorum. Hoc eſt perfecto odio odiſſe*.

Prob. 3. quoad utramque partem: debemus amare proximum ſicut nos ipſos; ſed numquam in neceſſitate odimus in nobis bona ſpiritualia, vel corporalia, ſed volumus nobis illa; ergo ita debemus eſſe affecti erga proximum.

Confir. ex Script. cit. *omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Sed nemo vellet proximum ſuum ſibi deeſſe in neceſſitate ſpirituali, vel temporali; ergo nec ipſe debet illi deeſſe tam effectu, quàm affectu, nam jubemur *diligere non verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate*. Et ut docet Gregor. III. *probatio dilectionis exhibitio eſt operis*.

Confir. 2. de corporalibus. Nam in judicio damnabuntur, qui non juvarunt proximum in corporalibus. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare* &c. Et electi præmiabuntur propter opera charitatis corporalis. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare* &c. ergo in illis omnibus neceſſitatibus urget præceptum hujus charitatis.

Objic. 1. illa neceſſitas deberet eſſe extrema, vel in ali-

[1] *Jo.* 4. & 2. & 3.
[2] *Pſ.* 118. & 138.

aliquo gradu gravitatis: ſed neutrum dici poteſt; ergo in neutro urget. Maj. patet, nam non deberet eſſe levis quæcumque; alioqui obligatio eſſet in ſe graviſſima, & intolerabilis. Prob. min. nam extrema neceſſitas eſt rariſſima: debet enim eſſe periculum ſalutis animæ, aut corporis: & ſic præceptum hoc raro poſſet impleri. 2. ſi gradus ille neceſſitatis eſſet indeterminatus, magna eſſet perplexitas animarum; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam in neceſſitate graviſſima urget graviſſimè, & graviter in gravi. Gravitas autem penſari debet tum ex prudentum judicio, tum ex propria cujuſque in ſemetipſo æſtimatione: nam qua ratione ſibi quiſque vellet ſubveniri, & quam gravitatem ipſe tribueret ſuæ propriæ indigentiæ in talibus circumſtantiis, & cæteris paribus, talem debet æſtimare neceſſitatem proximi; quia debet eum diligere ſicut ſeipſum.

Sufficit ergo, ut ſciamus proximum indigere, ut teneamur ex hoc præcepto illi ſubvenire pro viribus, juxta illud ſcripturæ, [3] *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Loquitur de neceſſitate victus, & veſtitus, inquit Gloſſa.

QUÆSTIO VI.

De charitate erga inimicos; an cadat ſub præceptum, & quomodo, & quando.

INimicus poteſt conſiderari (idem eſt de peccatore) ut homo *ſpecificativè*, & præſcindendo ab ejus inimicitia, & peccato; vel *formaliter*, & *reduplicativè*, ut inimicus, ſeu ſub ratione inimicitiæ, vel peccati, & malorum, quæ nobis infert. Item diſtingui poteſt de dilectione *negativa*, vel de *poſitiva*. Et quæritur, an detur præceptum poſitivum amandi inimicum, ut inimicum, ſeu ratione inimicitiæ, an verò, ut proximum ſpecificative. 2. an liceat aliquando illum odiſſe. 3. Quo tempore, & quibus modis, aut mediis debeat ei exhiberi dilectio.

[1] 1. Jo. 3.

CONCLUSIO I.

EX charitate debemus non ſolùm non odiſſe, ſed etiam poſitivè amare inimicos, ut proximos, non autem, ut inimicos. Eſt de fide quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto. (1) Inimicus ut talis eſt malus, & peccator, & per conſequens, *ut talis nullo modo eſt ſic amandus: hoc enim modo odivit inimicum, qui dixit*: deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita ut non ſint. *Iniqui, nec inimici, quia, ut ait ſapiens, verte impios, & non erunt* (impii) *loquendo de inimico per accidens, ſc. de homine, qui nunc eſt inimicus.* Hunc docet non ſolùm non debere odiri; ſed poſitivè amandum eſſe.

Prob. 2. ex Script. 1.p. *ergo autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*&c. Item, [2] *dimittite, & dimittetur vobis ...... ſi non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*. Et in veteri teſtamento. [3] *Si occurris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc eum.* Et Apoſtolus, [4] *benedicite perſequentibus vos ..... ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c. Sed hæc, & ſimilia important præceptum poſitivum. Nam *diligere, reducere, cibare, benedicere* &c. ſunt actus poſitivi; ergo datur præceptum poſitivum diligendi inimicos.

Prob. 3. nam inimicus, & oſor eſt adhuc proximus noſter; ſed datur præceptum poſitivum diligendi proximum; ergo & inimicum.

Confir. ex Patribus; nam inquit Hieron. [5] *multi putant impoſſibilia eſſe, quæ præcepta ſunt, & dicunt ſufficere virtutibus non odiſſe inimicos .....ſciendum eſt Chriſtum non præcepiſſe impoſſibilia ſed perfecta .... hæc a utem & docuit, & fecit ipſe*, &c. Chryſoſt. (6) hos gradus hujus dilectionis aſſignat. 1. *Ne prior injuriam ordiaris*. 2. *ubi eſt injuria cœpta, ne eandem eodem pacto propellat*. 3. *ne par pari referas, ſed quieſcas*. 4. *præbeas te ipſum ad injuriam ſuſtinendam*. 5. *ut ad majora te præbeas, quàm vult ille, qui facit*. 6. *non odiſſe eum, à quo iſta perpetrantur*. 7. *etiam diligere læden-*

[1] *d. 30. A. 2.* [2] *Matth. 5.*
[3] *Exo. 23.* [4] *Ro. 12.* [5] *5. Matth.*
[6] *ho. 18. Matth.*

lædentem. 8. *beneficiis quoque eum libenter afficere*. 9. *etiam Deum pro adverſario deprecari*, &c. Et ſic de aliis Patribus, qui fuſiſſimè de hoc ſcribunt; ergo &c.

Prob. 2. p. nam, ut dicebam ex Scoto, inimicus ut inimicus, & ratione inimicitiæ ſuæ non eſt bonus imò eſt malus; ſicut peccator, ratione peccati; ergo ſub illa ratione non eſt amandus, ſed odiendus. Prob. conſ. ex Script. cit. *perfecto odio oderam illos*:&, *iniquos odio habui*, & Deus, *odit omnes operantes iniquitatem*; ergo &c.

Confir. ex Auguſt. nuper cit. *omnis peccator, in quantum peccator, non eſt diligendus, ſed in quantum homo* &c. Et forte hoc ſenſu *dictum fuerat antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*; ergo &c.

Objic. 1. ex Script. David imprecatur mala inimicis, & peccatoribus; ergo non tenemur eos diligere: nam dilectio charitatis eſt benevolentia. Prob. ant. (1) *deficiant peccatores à terra*, &c. Et *convertantur peccatores in infernum*. Et Apoſtolus; (2) *abſcindantur, qui vos conturbant*: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. utrumque, imprecantur peccatis, & iniquitatibus, con. perſonis, neg. ant. & conſ. nam illæ imprecationes non cadunt in perſonas, ſed in peccata, & iniquitates, & inimicitias, ut perſonæ convertantur ab illis.

Objic. 2. tota obligatio præceptorum continetur in dacalogo; ſed obligatio amandi inimicos non continetur in decalogo; ergo non eſt de præcepto.

Reſp. neg. min. nam, ut dicebam, peccatores, & inimici ſpecificativè ſunt proximi noſtri, & ideò hæc obligatio eſt de 2. præcepto.

Reſp. 2. diſt. maj. continetur in decalogo explicitè, vel implicitè, con. explicitè: neg. maj. & min. nam ſex ultima præcepta prohibent omnia, in quibus nocere poſſumus proximo, qualis eſt etiam inimicus.

Inſt. ante legem evangelicam hoc præceptum ibi non continebatur; ergo neque nunc, nam lex decalogi eadem eſt. Prob. ant. nam potiùs excipiebatur hic amor, quia, *dicebatur antiquis, diliges amicum tuum*, &

[1] *pſ.* 108. [2] *Gal.* 5.

& odio habebis inimicum, ait ipſe Chriſtus; ergo.

Reſp.neg.ant. utrumque, nec enim Chriſtus hoc dicit; quaſi alicubi legatur præceptum; ſed ut arguat perverſam illam traditionem, quæ apud Judæos percrebuerat, & ſenſus eſt, juxta meliores interpretes: dictum eſt antiquis veſtris, *odio habebis inimicum.* Ego autem traditionem, & dictum illud impugno, & reprobo, & dico; *diligite inimicos* &c. Certè, ſi fuiſſet aliquod præceptum legis, non tacuiſſent Judæi, nec pepercíſſent hanc contradictionem, quam faciebat legi; nec ipſe Chriſtus verè dixiſſet: *non veni ſolvere legem, ſed adimplere.*

Objic. 3. ex Patribus, dilectio inimici eſt actus perfectionis; ſed perfectio non cadit ſub præcepto, nec eſt in poteſtate noſtra; ergo nec illa dilectio. Probatur maj.ex Gloſſa dicente,*diligere inimicos, hoc perfectum eſt*. Et alia Gloſſa; *eſt ultra humanam naturam*. Et alia in illud pſalmi, *conſiderabo mirabilia de lege tua*, addit, *nihil mirabilius eſt in mandatis, quam diligere inimicum*; ergo hæc dilectio eſt perfectio charitatis ſupra vires ordinarias naturæ.

Reſp. neg. min. & rationem ejus; non eſt in poteſtate noſtra ſine auxilio gratiæ, con. cum auxilio gratiæ, neg. min. nec enim hoc ſenſu loquuntur patres in illis Gloſſis. Unde Concil. Tridentinum docet; *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*. Sic eſt de aliis præceptis, nam ut diximus de neceſſitate gratiæ; ſine illa vix poſſumus implere alia.

Reſp.2. neg. abſolutè min. & prob. ejus: nam in hiſtoriis Ethnicorum habemus plura exempla condonationis injuriarum, & plura ejus præcepta apud philoſophos, unde Gloſſæ illæ per impoſſibilitatem intelligunt magnam difficultatem propter pronitatem noſtram ad iram, & vindictam.

Objic. 4. non tenemur diligere niſi proximum; ſed inimicus non eſt proximus, ſed potiùs alienus, & extraneus; ergo non tenemur eum diligere. Prob. min. nam proximus noſter diligit nos, ſicut ſeipſum, inimicus autem odit nos; ergo non eſt proximus.

Reſp.diſt.min. inimicus formaliter, & reduplicatiyè,

tivè, ut inimicus, con. ſpecificativè, ut homo, neg. min. & conſ. prob. non enim dicimus, quod ſub ratione inimicitiæ ſit amandus, ſed ut homo, & maximè ut chriſtianus, ſeu frater in Chriſto, ſub quo ut ſub capite ſumus unum corpus.

CONCLUSIO II.

EX hoc præcepto tenemur velle inimico ſubvenire in neceſſitatibus, ſicut obligamur ſubvenire proximo, ex lege communi.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Poteſt dici, quòd ſi appareat alicui evidens neceſſitas proximi, vel inimici, puta quod ſine ipſo non poteſt habere neceſſaria ad attingendum ad dilectionem Dei* &c. *tenetur iſta bona non ſolùm velle, ſed etiam exequi operatione efficaci.* Quod explicat de bonis temporalibus, & ſpiritualibus; ergo Scotus in pari obligatione ponit amorem inimici, & proximi.

Prob. 2. ex Script. cit. [2] nam præcipitur, *ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum*: & in Deuteronomio præcipitur eadem obſequia exhiberi bobus ejus; ergo debemus amare, & juvare inimicum in neceſſitatibus ſicut proximum.

Prob. 3. ex Patribus, & ratione, nam magis conſiderandus eſt, ut proximus, quàm ut inimicus; quia ratio proximi eſt permanens, & inſeparabilis: ratio autem inimici eſt contingens, & tranſiens; ergo ſemper eodem titulo proximitatis eſt amandus, & in neceſſitate ſerviendus. Prob. ant. ex Auguſt. [3] dicente, *nullum exceptum eſſe, cui miſericordiæ denegetur officium. Quis non videat, quoniam uſque ad inimicos porrectum eſt?* Et S. Iſidorus: *Illum arbitrare proximum, qui tui maximè indigeat; & ſponte tua ad auxilium ei ferendum accede.* Eſt ergo proximus noſter, quicumque indiget ope noſtra: & Gloſſa in verba Euangelii, *benefacite his, qui oderunt* &c. Benefacite, *miniſtrando cibum mentis, vel corporis.* Et S. Bonaventura, *ſi loquamur de exhibitione operis, quando incumbit neceſſitas, ſic diligere inimicos affectu, eſt generalis, & neceſſariæ obligationis, quia ſi quis*

[1] *Ibid. E.* [2] *pro. 25.*
[3] *1. doct. chr.*

videt proximum ſuum, ſive inimicum, neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo.

Quæres 1. *an hoc præceptum ſit etiam de jure naturæ*. Nam de poſitivo conſtat ex dictis. (1)

Reſp. affirmativè, nam ipſum lumen naturæ dictat optandum eſſe proximo bonum omne, quod nobis ipſis optamus fieri. Nam iſtud axioma eſt de jure naturæ; *quod tibi vis fieri, alteri feceris*. 2. quia velle debemus, ut omnes ament Deum, & ei ſerviant, & placeant; ergo id optare debemus etiam inimicis, ut illum ament, in hoc eſt magna benevolentia. 3. quia naturali lege debemus optare pacem, & quietem publicam; ſed hæc maximè fovetur condonatione injuriarum, & charitate inter omnes; ergo &c. 4. Quia plura ſunt motiva naturalia amandi inimicos, quàm eos odiendi; ergo &c. Prob. ant. 1. ſumus ſimiles in natura. 2. tendimus ad eundem finem. 3. ex eadem ſocietate. 4. quieti noſtræ propriæ conſulimus, deponendo odia, vitando rixas, benefaciendo cunctis, quantùm honeſtatis ratio dictat. 5. Quia vindicta, per quam malum rependimus inimicis, ex ipſo lumine naturæ mala eſt &c.

Quæres 2. *an aliqua lege præceptum fuerit odium inimici*.

Reſp. ex dictis, negativè, & ratio petitur ex reſolutione dubii præcedentis; nam ſi amor inimici eſt de lege naturæ, odium ejus numquam potuit præcipi, vel permitti: quia lex naturæ eſt inviolabilis, nec Deus in ea propriè diſpenſat.

Quæres 3. *an in lege veteri aliquod odium inimici fuerit permiſſum*.

Reſp. nullum ibi fuiſſe permiſſum; ſed tantùm aliquod odium impropriè dictum.

Ratio 1. p. patet ex præcedenti, quia tale odium propriè dictum erat contra legem naturæ; cui Deus derogare non intendit, & Chriſtus, ut dicebamus, pravam legis interpretationem correxit, dicens, *Ego autem* &c. Certè ſi ab aliquo legislatore, aut lege vera id fuiſſet mandatum, Chriſtus non ſiluiſſet, & contentus fuiſſet exprobrando dicere: *dictum eſt antiquis* &c. Et meminiſſet auctoris dicti, v. gr. Moy-

[1] 3. *d*. 30. *q*. 5.

Moyſis, aut patris ſui, nec illis adeo poſitive contradixiſſet; *ego autem dico vobis* &c.

Ratio 2. p. quia id videntur docere SS. Patres. *Nec quod in lege dictum eſt, oderis inimicum tuum, vox jubentis juſto accipienda eſt, ſed permittentis infirmo*, inquit Auguſt. Et S. Hilar. [1] *amari etiam proximum lex exigebat, & in inimicum licentiam odii dabat. Diligi vero inimicos fides præcipit*. Et S. Gregor. [2] *cum in lege ſcriptum ſit, diliges amicum, & odio habebis inimicum tuum: accepta tunc juſtis fuerat licentia, ut Dei inimicos, ſuos quoque adverſarios, quanta poſſent virtute, comprimerent, eoſque ore gladii ferirent*. Quod in novo teſtamento compeſcitur &c.

Confir. nam in lege veteri erat lex talionis, [3] qua exigere poterat læſus *dentem pro dente*, & præcipiebatur delere inimicos populi, v. g. *Hethæos, Amorrhæos* &c. Id autem amplius non licet. Tunc id licebat zelo gloriæ Dei, & juſtitiæ; nunc Deus mavult miſericordiam, ſaltem inter privatos. Illa autem deletio, vel punitio tunc non fiebat ſine aliquo odio, vel amore vindictæ; ergo tunc permittebatur aliquale odium, ſed indirectum, & improprium, & ſub ratione formali iniquitatis illorum inimicorum.

Quæres 4. *an amor inimici ſit actus perfectior charitatis, quam amor amici, vel pure proximi*.

Reſp. in aliquo caſu, & ſub aliquo reſpectu poteſt præcellere amor amici, ſed regulariter, & cæteris paribus, præcellit amor inimici.

Ratio 1. p. eſt, quia occurrere poteſt caſus, in quo non poteſt utrique ſimul ſervari, & tunc, ſine dubio, præferendus eſt amicus, id honeſtius eſt, & juſtius, ut magis patebit infra, ubi de ordine charitatis.

Ratio 2. p. eſt, quia regulariter poteſt ſatisfieri præcepto charitatis quoad utrumque, & tunc laudabilius eſt, ceteris paribus, ſervire inimico, quia, quoad iſtum charitas eſt difficilior, & majorem facit vim humanæ inclinationi in vindictam, & odium inimici.

Confir. ex Script. tum ex majoritate præmii, quod eſt, pro amore inimici, filiatio divina, *ut ſitis filii patris veſtri*. Tum ex ipſa ratiocinatione Chriſti dicentis:

[1] *ſer. Dom. in mont.* 4. *Matt.*
[2] *hom.* 28. *Evang.* [3] *Deuter.* 20.

centis: *ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne Ethnici hoc faciunt?* Unde S. Hieron. vocat hanc charitatem, non quidem impoſſibilem, ſed perfectam.

QUÆSTIO V.

De ordine charitatis: an, & quis ille ſit.

JAm diximus, Deum ex charitate diligendum ſuper omnia, & proximum ſicut nos ipſos: ſic Deus eſt primum, & principale omnium diligibilium. Uno verbo debet eſſe aliquis ordo inter diligibilia, & qualis iſte ſit, hic inquirimus.

CONCLUSIO I.

E*X præcepto charitatis neceſſarius eſt ordo circa diligibilia, ita ut Deus primo, & ſuper omnia diligatur, tum ipſe quilibet homo ſeipſum diligat, tum proximum*. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Menſura eſt perfectior menſurato, ſed dilectio ſui eſt menſura dilectionis proximi*; ergo &c. Et, *charitas ex hoc, quod eſt principium tendendi in Deum.. igitur poſt Deum directiſſime vult quis ex charitate ſe diligere...* igitur immediate poſt Deum tenetur ſe diligere *ex charitate* &c.

Prob. 2. ex Scriptura; nam *diliges Dominum Deum tuum ... hoc eſt primum, & maximum mandatum, ſecundum ſimile eſt huic: diliges proximum tuum ſicut teipſum*; ergo Deus eſt primum diligibile, homo quilibet eſt ſecundum, & proximus ejus eſt tertium. Et cum ſponſa dicit, *ordinavit in me charitatem*; Gloſſa notat, *Oſtendit mihi, qualiter Deus, & qualiter proximus ſit diligendus*.

Prob. 3. ex Patribus, nam, inquit Auguſt. [2] *quatuor ſunt diligenda; primum, quod ſupra nos eſt, 2. quod nos ſumus: 3. quod juxta nos eſt*; (ſcilicet proximus) 4. *quod infra nos eſt*. Et hic ordo non eſt ſimplicis prioritatis, ſed prælationis, appretiationis, & majoritatis. Et *hæc regula dilectionis divinitus conſtituta eſt*; ergo &c.

Prob. 4.

[1] *3. d. 29. A. 2.* (2) *1. doctr. chr. 23.*

Prob. 4. nam ipſo lumine naturalis rationis conſtat ſingula eſſe æſtimanda, & amanda pro dignitate, & bonitate ſua intrinſeca, vel extrinſeca. Sed Deus eſt ſummum omnium bonorum in ſe, & quoad nos, & nobis; ergo eſt primo, & ſuper omnia, & propter ſe ſolum diligendus majoritate prælationis, appretiationis, & aliqualis intenſionis.

Prob. 2. p. nam menſura eſt prior menſurato; ſed ex Scriptura cit. amor noſtri eſt menſura amoris proximi; ergo amor noſtri ex charitate eſt prior amore proximi, vel alterius cujuſcumque objecti amabilis poſt Deum. Min. patet ex Script. cit. *diliges proximum ſicut teipſum*; ergo amor tui eſt regula, & menſura amoris, quem debes proximo.

Confir. 1. ex Auguſt. [1] *regulam diligendi proximum a ſemetipſo dilector accepit*. Nam vox, *ſicut*, ſignificat ad inſtar tui, æque ac te, ſeu ad ſimilitudinem, & æqualitatem amoris, ita ut, *quæ quiſque ſibi vult venire bona, illi velit, & quæ ſibi accidere mala non vult, illi nolit accidere*.

Confir. 3. exemplo virginum prudentum, quæ fatuis egentibus dare noluerunt oleum, *ne forte*, inquiunt, *non ſufficiat nobis, & vobis*; ergo ſeipſas prudenter aliis prætulerunt; niſi enim in charitate ſeipſas præferre debuiſſent, non diceret eas Chriſtus in hoc prudentes.

Sequitur 3. p. ſcilicet quod 3. loco in ordine diligendus ſit proximus.

Objic. 1. con. 1. p. in toto non eſt prius, nec poſterius; ſed Deus eſt totum objectum charitatis, eſt enim primum, a quo movetur, & ultimum, in quo quieſcit; ergo non debet dici primum diligibile, ſed totum abſolute.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. ejus; nam Scriptura non loquitur improprie, nec errat, cum dicit mandatum amoris Dei eſſe *primum, & maximum*, & amorem proximi eſſe *ſecundum*. Deus ergo eſt primum, & ſummum diligibile, ſed non adæquatum terminativum. Charitas ſecundario terminatur ad nos ipſos, & 3. ad proximum.

Inſt. Deus etiam in proximo diligitur; ergo ſolus diligitur, & eſt totum diligibile charitatis.

Reſp.

[1] *de vera Rel. 46.*

Reſp. diſt.ant.diligitur, & ſimul proximus, con.ſolus diligitur cum excluſione amantis,& proximi ejus: neg.ant. *nam homo ſeipſum, non propter ſeipſum debet diligere*, ait Auguſt.*ſed propter illud, ubi dilectionis eſt finis. Hæc regula. dilectionis divinitus conſtituta.*

Objic.con. 2. p. *charitas non quærit, quæ ſua ſunt;* ergo in ordine charitatis nemo debet ſepſum præferre aliis, ne quidem ſe diligere.

Reſp. diſt. ant. quæ ſua ſunt exluſive ab aliis, cum poteſt, & debet eis, & ſibi prodeſſe; con. in concurſu propriæ neceſſitatis cum aliena, & cæteris paribus: neg.ant. & conſ. nam exemplum habemus in virginibus prudentibus. In concurſu autem propriæ utilitatis cum ſervitio Dei non licet, quia ille eſt ſuper omnia diligendus; Unde arguit Paulus eos, qui [1] *quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ J. C.*

Objic.2.plures ſancti prætulerunt ſalutem proximi ſuæ prorpriæ ſaluti; ergo vel peccabant, vel charitatis ordinem non prævertebant; ergo non petit, ut homo ſe præferat proximo. Prob. ant. ex facto Moyſis orantis, [2] *aut dimitte illis, aut dele me*. Et Pauli optantis [3] *eſſe anathema pro fratribus ſuis*. Et Chriſtus dicit, quod [4] *bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*; ergo &c.

Reſp.neg.ant.& conſ. prob. 1. quia Moyſes petebat Deum abſtinere a deletione totius populi, aut ipſummet cum aliis delere de libro viventium, non qudem per mortem æternam, ſed per temporalem; non enim cogitabat de libro vitæ æternæ, ſed temporalis, nolens ſupervivere exterminio populi ſui. S. Paulus loquitur de tempore, quo perſequebatur Eccleſiam Dei, quo in favorem gentis ſuæ judaicæ volebat eſſe alienus, & reprobus a Chriſto, & a propria ſalute; vel ſic loquebatur ex nimio zelo converſionis judæorum, pro quibus libenter voluiſſet, per tempus differri propriam ſalutem. Sicut ſcribebat ad Philipenſes, [5] *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ſed permanere in carne neceſſarium eſt propter vos*. 3. *Anima*, ſumitur pro vita corporali,quam bonus paſtor exponit pro ſalute ſpirituali oviū ſuarū.

Colligas 1. quod tam homo ipſe, quam proximus, ſunt

(1) *Phil.* 2. (2) *Exo.* 32. [3] *Rom.* 9.
[4] *Joan.* 15. [5] *Phil.* 2.

ſunt diligendi primò, & principaliter propter Deum. *Te ipſum non propter teipſum debes diligere*, in quit Auguſt. [1] *ubi dilectionis tuæ finis rectiſſimus eſt*, &c.

2. Quod inter omnia diligibilia debent præferri, quæ ſunt ad Deum, & Dei obſequium: alioqui Deus non diligeretur ſuper omnia, & hoc ipſo, quod Deus non reſpicitur ut objectum principale, & attributionis, charitas non eſt virtus Theologica, ut patet ex dictis.

3. Quòd poſt Deum debemus nos ipſos diligere, & quidem primò, quoad ea, quæ ſpectant ad animæ ſalutem, & bonum ſpirituale. Quia bona, pro dignitate diligenda ſunt tam nobis, quam proximis; ſed animæ bona ſpiritualia præcellunt bona corporalia; ergo in ordine charitatis homo ſe debet prius diligere quoad illa.

4. Idem ordo ſervandus in amore proximi; nam poſt animam noſtram debet diligi proximus quoad ſpiritualia, ſicut nos ipſos amamus primò quoad illa bona, ita ut amplius diligamus ejus animæ ſalutem, quam corpus noſtrum, ait Auguſt. [2] & ſic de temporalibus.

5. Comparatione facta inter corporalia, & temporalia, ordo charitatis poſtulat,ut quæ ad nos ſpectant, præferantur iis, quæ ſpectant ad proximos ob eandem rationem. Imò ſæpè debemus exponere vitam corporalem pro ſalute animæ proximi, non autem pro ſalutæ ejus temporali; nam inquit idem Auguſt. [3] *ſiquis pro temporali alterius vita ſuam temporalem perdit, non eſt jam diligere illum ſicut ſeipſum, ſed pluſquam ſeipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit*. Hoc autem verum eſt, regulariter loquendo, nam aliquando, ex heroica charitate, & ex vehementi motu Spiritus S. plures expoſuerunt ſe pœnis, & morti corporali pro aliis, ut legitur de S. Paulino,qui pro captivis redimendis ſeipſum tradidit captivitati, & ſic de aliis multis.

6. Ex eodem ordine charitatis in proximum, ſanctiores, & meliores præferendi ſunt aliis, quia illi ſunt chariores Deo, & magis diligunt Deum, & diliguntur ab eo:ergo & à nobis plus debēt diligi. Quippè ſan-

[1] *doctr. chr.22.* [2] *Ibid.c.27.*
[3] *l.de mendac.6.*

ſanctior eſt copula mentium, quàm corporum. Boni autem nobis conjuncti ſunt vinculo charitatis, inquit Magiſter.

7. Poſt iſtos, præferendi ſunt, (cæteris paribus) ſanguine conjuncti, ut pater, & mater primatum tenent, & ſic de aliis per ordinem proximitatis.

Ideò in decalogo præcipitur, *honora patrem tuum, & matrem* &c. Et in Levitico dicitur, *non contaminetur ſacerdos in morte civium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, & propinquis* &c. Plura vide apud Caſuiſtas.

QUÆSTIO VI.

An diligere Deum ſuper omnia, & ſupra nos ipſos, ſit conformius inclinationi naturæ.

HÆc quæſtio eſt purè ſcholaſtica, & ſpeculativa, & ſolet agitari, ut ſciamus, an ille ordo charitatis, quo diximus præcipi, ut Deus ametur ſupra nos ipſos, ſit ex inclinatione charitatis ſupernaturalis, & infuſæ, potiùs quàm naturæ, ſeu charitatis naturalis. Et quidem certum eſt inclinationem in Deum amandum ſuper omnia, & ut finem ſupernaturalem, & ultimum, non poſſe eſſe à natura, ſicut nec cognitionem ejus ſub illa ratione, ſed quæſtio eſt de Deo in ſe, & ut eſt finis ultimus naturalis, & naturaliter cognoſcibilis.

CONCLUSIO

NAtura magis inclinat ad diligendum Deum, quam nos ipſos. Eſt communior inter Thomiſtas, & Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto jam cit. in tr. de gratia, ubi probamus, [1] *hominem ex naturalibus* poſſe diligere Deum ſuper omnia. *Nam rationalis oſtendit natura intellectuali eſſe aliquod ſummè diligendum, quia in omnibus actibus, & objectis eſſentialiter ordinatis eſt aliquid ſupremum, & ita aliqua ſuprema dilectio, & ita ſupremum objectum ſic diligibile. Ratio autem naturalis non oſtendit aliud à bono infinito eſſe ſummè* di-

[1] 3. *d*. 27. *G*. 13.

diligendum, alioqui charitas inclinaret in oppoſitum ejus, quod dictat recta ratio, & ſic non eſſet virtus: ergo dictat ſolum ſummum bonum infinitum eſſe ſummè diligendum; ergo voluntas hoc poteſt ex ſolis naturalibus. Nihil enim poteſt intellectus rectè dictare, in quod dictatum non poſſit voluntas naturalis naturaliter tendere: aliàs voluntas eſſet naturaliter mala, vel ſaltem non libera: ergo ex Scoto, ſicut naturalis ratio dictat Deum eſſe ſummè diligendum, & ſupra nos, ita voluntas inclinat naturaliter in eam dilectionem.

Prob. 2. ex eodem. Voluntas rationalis naturaliter inclinatur ad magis amandum ſaltem appretiativè majus bonum; ſed Deus eſt majus bonum ipſo homine, & id naturaliter eſt cognoſcibile; ergo inclinatur naturaliter ad Deum amandum ſuper nos ipſos. Prob. maj. ex philoſopho: fortis politicus ex recta ratione debet exponere ſe morti pro ſalute Reip. quia ſalus iſta eſt majus bonum, quàm vita ullius privati; ergo hoc ipſo, quòd recta ratio dictat Deum eſſe bonum infinitum, & per conſequens ſummum bonum, & ſummè amandum, voluntas inclinat ad illum ſuper nos ipſos amandum, ſaltem prælativè.

Confir. ideò ſalus Reip. eſt majus bonum, quàm ſalus ullius privati, quia hoc pereunte non perit Reſp. hac autem pereunte, pereunt omnes privati, & ipſe politicus: Sed Deus eſt infinitè majus bonum ſuper omnes creaturas, & ſupra nos ipſos, quàm omnes reſpublicæ ſuper omnes privatos earum, aut ſuper minimam formicam, vel atomum; ergo ſi natura dictat, & inclinat ad præferendam ſalutem reipublicæ ſaluti noſtræ propriæ, & privato, multo magis incomparabiliter inclinat ad amorem Dei ſupra nos ipſos.

Prob. 2. (quod ferè eodem recidit) natura rationalis dictat Deum eſſe ſupra ſeipſam diligendum; ergo ad hoc inclinatur; alioqui eſſet de ſe mala, & inclinata ad malum, quod nemo dixerit.

Confir. charitas infuſa, & ſupernaturalis inclinat nos ad Deum amandum ſupra nos ipſos; ergo & natura. Prob. conſ. nam ſi charitas inclinaret nos ad aliquid contra dictamen rectæ rationis naturalis, non eſ-

eſſet vera virtus, nec perficeret, ſed deſtrueret, aut perverteret naturam, vel Deus feciſſet naturam, curvam, & inclinatam ad malum, ſcilic. ad ſe præferendam Deo ipſi, ſed in hoc eſt ſumma depravatio, & conſ. eſt abſurdum, & falſiſſimum, & erroneùm; ergo &c.

Confir. 2. nam Deus indidit omnibus creaturis inclinationes rectas ad ſe, ut ſummum bonum illarum. *Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus*, & ut loquitur Auguſt. *feciſti nos Domine ad te, & irrequietum cor noſtrum, donec quieſcat in te*; ergo naturaliter ad hoc inclinamur.

Objic. 1. Si natura inclinaret ad amandum Deum ſupra nos ipſos, non indigeremus gratia ſupernaturali ad id præſtandum, & vincendam concupiſcentiam: ſed conſ. eſt contra fidem, ut pàtet ex tr. de gratia; ergo &c. Prob.maj. nam ſufficeret relinquere naturam in ſua inclinatione naturali.

Reſp.neg.maj.& diſt. prob. relinquere ad aliqualem amorem debilem, imperfectum, & breviſſimum, con. ad amorem perfectum, robuſtum, & conſtantem, & ſicut oportet ad ſalutem; neg. ant. nam licet recta ratio dictet hunc amorem, & ad eum voluntas inclinet de ſe, tamen aliunde trahitur in contrarium à concupiſcentia, & maxime poſt amiſſam juſtitiam originalem. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, inquit Sapiens.

Objic.2. Quod eſt convenientius, eſt amabilius, & ad illud amandum naturaliter inclinamur; ſed quiſque ſibi magis convenit, quam Deus; ergo quiſque magis inclinatur ad ſui amorem, quàm Dei. Probat. min. ex Phil. [1] *Amabile bonum, unicuique proprium.* [2] Item, *Amicabilia ad alterum ſumuntur ex amicalibus ad ſe*; ergo bonum, ſeu eſſe noſtrum eſt nobis convenientius.

Reſp. neg. min. & ant. nam à parte rei, & lumine naturæ conſtat nos nihil eſſe niſi ex participatione divini eſſe, & bonitatis; ergo nec nos eſſe quidquam amabile niſi ſub Deo. Philoſophus autem hæc dicens non cogitabat de Deo comparativè ad nos.

Inſt.

[1] *Elanch.* 2.
[2] *Ethib.* 6.

Inſt. major convenientia, & bonitas, & amabilitas menſurantur ex majori unitate cum appetitu, ſed Deus non magis unitur nobis, quam noſtrum eſſe; ergo nec magis eſt nobis amabilis.

Reſp. diſt. maj. unitate adhærentiæ, vel dependentiæ, conced. unitate phyſica, vel metaphyſica, neg. maj. & conſ. Deus enim magis unitur nobis per virtutem ſuam, & dependentiam noſtram; ab eo, a quo habemus ipſum eſſe noſtrum, ſine quo caderet in nihilum.

Objic. 3. Si magis natura propenderet in Deum, intenſius amaretur, & libentius exponeremus vitam pro ipſo, ſed hoc non facimus; ergo &c. Prob. min. nam potius experimur repugnantiam, quam inclinationem moriendi pro Deo; ergo &c.

Reſp. diſt. min. hoc non facimus actu elicito, conc. ex appetitu innato; neg. min. nam licet depravatio, ac rebellio appetitus, detineat nos, ne firmius adhæreamus Deo, & ne actu elicito exponamus vitam pro ipſo, tamen ratio naturalis hoc dictat faciendum, & natura de ſe in id propendet.

Inſt. ratio naturalis dictat, quod ſi per impoſſibile Deus ceſſaret eſſe, non vero nos, adhuc maneret in nobis aliquid boni, ſaltem bonum entis, & vitæ, ſi autem nos ceſſemus eſſe, nihil prorſus remanet nobis; ergo ratio naturalis dictat, quod nobis melius eſt eſſe, quam pro Deo velle non eſſe: ergo &c.

Reſp. neg. conſ. nam ex illa hypotheſi Deus non eſſet ſumme bonus, nec ſumme amandus. Denique non eſſet Deus. Nam implicat Deum eſſe, & poſſe non eſſe, & ſic implicat illa conſequentia.

DIS-

DISPUTATIO XII.

De vitiis charitati oppoſitis.

INter actus charitatis poterat diſputari de *gaudio*, *de pace*, *de miſericordia*, *de correptione fraterna*, *eleemoſyna*, *beneficentia*, & aliis ſimilibus, quæ videntur ſpectare ad charitatem; ſed poſſunt etiam pertinere ad alias virtutes morales, quæ poſſunt æque imperari ab iſta, & de illis alias. Reſtat ergo agendum de vitiis præcipuis, & magis directe oppoſitis charitati.

Dico, *magis directe*. Quia ſicut virtutes omnes aliquo modo ſpectare poſſunt ad charitatem, ita & omnia vitia aliquo modo eidem opponuntur, & ſic poſſent hic tangi omnia, quod non vacat facere. Sed præcipua ſeligemus, quæ ſpecialiter ſunt oppoſita: ut odium Dei, & proximi.

QUÆSTIO I.

De odio Dei: an ſit poſſibile, & in quo conſiſtat, & quale ſit peccatum.

EX dictis de paſſionibus, *odium* eſt averſio ab aliquo apprehenſo ut diſconveniente, ſeu nocivo, & malo. Aliud eſt *abominationis*, quod opponitur amori concupiſcentiæ, quatenus objectum apprehenditur ut malum nobis. Aliud *averſionis*, ſeu *inimicitiæ*, quo perſona apprehenditur ut in ſe mala, & ideo ei optamus malum, ſicut amor benevolentiæ, ſeu amicitiæ, cui opponitur, eſt actus, quo per ſe amatur perſona, & quo volumus illi bonum, & ſicut gaudemus de bono illius, quem ſic amamus, & dolemus de malo ejus, ſic gaudemus de malo ejus, quem odimus, & dolemus de bono ejus. Hoc ſuppoſito, quæritur, an poſſibilis ſit in creatura rationali odium aliquod Dei, & quidem averſionis, & inimicitiæ, qui ſolus opponitur veræ charitati? Tum quale ſit peccatum?

CONCLUSIO I.

P*Oſſibile eſt in creatura rationali odium Dei*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *damnati odiunt Deum: juxta illud: ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*. *Odiens autem vult oditum non eſſe, ex philoſ. ergo volunt Deum non eſſe*; ergo ex Scoto poſſibile eſt in creatura odium Dei, & de facto datur in damnatis.

Prob. 2. ex Script. nam Deus ipſe minatur, [2] *his, qui oderunt me, retribuam*. Item, *ſurge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te*. Et David imprecatur, *Dextera tua inveniat omnes, qui oderunt te*. Et, *qui oderunt te, extulerunt caput*. Et Chriſtus, *qui me odit, & patrem meum odit*: ergo Deus habere poteſt oſores, & inimicos.

Prob. 3. ut aliquid poſſit odiri, ſufficit, ut poſſit apprehendi ſub aliqua ratione diſconvenientis, & nocivi; ſed Deus poteſt ſic apprehendi; ergo & odiri. Prob. min. Deus poteſt apprehendi ut auctor malorum pœnæ, ut prohibens delectationes ſenſuum, ut excitans, & acuens ignes inferni &c. Sed hæc ſunt mala pœnæ, & diſconvenientia appetitui; ergo ſub his rationibus diſconvenientis poteſt apprehendi, & de facto ſic apprehenditur, & oditur a damnatis, & a peccatoribus.

Probat. 4. poſſibilis eſt in homine infidelitas in Deum; ergo & odium. Prob. conſeq. tam repugnat infidelitas divinæ veracitati, quam odium ejus bonitati; ergo ſi poſſibilis eſt infidelitas illa, ita & odium illud.

Objic. 1. Scotus non putat [3] *actum charitatis habere oppoſitum, ſc. odium Dei* .... quia *Deus non poteſt odiri ab aliqua voluntate*; ergo ex Scoto odium Dei non eſt poſſibile, vel ſibi contradicit.

Reſp. diſt. utrumque antec. non poteſt odiri ſub ratione bonitatis, ſub qua eſt objectum charitatis, con. ſub aliqua ratione mali in eo apprehenſi, neg. ant. ſc. loquitur de Deo, ut in ſe bono, & ut tali cognito, non autem de Deo, prout poteſt apprehēdi ſub aliqua ra-

[1] 3. *d*. 6. *q*. 1. *A*. 3. [2] *Deut*. 32. [3] 2. *d*. 43. *q*. 1. *D*.

ratione diſconveniente appetitui. Præterea Scotus ibi non loquitur abſolute, ſed dubitanter, ut patet in textu.

Objic.2. voluntas non poteſt odiſſe bonum, ut bonum ſicut, nec amare malum, ut malum, ſed Deus eſt pure bonus, & repugnat ei omnis malitia; ergo & odiri non poteſt.

Reſp.diſt.min. eſt pure bonus in ſe, & ad ſe, & cognitus cognitione, quæ illi conveniet; con. reſpective ad aliquos, & cognitus, vel conſideratus perverſe, neg. min. nam reſpectu damnatorum conſideratur ab eis,ut auctor pœnarum, quibus cruciantur, non conſiderantes, quod juſtæ ſunt; & ſic oderunt eum. Sic eſt de peccatoribus, qui conſiderant eum, ut prohibentem delectationes eorum parvas non conſiderantes rationem, &c.

Objic. 3. Si ad Dei odiũ ſufficeret apprehendere in eo aliquid diſplicens,poſſet eſſe in beatis: quia poſſent eum reſpicere, ut punientem amicos eorum,parentes, & propinquos, ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg.maj.& conſ.prob.nam cum voluntas beatorum ſit perfectiſſime unita; & conformis voluntati Dei, nihil eorum, quæ placent Deo, poteſt eis diſplicere. Non ita eſt de voluntate obliquabili, vel depravata, ut eſt in damnatis, & peccatoribus, qui oderunt in Deo vel ipſam ſcientiam ejus, qua videt eorum ſcelera occultiora, *dixerunt non videbit Dominus*, ſc. nollent, ut videret.

Inſt.1. voluntas non vult impoſſibile, ſed impoſſibile eſt Deum non eſſe juſtum, & punientem, ergo non poſſunt eum odiſſe, ut talem.

Reſp.diſt.maj. non vult impoſſibile actu efficaci, & abſoluto, con.inefficaci. & conditionato, neg.maj.& conſ. nam patet de Lucifero, qui potuit ita appetere Dei æqualitatem.

Inſt.2. tale odium non terminaretur ad Deum, nec ad ejus atributa, ſed ad mala, quæ in eo fingunt; ergo non eſſet verum odium Dei, nec contrarium charitati Theologicæ. Prob. conſ. quia illud non eſſet de eodem objecto,ſc.non reſpiceret directe Deum ut charitas; ergo &c.

Reſp.diſt.min.ad Deum, & attributa formaliter, & reduplicative: con. indirecte, & ſpecificative; neg. min.

min. & conſ.nam odium non reſpiceret quidem juſtitiam, ut bonum, ut facit charitas, ſed ut inductivam pœnæ, ſub quo reſpectu nollet eam eſſe in Deo, imò nec Deum ipſum eſſe, ut prohiberet, vel puniret peccatum.

CONCLUSIO II.

Omne *odium Dei ex objecto eſt peccatũ graviſſimũ*. Prob. 1. ex Scoto. Qui licet dubitet de poſſibilitate odii Dei probe cogniti, & ex perfecta deliberatione, docet tamen, quod *charitas habet oppoſitum*, *ſc. odium Dei*, *quod eſſet maximum peccatum* &c.

Prob. 2. ex ſcript. cit. ubi Deus dicitur graviter ulciſci odium ſui; *his*, *qui oderunt me*, *retribuam*, *inebriabo ſagittas meas ſanguine*: & ſollicitatur, *exurge Domine*, *& diſſipentur inimici tui*, *& fugiant*, *qui oderunt te*. Sed gravitas peccati penſatur ex ira Dei, & ex pœnis, & iſtæ graviſſimæ ſunt; ergo &c.

Prob. 3. gravitas peccati ſumitur, vel ex gravitate præcepti violati, vel ab objecto, à quo avertit, vel ex virtute, cui opponitur; ſed odium Dei ex his capitibus eſt maximum; ergo &c. Prob. min. 1. eſt tranſgreſſio *primi*, *& maximi præcepti*, *diliges Dominum Deum* &c. 2. avertit directè a Deo, ſummè amabili, & 3. opponitur charitati, quæ eſt maxima virtutum, Certe *illud eſt peſſimum*, *quod optimo eſt contrarium*, ait Philoſophus.

Dixi, *ex objecto*. Nam ex circumſtantiis aliquot poſſet multùm minui, vel etiam aggravari, v. g. ex ignorantia, vel violentia paſſionis excęcantis, & prævenientis deliberationem alleviaretur, & ex malitia aggravaretur.

Objic. 1. odium Dei venit ab exceſſu amoris proprii; ergo iſte amor eſt majus peccatum. Ant. patet, nam omne odium venit ex aliquo amore. Prob. conſ. nam omnis cauſa eſt potior ſuo effectu.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. nec enim eſt ſemper verum, ſaltem in moralibus, quod cauſa ſit potior effectu. Præterquamquod malitia odii potiùs aggravat malitiam illius amoris.

Objic. 2. peccatum in Spiritum S. eſt maximum, & irremiſſibile; ergo eſt gravius odio Dei; ergo iſtud non eſt mximum.

Reſp. neg. ant. nam odium Dei eſt magis directè contra Deum, & per conſequens in Spiritum S. de irremiſſibilitate autem diximus alibi.

QUÆSTIO II.

De odio proximi, quid, & quale ſit peccatum.

ODium proximi reſpicit vel perſonam, vel qualitatem perſonæ, & ſi hæc mala eſt, v. g. ſi ſit vitium aliquod, non videtur peccatum eſſe: quia nullus eſt amabilis ſub illa qualitate: nec enim tenemur ex charitate diligere peccatorem ſub illa ratione peccati, vel inimicitiæ.

Porrò ex dictis de amore, quo tenemur amare proximum, facilè colligitur, quod ſicut ex charitate debemus illi velle bona ſpiritualia, & temporalia, quæ nobis ipſis amamus, ſive amore deſiderii, ſi ſunt abſentia, ſive complacentiæ, ſi ſunt præſentia: ſic odium conſiſtit in hoc, quòd nolumus illi talia bona, vel volumus illi mala oppoſita, aut in illis malis ejus complacemus, & lætamur.

CONCLUSIO.

N*On omne odium proximi eſt peccatum, ſed illud ſolum, quod reſpicit perſonam.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui præceptum poſitivum dilectionis proximi explicat, *pro non odire, quia præcepta affirmativa magis ob igant, ne contraria eorum fiant*. Et addit, quòd non poſſumus odire proximo, vel inimico *bonum ſpirituale, quo ſi. attingit, vel attingere poteſt Deum* &c. Non ita eſt de malis, aut bonis indifferentibus; nam hæc odiſſe in proximo, non putat adeò malum.

Prob. 1. p. ex Script. & Patribus, nam conſtat proximum ſub multis rationibus, & qualitatibus, ſeu reſpectibus poſſe odiri. Sic dicebat David, [2] *Iniquos odio habui*, Et, [2] *facientes prævaricationes odivi*, Item, *odivi Eccleſiam malignantium*, Et, *omnes, qui te oderunt oderam* &c. Unde Auguſt. docet, *noli in homine amare errorem, ſed hominem. Quia hominem*

[1] 3.*d*.30.*F*.3. [2] *pſ*.118. [3] *pſ*.109.

nem Deus fecit, errorem ipſe fecit, ama, quod Deus fecit; non quod ipſe homo fecit; ergo ex ſcriptura, & Patribus non omne odium proximi eſt peccatum contra charitatem.

Prob. denique, proximus non eſt amandus, niſi quatenùs eſt bonus, & quidem in ordine ad Deum, quatenùs eum diliget, & diligetur ab eo; ſed potiùs eſt odiendus prout ipſe odit Deum, vel oditur à Deo; ſed homo non ſemper amat Deum, nec amatur à Deo, ſed ſæpè illi odibilis eſt; ergo & a nobis ſæpiùs odiri poteſt ſine peccato.

Prob. 2. p. ex ſcript. jam cit. pro amore, nam ex præcepto debet amari poximus; ergo peccatur contra illud præceptum, ſi non amatur, & à fortiori ſi oditur.

Confir. Nam ipſum odium, etiam formaliter, prohibetur, [1] *Ne oderis fratrem tuum in corde.* Item [2] *qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt.* Imò & *homicida eſt.*

Prob. 2. nam præcepta omnia 2. Tabulæ obligant graviter, & ſub mortali: ſed illa omnia prohibent odium proximi, vel effectus odii, nempe mala omnia, quæ illi velle, aut inferre poſſumus circa perſonam, aut bona ejus: *ut non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, &c. ergo odium perſonæ proximi eſt peccatum grave.

Confir. ex Auguſtino. [3] *Ne putetis, leve eſſe odiſſe.... omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.... Non movit manum ad occidendum hominem, & homicida jam tenetur à Domino*, &c. ſed malitia homicidii eſt ſine dubio graviſſima; ergo & odium hominis.

Objic. 1. Odium ſæpiùs venit ab ipſa natura, ſc. ex naturali antipathia, & humorum contrarietate; ergo non eſt peccatum etiam in perſonam. prob. conſ. quod eſt à natura, non eſt peccatum; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. quod eſt à natura, & ſine deliberatione, & conſenſu voluntatis, con. cum deliberato conſenſu voluntatis, neg. ant. & conſ. nam odium, de quo loquimur, eſt actus deliberatus voluntatis, non autem pura contrarietas humorum.

Objic. 2. ex ſcriptura præcipimur odiſſe patrem, matrem, & amicos; ergo à fortiori licitum eſt odium

[1] *Levit. 19.* [2] *1. Jo. 2. & 3.* [3] *tr. 7. Ep. Jo.*

cujuslibet proximi, & eſt ſæpè actus virtutis.

Reſp. diſt. ant. odiſſe parentes, &c. quatenus nobis ſunt impedimento obſequii Dei, & ſalutis, con. Præcisè, & formaliter in perſonis, neg. ant. & conſ. Præcipimur odiſſe illos, *quos in via Dei adverſarios patimur*, non autem perſonas abſolutè, neque ut parentes, vel propinquos.

Quæres, *Ad odium proximi poſſit numerari inter vitia capitalia*.

Reſp. poſſe aliquo modo. Nam vitium dicitur *capitale*, quia ex eo quaſi ex fonte, & capite fluũt alia plurima: ſed ex odio proximi manant innumera, & ferè omnia alia vitia, & peccata, maximè quæ ſunt contra precepta 2. Tabulæ; ergo &c. prob. nam dicitur de fratribus Joſeph, *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui*. Et S. Joannes dicit, quod [1] *qui odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat*, id. in omni peccato; incidet in omnia peccata, in furta, homicidia, mendacia, &c.

Cõnfir. Nam ſicut aliæ virtutes naſcuntur ex charitate, quæ *patiens eſt*, *benigna eſt*, &c. ſic omnia ferè ſcelera naſcuntur ex vitio oppoſito charitati, ſc. odio proximi.

QUÆSTIO III.

De invidia, acedia, & aliis vitiis charitati oppoſitis.

PRæter odium, de quo mox dicebamus, ſunt & alia plura vitia charitati oppoſita, maximè erga proximum. De quibus breviter dicimus, quid illa ſint, ampliorem explicationem relinquentes moralibus.

1. *Acedia* eſt vitium oppoſitum gaudio, quod charitas affert propter bonum divinum, & ſignificat tædium, ſeu torporem animi, quo ſic dejicitur, & aggravatur, ut nihil boni agere libeat; & deſcribitur à S. Gregorio, [2] *Rancor, puſillanimitas, torpor, & deſperatio circa divina præcepta*. Et à Damaſceno, [3] *triſtitia aggravans mentem, qua quis bonum*

[1] 1.Jo.2. [2] 2.Reg.14.
[3] 2.fid.

rum inceptum faſtidit. Idem docet Richardus, & alii; de hac querebatur David. [1] *Dormitavit anima mea præ tædio*. Et monebat ſapiens. [2] *Non acidè feras in anima tua*.

Hæc autem opponitur charitati, quatenus impedit bonum ſpirituale hominis, & impletionem præceptorum Dei, quæ apprehendit ut difficilia, & ſuſceptionem Sacramentorum, maximè pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Unde ſicut charitas reddit homini omnia ſuavia, & facilia, *Amanti nihil difficile*, & ut dicit Auguſt. *Jugum Chriſti amanti leve eſt; amanti ſuave eſt: ita non amanti durum eſt*; ſc. acedia reddit omnia homini, quem afficit, difficilia, amara, inſipida, &c.

Eam communiter ponunt Theologi inter vitia capitalia, quia ex ea pullulant plura alia vitia, & peccata, ſicut & ex otio, quod cum illa confundunt, & quod dicitur parens omnium vitiorum; nam ut ait ſapiens, [3] *multam malitiam docuit otioſitas*.

2. *Invidia* dicitur, vel à negatione, & defectu, vel à nimietate videndi; quia ſc. invidus ægrè videt in proximo felicitatem, vel nimis curioſè ſcrutatur eam, ut ſciat, quomodo illam minuere poſſit, ne propriam offuſcet. Appellatur etiam *livor*, *æmulatio*, *zelus*, *zelotypia*, licet duo iſta ſæpe ſumantur in bono ſenſu in ſcriptura. Sumuntur in malo ſenſu, & pro ſpecie invidiæ, cùm dicitur; [4] *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*. Et, [5] *Ne æmuleris ſuper impios*. Et, *dura ſicut infernus æmulatio*. In bono ſenſu accipitur, cum legis, *æmulamini charismata meliora*. Et, [6] *æmulor vos Dei æmulatione*. *Et*, *zelavi ſuper iniquos*. Et, [7] *Accendetur velut ignis zelus tuus*, ſc. *zelus* in bono ſenſu ſignificat ardentem amorem, quo fit, ut quis cupiat eſſe ſolus amans, & amatus; ſicut *æmulatio*, ſtudioſiorem imitationem in bono.

Porrò *invidiam* variè deſcribunt Patres, & Theologi: ex Auguſtino dicitur *odium felicitatis alienæ*. Ex Theodoreto, *Gravis perturbatio animi, quæ felicitatem proximi ferre nequit*. Communiter autē deſcribitur *triſtitia de bono alterius*, quatenus invidens putat

 ſuam.

[1] *pſ.* 118. [2] *Eccl.*4. [3] *Ec.*34. [4] *pſ.* 30.
[5] *Pro.*3. *&* 24. [6] 1.*cor.*11. [7] *Pſ.*72. *&* 78.

ſuam minui ex illius gloria, vel felicitate, nam, inquit Cyprianus, [1] *Quantò ille, cui invidetur, ſucceſſu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus exardeſcit.*

Grave peccatum eſt invidia, & vitium capitale, ex quo pariter innumera pullulant. Ideo legimus in ſcripturis, [2] *Parvulum occidit invidia*. Et inter alia graviora numerantur carnis opera, qualia ſunt [3] *contentiones, æmulationes, ſectæ, invidiæ, & qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Et ut dicit Auguſt. [4] *Invidia eſt opus diaboli, quod & proceſſit ex illo, & in illo manet*. Et [5] *diaboli malum eſt.... immane vitium eſt.*

Quod autem ſit directè contrarium charitati vitium, patet, quia ſicut charitas gaudet de bono alterius, ſicut de proprio, *& non æmulatur*, ita invidia dolet de bono; & felicitate proximi, ut de proprio malo, vellet eam non eſſe, ut ipſe ſolus eſſet felix, & alterius exaltationem putat eſſe ſuam depreſſionem, & miſeriam.

3. Alterum vitium charitati oppoſitum eſt *diſcordia*. Nam ſicut *concordia*, & conſenſus animorum, ac voluntatum in unam, eandemque ſententiam, & intentionem eſt opus charitatis, & fomes; ſic diſcordia, & illorum diſſenſus ab illa unitate venit ex defectu charitatis, & eam extinguit. Et ſicut concordare poſſunt in malo, & in bono, ſic & diſcordare. Diſcordia in malis non eſt mala: & in bonis non eſt bona, ſed peſſima. Igitur *diſcordia*, quæ eſt peccatum contra charitatem, *eſt diſſenſio animorum, & voluntatum in iis, quæ ad Dei obſequium, vel proximi, vel Reipublicæ bonum, & ſalutem ſpectant.*

Igitur non omnis *diſcordia* eſt peccatum, nec contra charitatem, in rebus indifferentibus eſt indifferens, & non mala; ut ſi quis diſcordet a ſocio volente ludere, aut ambulare, aut ſedere. Aliqua etiam bona eſt, & actus virtutis, ut cum diſſentimus erroribus, & diſcordamus a peccatoribus. Tunc vero mala eſt, cum diſcordamus ab aliis circa bonum commune Dei, aut proximi, aut Reipublicæ, in quo ne-

[1] *c.* 1. *ep. Rom.* [2] *Job.* 5.
[3] *Gal.* 5. [4] 1. *con. Jul.* 3.
[5] 1. *con. petil.*

neceſſaria eſt concordia. Et tunc opponitur charitati, ſicut & paci, ac concordiæ, quæ eſt proprietas, vel effectus charitatis.

Ratio eſt, quia ex præcepto charitatis in Deum, & proximum tenemur convenire in his, quæ ſpectant ad bonum Dei, & proximi volendum, & procurandum; ergo diſcordia in his caſibus eſt peccatum contra hoc præceptum.

Confir. ex Script. nam Deus [1] *deteſtatur eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias*. Et ait Gloſſa, [2] *majus eſt facinus illud, quo unitas fraterna, quæ per Spiritus Sancti gratiam eſt connexa, diſſipatur*. Et Apoſtol. inter enormia vitia ponit [3] *contentiones, diſſenſiones, æmulationes*, & inter opera carnis, *contentiones, iras, diſſenſiones, qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Et è contra, de concordia dicitur; [4] *pax multa diligentibus legem tuam*. Et ut docet Bernardus: [5] *factus eſt in pace locus eius*, ſcil. Dei, ſicut in diſcordia ſit locus diabolo.

4. Contentio eſt in ore, & verbis, ſicut diſcordia eſt in corde. Et conſiſtit illa in quadam altercatione verborum contra veritatem, & ad eam impugnandam. Et ideo paci, & charitati opponitur, quam lædit acribus, & pungentibus verbis. Differt à *diſcordia*, quæ, ut dixi, conſiſtit in diſſenſione voluntatum exteriùs ſignificata per ſigna, ſed ſine clamore, & acrimonia. Item & à rixa, quæ conſiſtit in factis contrariis, & nocuis.

Hæc autem deſcriptio contentionis patet ex SS. Patribus: nam inquit Ambroſ. [6] *Eſt impugnatio veritatis per confidentiam clamoris*. Et Hieronymi *contentio eſt, ubi non ratione aliquid, ſed animi pertinacia defenditur: & ubi jam non veritas quæritur, ſed proximus fatigatur*. Ex his ultimis verbis patet, quomodo hoc vitium opponatur charitati, quia ſcilic. tendit in fatigationem proximi

[1] *Prov.6.*
[2] *2. Cor.12.*
[3] *Gal.5.*
[4] *Pſalm.118.*
[5] *Ser.4.dedicat.*
[6] *Rom.12.9.*

mi ex quodam odio, vel æmulatione, aut invidia.

Hinc patet illam eſſe grave peccatum, & committitur 1. impugnando veritatem cognitam, 2. cum impugnatur dictum alterius, & impugnans non curat de veritate, aut falſitate ſuæ opinionis. 3. cùm oppugnat rem, quam neſcit, & quam deberet ſcire: & hoc ex animo contradicendi, ut diſpliceat propugnanti, nulla moderatione ſervata, maximè in verbis.

Hoc peccatum graviter prohibet Scriptura, nam monet Apoſtolus, [1] *Idem ſapiatis eandem charitatem habentes, unanimes, id ipſum ſentientes; nihil per contentionem, & inanem gloriam*, &c. Item, [2] *noli verbis contendere, ad nihil enim utile contenditur, niſi ad ſubverſionem audientium*. Item, *Timeo, ne forte contentiones, æmulationes, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones, animoſitates, diſſenſiones, detractiones ſint inter vos*.

Confir. ex Patribus, nam inquit Theodor. *Stultæ ſunt diſputationes, quæ ex contentione fiunt, & non propter aliquam utilitatem. Oportet enim eum, cui divina doctrina condita eſt prædicanda, eam prædicare abſque contentione*. Et Iſidor. *contentio faces odiorum accendit, pacem cordis contentio extinguit, concordiam contentio rumpit*. Ex his malis colligitur gravitas hujus vitii.

5. Occurrit *ſchiſma*: quod ab etymologia ſignificat *ſciſſuram*, quia eſt diviſio, & ſciſſura unionis requiſitæ in omni politia: ſed propriè ſignificat receſſum à capite, ſeu ſuperiore Eccleſiaſtico, & præcipuè à ſummo Pontifice. [3] *Eſt enim ſchiſma disjunctio, qua quis ſeparat ſe ab unitate Eccleſiæ, ut eſt quoddam corpus myſticum, conſtans ex diverſarum conditionum fidelibus, tamquam membris inter ſe connexis, præcipuè cum ſummo capite Pontifice Chriſti Vicario*, inquit Seraphicus Bonaventura. Brevius, *eſt illicita diſſenſio eorum, inter quos debet eſſe unitas*.

Inde patet, quod ſchiſma eſt grave peccatum oppoſitum charitati. Nam inquit Auguſt. [4] gravitas

[1] 2. *Tim.* 2. [2] 2. *Cor.* 12. [3] *Spec. c.* 1.
[4] *Ep.* 219.

tas peccati arguitur ex gravitate ſupplicii: quippe gravius punitur, quam Idololatria in Iſraelitis. *Idololatras enim in populo Dei glaudius interemit, ſchiſmaticos autem terræ hiatus abſorbuit*. Idem notat Sanct. Bernardus, & alia exempla adducit in idem. Et Cypria. de Novatiano ſchiſmatico dicit, *Alienus ſit, & prophanus Dominicæ pacis, ac unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, ideſt in Eccleſia Dei, in qua non niſi concordes, & unanimes habitant*.

Idem patet ex SS. Canonibus, in quibus ſchiſma æquiparatur infidelitati, ſeparat ab Eccleſia; reddit infames; lacerat Chriſti veſtem inconſutilem, excommunicat, &c.

De hoc peſſimo vitio dicit Apoſtolus. [1] *Non ſit ſchiſma in corpore; ſed in ipſum pro invicem ſollicita ſint membra*. Et monet, *ut ſint ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare unitatem in vinculo charitatis, unum corpus, unus ſpiritus*, &c. ergo ſchiſma deſtruit unitatem corporis Eccleſiæ, quam facit charitas, & maximum opus charitatis, & eſt inimicum Deo ipſi, qui eſt lapis angularis illius ædificii.

6. Occurrit *bellum*, quod putatur dictum à belluis, quæ ſeſe mutuo diſcerpunt, & lacerant: eſt enim *odium & diſcordia plurimum ſe ſe armis mutuo provocantium, & ferientium*. Et licet aliquando ſit juſtum, & ſine peccato ex altera parte, tamen ſemper ex alterutra lædit charitatem, ſed non ex utraque. Ex bello pullulant ingentia mala, & peccata graviſſima; ut inſidiæ, machinationes, devaſtationes agrorum, civitatum, Regnorum, cædes etiam innocentium, prophanationes, ſacrilegia, &c.

Non igitur omne bellum eſt injuſtum, nec peccatum: v. g ſi cum juſtis regulis agatur, & ex fine juſtitiæ: nam juſtitia non opponitur charitati; ſed bella illa injuſta, in quibus non quæritur juſtitia, nec pacis reconciliatio, ſed potiùs quæ imperantur ex dominationis, & prædæ cupiditate. Nam omnis talis cupiditas opponitur tam charitati, quàm juſtitiæ.

7. Ri-

(1) *Cor.* 12. (2) *Epheſ.* 4.

7. Rixa. Quæ ex etymologia venit à *Rixari*, ſeu *ringere*, ideſt os torquere, ſicut canes, cùm inter ſe pugnant, & differt à *contentione*; & lite, quia, ex gloſſa, [1] *contentiones in verbis, lites in judiciis, & rixæ in factis conſiſtunt*. Et de his loquitur Apoſtolus inter opera carnis, ut vidimus. *Sic Paſtores Geraræ, & Iſaac rixati ſunt pro puteo*. Et Moyſes [2] *vidit duos Hebræos rixantes*. Sumitur ergo communiter pro bello quodam privato, ſive inter perſonas privatas ex ira, vel odio. Solet etiam dici *duellum*, quia ſæpiùs eſt inter duos. De quo vide Canoniſtas, & morales. (3) *Odium ſuſcitat rixas*, ait ſapiens. Ideo recenſetur inter vitia charitati oppoſita. Nam *charitas patiens eſt, benigna eſt*. Et graviſſimè prohibetur in Concil. Trident. & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, & legibus civilibus. Aliquando, & in certis caſibus duellum non fuit illicitum, ſed toleratum; ſed hodie nuſquam permittitur.

8. Loco ponitur *ſeditio*, quæ eſt quaſi *ſeorſum initio*, ſeu *diſſenſio civium*, ſeu diſcordia multitudinis, & talis maximè dicitur, quando commovetur populus contra Principes, aut Superiores.

Hæc ſine dubio eſt peccatum grave contra charitatem, quia deſtruit unionem, & pacem ejus inter cives, & cum ſuperiore, ad quam hortatur Apoſtolus. [4] *Obſecro vos, ut digne ambuletis... ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Et pro hac unitate orabat Chriſtus; *oro te pater, ut illi unum ſint omnes, ſicut tu pater in me, & ego in te*, &c. Qui pacem, & unitatem publicam turbant, graviſſimè peccant coram Deo, & apud homines graviſſimè puniuntur, & juſtè ſeditionum auctores, ut hoſtes pacis, & quietis publicæ.

9. Denique charitati opponitur *ſcandalum*: & ſignificat offendiculum, quod occurrit pedibus gradientis, ſeu quod quis ponit proximo ſuo, & ut quod eſt illi cauſa, vel occaſio cadendi, ſeu peccandi.

(1) *c. ne cler. & mon.*
(2) *Gen. 26.* (3) *Prov. 10.*
(4) *Epheſ. 4.*

di. Aliud eſt *activum*, quod jam deſcripſimus. Aliud *paſſivum*, quod ſignificat lapſum, ſeu peccatum, quod ſequitur ex offendiculo, ſeu ſcandalo activo.

3. Scandalum ſumitur pro offenſione proximi, quatenùs ex peccato noſtro offenditur, ſed iſtud non eſt peccatum in ſe formaliter, benè verò in 1. & 2. ſenſu.

Scandalum activum deſcribi ſolet, [1] *omne dictum, aut factum, aut omiſſum minus rectum, quod præbet aliis occaſionem ruinæ ſpiritualis*. De illo dicebat Pſalmiſta: *adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*. Et orabat, *cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem*.

Paſſivum autem dicitur, *omne peccatum veniens ex ſuaſione, compulſione, vel exemplo, vel imitatione, vel occaſione alterius peccantis*. Dico, alterius peccantis, ut diſtinguatur à ſcandalo, quod dicitur *acceptum*; quia iſtud non datur vere ab alio, ſed ſumitur à peccante ſine ulla vera cauſa, vel occaſione ex parte alterius, ſed ſæpè ex pravo judicio, quod peccans format de actibus alienis, & ſæpe de bonis, aut ſaltem de non malis operibus. Et ideo dicitur *Phariſaicum*, quia ſic Phariſæi de bonis, & ſanctiſſimis operibus Chriſti ſcandalizabantur, ut cùm dixiſſet: [2] *non lotis manibus manducare panem, non coinquinat hominem*: monuerunt diſcipuli, *ſcis, quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt*? ipſe reſpondit, *ſinite illos, cæci ſunt*. Inde hoc ſcandalum dictum eſt *Phariſaicum*.

Eſt aliud, quod dicitur *puſillorum*; quod eſt aliquid leviter malum, aut dubium, vel æquivocum, ex quo puſilli, & minùs perfecti occaſionem ſumunt ruinæ ſpiritualis. De hoc dicebat Chriſtus, *qui ſcandalizaverit unum de puſillis*, &c. Scandalum *activum* duplicem communiter habet malitiam, unam in illa ſpecie vitii, in cujus materia peccat, & alteram contra charitatem in proximum, cui ſunt occaſio peccandi: *Væ mundo à ſcandalis*. Item, *væ homini, per quem ſcandalum venit*.

De

[1] *Pſ.* 49.
[2] *Matth.* 5.

De ſcandalo ex profeſſo, & fusè agunt Theologi morales, qui undique abundant nobis. Hæc tetigiſſe ſufficiat, & de virtutibus Theologicis in genere, & ſpecie, ſub cenſura S. Matris Eccleſiæ; ad laudem, & gloriam D. O. M. & M. Deip. & Seraphici Patriarchæ Franciſci, & omnium Sanctorum.

Finis Quinti Tomi.

ANT 1317 8P8

Digitized by Google